219.

Bibl.
2069

Bibliothek d. Ev. theol. Seminars
Herborn/Dill

P.Bea.
59

219.

Bibl.
2069

Bibliothek d. Ev. theol. Seminars
Herborn/Dill

P.Bea.
59

IN SACROSANCTVM IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM, PIÆ ET ERVditæ iuxta Catholicam doctrinam Enarrationes, pro concione explicatæ, Anno Domini 1536. Moguntiæ.

ACCESSIT OPERI, EIVSDEM DIVI IOANNIS APOSTOLI EPISTOLA PRIMA, ITEM PRO concione non minus eruditè quàm piè enarrata, Moguntiæ in ſumma æde, Anno M. D. XLV.

PER FRATREM IOANNEM FErum, ſummæ apud Mogunt. ædis Concionatorem, & Cœnobij D. Franciſci Guardianum.

IOAN. XXI.

Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc. Et ſcimus, quia uerum eſt teſtimonium eius.

1. Ioan. 1.

Quod uidimus & audiuimus de uerbo uitæ, annunciamus uobis, ut & uos ſocietatem habeatis nobiſcum: Et ſocietas noſtra, ſit cum Patre & Filio eius Ieſu Chriſto.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. ät Reg. Rom. Maieſtatum, ad Septennium.

MOGVNTIÆ APVD DIVVM VICTOREM, excudebat Franciſcus Behem Typographus, Anno

M. D. L.

SEMINARIUM BIBLIOTHEEK HEERLEN

SEBASTIANVS DEI GRATIA SANCTAE SEDIS MOGVNtinæ Archiepiſcopus, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius & Princeps Elector, &c.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AMPLISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO SEBASTIANO, SANCTÆ

Sædis Moguntinæ Archiepiscopo, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellario, ac Principi Electori, &c. Domino & Principi suo Colendissimo.

NOndum mirari apud me desij, Reuerendissime in Christo Pater & Domine, Amplissime Princeps, nec ut arbitror unquam mirari desinã, quo nam aduerso casu aut fato, in id inciderim, unde uel maxime semper abhorruit animus meus. Nihil enim minus unquam mihi probari potuit, quám præproperum illud in plærisq; uel ostentandi ingenij, uel aucupandæ gloriæ, uel denicq; etiam sectarum promouendarum studium: quo adacti, tantum non ad libros scribendos insaniunt, & quicquid uel somniauerint, uel coram tribus anicul*is* pro concione effutierint, statim non suæ tantum farinæ hominibus, sed toti etiam mundo publicandum & legendum extrudunt. In quos & olim, dum illud Ecclesiastis tractarem: Librorum scribendorum nullus est finis, me in publica concione acriter inuectum, etiamnum recenti memoria teneo. Nec enim uideo, quid præproperi illi & abortiui scriptores, Ecclesiæ Dei prodesse possint, aut in quibus intempestiua eorum opera indigeat Ecclesia. Atq; utinam eidem Ecclesiæ nihil hactenus obfuissent, cuius tamen contrarium omnibus constat. Nam huiusmodi scriptoribus debemus, quicquid malorum hodie in Ecclesia uidemus: quo magis admiror, quomodo adducti potuerim, ut quod in alijs semper & tantopere improbaueram, ipse quoque imitarer. Equidem ita mihi conscius sum, et hoc etiam teste conscientia Deoq; cordium inspectore proloquor, me tametsi pluribus iam annis in aurea hac Celsitudinis uestræ Moguntia, partim in templo cœnobij nostri, partim etiam in summa æde Moguntina (nescio quo auditorum fructu, certè magno meo labore) qualemcunque concionatorem ægerim: nullo tamen unquam tempore non dico speraſſe, sed ne cogitaſſe quidem aut etiam somniaſſe futurum, ut in publicum æderentur Lucubrationes meæ, multo minus ut á quoquam hoc mihi persuaderi sinerem, aut mea sponte illas cuiquám hominum excudendas obtruderem. Verum nunc imprudens in utrumque incidi. Nam & persuaderi hoc mihi passus

 sum,

ſum, & ipſemet hac de cauſa nedum in immenſos labores, uerumetiam in certa pericula me conieci: futurus (quod certo mihi perſuaſi) ob hanc meam temeritatem, omnium eruditorum fabula. Quanquam reuera nihil minus quám temeritatis me arguere poterit, quiſquis rem hanc ita ut acta eſt perfecte cognouerit. Nihil enim hic proprio inſtinctu, omnia autem aliorum impulſu me ægiſſe, uel illis ipſis teſtibus, qui me huc impulerunt, utris ſane nedum fide dignis, uerumetiam magna & authoritate & eruditione præditis: & quorum aliqui iam dudum ſuis etiam ipſorum Lucubrationibus ſeſe mundo non conſpicuos tantum, uerumetiam admirandos præſtiterunt, probare poſſem. Hi enim qua præditi ſunt & eruditione & eloquentia, demq; & perſuadendi efficacia, cum me conuiuio ad hoc ipſum (ut arbitror) inſtructo comiter excepiſſent, nihil quidem minus quám tale quippiam cogitantem aggreſſi, ſicque uolentis illis ſuis perſuaſionibus urgere cœperunt, ut qua elabi poſſem, non inuenirem. Reclamabam totis uiribus, nihilq; non excuſationis in medium proferebam. Aſſerebam librorum huiuſmodi iam dudum ſatis ſuperque, immo & ad nauſeam uſque mundo obtruſos eſſe. Obijciebam Lucubrationes meas uni mihi, idque extempore & feſtinanter, ſtiloque triuiali & plane nec erudito nec expolito eſſe ſcriptas, denique in tot annis ne ſemel quidem á me relectas. Allegabam huius ſæculi exactiſsima iudicia, quibus nihil niſi quod ad ſummum uſque expolitum & elaboratum ſit placere poſſit. Affirmabam me & cura domeſtica, longaque in decantandis horis Canonicis mora, denique & crebris concionibus ad populum præpediri, quo minus exactam, & ut neceſsitas ipſa exigeret, huic negotio operam impendere poſſem. Adijciebam & illud, me & ætate iam prouectum, & continuis magnisq; laboribus, quos coram uno eodemq; populo, uiginti duobus annis concionando inſumpſiſſem, fractum & defatigatum, rude potius donandum quám nouis laboribus ſubijciendum. Denique, ut nihil intentatum relinquerem, ſi qua pateret elabendi uia, aſſerebam & illud, Nihil tale attentari debere, citra Reuerendiſsimæ Dominationis ueſtræ uoluntatem & conſenſum, quandoquidem Cæſareo mandato cautum eſſet, nihil niſi ex authoritate eorum, qui Eccleſiæ gubernaculis præſident, typis excudendum. Hæc quidem ego pro excuſatione mea. At illi reiectis & confutatis omnibus quæ obieceram, in ſententia perſiſtebant, donec tandem euincerent, ut Annotationes, quas in Euangelium Ioannis iam dudum congeſſeram, uni eorum uidendas traderem: futurum ſperans, ac certo mihi perſuadens, ipſum, ubi uel unam pagellam perlegiſſet, ſententiam ſuam de ædendis huius farinæ ſcriptis mutaturum. Atqui cum ego hoc agi crederem, & (quod ad hanc rem attinet)

nihil

nihil amplius ſollicitus, in utramque autem dormirem: Interim libellus ille meus, ne á me quidem relectus, prælo ſubijciebatur excudendus, paucisq; exactis diebus, Typographus me adiens, duos primos terniones, iam typis excuſos, iamq; R. D. ueſtræ oblatos & præoſtenſos, mihi nedum admiranti, uerumetiam obſtupeſcenti offerebat, ſimul etiam aſſerens eandem Reuerendiſſimam Dominationem ueſtram, non ſolum eius in me ſollicitando & impellendo induſtriam collaudaſſe, uerum inſuper & mandaſſe, ut porro in negotio hoc pergeret, nihil ueritus uel meam difficultatem, uel etiam expoſtulationem. Hic igitur quid agerem Colendiſſime Princeps? Lupum tenebam auribus, uidebam ipſum opus me uolente nolente excudi, nec mihi tantum uel temporis uel uirium ſuppetere, ut eidem operi uel aliam faciem (quod ad ſtili munditiem pertinet) ſuperinducere: Vel ſaltem quæ uel emendanda uel adijcienda uel reſecanda eſſent, emendare, adijcere, aut reſecare poſſem. Non enim me fugiebat, plærosq; huius Euangelij locos, pleniorem & accurratiorem magisq; dilucidam enarrationem exigere: ſed nec illud ignorabam, me prioribus illis annis cum nouitius adhuc concionator eſſem, nec eo tum iudicio præditus, ut omnia & ſingula ad unum, exactamq; Eccleſiaſticæ doctrinæ regulam expendere poſſem, obuia quæque ex quibuscunq; etiam authoribus, quicquid ad dilatandas & amplificandas conciones facere uidebatur, his annotationibus infarſiſſe: quorum tamen (ut inter relegendum percepi) plæraq; uel emendaſſem uel reſecaſſem, ſi per otium licuiſſet. Atqui nunc omnium horum, præter ea ſola, quæ uel ad Grammaticæ uel Orthographiæ regulas emendanda erant, nihil præſtare potui. Ob quam cauſam & diu ueritus ſum, nomen meum aſcribere, & reuera nunquam aſcribi paſſus fuiſſem, niſi me unius Reuerẽdiſſimæ Dominationis ueſtræ nomen & authoritas permouiſſet, quam & aliás ſciebam non ſemel ægre tuliſſe, ſolitam illam meam in ſubeundis arduis quibusq; negotijs difficultatem, quæ ut illi quidem nimia uideri poteſt, mihi tamen omnino neceſſariam eſſe plane ſentio & experior. Satis enim perſpectum habeo, quam mihi ſit curta ſuppellex domi, didiciq; uel aliorum exemplo, me non alieno, ſed meo metiri pede. Inſuper & ſcio quám turpe ſit, ſupra uires aliquid attemptare, nihilq; aliud ad huiusmodi conatus ſequi quám confuſionem: Nihilominus tamen ob ampliſſimi Nominis ueſtri reuerentiam, paſſus ſum me in hac re perſuaderi, ne perpetuo audire cogar, me in omnibus rebus difficilem eſſe. Nam alioqui ita me Deus amet, nihil tale unquam auſurus uel facturus eram. Quid enim attinebat ea rurſus ceu noua ingerere, quæ alij iam dudum & ueteres & recentiores tam exacte tradiderant? Immo quid attinebat me corniculam

alienis plumis uestitã in publicum prodire, & singulis auibus suas agnoscentibus & repetentibus irridendam præbere? Nihil enim in toto hoc opere, quantumuis magno, meum est, aut meum esse agnosco. Aliorum nedum sensus, uerumetiam uerba sunt, quæ hic leguntur. Ex omnibus enim quotquot habere potui: Potissimum autem (quod ad ueteres Ecclesiæ doctores attinet) ex Augustino, Cyrillo, Chrysostomo, Theophylacto, Ruperto Tuitiensi, Alberto magno, Dyonisio Carthusiano & alijs, quæ ad piam Euangelici contextus expositionem accomodata uidebantur, desumpsi, ne immutatis quidem (ut dixi) eorum uerbis. Nihil enim aliud quærebam, quam ut pijs auditoribus prodessem, fidelemq; expositorem agerem. Insuper nec ipsos Neotericos (etsi plærique eorum ob noua dogmata non admodum bene apud Catholicos audiant) contemnendos duxi. Plæraq; enim & ex ipsis, potissimũ autẽ ex Ioanne Brentzio, itemq; (quod ad nouissima illa Christi in cruce uerba attinet) etiam ex Oecolampadio, suis etiam ipsorum uerbis in hæc mea transtuli: Verum ea tantum, quæ bona, Ecclesiasticæq; doctrinæ consona uidebantur, & quæ uiri illi non in schismate, sed in Catholica Ecclesia didicerant. Adeo nihil in toto hoc opere, industriæ meæ ascribo, præter unum illud, ex singulis uidelicet optima quæq; colligendi, & in hunc ordinem redigendi laborem & studium. Hac laude contentus (si tamen aliqua laude & commendatione dignum uidebitur) nihil aliorum mihi arrogo, nec ulli suam gloriam præripio, aut alteri debitam mihi usurpo, sed quod ipsa ueritas habet, ingenue confiteor, ne quis me furti arguere possit. Vtinam licuisset mihi apud meos delitescere, aliorumq; laboribus frui, & quæ scripseram, non alijs quam mei similibus communicare, ijs enim forte nonnihil prodesse poteram, ut qui ob ingenij tarditatem, nec ueteres cum fructu, nec recentiores citra periculum legere ualentes, in his meis, utrorumq; sententias & ueras & probatas, rectis quibusq; uel minus necessarijs, uel non admodum sanis dogmatibus, simul inuenturi essent. Verum cesso tam anxie excusare, quod mutare non possum. Pio Lectori iam dudum satisfactum esse puto, quem & hanc meam qualemcunq; operam boni consulturum, bona spe ducor. Aliorum enim qui secus affecti sunt, iudicia nihil moror, nec delicatis auribus mea hæc minus placitura admodum curo. Reuerendissimæ Dominationi uestræ (quod primo omnium dictum oportuit) uelum & soli post Deum, si non in omnibus placuisse, certe uel morem gessisse satis mihi sit. Itaq; de his ne uerbum quidem addam. Quod ad rationem assumpti huius operis attinet, Lector pius in ipsa Præfatione deprehendet, quibus uidelicet causis ad enarrationem huius Euangelij pertractus fuerim. Cæterum, ut uel tandem quo uolo perueniam, Reuerendiß.

uerendiſsimæ Celſitudini ueſtræ, hoc quicquid eſt operis dedicare æquum duxi, non tam ob id, ut ſub eiuſdem Celſitudinis ueſtræ amplißimo nomine, uelut numine quodam protectum, fœlicius in publicum exeat, maioremq; hominum gratiam demereatur, quám ut erga eandem Celſitudinem ueſtram, perpetuam illam & pronam pectoris mei obſeruantiam, quam á multis annis eidem exhibere in ſumma ſemper uoluptate habui, declararem. Adiunxi huic operi iuxta R. C. ueſtræ uoluntatem & iuſſum, etiam enarrationes meas in priorem Diui Ioannis Epiſtolam, uerum in compendium redactas, ne uidelicet ipſum uolumen iam plus iuſto amplum, in nimiam & non tolerandam magnitudinem excreſceret. Dignetur oro R. D. V. hanc qualemcunq; meam operam, huncq; concionum mearum (quod ad æditionem attinet) primum fœtum, cum primis autem promptam meam & uoluntatem & obedientiam parato uultu, clementiq; & paterno affectu agnoſcere & excipere, meq; cum eis qui mihi commißi ſunt, ſoluta ſua gratia & clementia fouere & commendatos habere. Deus Opt. Max. R. C. ueſtram in ſuam gloriam, ſuæq; Eccleſiæ decus & inſtaurationem, quám diutißime nobis incolumen conſeruare dignetur, Amen. Datum Moguntiæ Poſtridie Diui Bartholomæi. Anno Dominicæ Incarnationis ſupra Mileſimum quingenteſimum quinquageſimo.

Reuerendiſs. Celſitudinis V.

Obſequentiß.

Frater Ioannes Ferus, uacante Cathedra Eccleſiæ Mogũtinæ Concionatoris uices utcunque ſupplens, Cœnobiiq; Diui Franciſci Guardianus.

Errata

ERRATA

Folio 1. b. linea 27. congruere. fol. 4. a. lin. 17. lege: uiſione Dei, & dele ſequens Dei. fol. 11. b. lin. 4 ſuſpiciendus. ibidem lin. 14. ſpeciali. fol. 12. b lin. 38. niuum Dei. fol. 13. a. lin. 7. mera ignorantia. fol. 19. b. lin. 15. materiali. fol. 22. b. lin. 24. dictis & factis. fol. 26. b. lin. 24. feſtinum. fol. 30. a. lin. 22. pertetritam. fol. 36. b. lin. 33. dele in. fol. 45. b. lin 1. ut ſciant. fol. 57. a. lin. 1. urit. fol. 66. a. lin. 13. iniuſtam. eodem b. lin. 4. coram. fol. 71. b. lin. 35. ut uel ſic. fol. 85. a. lin. 8. dele per, & lege quam pro quod. fol. 87. b lin. 21. ſtiebat. fol. 91. b. dele ad. fol. 99. b. lin. 36. uirtutem uerbi Dei. fol. 106. b. lin. ulti. dele &. fol. 109. a. lin. 15. quin. fol. 133. a. lin. 23. male eſſe. Eodem lin. 26. ſine illo. fol. 196. a. lin. 1. particeps. fol. 220. a. lin. 36 ſpecialiter. fol. 233. b. lin. 2. ſpeciali ibid. lin. 17. ſpeciali, fol. 243. b. lin. 32. & pro ut. fol. 261. a. lin. 33. attendas. fol. 263. b. lin. 3. ſpecialem. fol. 270. a. lin. 9. iam deſtinauerat. fol. 292. b. lin. 16. tamen. fol. 306. b. lin. 20. diuinitatis. fol. 314. b. lin. 2. uero. fol. 324. b. lin. ult. operari. fol. 339. b. lin. 32. nuda. fol. 344. a. lin. 35. tantum. fol. 377. a. lin. 41. ſanctitatem. fol. 380. a. lin. 8. ſciant me. ibid. lin. 11. futuri. fol. 429. a. lin. 37. tuam. fol. 430. b. lin. 6. miniſterium.

IOAN. XIIII.

Vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem, ſicut mandatum dedit mihi, ſic facio.

IN EVAN.

IN EVANGELIVM IOANNIS PROLOGVS.

Audite me, quoniam de rebus magnis locuturus sum: Aperientur labia mea, ut recta prædicent. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neq; peruersum. Recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam. Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quám aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis opibus, & omne delectabile ei non potest comparari, Prouerb. VIII.

Experientia ipsa fateri nos cogit, non satis esse ad conseruationem uitæ naturalis, semel tantum cibum sumere. Immo nisi subinde sumatur cibus, uita ipsa consistere nequit: quia humidum radicale citò à calore naturali consumeretur, nisi subinde per sumptionem cibi & potus instauraretur. Sic infirmitas naturæ nostræ, tentationumq; uarietas facit, ut ad conseruationem uitæ spiritualis, non satis sit, semel audisse uerbum Dei, nisi crebro audiatur: Ob eam causam, cum uiderim uos ea, quæ ex Ecclesiaste proposueram, alimenta auide degustasse, operæ precium uisum est, etiam alios cibos apponere. Sic enim mandat Dominus. Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis sit homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo noua & uetera. Et quidem in promptu est, quod apponi possit: Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Verum illud me aliquo modo incertum reddit, quod uideam uos nõ similiter affectos, nec eadem appetere. Quod si eam discretionem adhiberemus spirituali conuiuio, quam corporali adhibemus, non opus esset huiusmodi admonitione. In externis siquidem paterfamiliâs facturus conuiuium amicis, etsi nesciat, quid quenq; iuuet aut delectet, studet tamen pro uiribus, quæ sibi optima uidentur, apponere: sperans fore, ut & ipsis placeant. Econtra quilibet inuitatus, etsi nesciat quales cibos pater ille familiâs instruxerit, nihil tamen non magnum sibi pollicetur, secq; egregie refocillandum sibi persuadet. Quod si quid apponitur sibi contrarium, non ob id statim surgit, aut succenset patrifamiliâs, sed cogitat, non sibi soli conuiuium præparatum esse, bonicq; consulit, quod alij eo cibo delectetur: interim non desperat aliquid superuenturum, quo & ipse

Matth. 13.

2. Tim. 3.

delectetur. Hæc, inquam, discretio summè necessaria esset in cõuiuio spirituali, quam ut & nunc adhibeatis, summopere rogo. Mihi quidem animus est, & fuit semper, optima quæq; uobis proponere: propter quod etiam nunc, quamuis sentiam me longe imparem huic oneri ferendo, confisus tamen de diuino auxilio, Euangelium secundum Ioannem prædicare institui, non ob aliud, quàm ut uobis prodesse possim. Quanquam autem sit res magni laboris, omnia tamen facile perferam, si unum hoc à uobis impetrauero, ut boni consulatis etiam ea, quę uidentur ardua & difficilia (qualia non pauca in hoc Euangelio occurrent) Certo enim uobis polliceor, quod in processu huius Euangelij occurrent, quæ iucundissima sunt, & summe consolatoria. Sed de hijs hactenus. Nunc paucis ostendam, quibus causis permotus, hoc Euangelium potissimum enarrandum

I. assumpserim. Harum autem prima est & præcipua, ipsum nomen Christianum, quod gerimus, & de quo gloriamur. Quid autem Christiano magis congruit, quàm eius & uerba & facta attendere, à quo nomen habet, nempe Christi? Non enim Christianum te facit, si Aristotelem, aut Platonem, Bartholum, aut Baldum, Auicennam, aut Auerroem, Virgilium aut Homerum, Tullium, aut Demosthenẽ subinde legas: Sed si uerba & facta Christi, & menti imprimas, & opere exequaris. Atqui Ioannes nihil aliud habet, quàm

II. uerba & facta Christi, eaq; selectissima. Deinde nullus Euangelistarum, tam clare & diffuse de Christi diuinitate scripsit, ut Ioannes. Atqui, ut infra audietis, non parum refert, immo summa consolatio est, scire, quod Christus non tantum homo fuerit, sed & Deus, Dei

III. Filius. Prȩterea cum Euangelium hoc potissimum contra hæreticos scriptum sit, uidebatur mihi summe congrue huic infœliciſsimo æuo

IIII. nostro, in quo fermè omnes hæreses repullulascunt. Ad hæc, cum Euangelium hoc ubiq; singularem quandam præ se ferat grauitatem, non parum conducere potest ad corrigendos mores nostros, quos ad leuitatem & petulantiam, plus satis declinasse uidemus. De-

V. mum, cum & Christus & Apostoli prædixerint, in nouissimis diebus futura tempora periculosa, nosq; in ea tempora uel experientia teste inciderimus, nihil opportunius uidebatur, quàm Euangelium hoc, quod abunde remedia & consolationes subministrat, contra omnia aduersa & tentationes. Hijs igitur alijsq; causis permotus,

Prouer. 9. Euangelium hoc enarrare institui, cui non immerito prȩmisi hęc Sapientis uerba: *Audite me, &c.* Ea siquidem uerba iustissimè dicere nobis potest sanctus hic Euangelista. Vere enim de rebus magnis loquitur in suo Euangelio, immo de rebus maximis: deinde non erronea, sed recta docet. Præterea labia eius detestantur impium gregem, scilicet hæreticorum, quos mirabiliter confundit hoc libro. Denicq; iusti sunt omnes sermones eius, nihil in eis peruersum, tam-

etsi

etsi solis sapientibus aperiãtur: impijs aũt clausi sunt. Sũma. Sapientia, quę in hoc Euangelio traditur, uere precioſior eſt cunctis opibus, quare & merito audienda, & plus quàm pecunia amanda eſt. Gloriatur ſanctus, ſe in uia teſtimoniorum Dei delectari, ſicut in omnibus diuitijs: multo magis nobis hoc Chriſti teſtimonium ſcrutandum eſt, immo toto corde exquirendum, tota anima concupiſcendum, ſuperęq; aurum & topazion diligendum. Nam ſi Euangelici negociatores ſumus, & bonas margaritas quærimus: ecce una pretioſa margarita inuenta eſt. Vbi enim ulla, quæ maioris precij ſit, reperiri poteſt? Hanc animarum uerus amator Deus, dilectę Ioannis animæ pro monumento dilectionis præcipue fixit in pectore, ut uerbum, quod Maria ſola protulit in carne, ipſum huius ſocia uirginitas, præ omnibus uiua mortalibus promeret uoce. Danda ergo ſunt omnia, ut hæc ſola margarita comparari queat, omneſq; carnalium ſordes affectuum, ab oculis cordis abſtergendę ſunt eis, qui in ſchola Chriſti uenerabilibus ſtudent literis, ut hanc aliquatenus ualeant aquilam proſequi. Sed de hijs ſatis. Nunc antequam rem ipſam aggrediamur, quorundam obiectionibus reſpondere cogor. Neq; enim neceſſarium duco, authorem huius libri commendare, cum eius laus abunde in Euangelio conſcripta ſit, nemoq; non fide dignum eum iudicet. Neq; hic pluribus agam, quid ſit Euangelium, & quomodo audiendum: hæc enim in Matthæo ſatis oſtendi, ſed tantum quorundam obiecta diluam. Primo enim non deſunt, qui cum ex Græcis didicerint, Euangelium eſſe bonum nuncium, perſuadent ſibi, nihil aliud in Eccleſia prædicandum eſſe, niſi quod lætum eſt, quales ſunt promiſsiones. Quandoquidem Chriſtus dixerit: Prædicate Euangelium, &c. Et Paulus. Euangelium uirtus Dei eſt, in ſalutem omni credenti. Cumq; audierint aliquem, ad pietatis opera inducentem, ſtatim eum damnant, ut prædicatorem legis, & nihil minus quàm Euangelicum prædicatorem eum iudicant. Atq; hinc eſt, quod multi neglectis quæ ad pietatem pertinent, ſolo nomine gloriantur. Item ex Euangelio accipiunt tantum, quæ arrident. An non hoc eſt Chriſtum illudere, & iterum crucifigere? An non hoc eſt Filium Dei & Spiritum gratiæ conculcare, & blaſphemare? Audi igitur falſe Euangelice, Chriſtus doctrinam ſuam non ob id Euangelium nominauit, ut deinceps nihil niſi promiſsiones prædicandæ ſint, omniſq; doctrina de operibus abolita ſit. Nam & ipſe frequenter ad opera pietatis nos hortatur, & Apoſtoli in ſuis Epiſtolis nihil non agunt, ut ad bona opera nos extimulent: Maximeq; eos deteſtantur, qui libertatem uertunt in occaſionem carnis, & uelamen malitiæ. Ideo autem Chriſtus doctrinam ſuam lætum nuncium nominat, quod ea non, ut lex, pœnis & minis ad bonum cogit, ſed donis & promiſsis allicit. Sic igitur uetus Teſtamen-

Matth. 13.

Ibidem.

Mar. 16.

Rom. 1.

Heb. 10.

Gal. 5.

1. Pet. 2.

tum, tametsi plures habuerit adiunctas promissiones, ut patet in Prophetis & Psalmis: quia tamen hæ promissiones nondum impletæ erant, nomen legis obtinuit. Vnde & Christus etiam Psalmos
Ioh. 10. legem nominat. Nonne, inquit, in lege uestra scriptum est: Ego dixi dij estis. Sic doctrina Christi, tametsi multa doceat de operibus, quia tamen promissiones nunc per Christum impletę sunt, & implentur, Euangelij nomen obtinuit. Sicut igitur impie cum patribus ueteris Testamẽti egisset, qui omissis promissionibus, solam eis legem prædicasset: per hoc enim eos ad desperationem adegisset. Sic impie facit, qui Christicolis, neglecta doctrina operum, solas promissiones inculcat: per hoc enim eos in uanam securitatem, immo leuitatem inducit, quemadmodum uidemus. Summa, sicut lex non excluſit promissiones, immo multas adiunctas habuit: sic Euangelium non excludit opera, immo summe ea commendat. Hæc ideo pluribus exposui, propter eos, qui de Euangelio gloriãtur, cum nesciant, quid sit Euangelium. Præter hos sunt alij, qui obganniunt. Quid, inquiunt, necesse fuit, scribere Euangelia, cum Christus nõ dixerit: Scri-
Mar. 16. bite Euangelium, sed prędicate Euangelium. Immo promiserit olim,
Ihere. 31. se non in tabulis lapideis, sed in cordibus hominum scripturum legem suam. Atq; hinc quidam in tantam insaniam perucnerunt, ut scripturam in totũ reijciant, ac nouas uisiones & reuelationes quę rant è cœlo: Quod animaduertens Diabolus, statim se in angelum
2. Chor. 11. lucis transfigurat, eosq; mirabiliter decipit, ut uidemus. Audi igitur, uerum quidem est, Melius esse Euangelium Christi in corde habere scriptum, quàm in membrana. Deinde oportuerat quidem Christianos non indigere auxilio literarum, sed tam mundum habere cor, Spiritu Dei purificatum, ut illarum uice gratia Spiritus sancti uteremur & unctione, & deinde alijs Euangelium uiua uoce traderemus: Ideo & Christus nihil scripsit, sed ore prædicauit. Quia uero hanc excusimus gratiam, secundas diuitias, quibus Euangelium per scripturam traditum est, non contemnamus. Vere enim nunc nobis euenit, quod olim ante Christum natũ euenerat. Quemadmodum enim magni illi & diuini uiri, utpote, Noẽ, Abraham, Isaac, Iacob, &c̃. qui ante datam legem uixere, non ex literis & libris discebant, sed munda prædita mente, Spiritus illustratione illuminabantur, atq; in hunc modum Deo cum illis ore ad os colloquent:, quę Deo placita erant, cognoscebant. At postquam deteriores facti sunt homines, concesit tandem misericors Deus & scripturas, ut uel per illas diuinæ uoluntatis essent memores: & suas cognoscerent miserias. Ita & Christus suis Apostolis coram in sua persona locutus est, & Spiritus sancti gratiam misit doctoris loco. Verũ, quoniam hæreses pullulaturę erant, & purissima Christi doctrina humanis figmentis conspurcanda ab impijs: operæ precium uisum est Deo & Chri-

sto,

sto, ut scriberentur & Euangelici libri, quo discentes ab illis veritatem, non ab hæresum mendacijs deciperemur: sed omnia, & doctrina & uita, ad hanc regulam, tanquam ad Lydium lapidem, ordinarentur. Quod ni factum esset, nunquam usq; ad nos fides inuiolata peruenire potuisset. Si enim etiam nunc, cum mundus plenus sit sacrorum Bibliorum libris, tamen Diabolus quasi ui quadam ueritatem è manibus extorquere conetur: Quid fieret, si nulla esset scriptura? Nihil enim æque odit, ut scripturam: nec immerito. Nam ubiq; per illam traducitur, & manifestatur, alioqui sub bona specie latiturus. Non igitur est, quod subsannes scripturam, sed est unde gratias agas. Verum rursum oblatrant alij. Et quid, inquiunt, opus erat, ut Ioannes scriberet Euangelium, cum iam tria essent conscripta, nempe Matthæi, Marci, Lucæ, &c. Audi causam. Summa necessitas Ecclesiæ Ioannem compulit. Misso enim eo in exilium à Domitiano, irruperant in Ecclesiam hæretici, quasi in destituta pastore ouilia lupi, Marcion, Cherinthus, Ebion, cæteriq; Antichristi, qui Christum negantes fuisse ante Mariam, simplicitatem Euangelicæ fidei peruersa maculauere doctrina. Quid hic ageret Ioannes, reuersus ab exilio: Omnes iam Apostoli mortui erant, Nonne officij sui erat, Christi gloriam defendere? Non enim parua res agebatur, non de terminis aut regni legibus disceptatio erat, sed de ipsis Regis nostri natalibus. Fecit igitur sanctus ille Apostolus, quod suum erat, fidenter prosiliuit in medium, & magno uocis Euangelicæ tonitru, uerbiq; coruscantis fulmine, omne Concilium uanitatis, cunctamq; Ecclesiam malignantium, ubiq; terrarum perterruit, ac dissipauit: aperte protestans de Christo, quòd Filius unicus, & consubstantialis, ac per hoc hæres legitimus Patris æterni sit. Nec immerito tam ardenter diuinitatem Christi defensauit. Plurimum siquidem refert, immo summa nostra consolatio in hoc consistit, quod Christus non tantum homo, sed & Deus est: Alioqui quomodo potuisset nobis remissionem peccatorum polliceri, si Deus non esset, cuius solius est, peccata dimittere? Deinde quomodo ratum erit Testamentum, quo cœlestem nobis hæreditatem legauit, si legitimus possessor ipse cœli non fuit? Quomodo autem cœlum possessio eius fuit, si ipse de cœlo non uenit, sed à Maria initium sumpsit? Opportune ergo nostræ spei fidus hic testis subuenit, dum ingenui testatoris antiqua iura proloquens, non solum cœlum, sed & omnia quæ sunt, eius esse, & per ipsum facta esse diffinit. An non uidetur hæc iusta causa fuisse scribendi Euangelia? immo iustissima: Alioqui omnis spes nostra periisset. Præterea cum uideret alios Euangelistas aliqua uerba & opera Christi breuiter attigisse tantum, aliqua etiam omisisse (quandoquidem, ut & ipse fatetur, nemo omnia Christi uerba & opera scri- Luc. 14. Ioan. 21.

bere potuit) indignum putauit, tot egregia uerba & facta Christi, quæ in hoc Euangelio continentur, silentio transire. Ne quid igitur nobis deesset ad perfectam consolationem, hoc Euangelium conscribere uoluit. Non igitur est, quod ipsi succenseas, sed est, de quo summe gratias agas. Sed fortasse non deerunt, qui hæc omnia boni consulent, mihi tamen uitio dabunt, & præsumptionis arguent, qui cum nihil sim, audeam hoc Euangelium enarrare. Ad quod breuiter respondeo. Ingenue fateor, me opus
Psal. 90. supra uires meas aggredi, sed scio quis dixerit: Aperi os tuum, & implebo illud. Deinde ingenue fateor, in hoc Euangelio altissima mysteria contineri, quæ nemo satis explicare potest: sed nunquid ideo tacendum est? Nonne Paulus dixit? Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam, &c. Quod igitur nobis deest, precibus à Deo petamus, &c.

INCIPIT EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM,

CAPVT PRIMVM.

Summa totius Euangelij huius hæc est. Primo exponit, quis sit Christus. Deinde, cur uenerit. Postremo, quid gesserit. Et primum à diuinitate Christi orditur. In hoc enim, ut supra dixi, omnis nostra consolatio consistit: hic nobis non satis est discere, quòd Christus sit Deus & homo, & quomodo naturæ illæ coniungi potuerint, & huiusmodi multa arguta: Sed hoc potius consyderandum, quod necesse fuerit, eum, qui remissionem peccatorum prædicaturus erat, esse Deum, in cuius figuram Pontifex in lege laminam ferebat in fronte, cui inscriptum
Exod. 29. erat nomen Dei. Et addidit textus: Vt sit ei placatus Dominus. Quo præsignatum est, eum, qui nos reconciliaturus esset, oportere esse Deum, alioqui coram eo consistere non posset. Iam cum Ioannes statim à principio ostendat, Christum esse Deum, non est, quod de reconciliatione nostra, aut uoluntate Patris erga nos, dubitemus, qui Christo credimus: sed simpliciter sciamus, quod sicut Chri-
Rom. 8. sti sumus, ita & Patris. Secure igitur cum Paulo dicimus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui iustificat: quis est, qui condemnet? &c. Vere ingens consolatio, eum habere ducem & præcessorem, qui Deus est. Hoc petebat Moyses, cum diceret: Si non tu ipse
Exod. 33. præcedas, non educas nos de loco isto: Quomodo enim scire pote-

rimus

rimus, nos inueniſſe gratiam, niſi gradiaris nobiſcum. Hanc conſolationem magnifice prædixerunt Prophetæ. Sic enim Iſaias ait: Præcedet uos Deus, & congregabit uos Deus Iſraël, &c. Et Sophonias. Rex Iſraël Deus in medio ueſtri, non timebitis malum ultra, &c. Nunc textum audiamus. Iſa. 52. Soph. 3.

In principio erat uerbum, &c.]

Hic primo uides, quàm uere dixerit Chriſtus. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum uidebunt. Item Sapiens. Anima iuſti plus uidet, quàm ſeptem ſpeculatores, ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Item Iſaias. Nemo poterit habitare cum igne deuorante, niſi qui ambulat in iuſtitijs, &c. Iſte in excelſis habitabit, &c. Regem in decore ſuo uidebit, &c. Vere enim mundicia cordis iuuit Ioannem, ut claritatem ſolis æterni, plus cæteris diuinæ uiſionis animalibus, irreuerberata potuerit mentis acie contemplari. Vere enim plus uidit q̃ omnes Philoſophi, qui ſe ſapientes mundi iactabant. Vere Regem in decore ſuo uidit, &c. Nec aliud eſt, quod nos adeo impedit à tam clara uiſione, quàm immundicia cordis, & impietas Dei. Deinde uel ex hoc primo uerbo uides, Sanctum Ioannem non ſine cauſa dictum eſſe Filium tonitrui: Hoc enim uerbo, uelut tonitru & coruſcante fulmine, omne Concilium uanitatis perterruit & diſsipauit. Matth. 5. Eccle. 5. Iſa. 33. Mar. 3.

Præterea uides hic, quàm merito Sanctus ille Ioannes inter alia animalia, aquilæ comparetur. Aquilæ enim conditiones ſunt, quod ſupra alias aues uolat, in excelſis ponit nidum ſuum, inde contemplatur eſcam, &c. Et quidem hæc omnia Ioannes, huius uerbi ac ſempiterni principij contemplator excelſus, magnifice conſecutus eſt. Vere enim eleuatus eſt ut aquila: tranſcendit omnia cacumina montium: tranſcendit omnes campos aëris, omnes altitudines ſyderum: tranſcendit omnes choros & legiones angelorum, apertos intendens oculos in radios diuinitatis. In arduis poſuit nidum ſuum, id eſt, æterni huius Euangelij ſui monumentum. In petris manſit, id eſt, in ſoliditate ueritatis, atq; inde contemplatus eſt eſcam: Illam ſcilicet, quam & attingere meruit, huius uerbi ſempiternam gloriam. Et quamuis in hoc Euangelio nobis, filijs ſuis, potiſsimum Chriſti ſanguinem lambendum proponat: non immerito tamen etiam uerſus radios Solis obtutus noſtros dirigit, ut paulatim diſcamus, per humanitatem Chriſti aſcendere ad eius diuinitatem. Iob. 39.

In principio erat uerbum]

Tria hic in exordio obſeruanda ſunt. Primũ, quomodo Teſtamẽtorũ ueteris & noui initia ſibi reſpõdeant. Dum uetus ordiretur, dixit Moyſes: In principio creauit Deus cœlum & terram. Dicit Ioannes dum nouũ fundat: In principio erat uerbũ. Moyſes: Terra erat inanis & uacua. Ioan. Verbũ erat apud Deũ, & Deus erat uerbum. Gen. 1.

Moyſes: Tenebræ erant ſuper faciem abyſsi. Ioannes: In ipſo uita erat, & uita erat lux hominum, &c̄. Moyſes: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Ioannes: Et uerbum caro factum eſt. Vter iſtorum altiori exorſus eſt tono? Vter ſolidiora iecit fundamenta? Sine dubio Ioannes. Nec mirum. Nam Moyſes carnalibus ſcribens, congrue à mutabili natura ſumpſit exordium, & corporum digeſtionem, diſpoſitionem, ordinem, ante omnia demonſtrat. Nouum uero Teſtamentum, quia fulgor eſt luminis æterni & ſpiritualis, ſpiritualibus quoq; uiris traditum eſt: congrue à ſpiritualibus, æternis & penitus immutabilibus incipere debuit. Hinc igitur diſcamus, quantum excellat nouum Teſtamentum uetus: immo diſcamus, quantum nos præcellere debeamus eos, qui ſub uetere Teſtamento uixerunt. Cum enim maiora nobis data ſint, maiora etiam à nobis exiguntur. Cui enim multum datum eſt, multum ab eo exquiretur. Deinde conſyderandum, cum Ioannes ſine dubio loquatur de Chriſto, Filio Dei, cur eum potius nominauerit uerbū, quàm Filium. Huius autem plures rationes adduci poſſunt. Primo ideo nominat Filium Dei uerbum Dei, ut intelligatur, eſſe ſpiritualis & ſimplex generatio, non materialis, carnalis, ſeu mutationi admixta: ſed intellectualis, inuiſibilis, inuariabilis, & immanens. Quoniam uerbum proprie dictum, eſt interior mentis conceptus, intelligibilis dictio, & prolata intus notitia. Alioqui ſi dixiſſet: In principio erat Filius, ſtatim caro imaginari potuiſſet carnalem generationem. Secundo, cum intentio Ioannis in hoc Euangelio ſit, pro uirili ſua exponere, ne dum quis ſit Chriſtus in natura: hoc enim nemo ſatis explicabit, ſed etiam & potiſsimum quantum in ſe bonorum habeat, potius eum nominauit uerbum, quàm Filium. Nomine enim Filij, nihil aliud indicatur, quàm quod Patrem habeat Deum. Nomine autem uerbi, multo plura intelliguntur, nempe omnia, quæ de Filio Dei dici poſſunt. Eſt autem Filius Dei, uirtus & ſapientia Patris. Item imago Dei inuiſibilis, in quo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, hoc eſt, iuſtitiam, potentiam, bonitatem, ueritatem, miſericordiam, &c̄. Quæ ineffabiliter impreſſa ſunt Filio. Item, Filius Dei eſt ſplendor gloriæ Patris, & figura ſubſtantiæ eius. Item, eſt ueritas & uita. Item, eſt lux omnia illuminans. Denicq; Chriſtus eſt, qui ſolus nobis Patrem manifeſtauit, & nos docuit. Deum enim nemo uidit unquam: Vnigenitus Filius enarrauit nobis. Vt igitur perfectiſsime nobis innoteſceret Chriſtus, Ioannes eum nominauit uerbum, potius quàm Filium, quaſi diceret, Chriſtum, quem tibi hoc libro deſcripturus ſum, non ſimpliciter debes conſyderare ut Filium Dei, ſed ut talem Filium, qui etiam uirtus & ſapientia Dei eſt, imago, ſplendor gloriæ, figura ſubſtantiæ Dei, lux, uita, ueritas, &c̄.

1. Cor. 1.
Col. 1.
Heb. 1.
Ioh. 14.
Ioh. 1.
Ioh. 1.

Vide quanta bona ſub nomine uerbi compręhendat, ad conſolationem noſtram. Pręterea ideo Chriſtum Filium Dei, nominat uerbum Dei, ut oſtendat, ſe non contrariũ eſſe Moyſi, immo eadem ſcribere, quæ Moyſes in principio ſui libri commemorauit: Nempe, quod Deus per uerbũ omnia fecit. Cum igitur etiam Moyſes huius uerbi tam honorifice meminerit, immo conſtanter aſſerat, hoc uerbũ ante omnes creaturas in Deo fuiſſe, & per ipſum omnia facta eſſe: quid nobis uitio uertũt Iudæi, quod idem dicimus? Sed nec hoc iuſte reprehendere poſſunt, quod uerbum Dei dicimus Filium Dei. Quanquam enim hoc nec in homine, nec in Angelo ſit, quod uerbũ dicatur Filius (neq; id mirũ, cum uerbũ & hominis & Angeli non ſit ſubſtantia, ſed accidens) tamen in Deo ueriſsimum eſt. Verbum enim Dei ſubſtantia eſt, quia eſt in Deo, ubi accidens eſſe nõ poteſt: Non tamen alia ſubſtantia eſt, quàm ſubſtantia Dei. Cum igitur uerbum Dei, à Deo productũ ſit, propriſsime dicitur genitum eſſe. Nam gignere nihil aliud eſt, quàm ſubſtantiam producere. Quod ſi à Deo genitũ eſt, Filium eſſe Dei uerbum Dei, negare non poſſumus. Poſtremo etiam ideo Ioannes Chriſtum nominat uerbũ Dei, ut corda noſtra excitaret ad amorẽ, & reuerentiam etiam externi uerbi, in ſcriptura expreſsi: quod quamuis non ſit ipſum eſſentiale & uiuum Dei uerbum, de quo Ioannes hic loquitur (alioqui etiam impius, habens ſcripturas, haberet Deum, lucem, uitam, &c̃.) Eſt tamen ſcriptum hoc uerbum, quaſi uox quędam diuini uerbi, & uehiculum, quo ipſum eſſentiale Dei uerbũ in nos traducitur. Quare ſumma deuotione audiendũ eſt. Nihil enim à uiuo illo Dei uerbo procedit, quod non & ipſum bonũ ſit. Huius igitur diuini uerbi ac Filij Dei diuinitatem, deſcribere uolens Ioannes, breuibus quidem uerbis utitur, ſed efficaciſsimis. Pauca, inquam, de diuinitate Chriſti dicit, ne qua humana cogitatione ſubuertantur curioſi. Quod enim in lege prohibitum fuit, ne quis curioſius ſancta ſanctorum ſpecularetur, ſignificatum eſt, nullam humanam cogitationem ad res diuinas, & incomprehenſibiles carni, referendam eſſe. Hinc & Paulus ait. Per ſapientiam Deum in ſapientia non potuiſſe cognoſci, ideo per ſtultitiam crucis cognoſcendũm eſſe. Et Moyſes gloriam Dei per petræ foramen ſpeculatus eſt: Ita & nos ad cognitionem Dei, niſi per Chriſti carnem, peruenire non poſſumus. Ob eam cauſam Ioannes pauca quidem præmittit de diuinitate Chriſti, plura autem ſubnectet, quæ Chriſtus in carne & docuit, & fecit, & paſſus eſt. Quamuis autem pauca ſint uerba, quæ de diuinitate præmittit: tamen efficaciſsima ſunt contra hæreticos, immo uere ſagittæ Domini ſunt, in quarum luce imus, & fulgurans haſta eius, in cuius ſplendore nos quidem gradimur: Sed hæretici potenter proſternuntur hijs præmiſsis. Nunc ad textum accedamus.

Geneſ. 1.

1. Chor. 1.

Exod. 33.

Abac. 3.

In

In principio erat uerbum]

Multa hic admodum subtiliter disserunt Scholastici: Nos rem simplicissime tractabimus. Primo igitur diligenter attendenda sunt, quæ hic de diuinitate uerbi dicuntur, ut certum habeamus fundamentum fidei nostræ. Nulla autem fides certa esse potest, nisi quæ innititur uiuo & uero Deo. Cum igitur iam inde ab initio mundus
1. Chor. 1. non credat, Christum esse uerum Deum, quemadmodum & Paulus ait: Prædicamus Christū, Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam, &c. Deinde etiam quidam hæretici è nobis egressi, quamuis non erant ex nobis, id palam etiam affirmare ausi sint, Christū non esse Deum:
1. Ioan. 2. quos & Ioannes ob id Antichristos nominat. Præterea Diabolus nihil non agat, ut fidem nostram labefactare possit: admodum necessarium est, hæc Ioannis uerba diligentissime attendere, ut primo omnium certo sciamus, Christum esse uerum Deum, sicq; solidum habeamus fundamentum, cui tuto inniti possimus. Si enim Christus non esset uerus Deus, iam uere nos in harenam ædificaremus. Singula autem uerba, quæ Ioannes hic ponit, singulos hæreticos impugnant, ut mirum sit, eos tam manifestis uerbis nihil permotos esse. Verum propria eos ratio seduxit, cui plus crediderunt, quàm
2. Cho. 10. Ioanni. Quod ne & nobis contingat, simpliciter in hijs uerbis consistamus, & intellectum nostrum captiuemus in obsequium Christi. Verbum igitur, de quo Ioannes tam magnifice loquitur, non est uerbum aliquod humanum, nec Angelicum: immo nec est uerbum illud scriptū, quod nos Dei uerbum nominamus. Hæc enim omnia creaturæ sunt, sed est uiuum illud & essentiale Dei uerbū, ratio perpetua, sapientia sempiterna, intellectus incomprehensibilis, ueritas incommutabilis, immo ipse Vnigenitus Filius Dei. Cur autem uerbum dicatur, supra expositum est: Hoc uerbum hic Filius Dei erat. Non dicit fiebat uel creabatur, ut mentitur Arrius, sed erat. Deinde signanter ponit præteritum imperfectum: Hoc enim, & præteritum, & præsens includit. Dei enim proprium est, semper esse & consi-
Exod. 3. stere. Hinc ad Moysen dicitur: Qui est, misit me ad uos. Et Christus:
Ioan. 8. Antequam Abraham fieret, ego sum. Verba enim substantiua, de Deo dicta, non significāt motus temporales, sed sic exponi possunt secundum Hieronymū. Est, quod nunq̄ deest: Erit, quod nunquam derit: Erat, quod nunquam deerat: Fuit, quod nunq̄ defuit. Non igitur uerbū hoc ita fuit, ut iam non sit: nec ita modo est, ut olim non fuerit. Vides quàm aperte hic Arrij commentum reijciatur. Sequitur: *Erat in principio*. Hoc sic potest intelligi, ut sit dictio orationis inceptiua, quemadmodum Latini dicere solent: In primis, uel primum, uel principio, sine præpositione, uel in principio, id est, intemperaneum, incomprehensibile, & ineffabile, quemadmodum

dum de excellenti aliquo dicimus: Ille primas tenet. Vel in principio, hoc est, in Patre, qui merito principium dicitur: quia ab eo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. In hoc principio erat uerbū, sicut infra dicitur, Vnigenitus, qui est in sinu patris. Et Christus ipse: Ego in Patre, & Pater in me est. Simplicissime autem illud principium intelligamus, de quo Moyses: In principio creauit Deus, &c. Hoc principium fuit, quando creaturæ incœperunt esse. Ante hoc enim nullum fuit principium, quia Deus non incœpit esse. In hoc igitur principio uerbum iam erat, id est, tunc, cum creaturæ condi inciperent. Sequitur ergo, quòd ante omne creaturarum principium fuerit Deus. Confundantur igitur Ebion & Cherinthus, qui dicunt, Christum ante Mariam non fuisse. Confundantur & Iudæi, qui dicunt, Nos nouum & recentem Deum adorare. Quod autem Filius Dei ab æterno fuerit, etiam ex alijs probatur. Sic enim in Prouerbijs sapientia Dei dicit. Dominus possedit me in initio uiarum suarum, &c. Ad longum. Et Christus ipse: Claritatem, inquit, apud te habui, priusquam mundus fieret. Et quid multis opus? cum ipse Moyses apertissime testetur, uerbum Dei fuisse à principio. Dixit, inquit, Deus: Fiat lux, &c. Si dixit, iam uerbum erat ante creaturas. Obserua item, quòd non dixit: Verbum erat ipsum incipere, sed in principio, ut Arrio præcluderet uiam. Si enim ipsum uerbum factum esset, ut mentitur Arrius, iam uerbum non fuisset in principio, sed fuisset ipsum incipere. Iam cum cogitatur de hoc principio, itur in abyssos æternitatis: hic fide in tenebras ingrediendum est, quæ sentit ante omnia, post omnia, & in omnibus esse Deum. Multum autem consolationis, ex primo hoc uerbo habere possumus. Si enim Christus, Filius Dei, in quem credimus, fuit in principio ante omnia, & ab æterno: certū est, quòd etiam erit post omnia, & in æternum: quemadmodum in Isaia dicit. Ego sum primus, & nouissimus, &c. Quod autem hoc dicatur de Filio, patet ex eo, quod sequitur: Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius. Ergo cum in morte exeundum est extra omnes creaturas, nec ratio uidet, quo concedendum sit: fides nostra stat immobilis, nihil dubitans, quin ingrediatur in Deum. Certi igitur sumus, quòd etiamsi reliquerint nos omnes creaturæ, tamen perpetuo manebit is, in quem credimus, quo quid magis consolatorium est morituro, &c.

Ephes. 3.
Ioh. 1.
Ioh. 10.
Genes. 1.
Prouer. 8.
Ioh. 17.
Genes. 1.
Isa. 48.

Et uerbum erat apud Deum]

Paulatim Ioannes nos ducit ad altiora. Primo enim asseruit, uerbum nō è Maria initiū sumpsisse, sed in principio fuisse: Nunc indicat, ubi fuerit. Erat, inquit, apud Deum. Vere dictū. Vbi aliàs esset, cum extra Deum nihil adhuc esset. Vide aūt, quàm magnificè huius uerbi dignitatē hic insinuet. Quid enim est, quod apud Deum erat,

nisi

niſi quod in magno erat honore, in ſumma dignitate, in magna dilectione. Erat apud Deum, ſed non quemadmodum apud diuitem aurum, quod tantum eſt in arca, non in ipſius ſubſtantia. Verbum autem erat apud Deum, quemadmodum apud ſapientem ſapientia,
Iob 12. apud fortem fortitudo. Nam & in Iob dicitur: Apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo. Signanter autem dicit, Apud Deum: per hoc enim indicat, uerbum uel Filium diſcriminatam eſſe perſonam, & aliam à Patre, ut non de perſonis dubites, dum alteram audis eſſe, uel fuiſſe apud alteram. Refellitur igitur hoc uerbo Sabellius, qui Trinitatem abnegans, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, non tres perſonas eſſe aſſerebat, ſed unam tantum tribus nominibus deſignatam, propter diuerſas operationes: Ita, quòd Deus diceretur Pater, ratione creationis. Idemq; diceretur Filius, ratione recreationis: Idemq; diceretur Spiritus ſanctus, ratione ſanctificationis. Ob eam cauſam etiam ſectatores eius dicti ſunt Patripaſſiani, quia cum non ſecernerent perſonas, dicere cogebantur, etiam Patrem paſſum & crucifixum. Horum errorem Ioannes deſtruit, cum dicit: Et uerbum erat apud Deum. Cum autem uerbum ſit apud Patrem, & Pater Deus ſit immenſus, illocalis, & incircumſcriptibilis, uniuerſa tranſcendens, implens, conſeruans, ac ambiens: conſequitur, quòd etiam uerbum & Filius talis ſit. Hinc igitur duplex nobis conſo-
Mar. 16. latio conſurgit. Primo enim, ſi apud Deum erat Chriſtus ſecundum diuinitatem, & nunc etiam ſecundum humanitatẽ ad dextram Dei ſit, non eſt, quod deinceps deſperemus, qui tam potentem habeamus
Heb. 4. aduocatum: immo accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, &c. Secundo, ſi Chriſtus apud Deum erat & eſt, & Deus eſt ubiq; Ergo & is, in quem nos credimus, ubiq; eſt. Nihil igitur eſt, quod animum deſpondeamus in aduerſis quibuſcunq;, cum præſentem habeamus Chriſtum, Filium Dei.

Et Deus erat uerbum]

Sicut ſuperiori ſententia perſonas diuinas diſtinxit contra Sabellium: Sic hac ſententia ſubſtantiam coniungit, ac unam eſſe teſtatur in duabus perſonis Dei, & uerbi ſui, contra Arrium. Signanter autem dicit: Deus erat, ne quis putaret, Chriſtum tantum nomine eſſe Deum, uel communicatione appellationis uocari Deum: Quemad-
Exod. 7. modum & Moyſes dictus eſt Deus Pharaonis, & Iudices uocantur
Pſal. 81. dij: Ego dixi dij eſtis. Item, Dijs non detrahes. Hij, inquam, non
Exod. 22. natura dij erant, ſed tantum communicatione appellationis dij uocati ſunt. De Chriſto autem dicitur: Deus erat, ad innuendum, quod non appellatione tantum, ſed natura Deus ſit. Quod ut clarius innoteſceret, Ioannes non dixit: Verbum erat Deus, ſed præpoſtero ordine uerborum: Deus erat uerbum, hoc eſt, id quod nos dicimus

Deum

Deum & adoramus, erat uerbum illud, de quo loquor. Vide quam potenter hic Arrium prosternat. Constat igitur ex hoc uerbo, quod Filius & Pater unus est Deus, quia una est eorū essentia. Nec differunt, nisi quod Pater imaginem imprimit, Filius est imago impressa. Pater effulget: Verbum uero est fulgor idem, qui effulget. Summa autem consolatio in hoc consistit, quod Christus Deus uerus est. Rom. 8. Hinc enim gloriari licet: Si Deus pro nobis, quis contra nos, &c.

Hoc erat in principio apud Deum]

Hoc repetit, ne ex uerbo proxime præcedenti Sabellianus quisquam putet, unitatem essentiæ tollere distinctionem personarum. Ex utraq; enim parte pugnat contra hæreticos, hinc contra Arrium: illinc contra Sabellium. Magna siquidem attentione & discretione opus habet, qui uerbum Dei prædicat, ne dum unum errorem destruit, ad alterum uiam aperiat. Tria igitur hac breui sententia complexus est. Primum in eo, quod dicit: *Hoc*, refert proximam sententiam: Verbū Deum esse, & uerbi diuinitatem indicat. Secundum quod dicit: *Erat in principio*, facit Patri coëternum uerbum. Nam cum uerbum sit Patris sapientia, & uirtus, & splendor, & Deus nunquam fuerit sine sapientia, potentia, aut splendore: constat, quod nunquam ab eo abfuit uerbum. Tertium quod dicit: *Apud Deum*, notat discrimen personarum. Hæc sunt, quæ de Christi diuinitate Ioannes adducit. Sunt autem talia tantaq;, quæ adorare quidem licet fide, comprehendere autem ratione non licet. Et similitudines rerum creatarum, mysteria creatoris utcunq; uelut per transennam deliniant, ueritatem exprimere ad uiuum non possunt. Proinde pura, & simplici fide credenda sunt. Sunt tamen aliqui, qui ex hoc exordio Euangelij totam Trinitatem colligant. Cum enim Ioannes tria nominet: Principium, uerbum, & Deum, per principium intelligūt Patrem, per uerbum Filium, per Deum Spiritū sanctum. Quod autem Ioannes ultimo addit: *Hoc erat in principio*, &c. Secundum illos habet sensum. Hoc quod est esse Patrem, siue principium: hoc quod est esse uerbum, siue Filium: hoc quod est esse Deum, siue Spiritum sanctum, erat in principio. Sic igitur quamuis qui sola ratione ingreditur in ea, quæ mundum conditum præcesserint, nihil nisi meras tenebras inuenit: qui autem fide prǣditus est, inuenit ǣternum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Sicut enim Deus antrorsum & retrorsum omnia aspicit, sic & fides, quia oculis Dei prædita est, quæ sunt Spiritus sancti, & sequitur uerbū in abscondita ducens. Non autem dicit: Hæc erant in principio, ne quis tres substantias à se inuicem separatas, putaret esse Deum. Sed dicit: *Hoc*, ut significetur unitas essentiæ.

Omnia per ipsum facta sunt]

Hactenus uerbi naturam diuinam pauciorĩbus quidem, quàm ratio humana ferat, ſed fidei ſufficientibus uerbis, Ioannes deſcripſit: Nunc quid ipſum uerbum operetur, cum in omnibus creaturis, tum maxime in homine, paucis indicabit. Paulatim igitur nunc deſcendit, ut qui uerbum ipſum in ſui natura cõprehendere non poſſunt, ſaltem ex operibus eius ipſum cognoſcere ſtudeãt. Ob id enim Deus creatione ſeipſum manifeſtauit, ut ex uiſibilibus innoteſceret eius uirtus & diuinitas. Singula autem uerba emphaſim habent. Non dicit: Verbum ante omnia factum eſt, ut mentitur Arrius, ſed per uerbum alia facta ſunt. Nec dicit: Aliqua per uerbum facta ſunt, ſed omnia. Omnia per ipſum facta ſunt, nempe ea, quæ Moyſes in principio libri ſui enumerat, primis ſex diebus facta: Videlicet cœlum, terra, lux, firmamentũ, arbores, & arbuſta, Sol & Luna, piſces, & uolucres, beſtiæ & reptilia, denique & ipſe homo. Deinde omnia per ipſum facta ſunt, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, &c. In ſumma, uniuerſa creatura, maior, minor: infera, ſupera, corporalis, ſpiritualis, omnis ſubſtantia, quantumcunq; etiam uideatur mala, per ipſum facta eſt. Nulla forma, nulla compages, nulla concordia partium, nulla qualiſcunq; ſubſtantia, quæ poteſt habere numerum, pondus, & menſuram, niſi per illud uerbum, & ab illo uerbo creatore eſt, cui dicitur: Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti. Quod autem omnia per uerbum facta ſint, etiam ex alijs locis probatur. Primo enim manifeſte id dicit Moyſes &c. Deinde Pſalmus: Dixit, & facta ſunt. Item, Verbo Domini cœli firmati ſunt. Item, Omnia in ſapientia feciſti, &c. Quid autem eſt uerbum Dei, niſi ſapientia Dei? Hac igitur ſententia, excitamur ad conſyderandum uerbi potentiam. Cum enim per uerbum ipſum omnia facta ſint, plane conſtat, ipſum uerbum omnipotens eſſe. Quis igitur non ſe audeat omnipotenti committere? Qui omnia poteſt, quomodo te unum non poſſet conſeruare? Qui tantam fortitudinem etiam quibuſdam creaturis, utpote Angelis, & alijs tribuere potuit, cui dubium eſt, quin maiorem ſibi reſeruauerit? Qui creaturam aliquam ſingulari fortitudine, uel utilitate præditam habet, putat ſe ſecurum: quanto magis, qui uerbum Dei habent?

Rom. 1.

Geneſ. 1.

Coloſ. 1.

Sap. 11.

Geneſ. 1.

Pſalm. 103.

Secure igitur nos huic æterno uerbo & Filio Dei committamus, clamantes cũ Centurione: Domine dic uerbũ, & ſanabitur, etc. Deinde hic uides, quàm merito nos Chriſtiani omnia bona, ab ipſo Chriſto, uerbo, & Filio Dei ſperemus. Cum enim certum ſit, quod omnes creaturę perfectiones ſuas ex hoc ipſo uerbo acceperint, quid mirum, ſi & homo ſuam ab eo perfectionem expectet? Huc pertinet, quod Chriſtus ſæpius nos ad ſe uocat, tanquam ad fontem omnis boni, &c. Veriſsime igitur Chriſtus dicit: Beati qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt illud. Et Dauid: Mihi adhærere Deo bonum

Matth. 8.

Ioan. 7.

Luc. 11.

Pſalm. 72.

bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Item, Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Quantum autem hoc uerbum pios omnes consolatur, tantum impugnat hæreticos. Cesset igitur blasphemia Arrij, qui dicit etiam ipsum uerbum factum esse, cum Ioannes hic manifestissime uerbum ipsum extra numerum creaturarum secernat, dicens: *Omia per ipsum facta sunt*, non ipsum inter omnia, uel ante omnia factum est. Cesset etiã fabula illa Manichæi, de malo principio, uel deuota, nescio qua, gente tenebrarum, à quibus fingit prodijsse ea, quæ uidentur esse mala: Vt Diabolus, homo: Item animalia nociua, &c. Nulla enim creatura mala est per naturam. Vidit enim Deus cuncta, quæ fecit, & erant ualde bona. Quod autem aliquæ malæ sunt, hoc est per accidentem malitiam: Sic Diabolus per uitium quidem malus est, sed substantia eius per naturam mala non est. Sic de homine, alijsq; rebus nociuis dicendũ. Noli igitur ob id malum aliquod principium fingere eorum, quæ tibi molesta sunt: De pœna tua peccatum tuum accusa, non creatorem. Ad superbiam enim nostram domandam, etiam uilissimis rebus nos subijcit, ut sunt muscę & pulices, &c. quemadmodum & Pharaonis superbiam edomitam uidemus, &c. Psal. 84. Exod. 8.

Simpliciter igitur fateamur omnia, & quæ commoda, & quæ incommoda sunt, per uerbum facta esse: Hæc quidem ad Dei iustitiam, illa autem ad Dei misericordiam declarandam. Demum hic uides, quam ob causam non Pater, nec Spiritus sanctus, sed uerbum & Filius humanam assumpsit naturã. Quia enim omnia Dei opera per uerbum fiunt, oportuit & redemptionem hominis, quod maximum Dei opus est, per uerbum fieri, ut quod recens hominem creauerat, ipsum quoq; collapsum restauraret.

Et sine ipso factum est nihil]

Ne quis putet, post primam rerum creationem uerbum Dei quiescere, et sinere cũcta pro sua libidine ferri: Addit. *Sine ipso factum est nihil*, quasi dicat, ne dum uerba condita sunt omnia, sed & in ipso omnia subsistunt. Hinc Paulus: Portans omnia uerbo uirtutis suæ. Et nedum per uerbum facta sunt omnia im exordio, sed & ipsum uerbum etiam nunc in creaturis operatur. Sic Christus ipse dicit: Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Et Paulus: Viuus est sermo Dei, & efficax, &c. Item ipse operatur omnia in omnibus. Sicut igitur præcedens sententia, ad primam creationem rerum attinet, sic hęc ad generationes, corruptiones, et alias quaslibet aliarum creaturarum transmutationes & operationes referenda est, ut eas sine uerbo Dei, fieri non credamus. Docet igitur hæc sententia Deo ascribere quicquid siue prosperi, siue aduersi à creaturis experimur. Stat enim sententia: *Sine ipso factum est nihil*. Huc pertinet, Col. 1. Heb. 1. Ioan. 5. Heb. 4. 1. Cor. 12.

Isa. 54. quod in Isaia Dominus dicit. Ego sum Dominus faciens pacem, & creans malum. Hinc Iob, cum à Diabolo affligeretur, dixit. Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Si igitur nihil sine ipso fit, gratias age, si quid boni à creaturis accipis, siue à terra, siue à cœlo, &c. Item gratias age uerbo, si quid boni tu ipse facis. Item, si nihil sine ipso fit. Noli ergo timere Diabolū, aut impios homines, qui nihil sine permissu Dei possunt: sed Deū time, qui potest & corpus, & animam perdere. Ex uerbo igitur Dei habet terra, quod fructificet: nubes, quod pluuias et rorem dant, etc. pij, quod bona operantur, & quæq; creaturę suas operationes, &c. Hanc sententiam pulchre confirmat si sic legamus. *Sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Quanquam Chrysostomus hanc adiectionem ideo appositam uelit, ne quis & spiritum sanctum inter creaturas numeret, id quod Arrius fecit. Innuit igitur Ioannes, se tantum loqui de hijs rebus, quæ factæ sunt. Hæ enim omnes per uerbum factæ sunt. Atqui spiritus sanctus non est factus. Nihil igitur ex hoc loco colligere potest Arrius, ad defensionem sui erroris. Non desunt autem, qui hunc locum eo trahunt, ne quis suspicetur, Deum esse authorem peccati, sicq; exponunt. *Sine ipso factum est nihil*, id est, peccatum sine ipso factum est. Hæc quamuis sit pia & uera sententia, tamen non uidetur hic ab Ioanne intenta.

Iob. 1.

Matth. 10.

In ipso uita erat]

Hic locus uarie legitur apud expositores, tum Græcos, tum Latinos. Primo siquidem hæretici nonnulli, sic distinguunt. Quod factum est in ipso, uel per ipsum, erat uita. Hoc Arrius ad Spiritum sanctū traxit, quem per uitam intelligit, uultq; ex hoc probare, Spiritum sanctum esse creaturam. Manichæus generaliter ex hoc concludit, etiam lapides & alia habere uitam, & animam. Hilarius, tametsi etiam sic distinguat, tamen alium affert sensum, nempe hūc. Quod factū est per ipsum uerbum, nempe eius incarnatio, passio, resurrectio, &c. uita nostra sunt, & ad uitam nobis prosunt, uel uitam conferunt. Augustinus, & Latini plærique, sic distinguendum esse uolunt. Quod factum est, *in ipso uita erat*, ut sit sensus. Quicquid unquam factum est, antequam fieret, uitam, imaginem, & ideam suam habuit in Dei uerbo, secundum quam ad extra formatum est. Quemadmodum architectus totam structuram prius habet intus in mente, quam eam exhibeat in opere. Nulla igitur noua uoluntas, qua aut mundum condidit, aut post longa & multa sæcula filium misit. Quicquid enim unquam factum est, antequam fieret, in ipsius præscientia erat. Nec solum nouerat ab initio, quæ uel qualia conderet, suoq; statu singula disponeret: sed etiam quædam perdita ad suam gloriam recuperaret. Inde est, quod suum certum seruat

omnis

omnis natura cursum, nihilq; sit sub sole nouum, quia uidelicet semel de immutabili uoluntate posuit præceptũ, dum semel & simul omnia creauit, qui uiuit inæternum. Sic omnino manet altitudo insuperabilis consilij diuini, quod habuit super salutem generis humani. Nec enim electos alios uocauit, quàm quos ante sæcula pręsciuit, & prædestinauit: neq; tanquam præuentus à Diabolo, aut circumuentus, nouum aliquid excogitauit, quando uerbum misit in carnem, sed sic definitum erat. Quod igitur factum est, in ipso iam uiuebat. Vel aliter: Quod factum est, hoc est, ipsa opera Domini antequam fierent, iam erant uita ipsius uerbi, hoc est, quasi ludus quidam, in quo mire delectabatur, etiam antequam fierent, quemadmodum sapientia Dei dicit: Et delectabor per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: Et delitię meæ, esse cum filijs hominum. Eccles. 18. Rom. 8. Prouer. 8.

Hæc quanquam pia sunt, uidentur tamen nimis coacta. Non enim intentio Ioannis fuit, scribere quomodo creaturæ ab æterno habuerũt suas imagines in uerbo, sed quid ab ipso uerbo et filio Dei, nos sperare debeamus. Magis igitur mihi arridet sententia Chrysostomi, qui hæc uerba (Quod factum est) superiori sententiæ annectit, ut supra dictum est. Et deinceps nouum uersum incipit: *In ipso uita erat*. Hic igitur Ioannes incipit, orationem suam accommodare ad Euangelium, & renouationem humanam. Ac primo quidem hoc uerbo rationem reddit superioris sententiæ. Qui enim scire uelit, quomodo per uerbum omnia potuerint fieri: Respondet Ioannes. *In ipso uita erat*. Sicut enim si ex profundissimo et iugi fonte quantũuis aquæ haurias, nihil tamen ex his diminuitur. Et sicut lux, quantumuis hominũ multitudinem illuminet, nihil ob id splendoris amittit: sic Deus, & antequam mundum conderet, et postquam condidit, idem perfectus atq; integer permanet, nihil tanto & tam admirabili opificio minor, nihil imbecillior: quia in ipso uita erat: Et apud te est fons uitæ. Deinde hoc uerbo indicat, ueram animæ uitam non aliunde esse, quam è uiuo illo uerbo Dei. Vnde & à Ioanne dicitur, Verbum uitæ. Et Christus ipse: Ego sum resurrectio, & uita, &c. Psal. 35. 1. Ioan. 1. Ioan. 11.

Hoc enim uerbum uiuificat, & restaurat omnes in se credentes, omnesq; collapsos recreat, non tam eos, qui sequuntur eius incarnationẽ usq; ad finem mundi, quàm illos, qui præcesserunt iam inde ab initio mundi. Christus enim expandit manus suas et ad posteros, & ad priores: & sicut pertingit usq; ad ultimum hominem in orbe terrarum futurum, ita in priora pertingit usq; ad primum hominem conditum. Iesus enim Christus heri & hodie, ipse & in sæcula. Heb. 13.

Ex fide in hoc uerbum Adam pristinæ imagini Dei restitutus est: Ex hoc uerbo omnes Patriarchæ, & Prophetæ & pij, reuixerunt ante peccatis mortui, et inferno obnoxij. Simplicissime igitur hoc loco uitam intelligas, non illam, qua cunctæ creaturæ, siue rationales siue

irrationales, constant: sed qua credentes in uitam pristinam restaurantur, ut liberati à morte, peccatis, & Inferno, uitam habeant æternam. Obserua autem, quod dicit, In uerbo uita erat. Ergo, qui uerbum fide apprehendit, is uitam habet: Qui autem uerbum negat, & Christum solum hominem fatetur, quemadmodum Cherintus, is uitam habere non potest. Si enim Christus nihil aliud esset, quàm homo, uitam nobis conferre non posset: Caro enim non prodest quicquam. Quia autem eius caro Deitate plena est, ideo de ipsa dicit: Caro mea uere est cibus, non propter carnem, sed propter inhabitantẽ Deitatem. Præterea, quia in solo Dei uerbo uita est, & extra ipsum nulla uita esse potest. Hinc est, quod impij, etiamsi corporalem habeant uitam, eam tamen seruare ac retinere non possunt: quia non credunt in uerbum, fontem uitæ. Pij aũt, etiamsi uideantur mori, tamen quia fide uerbum Dei tenent, etiam uitam in perpetuum conseruant. Demum, quia in uerbo uita est, constat, quod mors aboleri non potuit, nisi per uerbum. Hinc est, quod non Pater, nec Spiritus sanctus, sed uerbum caro factum est, ut uiuificaret mortuos.

Ioan.6.

Vide igitur quantum consolationis breuissima hæc sententia contineat: *In ipso uita erat.* Quid autem dulcius, aut optabilius uita? Dicamus igitur cum Psalmo. Non discedimus à te Domine: tu uiuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Quo enim ire possumus, cum tu solus habeas uerba uitæ æternæ? Nec est aliud nomen sub cœlo, in quo possimus uitam et salutem consequi, q̃ nomen Iesu.

Psal.79.

Ioan.6.

Act.4.

Et uita erat lux hominum]

Dulcis quidem, & iucunda res est uita. Verum quid prodest uita, nisi adsit et lux. Quale mihi gaudium esse potest, ait Thobias, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non uideo? Si uita iucunda esse non potest sine corporali lumine, quid iucundum esse posset homini, ignorantiæ & peccatorum tenebris obcæcato? Vt igitur certi simus, perfectã beatudinem à Christo Dei filio sperandam, addit: *Et uita erat lux hominum.* Non autem loquitur de externo & uisibili lumine, quod oritur super bonos & malos, & illuminat terrã. Nec loquitur de lumine naturali rationis, quod mali q̃que habent, ut boni: Sed loquitur de lumine gratiæ, quo cognoscimus Deũ, & per tenebras peccati & mortis penetramus.

Thob.5.

Sicut igitur Christus uera uita est, sic & uerum lumen est. Hinc Zacharias: Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris & umbra mortis erant. Signantur autem dicit: *Vita erat lux*, ad innuendum, quod in Christo est fundamentum & ueritas, & non sola apparentia, sicut in homine. Nam sicut dicit Lucas de ipso: Erat uir potens in opere, & sermone. Et alibi: Cœpit Iesus facere & docere, ubi semper opera doctrinam præcedunt, alias esset hypocrisis, si

Luc.1.

Luc.24.

Act.1.

uerba

uerba ſola eſſent ſine operibus. Et ſicut ipſe de Ioanne dicit: Ille erat lucerna ardens, & lucens: Sic & hic, ut Chriſtus cognoſcatur uera et infallibilis lux, prius nominat uitam, & poſtea lucē. Deinde ſignanter dicit: *Lux hominum.* Quamuis enim hæc lux ſuper omnia, quæ facta ſunt, luceat, ſuam tamen ipſius imaginem in ſola exprimit hominis anima. Reliquæ enim creaturæ corporales uel tantum ſunt, ut lapides: Vel ſunt & uiuunt, ut arbores: Vel ſunt, uiuunt & ſentiunt, ut pecora. Homo autem poſt angelum ſolus in hoc honore poſitus eſt, quod ad quęrendum & inueniendum creatorem ſuum, factus eſt idoneus. Et quanquam idem Dei uerbum, Chriſtus, etiam angelos illuminet: quia tamen non angelis, ſed hominibus ſcribitur Euangelium, ſatis uiſum fuit dicere, eum eſſe uitam hominum. Ioan. 5.

Generaliter autem dicit, Chriſtum eſſe lucem hominum, ſine reſpectu perſonarum. Non enim ludæorum tantum Deus eſt, ſed & Gentium, immo omnium, qui in ipſum credunt, cuiuſcunq; conditionis aut ſexus ſint, &c. Hæc igitur ſententia manifeſte damnat eos, qui plus æquo extollunt lumen rationis. Si enim Chriſtus lux eſt hominum, ergo non ratio. Deinde, ſi lumen rationis ſufficit ad ſalutem, quid opus fuit alio lumine? Poteſt quidem etiam ratio humana lumen appellari. Iuxta illud: Signatum eſt ſuper nos lumen uultus tui Domine. Verum hoc lumen, nos non poteſt ducere ad perfectam Dei cognitionem, nec ſufficienter nobis oſtendere poteſt uiam ſalutis, nec ducere nos poteſt per opacum illum ſpecum mortis. Quod enim in omnibus membris & potentijs noſtris uidemus euenire, hoc & in ratione uſu uenit. Quis dubitat, quod homo ſit per æternum uerbum Dei creatus in omnibus potentijs, & tamen nihil boni in ipſo eſſe Moyſes teſtatur: Cuncta, inquit, cogitatio hominis, prona eſt ad malū. Sic & caro, Dei creatura eſt, & tamen ad luxuriam inclinata eſt. Sic cor, Dei creatura eſt, non tamen inclinatum eſt ad humilitatem, & proximi charitatem, immo tantum ad ſuperbiam & amorem ſui. Sic ratio lumen quidem eſt à Deo datum, quo ſcimus bona eſſe facienda, & mala fugienda: plærunq; tamen, immo nunquam non in electione fallitur, niſi adſit lumen diuinum. Monemur igitur hoc uerbo, ut non rationi noſtræ, ſed Dei uerbo, quod uera lux eſt, obtemperemus. Huc pertinet, quod Dauid ait: In lumine tuo uidebimus lumen. Item, Non lucebit tibi amplius Sol & Luna, ſed Dominus Deus tuus erit lux tua. Si Deus lux tua eſt, nullæ tenebræ tantæ erunt, quas non poſsis penetrare. Sicut enim Deus mori non poteſt, ſic nec lumen eius extingui poteſt. Hinc Chriſtus: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, &c. Accedite igitur ad eum, & illuminamini, & facies ueſtræ non confundentur. Rom. 10. Pſalm. 4. Geneſ. 6. Pſalm. 35. Iſa. 60. Ioan. 8. Pſalm. 33.

Et lux in tenebris lucet, &c.]

Per tenebras intelligere possumus peccata, ut sit sensus. Ex hominibus carnem assumpsit, & inter homines propter peccata tenebricosos cõuersatus est: Immo omnium hominũ peccata in se recepit, &
1.Pet.2. tamen ab ijs nõ est infectus. Peccatũ enim non fecit, nec inuentus est
Psal.87. dolus in ore eius, soluscp inter mortuos liber mãsit. Vel per tenebras possumus intelligere creaturas irrationales, quæ omnes quidẽ de hac luce participant, uerũ eam non comprehendunt, nec cognoscũt, cum ratione careant. Vel per tenebras ratio humana intelligitur, quæ ad diuinam lucem comparata, nihil nisi tenebræ est. In his tenebris, hoc
Psal.4. est, ratione, nostra lucet lux diuina. Iuxta illud: Signatũ est super nos lumen uultus tui, &c. Sed quotus quisq; est, qui eam comprehendit, immo qui eam cognoscit? Simpliciſsime aũt per tenebras intelligere possumus impios, tũ quia in ignorantia nascuntur: tum quia propter
Ioan.3. mala opera lucem fugiunt, & tenebras amant: tum quia nullum cer-
Isa.5. tum habent iudiciũ, sed malum dicunt bonũ, & econtra: tum denicp, quia semper timent, quemadmodum hi, qui in tenebris sunt. Tenebras autem eos nominat Hebraica phrasi, qua reliquiæ pro reliquis, saluatio pro saluatis, circuncisio pro circumcisis, frequenter ponitur. Sic tenebræ, pro tenebricosis & incredulitate ac peccatorum nebula obscuratis sumitur. Semper autem hæc lux inter impios luxit, quia Christus semper mundo iam inde ab orbis initio prædicatus est: sed tenebrę eam non comprehenderunt, hoc est, impij non crediderũt. Annunciata est hęc lux Caino, his qui in diluuio perierunt, Sodomitis, Ægyptijs, Israëlitis, sed increduli contempserunt. Annunciata & nunc Gentibus, sed nec illæ apprehendunt. Videmus enim quanto contemptu, quanta incredulitate, quantacp subsannatione, nunc passim Euangelij sermo audiatur. Est enim Christus, & fuit semper
Isa.28. lapis offensionis, & petra scandali. Non igitur est, quod alios accusemus, cum eadem & nos faciamus. Atcp hoc maxime, uel Christo teste, condemnabit mundum, quod lux uenit in mundum, immo luxit in mundo, & tamen dilexerunt homines magis tenebras, quam
Ioan.3. lucem. Potest autem hæc sententia specialiter retorqueri aduersum Cherintum, qui cum claram & manifestam ueritatem, quæ illi lucebat, uideret: eam tamen non comprehendit, sed in tenebris mansit, quemadmodum & hæretici omnes, tametsi manifestissimam scripturam contra se habeant, tamen excæcati ueritatem uidere non possunt. Vere magna miseria, immo horrendum Dei iudicium, apertam lucem & ueritatem non uidere.

Fuit homo missus á Deo, cui nomen erat, &c.]

Hactenus Ioannes quasi quadam prefatione indicare uoluit, quid de Christo scripturus sit, nẽpe quod sit Deus, uita, et lux hominũ, tametsi pauci acceptẽt: atcp adeo totũ Euangeliũ breui capitulo absoluit. Nũc

Historiam

Hiſtoriam ſuam incipit, qua uſq; in finē libri docemur, quo ordine reſtauratio hominis geſta ſit, quid Chriſtus egerit, quid docuerit.

Ideo autem Ioannem introducit, ne quis forte ea, quæ hactenus de Chriſto dixit, in gratiam hominis Chriſti dicta putaret, & ob id minus credibilia iudicaret. Adiungit igitur ſibi alium teſtem: Vt in ore duorū teſtium, ſtet omne uerbum. Deut. 17. Non tamen quencunq; teſtem citat, ſed eum, qui apud omnes authenticus erat, quem nemo reiicere poterat. Omnes enim ſciebant, manum Dei eſſe cum illo: Lucæ 1. Apud omnes celebre erat nomen eius, & meritū miraculum natiuitatis, & ſanctitas uitæ mirabilis, dignitas prædicationis, & authoritas Baptiſmatis. Dignum igitur eſt, ut his duobus teſtibus frequens præſtemus auditorium, tum propter ipſorum uitam, tum propter teſtimoniorum conſtantiam & concordiam. Deinde Hiſtoriam ſuam à Ioanne auſpicatur, quia idem fecerunt & alij Euangeliſtæ. Sic enim Marcus ait: Initium Euangelij Ieſu Chriſti. Sicut ſcriptum Mar. 1. eſt: Ecce mitto, &c. Et Lucas: Fuit in diebus Herodis, &c. Lucæ 1.

Immo congruentiſsime à Ioanne auſpicantur Euangelium. Nam & Chriſtus ipſe dixit. Lex & Prophetæ uſq; ad Ioannem: A diebus Matth. 11. autem Ioannis regnum cœlorum uim patitur, &c. Et idem Chriſtus non ante prædicauit Euangelium, quàm à Ioanne eſſet baptizatus: tunc enim doctor ſalutis conſtitutus, dicente Patre: Hunc audite, Matth. 3. &c. cœpit prædicare. Præterea etiam ideo à Ioanne incipit, ut oſtendat etiam in nobis ſalutem non aliunde incipere, quàm à Ioanne, hoc eſt, prędicatore. Chriſtus enim etiam nunc præſens eſt, & lux in tenebris lucet: Immo prope eſt in corde & in ore noſtro uerbum, Deut. 30. nec eſt, quod quis dicat: Quis aſcendet in cœlum, & illud inde deducet, &c. Verum, ut ſupra dictum eſt, tenebræ ipſum non comprehendunt. Opus igitur habemus Ioanne, qui uerbum præſens nobis digito oſtendat, & annuncier. Quomodo enim credent, de quo non Rom. 10. audierunt. Ob eā cauſam et Chriſtus primo emiſit Apoſtolos, tūcq; incœpit ſalus mundi, cum in omnem terram exiuit ſonus eorum. Pſal. 18. Errant igitur, qui uerbum externum, ut minus neceſſarium contemnunt. Poteſt quidem Deus etiam ſine uerbo fidem infundere: Vt plurimum tamen hoc medio fidem dat. Et tu quis es, qui reſpondeas Rom. 9. Deo? Pauca tamen hic Euangeliſta de Ioannis uita ſcribit, tum quia alij Euangeliſtæ ad longum eam deſcripſerunt: tum quod omnibus ſatis notus eſſet Ioannes. Immo uno uerbo huius teſtis conditionem oſtendit: *Fuit*, inquit, *homo, etc.* Singula autem uerba emphaſim habent. Primo enim cum hactenus de uerbo ſemper dixerit: Erat, & erat, ad innuendum, quod uerbū eſſe nec cœpit, nec deſijt. Iuxta illud Pſalmi: Cœli peribunt, tu autem permanes, & omnes ut ueſtimentum ueterascent, etc. Item, Verbum Domini manet in æternum. De Pſal. 101. Iſa. 40. Ioanne autem loquens, qui non ſemper fuerat. Immo iam defunctus erat;

erat: *Fuit*, inquit, *homo*. Congrue autem hominem eũ nominat, fuit
Psal. 48. enim hoc nomine dignissimus, ut qui non fuit ex eorũ numero, qui cum in honore essent, non intelligentes, comparati sunt iumentis insipientibus. Homo igitur erat Ioannes, sed multum suscipiendus,
Matth. 11. longe dissimilis hominibus alijs, utpote, quo maior non surrexit
Mal. 3. adeo magnus, ut longe ante per Prophetã angelus dictus sit. Addit: *Missus á Deo*, ne quis putet, Ioannem nihil aliud fuisse quàm hominem, atq; adeo mendacem: quandoquidem omnis homo mendax. Deinde ideo dicit eũ missum à Deo, ne quis putet eum esse ex eorum
Iher. 23. numero, quibus dicitur: Ipsi currebãt, & ego nõ mittebã eos. Quod
Lucæ 3. autem Ioannes à Deo missus sit, aperte testatur Lucas. Factũ, inquit, est uerbũ Domini, super Ioannẽ filiũ Zacharię, etc. Immo hoc ipsum
Malach. 3. longe ante prędixerat Malachias: Ecce, inquit, mitto angelũ meũ etc. Quamuis aũt etiã alij Prophetę, à Deo missi sint: hic tamen spirituali modo missus est. Primo, siquidẽ quia dies aliorũ uelociores cursores fuerũt: quia prius uiã uniuersę carnis intrauerũt, q̃ pręstolatũ Domini mererentur uidere aduentũ. Hic aũt eo tẽpore missus est, quo eũ uidere posset, & præsens pręsentẽ nunciare. Deinde sic missus est, ut supra naturã ueniret, natꝰ ex utero senectutis et sterili, quod solius Dei opus est, ut nascituru nascendo præueniret, prædicaturũ prædicando prędurreret, baptizaturũ baptizãdo pręiret, moriturũ moriendo præcederet. Postremo singulariter missus est, cui nusquã subsistere, nusquam diuertere, nullum uacauit cum sæculo sermonẽ habere: non domum, non agrũ possidere, nec affines agnoscere: sed urgente sermone Domini, urgente negocio mittẽtis pariter & subsequentis, nudus & expeditus currere habebat ante faciem eius, uelut qui ad
Lucæ 1. hoc solum factus erat et natus, ut pararet uias eius. Et huic nomẽ erat Ioãnes, nõ ab hominibus, sed à Deo: nõ casu, sed ob certã causam impositũ. Quia enim totius prędicationis eius summa fuit Domini gratia: cõgrue à gratia nomẽ sortitus est. Hactenus igit Euangelista hũc testẽ nobis cõmẽdare uoluit, ne quid dubitaremꝰ de eius testimonio.

Hic uenit in testimonium]

Etiam alij Prophetæ de hoc lumine testificati sunt, sed hic uenit in testimonium, ad hoc factus uel natus est: ad hoc positus in sublimi, ad hoc tanta circa eum miracula facta sunt, ut ab omnibus uisus testimonium perhiberet. Ideo Christus uoluit eum tantę esse authoritatis etiam apud homines, ne quis de eius testimonio dubitaret.

Vt testimonium perhiberet de lumine]

Non egebat Christus ullo testimonio pro se, quia ueritas suum ipsius
Ioan. 5. sufficiens testimoniũ est, sicut infra dicitur. Ego ab homine testimonium non accipio: Habeo enim testimoniũ maius Ioanne etc. Nobis autem opus erat testimonio Ioannis: nam Christus nulla diuinitatis specie, extrinsecus fulgebat, Immo obductus erat fragilitate carnis, et

humilitate

humilitate crucis: adeo, ut cum iam triginta esset annorũ, adhuc putaretur esse Filius Ioseph, quemadmodum & olim Isaias prædixerat. Vidimus eum, & non erat ei aspectus, &c. Immo adeo humilis uenit Christus, ut diceret: Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Luc. 3. Isa. 53. Matth. 11.

Deinde, quia opus redemptionis humanæ eo modo perfecturus erat, qui omnino alienus erat à sensu, & æstimatione carnis, utpote antea moriturus, quàm glorificaretur: antea mortificaturus, quàm uiuificaret. Demum, quia omnino nouum quiddam erat prædicaturus, oportuit præire testem, quo conscientiæ electorum confirmarentur, ut crederent hunc esse Christum, &c. Vides igitur, quantum nobis condescenderit diuina benignitas: habes igitur unde gratias agas.

Vt omnes crederent per illum]

Vides nostri causa missum Ioannem. Non autem dicit, ut crederent in illum, sed per illum: Fides enim in solum Deum referenda est. Si autem Ioannes non ob aliud missus est, quam ut credamus per illum: Ergo fides est summa iustitiæ Christianæ, quemadmodum & alibi dicitur: Iustus ex fide uiuit. Abac. 2.

Non erat ille lux etc.]

Differentiam facit inter Ioannem, & Christum, ne quis in Ioanne, aut alio quouis Sancto subsistat. Non, inquit, erat lux uera: non erat Ioannes lux illuminãs: non erat ipse lucis substantia. Erat autem talis lux, qualis & Apostoli, quibus dictum est: Vos estis lux mundi, lux scilicet aliunde susceptа, lux non essentiali bono, sed accidentali dono. Matth. 5. Mirare igitur Ioannem, sed tanquam montem, non tanquam ueram lucem. Mons enim quantumuis altus sit, tamen longe adhuc abest à cœlo. Item, quamuis mons prius quidem radijs Solis illustretur, quàm terra: alia tamen non est ipsa lux. Immo mons ipse, quantumuis magnus sit, tamen in tenebris manet, nisi lumine uestiatur. Sic igitur & nos mirari debemus Sanctos, sed ita tamen, ut magnam distinctionem faciamus inter ipsos, & Christum. Altiores quidem sunt alijs hominibus, sed altior Christus: Lucem gratiæ in ipsis uidemus, sed ipsi eam non à se habent. Christus igitur lux est, ipsi testes & prædicatores lucis. Refelluntur hoc uerbo, qui seipsos & sua inuenta prædicant. Hij enim non perhibent testimonium de uero lumine, sed sua somnia pro uera luce adorari uolunt. Summa, Prædicatoris officium est, testificare de lumine.

Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem etc.]

Ne quis putet, Christum nõ aliam esse lucem, quàm Ioannes, aut quilibet alius Sanctus: repetit quod supra dixerat de luce, et plenius exponit. Deinde etiã ideo toties & tam diligenter, diuinitatẽ Christi inculcat,

inculcat, quia etiam inter Christianos pauci sunt, qui uere credant ea, quæ Ioannes in exordio Euangelij sui scribit: Tametsi plæriq; hoc Euangelium auro includant, & semper secum circumferant.

Qui enim propterea impie agit, timens se fame cruciandum, si pie uiueret: is non credit, Christum esse Deum. Qui aduersa quæq; Diabolo, malis hominibus, stellis, aut fortunæ asscribit: is non credit, quod per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Qui suis operibus & meritis, uitam adipisci conatur, is non credit, Christum uitam nostram esse. Qui ratione suæ plus credit, quam uerbo Dei: is non credit, Christum esse lucem hominum. Quid igitur prodest hoc Euangelium circumferre, si non credas? Summus honor huius Euangelij est, ut credas: tunc enim uere potens est Euangelium contra Diabolum, & omnia aduersa. Quemadmodum enim nihil contra Deum prævalere potest Diabolus, sic nec contra eum, qui in Deum confidit, & fide uerbo adhæret.

Erat lux uera: Singula uerba emphasim habent. Primo congruentissime Christus dicitur lux. Sicut enim tripliciter se habent corpora ad lumẽ Solis, sic tripliciter se habẽt corda ad lumen istud. Quędam enim corpora non recipiunt lucem, nisi ad manifestationem turpitudinis suæ. Quędam recipiunt eam ad sui illustrationem, & pulchritudinem. Quædam recipiunt eam in sui profundum, ut perspicua, lapides preciosi, &c. Sic Christus uera lux in impijs & excæcatis nihil aliud agit, quàm quod manifestat eorum turpitudinem. Quemadmodum de Pharisęis dixit. Si non uenissem, peccatũ non haberent: hoc est, nemo eos tam cæcos putasset. Alij sunt, qui exterius pulchritudine quadam compositionis uenustantur per hanc lucem, sed deuotionem interiorem non habent. Tertij autem lucem hanc etiam in seipsis recipiunt, & hij lucent sicut luminaria in mundo. Dicitur autem Christus lux uera, ad differentiam aliorum luminum. Nam et oculi hominis dicuntur lumina, non tamen sunt lux uera: quia in nocte nihil uident. Sic Sol externus lux quædam est, sed non uera: quia tantum illuminat eos, qui oculos sanos habent. Sic ratio nostra lux est, sed non uera lux: quia etsi luceat in externis, nihil tamen uidet in spiritualibus. Sic homo quilibet illuminatus, dicitur lux, quemadmodum Apostolus dicit: Vos estis lux mundi: Non tamen sunt lux uera, sicut supra de Ioanne dictum est. Sic uerbum externum & doctrina, lux quædã est, sed non uera. Nihil enim prodest doctrina, si non Deus intus illuminet. Solum igitur unum Dei uerbum lux uera est, id est, non participata aut defectiua, sed plena & substantialiter clara, in qua natura lucis perfectissime reperitur. Vnde Ioannes Deus lux est, & non sunt in eo tenebræ ullę. Omne autem creatum, habet aliquid tenebrositatis admixtum. Nam & ipsa minoratio lucis, ipsa distantia seu dissimilitudo à luce diuina, est tenebrositas quædã.

Ioan. 15.

Phil. 2.

Matth. 5.

1. Ioan. 1.

Comparatione

Comparatione quoq; lucis diuinæ, appellatur quasi caligo. Hinc Iob: Luna non splendet, & cœli non sunt mundi in conspectu eius. Addit Ioannes: *Quæ illuminat*. Et hoc ponit, ut sciamus, qualis lux sit Christus, nempe non illuminata, sed illuminans. Christus enim non tantum est doctor, sed & effector salutis. Illuminat, id est, nouum lumen creat in cordibus electorum, sine quo nouo lumine, meræ tenebræ merum ignorantiæ lumen naturæ est. Illuminat autem omnem hominem uenientem in hunc mundum. Hoc quidam de lumine rationis, & naturalibus donis Dei intelligunt, quæ Deus omnibus communicat, luxta illud: Signatum est super nos lumen uultus tui. Item, Super quem non consurgit lumen eius. Alij hunc textum eò trahũt, quod Deus cuilibet homini Angelum dat custodem, &c. Melius autem intelligitur de lumine gratiæ. Non autem intelligas omnes homines, quotquot fuerunt, sunt, & erunt, à Christo illuminari: non enim omnium est fides, pauci sunt electi, & reliquiæ solum saluantur. Non sensisse autem Euangelistam, quod omnes illuminẽtur, ex eo apparet, quod ait: Et tenebræ eam nõ comprehenderũt. Item, Mundus eum non cognouit. Itẽ, Sui non recepe runt eum. Sensus igitur est, Illuminat omnem hominem, quantum in se est: quia esset omnibus lumen sufficiens, & omnibus innotuit, sed quidam sua sponte oculos claudunt. Sic dicimus, Sol omnes illuminat, cum tamen solum uidentes illuminet. In hunc modum loquitur Paulus: Deus uult omnes homines saluos fieri. Vel illuminat omnem hominem, id est, quotquot illuminantur, per solum Christum illuminantur. Hoc modo loquendi utitur etiam Psalmista: Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, non quod omnes corruentes alleuentur, sed nemo talium alleuatur, nisi per Deum. Vel illuminat omnem hominem, id est, ex omni genere quosdam. Ex Iudæis, Gentibus, doctis, indoctis, uiris, fœminis, seruis, liberis, &c. Iuxta hunc sensum dicit infra. Si exaltatus fuero, omnia traham ad me. Item: Benedicentur in ipso omnes Tribus terræ, id est, quidam ex omnibus, &c. Additur: Venientem in hunc mundum. Hoc quidam referunt ad lumen ipsum, ut sit sensus: Illuminat omnem hominem ueniens in mundum, uel per aduentum suum in mundum, hoc est, ex eo, quod uerbum caro factum est. Cõmuniter autem refertur ad hominem: Illuminat omnem hominem, uenientem in hunc mundum. Ideo autem dicit, In hunc mundum, quia in hac uita Christus nos illuminat per fidem, luxta illud: Quam diu sum in mundo, lux sum mundi. In alio autem mundo, Christus tradet Regnum Deo & Patri, ubi coram cognoscemus Patrem. Ideo illic cessabit fides, & mutabitur lumen, quod nunc habemus in perpetuam claritatem, & claram uisionem. Videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem uidebimus.

Iob. 15. Pſal. 4. Iob. 25. 2. Theſſ. 3. Matth. 22. Rom. 9. 1. Thim. 2. Pſal. 144. Ioh. 12. Gen. 22. Ioh. 9. 1. Chor. 13.

In mundo erat]

Posset quis dicere, quomodo homines illuminare potest, qui apud Patrem est: Item, quomodo illuminare potuit omnes homines ab exordio mundi, cum ipse in nouissimis diebus primum in mundum uenerit: Huic respondet Ioannes: *In mundo erat*. Est enim Deus ubiq; per essentiam, præsentiam, potentiam. Ipse siquidem omnia penetrat sua, quoq; potentia ad omnia se extendit, & suo conspectui omnia patent. Hinc dicitur: Cœlum & terram ego impleo. Si in mundo erat, etiam antequam se in uisibili carne ostenderet, etiam nunc in mundo est, posteaquam eandem carnem suam oculis nostris subtraxit. Nihil igitur excusationis habent impij. Non enim procul est ab unoquoq; nostrum: Et prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in ueritate. Hinc Christus dicit: Beati, qui non uiderunt, & crediderunt.

Hic.23.
Act.17.
Psal.144.
Ioan.20.

Et mundus per ipsum factus est, &c.]

Hoc addit, ne quis putet, eum non aliter esse in mundo, quàm aliæ creaturæ. In mundo erat, non ut creatura, sed ut creator, & gubernator. Deinde hoc addit, ut manifestius appareat hominis cæcitas, de qua statim subdit.

Et mundus eum non cognouit]

Mundus aliquando sumitur pro uniuersitate creaturarum, ut cum dicitur: Mundus per ipsum factus est. Aliquando sumitur pro bonis & malis hominibus indifferenter, ut cum dicitur: Sic Deus dilexit mundum. Aliquando pro impijs omnibus, ut cum dicitur: Vos non estis de hoc mundo, sed ego elegi uos de mundo, &c̃. Aliquando & quidem frequenter mundus significat sapientes & potentes: hi enim soli conspicui sunt in mundo. Hoc aũ loco mundus significat, nedum impios generaliter, sed etiam eos, qui in mundo maxime conspicui sunt, ut sapientes & potentes. *Mundus eum non cognouit*, hoc est, quamuis Christus semper fuerit in mundo, quia per eum creatus est, & per eum adhuc administratur: nunquam tamen fuit cognitus, aut uere glorificatus ab hominibus huius sæculi, ut maxime manifestum fuerit illis, à Deo per uisibilia patefactum, quod de Deo cognosci potest. Deinde, quanquam idem Christus et Dei uerbum, uisibiliter in mundo apparuerit, & omnibus annunciatus sit, tamen sapientibus huius sæculi nihil aliud est, quàm stultitia.

Ioan.3.
Ioan.15.
Rom.1.

Si igitur mundus etiam eum non cognoscit, qui præsens est, & per quem factus est: uere magna cæcitate obuoluitur est. Vbi igitur sunt, qui lumen rationis supra modum extollunt: qui de sua sapientia plurimum confidunt: qui denicq; dicunt, non alio lumine nobis opus esse, quàm naturali lumine? Deinde uides hic & mundi ingratitudinem, qui ne cognoscit quidem eum, à quo beneficia recipit, tantum

abest

abeſt, ut gratias agat. Vno igitur hoc uerbo Ioannes mundum arguit, & ſummæ cæcitatis, & ſummæ ingratitudinis. Quid aũt ſani eſſe poteſt, ubi cæcitas & ingratitudo omnia occupat? Quis uel ob hoc ſolum, non toto corde auerſetur mundum & mundanos? Atq; hoc eſt, de quo omnes Prophetæ conqueruntur, ut cum dicit Iſaias: Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, Iſraël aũt me non cognouit, &c̃. Iſa. 1.

Sicut igitur ex cæcitate ingratitudo, ex ingratitudine omnia mala ſemel oriuntur: ſic econtra ex cognitione Dei gratitudo, ex gratitudine omnia bona proueniunt.

In propria uenit]

Adhuc clarius hominum & cæcitatem & ingratitudinem indicat: Venit, inquit, id eſt, uiſibilem ſe præbuit. Tunc aũt uiſibilem ſe præbuit, cum carnem induit. Porro carnem induiſſe nihil aliud eſt, q̃ quod Paulus ait: Se ipſum exinaniuit, forma ſerui ſumpta, &c̃. Phil. 2. Item, Tentatum per omnia pro ſimilitudine, &c̃. Quid hic Chriſti Heb. 4. aduentus, hęc Chriſti humiliatio aliud indicat, quàm magnitudinem diuinæ miſericordiæ? Deinde, *In propria uenit*, hoc eſt, in mundum à ſe creatũ: Vel, *In propria uenit*, ſcilicet, ad filios Iſraël, quos ſibi magnis beneficijs in populum peculiarem, & in propriam hęreditatem acquiſierat: Vel, *In propria*, hoc eſt, in terram Iudęæ. Quamuis enim Pſal. 23. Domini ſit terra & plenitudo eius, non immerito tamen lucis & ueritatis patria hic dicitur Iudæa: quia præ cęteris mũdi prouincijs, eam dotauerat Deus lege, Patriarchis, Prophetis, templo totius mundi celeberrimo. Hinc & Pſalmus dicit: Facta eſt Iudęa ſanctificatio eius, Pſal. 113. &c̃. Item: Notus in Iudæa Deus, &c̃. Obſerua aũt, quod non dicit, Pſal. 75. In propriam uenit, ſed in propria: non enim tantum acceſſum, ſed & perſeuerantiam monſtrare uolebat, ut ueniſſe & ſtetiſſe in Iudæorum patria illum ſignificaret.

Et ſui eum non receperunt]

Hoc eſt, non ſolum à ſapientibus huius ſęculi repulſam paſſus eſt, uerum etiam à ſuis, qui uidebantur coram mundo ſanctiſſimi: gloriantes in lege, requieſcentes in Deo, habentes formam cognitionis Rom. 2. per legem, &c̃. Atq; hoc iam multo terribilius eſt, q̃ quod ſupra dixit: Mundus eum non cognouit. Huc pertinent exprobrationes illæ, quas ſparſim legimus in Prophetis: Vt, Tota die expandi manus meas ad populum non credentẽ, &c̃. Item, Pręuaricatione præ- Iſa. 65. Iher. 5. uaricata eſt in me domus Iſraël: Negauerunt Dominũ, & dixerunt. Non eſt ipſe, &c̃. Immo à ſuis nedum non receptus eſt, ſed etiam crucifixus. Huc pertinet parabola de agricolis malis, occidentibus filium Patrisfamiliâs, &c̃. Sic etiam nunc quoq; Chriſtus, nuſquam Matth. 21. minus recipitur, nuſq; plus contemnitur, quàm apud ſuos, qui de

eius nomine gloriantur. Pertinet autem hic locus ad timorem, ut reuelato & prædicato Christo, non simus torpidi & securi. Quanquam enim Ioannes nullam pœnam hic cõmemoret, contemptoribus huiusmodi illatam, tamen aliunde scimus contemptum illum seuerissime punitum esse. Immo satis pœnarum & malorum est, non cognoscere Saluatorem, etiamsi nulla alia externa infligatur.

Quotquot autem receperunt eum &c.]

Ne quis putaret, neminem ex illo populo eum recepisse, hoc addit: *Quotquot &c.* Plures enim etiam ex illo populo eum lętanter
Rom. 11. susceperunt, ut patet ex Euangelijs. Vnde & Paulus: Cæcitas quidem ex parte contigit in Israël, non tamen in totum reiecit Deus populum suum. Nam & ego Israëlita sum, &c̃. Omissis igitur incredulis, ostendit Euangelista, quantum bonorum fideles per Christum consecuti sint, & consequantur. Generaliter autem loquitur, ne quis putet, hęc ad solos eos pertinere, qui ex Iudæis conuersi sunt. *Quotquot*, inquit, *receperunt eum*, siue Gentes, siue Iudæi: siue seruus, siue dominus: siue mas, siue mulier: siue adolescentes, siue seniores: siue Reges, siue priuati. Obserua hic insignem Dei misericordiam, qui neminem reijcit. Erubescat igitur humana superbia, quæ tam facile quoslibet inferiores contemnit, nec dignatur alloquio, cum Deus nec indignissimos nos reijciat. Obserua etiam Filij Dei summam erga nos charitatem, qui cum esset Vnigenitus Filius, noluit tamen manere unus, sed uoluit esse primogenitus inter multos fratres. Si tam liberaliter Filius Dei totam hæreditatem suam nobis communicat, cur non & nos uel partem hæreditatis nostræ cum pauperibus communicamus? Dedit, inquit, eis potestatem filios Dei fieri. Quod maius homini beneficium contingere potest?
Psal. 32. Magnum erat olim, esse populum Dei, iuxta illud: Beatus populus, cuius est Dominus, Deus eius: populus, quem elegit Dominus, &c̃. Verum hoc longe maius est. Primo enim filium esse, est in gratia Patris esse: proinde filijs iræ opponitur. Secundo esse fi-
Gal. 4. lium Dei, est esse hæredem Dei. Si enim filij, & hæredes. Ergo omnia Dei Patris bona, nostra erunt. Hoc igitur uno uerbo summa Euangelij expressa est. Vnde autem hæc tanta nobis gratia? Ipse, inquit, dedit, Dei donum est. Sicut enim filij etiam carnales, non merentur filij esse aliquo opere: ita hic filij non fiunt aliquo suo merito.
Tit. 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Signanter autem obserua, quod non dicit: Fecit eos filios Dei, sed: Dedit eis potestatem. Primo, ut ostenderet, multa nobis opus esse diligentia, ut adoptionis nobis per Baptisma impressam imaginem, puram seruemus & intactam, contra eos, qui putãt satis esse, quod in Baptismo filij Dei effecti sunt,

interim

imaginem, & ſpeculari gloriam Domini. Item, participem fieri lucis ſapientiæ, iuſtitiæ, ueritatis Dei, &c.

Et uerbum caro factum eſt]

Quod alij Euangeliſtæ pluribus uerbis deſcripſerunt, nempe incarnationem & natiuitatem Chriſti, hoc Ioannes uno hoc uerbo explicat: *Verbum caro factum eſt*. Breue quidem uerbum, ſed omni acceptione digniſsimum, ut uel hinc conijcere liceat, non abs re patres noſtros tantam deuotionem habuiſſe erga huius Euangelij exordium, ut non contenti in Eccleſia hoc audire, etiam ſecum circumferrent, uel auro incluſum: non ad ſuperſtitiones, ut nunc fit, ſed ad oſtendendum, quod hæc uerba pro ſummo theſauro æſtimarent, id quod uere ſunt, ſi fide accipiantur. Verum hæc ipſa ſalutaria uerba, multis nihil aliud quàm uenenum fuerūt, id nimirum agente Diabolo, ut optima quæq; uel omnino nobis auferat, uel per hæreticos corrumpat. Sic multi in hoc uerbo offenderunt. Alij enim dixerunt, quod Deitas mutata ſit in carnem. Alij dixerunt, quod ſolam carnem, non autem animam, aſſumpſerit humanam, ut Appollinaris. Alij dixerunt, quod non ueram carnem aſſumpſit, ſed phantaſticam, ut Manichæus. Alij dixerunt, quod carnem non è Virgine ſumpſerit, ſed è cœlo aduexerit, ut Valentiniani.

Et quis omnium errores & inſanias enumerare poteſt? Nos uerum ſenſum iſtorum uerborum inueſtigabimus. Primo igitur non uacat myſterio, quod præmittit coniunctionem: Et. Per hoc enim coniungit hanc ſententiam cum his, quæ in exordio dixit, ut ſignificet, ſe non de alio uerbo loqui, quàm de eo, quod erat in principio, & apud Deum, & Deus: hoc ipſum uerbum, inquit, caro factum eſt. Atq; hic iterum refellit Cherintum. Deinde non dicit: Deus uel lux, uel uita, carnē aſſumpſit, ſed: *Verbum caro factum eſt*, ne quis ſuſpicari poſsit, etiam Patrem & Spiritum ſanctum incarnatos, quemadmodum Sabellius dixit. Nam tota Trinitas unus eſt Deus, una lux, una uita. Verbū igitur nominat, ut audiat Sabellius, ſolam perſonam Filij incarnatam. Ideo autem potiſsimum Filius carnem aſſumpſit, non Pater, aut Spiritus ſanctus. Primo, quia ſi alia perſona, quàm Filius, eſſet unita carni, duo eſſent Filij, unus Filius Dei, alius Filius Virginis. Secūdo, ſicut per Filium, qui eſt ars & uerbum Patris, facta eſt creatio: ſic per eandem perſonam debuit fieri recreatio. Tertio, quia uerbum eſt media perſona in diuinis, ideo ei etiam conuenit incarnatio, & ratio mediatoris. Quarto, quia per opus redemptionis adoptamur in filios, non autem poteſt fieri adoptatio in filium, niſi per filium naturalem.

Quod autem dicit: *Verbum caro factum eſt*, non ſic intelligatur, quaſi uerbum mutatum ſit in carnem, & quod iam nihil niſi caro ſit, non itē Deus: Alioqui uana eſſet ſpes noſtra. Sola enim caro Chriſti

Ioan.6. nihil nobis prodesse posset, nisi diuinitate plena esset. Immo maledi-
Hier.17. cto obnoxij essemus, quod in solum hominem & carnem confideremus. Sed nec sic intelligendum est, quod solam carnem, & non animam sumpserit, quemadmodum Appollinaris somniauit. Ve-
Luc.19. nit enim Christus, saluum facere quod perierat. Totus autem homo in corpore & anima perierat: ut igitur totum hominem saluaret, totum hominem, id est, corpus & animam assumpsit. Deinde, si solam carnem sine anima assumpsisset uerbum Dei, ubi quæso radicem suam fixisset? Solus quippe rationalis spiritus, capax est uerbi diuini. Præterea, si Christus tantum assumpsisset carnem, non esset Deus & homo: Caro enim est tantum altera pars hominis. Sicq; uana esset omnis spes nostra, quæ in eo uel maxime consistit, quod Christus perfectus est Deus, perfectusq; homo. Caro igitur hoc loco totum hominē significat, id quod aliàs quoq; nō infrequens est
Psal.64. in scriptura. Sic enim Dauid ait: Ad te omnis caro ueniet. Et Isaias:
Isa.40. Videbit omnis caro salutare Dei. Et in Iohele: Effundam de spiritu
Iohel.2. meo super omnem carnem. Et Christus ipse: Dedisti ei potestatem
Ioan.17. omnis carnis. In his locis caro totum hominem significat, quemadmodum interdum etiam anima totum hominem significat, ut
Gen.46. cum dicitur: In Septuaginta animabus ingressus est Iacob in Ægyptum, &c̄. Non sine causa tamen Ioannes hic dicit: *Verbum caro factum est*, cum darius dicere potuerit, *Verbum homo factum est*. Primo enim per hoc indicare uoluit, Christum nedum animam humanam, sed & ueram humanam carnem, non phantasticam & apparentem habuisse, ut Manichæus somniat.

Secundo cum uerbum incarnatum duo fecerit, per uisibile enim nos duxit ad inuisibilis Dei notitiam. Et per dolores passionis satisfecit pro peccatis nostris: Ideo Ioannes carnem nominauit, quæ magis est uisibilis & passibilis.

Tertio per hoc nos admonere uoluit insignis illius humiliationis, in quam se filius Dei nostri causa coniecit, quæ non tam manifeste appareret, si dixisset: *Verbum homo factum est*. Nam hominis uocabulum habet aliquam apparentiam honestatis, carnis autem uocabulo nihil contemptius.

Isa.40. Primo enim omnis caro, quantumcunq; fulgeat, fœnum est, & omnis gloria eius flos fœni. Deinde caro peccato infecta est:
Rom.7. adeo, ut Paulus dicat. Non inuenio in carne mea bonum. Itemq; caro concupiscit aduersus spiritum. Item, Video aliam legem in membris meis repugnantem, &c̄.

Tertio caro uarijs etiam externis malis obnoxia est. *Verbum igitur caro factum est*, hoc est, descendit in extremā humiliationem, quemadmo-

interim autem per totam uitam ſtertunt, immo impie uiuunt.

Deinde ideo dicit: Dedit eis poteſtatem, quia his, qui nunc per fidem Chriſtum recipiunt, datur poteſtas, filios Dei fieri, filiatione gloriæ conſummata in patria. Præterea ideo dicit: Dedit eis poteſtatem, quod nemo nobis poteſt auferre hanc poteſtatem, niſi primum nobis ipſis abſtulerimus. Hinc Paulus: Quis nos ſeparabit à charitate Dei? &c. Rom. 8. Signanter autem addit: His qui credunt in nomine eius. Hoc enim uerbo indicat, quid ſit recipere Chriſtum. Non enim ſatis eſt, eum tecto recipere, cibum & potum miniſtrare: hoc enim & impij poſſunt. Item, hoc modo ſola caro Chriſti recipitur. Chriſtus autem non tantum caro eſt, ſed & uerbum. Et quia uerbum eſt, ideo non recipitur, niſi fide. Poteſtas igitur filios Dei fieri, non his data eſt, qui Chriſtum, ut hominem, tantum recipiunt: ſed his, qui eum, ut uiuum Dei uerbum, uera fide ſuſcipiunt. Hinc eſt, quod fidei attribuitur iuſtificatio, quia fides Chriſtum uere recipit. Non tamen ſimpliciter dicit: Qui credunt in eum, ſed qui credunt in nomine eius. Nomen autem Chriſti eſt ſapientia, iuſtitia, redemptio. Si igitur quis ſe crediderit Chriſti iuſtitiæ, aut redemptioni, iam non remanebunt peccata, mors euaneſcet. Nam tales fiunt homines, qualis Chriſtus eſt, ſi ſe ei totos crediderint, &c. 1. Cor. 1. Credere nanq; eſt ſemen uerbi Dei amore ſuſceptum, impregnata mente portare, quod tantæ uirtutis eſt, ut animæ ſubſtantiam in ſuum uigorem tranſſerens, ex hominibus, deos: ex filijs iræ, filios gratiæ faciat, fiatq; ut in loco, ubi dicebatur, Non plebs mea, ibi uocentur filij Dei. Oſee. 1. Vel aliter, credere in nomine eius, eſt illum credere Saluatorem mundi, & pro Saluatore colere, ac monitis acquieſcere.

Qui non ex ſanguinibus]

Quia de filijs Dei dixerat, ne quis putet uanam eſſe appellationem filiorum, his uerbis indicat, quomodo filij Dei naſcantur.

Primo, inquit, non naſcuntur filij Dei ex ſanguinibus, hoc eſt, carnali generatione. Sanguinem enim uocat carnalem propagationem. Ea autem natiuitate non naſcimur filij Dei, ſed filij iræ. Eph. 2.

Deinde non naſcuntur filij Dei, ex uoluntate carnis: Hoc referri poteſt ad eos, qui ex ſanctis patribus nati ſunt, tamen carnaliter. Ad hanc natiuitatem nihil confert ſanctitas parentum carnalium, quia parentes, quantumcunq; ſancti ſint, non tamen ex eo generant filios, quod ſancti uel Chriſtiani ſunt, ſed quod homines ſunt, id eſt, non per Chriſti gratiam, ſed per carnis naturam, atq; ideo non in Chriſto generant, ſed in Adam.

Igitur non minus hi, qui ex circumciſione, quam qui ex præputio: non minus hi, qui ex iuſtis, quàm qui ex iniuſtis: non mi-

nus hi, qui ex Christianis, quàm qui ex Gentibus nati sunt, opus habent regeneratione. Hinc Christus generaliter dicit: Nisi quis
Ioan.3. renatus fuerit denuo, &c. Postremo nec ex uoluntate uiri, nascuntur filij Dei, hoc est, non ex arbitrio hominis.

Hæc enim tertia generatio arbitraria est, qua Proselyti ad legem Moysi, & ad populum Israël se conferebant, qua se ad populum fidelem conferunt hodie Iudæi, uel Turci: ij uoluntate humana, non spiritu renati, externa obseruatione cum populo fideli utentes, non sunt filij Dei.

Est igitur sensus huius loci. Primum, filij Dei non sunt, qui quocunq; modo secundum naturam nascuntur.

Secundo, ne illi quidem, qui è sanctis patribus nati sunt.

Tertio, nec illi, qui eandem legem, idem Euangelium discunt, audiunt, obseruant externo habitu. Hæc omnia uno uerbo di-
Psal.15. xit Psalmus: Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, &c. Hoc igitur uerbo primo damnat in totum ueterem natiuitatem, atq; adeo & omnes uires naturæ, quæ naturali propagatione transfunduntur in sobolem. Deinde hic locus retundit arrogantiam Iudæorum, qui se ideo pro filijs Dei sanctis uendita-
bant, quod carnaliter è sanctis patribus prognanti erant. Neq;
Rom.9. enim omnes, qui sunt ex Israël, & semen sunt Abrahæ, filij sunt, sed qui ex promissione. Præterea hic locus in ordinem redigit omnia humana consilia, conatus, uoluntates, uires, arbitria. Non enim est in toto homine, immo in uniuerso mundo, uel mica uirium, quibus posset generari Filius Dei: E' solo enim Deo, solius Spiritus sancti consilio, per potentiam uerbi nascuntur. Ad quam natiuitatem nihil facit sanctitas parentum, nihil cognatio iusta, nihil ratio humana, nihil prudentia carnis, sed sola Dei uoluntas, propo-
Exod.33. situm, electio. Nam Moysi dicit: Misereb or cui uoluero, & commiserabor quemcunq; commiseror. Ideo subdit:

Sed ex Deo nati sunt.]

Solius enim Dei opus est, creaturæ renouatio, & maxime hominis. Sic autem nascimur ex Deo. Primo mittit uerbum suum:
1.Corin.4 hoc enim est quasi semen, quemadmodum Paulus ait. Per Euange-
Iac. 1. lium ego uos genui. Et Iacobus: Voluntarie genuit nos uerbo ueritatis. Deinde ipsum Dei uerbum mortificat carnem cum suo lumine, & aliam lucem præstat, qua homo eleuatur ad cognitionem gloriæ Dei, iustitiæ, & misericordiæ Dei, donatæ in Christo.

Lumen autem fidei sequitur uoluntas, uoluntatem amor: sic homo paulatim totus renouatur. Obserua, quod non dicit: A Deo, sed: *Ex Deo nati sunt*, hoc enim significantius est. Nam ex Deo nasci,
2. Cor.3. est participem fieri eius naturæ, hoc est, in eandem transfor-
imaginem,

quemadmodum Isaias ait: Reputauimus eum nouissimũ uirorum. Isa.53.
Et Christus ipse: Ego sum uermis, & non homo, opprobrium Psalm.21.
hominum, & abiectio plebis.

Deinde uerbum caro factum est, hoc est, peccatum & maledictio. Sic enim Paulus ait. Deus eum, qui non nouit peccatum, pro nobis 2. Cor.5.
peccatum fecit. Et iterum: Pro nobis maledictum factus est. Gal.3.
Demum uerbum caro factum est, hoc est, cruci obnoxium, & morti.

Summam igitur consolationem hoc unum uerbum nobis præbet. Si enim fieri potuit, ut Filius Dei in tantam abiectionem se dimitteret, potest & fieri, ut nos per ipsum subleuemur ad cœlestia. Si summa iustitia potuit fieri peccatum & maledictum, poterimus & nos peccatores & maledicti, liberari à peccato & maledicto per ipsum. Postremo, si fieri potuit, ut Filius Dei in humana natura cruci subijceretur, poterit & nos è cruce liberare. Hæc igitur incarnatio Christi, confortat fidem nostram, ut iam dictum est. Secundo, erigit & spem nostram, quomodo enim possumus diffidere de beneuolentia eius, qui nostram naturam habet sibi unitam? Tertio hæc incarnatio etiam accendit charitatem: quem enim non mouerent hæc tanta beneficia, tantaq; dilectio ad redamandum Deum?

Nec alia causa est nostri, & torporis, & diffidentiæ, quàm quod hæc non cogitamus.

Et habitauit in nobis]

Primo in nostra natura, quam induit, quæ fuit uelut templum & tabernaculum uerbi assumẽtis, & diuinitatis intus latentis: Vnde & Ioan.2.
corpus suũ, templum uocat. Vel: *Habitauit in nobis*, id est, in nostris, hoc est, humanæ naturæ legibus. Nam solummodo hoc excepto, quod supra naturam conceptus & natus est, alias toto ordine suo natura hominis cucurrit. Nam & comedit, & bibit: esuriuit, sitiuit, dormiuit, &c̃. Hinc igitur discat Manichęus, Christum non phantasticam aut apparentem habuisse carnem, sed ueram. Vel tertio: *Habitauit in nobis*, hoc est, inter nos, quemadmodum Baruch dicit: Baruch. 3.
Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus. Hinc & 1. Thim.3.
Paulus: Deus manifestatus est in carne, iustificatus in Spiritu, uisus est Angelis, prædicatus est Gentibus, &c̃. Hoc prædixit Zacharias. Zach.2.
Gaude, inquit, & lætare Syon, quia ecce ego uenio, & habito in medio tui. Et per Isaiam. Propter hoc sciet populus meus nomen meum: quia ecce, qui loquebar, adsum. Isa.52.

Multum autem consolationis hoc uerbum in se continet. Primo enim, si Deus in natura nostra habitat, ergo perpetuo fœdere se nobis coniunxit. Nunc̃q; enim nos deseret, aut deserere potest, quamdiu in natura nostra habitat. Hinc in Isaia dicit. Sicut in diebus Noẽ iu- Isa.54.
rauj nunc inducerem aquas diluuij: sic nunc iuraui, ne irascar tibi.

Deinde,

Deinde, si Filius Dei in legibus naturæ humanæ incessit, ergo habemus Pontificem, qui potest nobis compati, ut qui & ipse tentatus
Heb. 4. sit per omnia, absq; tamen peccato. Item, si ipse formas crucis in se sumpsit, non possunt non esse salutares eædem formæ, nempe, quas ipse sanctificauit. Demum, si ipse nobiscum habitat usq; ad consumationem sæculi, non est, quod despondeamus animum in quacunq; aduersitate.

Et uidimus gloriam eius, gloriam quasi &c.]

Gloria est clara cum laude notitia: Vel gloria est late patens preconium: Vel gloria est multorum ore prædicata laudatio. Sensus igitur est, Quanquam seipsum exinaniuit, forma serui sumpta, &c̄. clare tamen innotuit cum laude, quia & ab Angelis prædicatus, &
Act. 10. à stella indicatus fuit. Item late patens preconium habuit: Huic enim omnes Prophetæ testimonium perhibent, &c̄. Præterea ore multorum prędicatus fuit. Nam ex ore infantium & puerorum: ore senum, ut Simeonis: ore dæmonum, ore hominum, ore cœlestis Patris, &c̄.

Vidimus igitur gloriam eius, hoc est, uitam miraculis claram, uidimus eum transfiguratum, uidimus eum resurgentem à mortuis, ascendentem ad cœlos, mittentemq; Spiritum sanctum. Atq; hęc est
2. Cor. 3. gloria, soli Vnigenito competēs Dei Filio. Habuit & Moyses suam gloriam & claritatem: habuerunt & sancti suam gloriam. Verum solus hic gloriam habet Vnigeniti à Patre. Hęc enim dictio (*Quasi*) hoc loco non est dictio similitudinis, sed confirmationis & definitionis certissimæ: Quasi dicat, conspeximus talem gloriam, qualem deceat, & credibile sit, habere Vnigenitum & dilectissimū Filium Dei. Vel gloriam plane dignam Vnigenito Filio, & quæ certissime declararit, Iesum esse Vnigenitum Dei: Vel tantam gloriam, quantæ nullus Filiorum Dei glorificari dignus habitus est, nisi solus Vnigenitus. Hoc igitur uerbo Ioannes nos præmunit, ne offendamur humilitate Christi. Ideo tot testes gloriæ eius adducit. Vidimus, inquit, non ego solus, sed plures alij. Viderunt gloriam eius Apostoli:
1. Cho. 15. Viderunt 70. discipuli: Viderunt quingenti fratres, quibus post
Act. 2. resurrectionem apparuit: Viderunt Tria milia hominum, quos Pe-
Act. 4. trus in prima sua concione conuertit: Viderunt & illa quinq; milia hominum, quos in secunda concione conuertit. An non testium satis habes? Et hij omnes non auriti tantum testes fuerunt, sed oculati. Vidimus, inquit, &c.

Plenum gratia & ueritate]

Hæc est gloria Christi: gloria, quam solus Vnigenitus habet,
Isa. 16. quam & Isaias pulchre prædixit. Præparabitur, inquit, in misericordia solium eius, & sedebit super ipsum in ueritate. Est autem Christus plenus gratia, hoc est, omnibus Dei donis. In ipso enim inhabitat

inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter: In eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ conditi. Neq; enim huic dedit Deus Spiritum ad mensuram, sed effudit in eum opulenter, ut Psalmus ait. Diffusa est gratia in labijs tuis. Et in Isaia: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, &c̄. Est item ueritate plenus: quia in ipso omnes promissiones sunt, amen & etiam. Ideo dicit. Ego sum uia, ueritas, & uita. Porro cum Christo plenitudinem tribuit, palam ei diuinitatem tribuit: Soli enim Deo competit plenitudo omnis boni. Vide igitur, quantum preconium, quamq; fidele testimonium Christi, contineat uerbum hoc. Vere enim homo iste, diues & nobilis, de thesauro altissimi prodiuit: corpusculum eius, faculus est auri precioſi, tene illum, dum rescinditur per iniuriam mortis, & apprehende, quod in illo est talentum gratiæ & ueritatis. Col.2. Ioan.3. Psal.44. Isa.16. 2. Chor.1. Ioh.14.

Ioannes testimonium perhibet pro ipso, & clamat]

Hic alium adducit testem. Omnino enim nos præmunire uult, ne cum ad uerba Christi peruentum fuerit, quicquam dubitemus.

Et alij quidem Euangelistæ frequenter ueteres Prophetas citant, ut cum dicunt: Hoc autem factum est, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam, &c̄. Hic autem noster Euangelista, utpote qui cæteris sublimius locutus est, non mortuos, sed uiuum, & qui Christum præsens præsentem ostendit, & baptizauit, in testem producit. Simpliciter autem eum nominat sine aliquo cognomine, tum quia satis fide dignus est, in quem uere nomen Ioannis competit, hoc est, qui gratia Dei plenus est, tum quia is Ioannes, quem producit, omnibus notus erat: nihil igitur opus erat cognomine. Matth.1.

Deinde Ioannes, inquit, non se prædicat, nec agnoscit, quod uulgus ei tribuebat. Non enim arundo erat, uento agitata, uel ad aurem popularem mobilis, sed testimonium, inquit, dat de illo Christo, scilicet omnesq; à se in illum dirigit. Nec simpliciter testimoniū dat, sed clamat, inquit, hoc est, magno affectu, sublimiq; uoce, tanquam certus de ueritate. Nec tantum in præterito clamauit, sed etiam adhuc in præsenti: *Clamat, inquit, & testimonium perhibet.* Nam eius uox etiam nunc in Euangelijs auditur. Eadem igitur nobis dicit nunc, quæ olim Iudæis dixit. Vide Matthæum. Matth.11. Matth.3. Lucæ 3. Marc.1.

Hic est, quem dixi: Qui post me uenturus, &c]

Breuiter, & quasi per anticipationem, hic recenset summam eius testimonij, quod Ioannes dedit Christo. Nam postmodum narraturus est, ubi uel quando Ioannes hæc dixerit. Hic, inquit, quem scilicet indico, qualis qualis uobis uidetur, est de quo dicebam, hoc est, de quo ante obscure uaticinatus sum. *Post me uenturus est*, hoc est, prædicatione sua, Baptismo, & miraculis me sequetur, meo ministerio

nisterio cessante, sequetur ipsius opus.

Ioh. 1. Ante me factus est, hoc est, mihi præpositus, & maior, & dignior me factus: adeo, ut non sim dignus solueae calciamentum eius. Hoc modo loquendi & Daniel usus est, cum dixit: Lapis, qui Dan. 2. abscisus erat de monte, sine manibus creuit, & factus est magnus, & Baruch. 2. impleuit terram. Eo modo loquendi & Baruch dicit: Facti sumus subtus, & non supra, hoc est, humiliati sumus, & non exaltati. In Genes. 48. hunc modum Manasses, primogenitus ipsius Ioseph, dicere potuisset ad Ephraim minorem fratrem suum, quem Iacob ipsi Manassi prætulerat: Qui post me uenit, ante me factus est. Confundatur igitur Arrius, qui ex hoc uerbo probare conatus est, Christum esse creaturam. Cum Euangelista supra tam manifeste probauerit, Christum secundum diuinam naturã non factum esse, sed semper fuisse, non creaturam, sed creatorem. Verum hoc Arrius noluit uidere, sicut nec id, quod statim sequitur: *Prior me erat.* Mos enim hæreticorum est, tantum ea decerpere, quæ pro ipsis uidentur esse, non attento quid præcedat, aut sequatur. Sequitur: *Quia prior me erat*, secun- Ioan. 8. dum diuinitatem, secundum quam ne dum prior Ioanne erat, sed & Psalm. 109. antequam Abraham fieret, erat: Immo & ante ipsum quoq; luciferum genitus erat. *Prior*, inquit, *me erat*: quia apud Deum erat, & Deus erat. Vel: *Prior me erat*, hoc est, ipse est principalis ille, qui mittendus erat, quem omnes pij expectarunt. Ego non sum principalis ille missus, sed tantum minister & testis eius. Hæc igitur summatim de testimonio Ioannis perstrinxit, ubi uides, quàm pulchre sibi correspondeant duo illi testes: Alter præcipuus Euangelistarum, alter maximus Prophetarum. Sic igitur duo illi Cherubin mutuo se re- Exod. 37. spiciunt, uersis uultibus in propitiatorium, hoc est, in Christũ ipsum, 1. Ioan. 2. qui est propitiatio pro peccatis nostris.

Et de plenitudine eius omnes accepimus.]

Hic redit Euangelista ad id, unde digressus erat. Dixerat enim: Plenus gratia, & ueritate. Nunc subdit: *Et de plenitudine eius, &c.* Vbi primo uide, quantam faciat differentiam inter Christum & nos. Ipsi tribuit plenitudinem: Nos autem non plenitudinem, sed Act. 6. de plenitudine eius accepimus. Legitur quidem, Stephanũ plenum Luc. 1. fuisse fide & fortitudine: Et Beatam Virginem plenam fuisse gratiæ, nec tamen ille, nec hæc plenitudinem Christi accepit, sed de plenitudine. Potest autem locus hic primo generaliter intelligi de omnibus creaturis. Quicquid enim usquam est, quod uel subsistit tantum uel sentit, uiuit, intelligit, hoc ipsum non aliunde, quàm de plenitudine Christi habet. Omnia enim per ipsum facta sunt. Ipse aperit ma- Psal. 144. num suam, & implet omne animal benedictione. Secundo potest intelligi

intelligi de donis illis, quæ communiter & boni & mali habent, qualia sunt, sapientia, scientia, intellectus scripturæ, &c̄. Omnia, inquam, hæc non aliunde, quàm ex plenitudine Christi accepimus. Quid enim habes, quod non accepisti? Hinc Paulus: Vnicuiq; data est gratia iuxta mensuram donationis Christi, &c̄. Et iterum. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, &c̄. ad longum. Melius autem est, ut hunc locum intelligamus de gratia iustificante. 1. Cor. 4. Eph. 4. 1. Cor. 12.

Sicut enim in prima natiuitate de plenitudine Adami omnes accepimus, sic in regeneratione de plenitudine Christi omnes accipimus. Plenitudo autem Adæ fuit peccatum, ira Dei, maledictio, & mors. Et de hac plenitudine eius omnes accepimus. Primo enim omnes in peccatis nascimur. Secundo omnes nascimur filij iræ. Præterea etiam maledicto obnoxij sumus. Maledicta enim sunt, non solum quæ nos agimus, sed & quæ in nos aguntur. Maledicta est cordis nostri cogitatio, ratio, os, manus, pedes. Maledicta sunt nobis omnia contingentia, siue læta siue tristia. Hinc est, quod in lætis inumescimus, in tristibus frangimur, & desperamus. Demum etiam mors & Infernus in nos redundarunt. Adam enim portas mortis, sua inobedientia nobis aperuit, Infernique ignem suo delicto accendit. En is est thesaurus, hoc est patrimonium, hæc hæreditas, quam nobis primus parens reliquit. Econtra autem plenitudo Christi est, iustitia, gratia, benedictio, & uita. Ex hac plenitudine credentes in ipsum, primo accipimus iustitiam, & remissionem peccatorum: Iustificamur enim gratis per redemptionem, quæ est in Christo, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, &c̄. Deinde ex plenitudine Christi accipimus gratiam & fauorem Dei. Gratificauit enim nos in dilecto Filio suo. Præterea ex plenitudine eius accipimus benedictionem. Credentibus enim in Christum, omnia benedicta sunt, nedum prospera, sed & ipsa crux, & quæcunq; aduersa. Diligentibus enim Deum, omnia cooperantur in bonum. Postremo & uitam è plenitudine eius accipimus. Christus enim bona sua, uictoriamq; qua uicit omnia mala, credentibus communicat: In cuius figura unguentum defluebat à capite summi Sacerdotis in barbam, & uestimentum. Summa, sicut per unius inobedientiam, peccatores cōstituti sunt multi: sic per unius iustitiam, iusti constituuntur multi. Et sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes uiuificabuntur. Obserua hic, quod etiam sanctissimi homines ingenue fatentur, se omnes de plenitudine Christi accepisse, quemadmodum & olim Propheta prædixerat: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Qui igitur nos sumus, qui putamus nihil nobis opus esse Christo? Rom. 3. Rom. 8. Psal. 132. Rom. 5. 1. Cor. 15. Isa. 12.

Et gratiam pro gratia]

Aliqui exponunt. Accepimus gratiam æternæ beatitudinis pro gratia fidei præsentis, ad quam nos gratis sine ullo meritorum respectu uocauit. Vtrunq; autem, scilicet & præsens iustitia, & futura remuneratio, congrue gratia dicitur: quia utrunq; à Deo datur.
Psal. 74. Gratiam, inquit, & gloriam dabit Dominus. Alij sic. *Gratiam pro gratia*, id est, Euangelium pro lege, utrunq; congrue gratia dicitur:
Deut. 9. quia gratis data sunt, etiam Moyse teste. Scito, inquit, quod non propter iustitias tuas dederit tibi Dominus terram hanc, &c̄.

Alij sic exponunt. *Gratiam pro gratia*, id est, nouam pro ueteri,
Rom. 9. maiorem pro parua. Habebant & ueteres multa singularia dona, utpote legem, circunciſionem, promiſsiones, Teſtamentum, templum, ſacrificia, adoptionem, &c̄. Hæc autem omnia perfectius nos habemus. Pro lege enim nos habemus Spiritum, pro circunciſione carnali, ſpiritualem, pro Teſtamento ueteri, nouum & æternum, pro templo naturali cœlum, pro uitulis & oubus in ſacrificio oblatis ipſum Chriſtum, &c̄. Simpliciſsime autem ſic intelligitur, Accepimus gratiam, id eſt, propterea, quod Chriſto Filio ſuo, cuius
Matth. 3. nos fratres ſumus, & in quem credimus, faueat: Hic, inquit, eſt Filius meus dilectus, &c̄.

Quia lex per Moyſen, gratia & ueritas, &c.]

Hac ſententia comparationem facit inter Moyſen & Chriſtum, ne quis putet, etiam Moyſen ea potuiſſe præſtare, quæ Chriſtus præſtitit. Comparat autem inter ſe Moyſen & Chriſtum, legem & Euangelium, non tanquam bonum & malum, ſed tanquam perfectum & imperfectum. Primo igitur Moyſi unum tantum tribuit, nempe legem: Chriſto autem duo aſſcribit, nempe gratiam & ueritatem. Deinde Moyſi, quod minus eſt, tribuit: Chriſto autem, quod maius eſt. Quamuis enim ipſa lex in ſe bona ſit, tamen ſi non adſit gratia, nihil facit, niſi hypocritas: quando enim eam audit ratio, ſimulat & mentitur opus legis, cum interim cor ſit alienum à charitate, &c̄. Deinde lex ipſa tantum oſtendit peccatum & iram,
1. Cor. 10. oſtendit morbum, non autem poteſt ſanare. Præterea lex tantum figuras habet. Omnia enim in figura contingebant illis. Per Chriſtum autem gratia facta eſt, hoc eſt, reconciliatio, quam nulla lex præſtare poteſt. Maius autem eſt ſanare, quàm tantum oſtendere morbum. Deinde per Chriſtum & ueritas facta eſt, tum quia nos uere iuſtos facit, dat enim Spiritum, quo lex impletur: Tum quia per ipſum promiſsiones Dei impletæ ſunt.
Ioan. 9. Ceſſet igitur Iudæorum blaſphemia, dicentium: Nos ſcimus, quod Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus unde ſit. Et nos enim recipimus Moyſen, ſed longe illi præferimus Chriſtum. Moyſes enim tantummodo legem dedit, Chriſtus autem gratiam

&

& ueritatem. Immo, ne Moyſes quidem author legis fuit, ſed tantum miniſter. Chriſtus autem author eſt gratiæ & ueritatis, non tantum miniſter. Ideo Ioannes ſignanter dicit: Per Moyſen non facta, ſed data eſt lex. Gratia autem & ueritas per Chriſtum non tantum data, ſed & facta eſt.

Deum nemo uidit unquàm: Vnigenitus, &c.]

Rationem ponit, quare Moyſes non potuerit, quod potuit Chriſtus. Quia, inquit, nec Moyſes, nec quiſquam alius, unquam Deum uidit, tantum abeſt, ut Deus fuerit. Chriſtus autem nedum Deum uidit, ſed & Deus eſt, & in ſinu Patris, hoc eſt, in ipſius gratia ſemper manſit, alij omnes de ſinu Patris ceciderunt. Ideo de ipſo dicitur: Speciosus forma præ filijs hominum, &c. Quod autem dicit: *Deum nemo uidit unquàm*, communiter intelligitur de diuina eſſentia, quam nemo uidere poteſt oculis corporeis. Quod autem alij dicuntur Deum uidiſſe, ut Iacob: Vidi Dominum facie ad faciem. Et Iſaias: Vidi Dominum ſedentem &c. hoc eſt, aut per imaginariam uiſionem, aut in aliquo typo uel ſpecie. Stat enim ſententia: Non uidebit me homo, & uiuet. Pſal. 44. Gen. 32. Iſa. 6. Exod. 33.

Melius autem intelligitur de uoluntate Dei erga nos, quam nemo unquam cognouit aut uidit, niſi per Chriſtum & in uerbo Dei. Voluntas autem Dei eſt ſaluare: Non, inquit, eſt uoluntatis meæ, ut moriatur impius, ſed ut conuertatur, & uiuat. Hoc autem ex lege non diſcimus, quæ Deum non aliter proponit, quàm iudicem: Vnigenitus autem Filius, nobis manifeſtauit hanc Patris uoluntatem. Hinc dicit: Pater, manifeſtaui nomen tuum hominibus, &c. Item, Voluntas Dei eſt, per crucem ducere ad gloriam. Quis autem hoc unquam credidiſſet? Filius igitur enarrauit nobis. Sicut enim ipſum per crucem ad gloriam ſubuexit, ſic & nos ſubuecturus eſt. Chriſtus igitur eſt ipſiſsima facies Dei, & imago, qua perfectiſsime cognoſcitur Deus, quemadmodum ex facie maxime cognoſcitur homo. Qui igitur Chriſtum uel uerbum Dei fide arripit, is uere Deum, Deique uoluntatem cognoſcit. Hinc Ioannes: Scimus quoniam Filius Dei uenit in mundum, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus Deum. Et Chriſtus ipſe: Qui uidet me, uidet & Patrem meum. Ezech. 18. Ioan. 17. 1. Ioan. 5. Ioan. 14.

Et hoc eſt teſtimonium Ioannis, &c.]

Hic tandem ad plenum deſcribit teſtimonium Ioannis de Chriſto, idque quàm poteſt diligentiſsime. Non ſolum enim indicat, quid de Chriſto dixerit, ſed & coram quibus ea dixerit, quando, & ubi, uel quo in loco. Multum enim attinet ad rem, ſcire tempus & cauſam. Hinc enim dinoſci poteſt, utrum ex hominibus, an de cœlo ſit teſtimonium eius, id eſt, ea quæ de Chriſto teſtatus eſt, utrum ex

coniectura humana, an ex spiritu Prophetico habuerit. Deinde cum alij Euangelistæ ut plurimum ea tantum descripserint, quæ Ioannes coram populo & dixit & fecit: hic noster Euangelista, tanquam maius aliquid dicturus, illud testimonium producit, quod coram doctis & potentibus Ioannes Christo dedit. Maius enim est, ueritatem coram magnatibus confiteri, quàm solum coram plebe. Nam sæpe uidemus usu uenire, quod coram magnatibus quidam negant ea, quæ constanter coram populo affirmauerant. Ioannes autem hic nedum coram plebe, sed & coram magnatibus: nedum semel, sed & subinde interrogatus, ueritatem constanter confessus est.

Quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis, &c.]

Non statim ab initio Legatos miserunt ad Ioannem, sed cum iam fama eius per totam Iudæam diuulgata esset, omnesq; iam scirent, insignem quendam hominem in deserto apparuisse, qui manifeste diceret, Christum breui affuturum, tunc miserunt Legatos: iam enim oriebatur dissidium in fide. Pars siquidem Pharisæis, pars Ioanni Baptistæ, pars Christo adhærebant. Et uulgus partim in ueteri (sic enim uocant) & maiorum suorum fide perdurare uolebant: partim nouæ fidei (solent enim insperata & incognita, noua putari, ut maxime uetustissima sint) sese addicebant. Itaq; cogebatur à Summatibus Iudaicæ religionis Concilium, ut de rebus fidei dispicerent, & certo statuerent, quid credendum, quid non credendum esset. Atq; in hoc summe commendandi fuissent, si nihil aliud quàm ueritatem quæsissent. Nihil enim commendabilius est in pastore, quàm si undiq; gregi prospiciat. Nihilq; in eodem damnabilius, quàm si tantum seipsum pascat, nihil de salute ouium sollicitus.

Ezech. 34.

Immo in hoc facto etiam Christianæ Reipublicæ Præsidibus in exemplum ponendi essent, si intentio mala non fuisset. Verum exitus acta probabit. Videbis enim eos sub hoc prætextu boni, non ipsam ueritatem, nec populi salutem, sed tantum sua quæsiuisse. Hæc est enim carnis natura, quod semper suis affectibus & cupiditatibus, bonam aliquam speciem præfert, atq; in hunc modum occultatur dæmonium illud meridianum.

Psal. 90.

Sic igitur & Iudæorum Primates, magnifice omnia in speciem faciunt. Primo enim Concilium congregãt, idq; in Metropolitana ciuitate. Deinde etiam solennes Legatos mittunt, ut facilius & populo, & ipsi Ioanni persuaderent, se nihil aliud, quàm ueritatem quærere. Sciebant tempus aduentus Messiæ adesse, propterea, quod sceptrum à Iuda ablatum erat, & quod Danielis hebdomadæ iam completæ erant, uel in proximo complendæ. Quamuis autem duo præ manibus essent, Ioannes scilicet & Christus, inter quos alterum

Gen. 4.
Daniel. 9.

eum coniiciebant esse illum Messiam, per Prophetas promissum. Malebant tamen Ioanni Messiæ honorem deferre, quàm Christo. Ideo non ad Christum, sed ad Ioannem nuncios mittunt. Primo enim iudicio propriæ rationis æstimabant, Ioannem digniorem hoc honore. Eius enim natiuitas apud Iudæos celebris erat, nobilitate generis commendabatur, sanctitate uitæ, nouitate uictus, solitudine, uestimentis, Baptismo, discipulorum frequentia, plebis animos in sui admirationem prouocarat. Sic caro semper eos tantum suscipit, ueneratur, & honore dignos arbitratur, qui externa aliqua re conspicui sunt, utpote generis nobilitate, diuitijs, fauore hominum, uel etiam externa sanctitate, etiamsi re ipsa sint indignissimi. Sic ad honores subuehuntur, qui nobilitate, potentia, diuitijs pollent, etiãsi sint stupidissimi & Moricho stultiores. Deinde ideo ad Ioannem mittunt, non ad Christum: quia offendebat eos humilitas Christi. Indignum iudicabant tanto honore, qui tam pauper esset, turpeq; ipsis uidebatur, tam humilem habere Messiam.

Ecce hoc est ingenium mundi, semper horret crucem, pudet eum humilitatis, & paupertatis: Indecorum putat cum eis conuersari, qui cruce premuntur, etiamsi sint sanctissimi, ut patet de diuite & Lazaro. Denicq; omni honore indignos arbitratur, qui pauperes & humiles sunt, etiamsi sint doctissimi. Luc. 16.

Non igitur abs re Christus dixit: Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Matth. 11.

Præterea etiam suis commodis prospiciebant in eo, quod ad Ioannem mittunt nuncios. Videbant Christum iam dissimilem & contrarium operibus eorum, iamq; timere incipiebant, ne Christus inclementius inueheretur in superbiam & auaritiam eorum: hoc enim uel maxime (teste Sapiente) eos in Christo offendit. Contrarius, inquiunt, est operibus nostris, factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, &c̃. Ideo Ioanni eum honorem deferunt, sperantes futurum, ut Ioannes, etiamsi Christus non esset, tamen nomen tam honorificum ultro delatum agnosceret, sicq; in eorum potestate esset, ut qui ipsorum delatione tantum honorem adeptus, ne hiscere contra eos auderet. Iam enim Christum ad suas cupiditates attemperare uolebant, immo talem uolebant habere Christum, qui ipsis deuinctus esset, ut timore etiam territus, non loqueretur, nisi placita ipsis. En hoc est, quod sub specie illa bona quærebant. Sap. 2.

Non tamen est, quod ipsis ob hoc succenseamus. Omnes enim nos similiter affecti sumus. Eos enim cupimus Prælatos, Rectores, Prædicatores, qui nostris affectibus accommodi uidentur. Nec, si in potestate nostra esset, quemq; pateremur, qui obsisteret affectibus nostris, immo ne Deum quidem. Sic nos plærunq; neglecto Christo, cum eius uerbum nobis contrarium est, Ioannem quærimus,

hoc est, alium quempiam, à quo mitiora speramus, qui onere legis nos liberet, & carnaliter securos faciat, &c. Demum ad Ioannem mittunt, non amore Ioannis (nam & ipsum uidebant contrarium suis affectibus) sed odio & inuidia Christi, ut si hunc honorem Ioannes agnosceret, haberent iustam occasionem in Christum
Ioan.5. sęuiendi, & doctrinam eius damnandi. Hinc ipse Christus dicit: Vos misistis ad Ioannem, & uoluistis ad tempus exultare in luce eius, id est, obtulistis ei honorem Messiæ, & uoluistis eo interim abuti, donec opprimeretis me, &c. Huc pertinet, quod Christus de seipso sub parabola nobilis cuiusdam, qui peregre profectus,
Luc.19. Regnum quoddam sibi subiicere uolebat. Ciues, inquit, eius oderant eum, & legationem miserunt, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos, &c. Ex his igitur satis patere mundi ingenium arbitror.

Et confessus est, & non negauit &c.]

Hoc est, non retractauit testimonium antea Christo datum, sed ingenue rursus Christo suam authoritatem asseruit. Item confessus est, se non esse, quod non erat, & non negauit, se esse quod erat.

Contrarium faciunt impij, qui negant se esse, quod sunt, hoc est, nolunt uideri peccatores, & fatentur, sibiq; ipsis asscribunt, quod non sunt, hoc est, simulant se sanctos. Affirmatiue autem dixit: *Confessus est*, cum apertius dicere potuerit: Negauit se esse Christum. Sed hoc significantius est, quia uolebant Pharisæi, ut totam prædicationem retractaret. Ideo ait: *Confessus est*, hoc est, constanter confessus est uerbum suum. Præterea eandem sententiam tertio repetit: *Confessus est, Non negauit, Confessus est.* Hoc autem ideo fecit. Primo, ut inculcet & exprobret Iudæis incredulis suam impietatem, qui omnes Ioannem uelut uirum Dei sanctum suscipiebant, noluerint tamen ei credere, de Christo testimonium ferenti. Secundo, ut pios Iudæos in fide Christi contineat, nihil deterritos Pharisæorum persecutione, qua Christum persecuti sunt: Quasi dicat, Sæuiant illi quantumcunq; uelint, uobis satis sit, quod Ioannes ille Baptista, quem suo ipsorum testimonio tanquam Prophetam uenerabantur, clarissime testatus est, hunc esse uerum Messiam. Tertio, per hoc nobis uoluit insignem Ioannis constantiam ob oculos ponere. Fortem enim & inuictum animum habeat necesse est, qui fauorem & odium hominum æque contemnit, quicq; nec promissis nec minis, à ueritate abducitur. Quis est hic, & laudabimus eum? Rara est huiusmodi constantia. Atqui Ioannes poterat uno uerbo omnium potentium fauorem mereri, & magna uitare pericula. Nihilominus tamen in ueritate perstitit, quamuis non ignorabat, rem hanc non solum sibi authoritatis hactenus

possessæ

possessæ iacturam, sed etiam grauem apud Iudæos inuidiam allaturam. Iustissime igitur Christus testatur, ipsum nõ fuisse arundinem, quæ omni uento moueretur. Hinc igitur discamus, etiam nos potiorem ducere ueritatem & fidem, quàm fauorem & odium hominum. Hoc enim Christus ipse uoluit, cum regnum cœlorum thesauro comparat, qui merito omnibus diuenditis comparandus sit, &c. Qui enim dubitat propter regnum cœlorum externa contemnere, uel qui fauorem aut odium hominum plus ponderat, quàm fidem & ueritatem, is nondum uere Christianus est. Qui enim amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus: Et qui non renunciat omnibus quæ habet, non potest meus esse discipulus, ait Christus. Deinde ex hac Ioannis in asserenda ueritate constantia discamus, & nos constantiam seruare in uerbis nostris. Sic enim Christus docet: Sit sermo uester, Est est, Non non. Nihil enim magis animi leuitatem indicat, quàm incõstantia uerborum. Hinc Paulus hoc nomine potissimum gloriatur, quòd prædicatio sua non fuerit Est & Non, hoc est, inconstans, quemadmodum eorum prædicatio est, qui aliud coram populo, aliud coram potestate, aliud in publico, aliud in priuato docent. Matth. 11. Matth. 13. Matth. 10. Luc. 14. Matth. 5. 2. Cor. 1.

Non sum ego Christus]

Quasi dicat, Non sum ego lux, sed nuncius lucis mox exoriturę. Non sum ego medicus, qui sanari possit, sed tantũ ostẽdo morbum. Non sum ego sponsus, sed præcursor sponsi. Non sum ego uerbum, sed uox uerbi. Hic igitur uides, quod Ioannes integri & fidelis famuli functus est officio. Nam Domini sui gloriam, nec Iudæis ultro deferentibus, sibi usurpare uolebat, nec illum fraudare sua. Æque enim detestandum est in Christiano, si uel Deum fraudet sua gloria, uel sibiipsi asscribat, quod Dei est. Suspendio adiudicatur, qui rem alienam inuito domino contrectat. Quam igitur pœnam nos meremur, qui non contenti sumus, quod Deum subinde sua fraudamus gloria, & nobis eam usurpamus, sed etiam palam eũ blasphemamus?

Helias es tu? Et dixit, Non]

In Malachia promissum fuit, Heliam Prophetam uenturum ante Domini aduentum. Verũ eum locum (ut & cætera) Iudæi carnaliter tantũ intelligebant, ideo quærunt de Helia Thesbite, quem scriptura tradit in curru igneo raptũ. Proinde etiam Ioannes, sermonẽ suum ad eorũ intellectũ attemperans, respondet, Se non esse Heliam Thesbitem, cũ alioqui Ioannes uere sit ille Helias, de quo Malachias dixit. Sic enim & Christus de ipso dicit: Si uultis recipere, ipse est Helias, qui uenturus erat, id est, q uẽturus à Malachia prædictus est. Itẽ in alio loco: Dico uobis, Heliã iam uenisse, & non agnouerunt eum. Ideo autem Ioannes & à Malachia, & à Christo dicitur Helias, Mal. 4. 4. Reg. 2. Matth. 11. Matth. 17. Luc. 1.

quia in ſpiritu & uirtute Heliæ præceſsit Chriſtum, hoc eſt, eodem ſpiritu, eadem uirtute miniſterium ſuum impleuit. In utroq; enim
Eccli.48. Spiritus ſanctus opera efficaciſsima fecit, utriuſq; uerbum tanquam ignis & facula ardebat. Ambo in deſerto erant, ambo ẓelabant gloriam Dei, & animarum ſalutem, ambo inſultabant Regibus, ambo perſecutionem paſsi ſunt propter iuſtitiam.

Ioannes igitur, etſi non in perſona, tamen in ſpiritu & uirtute erat Helias. Hoc autem non aperte Iudæis indicauit. Non enim erant digni, qui myſterium hoc diſcerent, eò quod maligno animo hæc ſciſcitabantur. Superbis enim & arroganubus, & ſua quærenti-
Matth. 11. bus, occultantur myſteria Dei, humilibus autem patent. Abſcondiſti, inquit, hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

Propheta es tu? Et reſpondit, Non]

Deut.18. Non uidetur quæſtio hæc facta de Propheta illo, quem Moyſes prædixit ſuſcitandum poſt ſe. Is enim Propheta non alius erat, quàm Chriſtus, de quo ante quæſierant. Simpliciter igitur quærunt, an ſit Propheta quiſpiam, quales fuerunt Iſaias, Hieremias, & cæteri. Negat autem Ioannes, ſe eſſe Prophetam: quia aliud erat Prophetarum, aliud Ioannis officium. Prophetæ ad uetus Teſtamentum pertinent, Ioannes autem ad nouum. Omnes enim Prophetæ & lex, uſq; ad Ioannem, &c̄. Deinde Prophetarum officium erat, uerbum Domini, antequam caro fieret, carnem aſſumpturum eſſe, dictis præſignare, & præfigurare.

2. Pet.1. Ioannes autem non in umbra futurorum, ſed in ueritate erat preſentium, neq; præ ſe ferebat Propheticū ſermonem, cui attendendum eſſet, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, ſed digito
Matth.11. prætento monſtrabat, uerum Solem exortum. Idcirco & Chriſtus eum nominauit plus quàm Prophetam.

Sic igitur Ioannes tria de ſe negauit. Primo nobilitatem poteſtatis & dignitatis, cum dicit: *Non ſum Chriſtus*. Secundo, magnitudinem uirtutis & ſanctitatis, cum dicit: *Non ſum Helias*. Tertio excel-
Pſal.120. lentiam ſapientiæ, & illuminationis, cum dicit: *Non ſum Propheta*.

Vere igitur dicere potuit: Domine non eſt exaltatum cor meum, neq; elati ſunt oculi mei, &c̄. Sic enim & Hieremias docet. Non
Hiere.9. glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, &c̄. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me, &c̄.

Sic Ioannes fecit. Vult enim dicere, Quid eſt, quod à me excellens & præclarum quæritis? En habetis Chriſtum, qui ſolus omnia eſt, præ quo egò nihil ſum, ne Propheta quidem, ſi cum ipſo conferar.

Quis ergo es? ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos]

Hic

Hic tandem produnt indignabunda quæstione simulationem suam hypocriticam, & quasi minas admiscent, cum ob hoc uel maxime ipsum laudare debuissent, quod Domini gloriam sibi ipsi non asscriberet. Verum, ut supra dixi, aliud quærebant, & Ioannem uel blanditijs, uel minis ad sibi assentiendum inducere conabantur: Ipse autem nihil motus, simpliciter ueritatem fatetur.

Ego, inquit, uox clamantis]

Singula autem uerba emphasim suam habent. Primo enim uocem se nominat: quia sicut uox uerbum præcedit, sic Ioannes Christum præcessit. Præibis, inquit, ante faciem Domini. Deinde, sicut uox uerbum declarat, sic Ioannes Christum. Ecce, inquit, agnus &c̄. Præterea, sicut uox deficit, uerbum autem auditum proficit, sic Ioannes dicit: Illum oportet crescere, me autem minui. Postremo, sicut uox inutilis est absq; uerbo, sic inutilis erat prædicatio Ioannis sine Christo. Non simpliciter autem dicit: *Ego uox sum*, sed addit: *Ego uox clamantis*, quod aliqui sic intelligunt. Quasi dicat, Non mea uox sum, sed eius, qui clamat, hoc est, Christi. Christus enim triplici-ter clamauit. Primo intentione deuotionis. Iuxta illud: In diebus carnis suæ, preces & supplicationes Deo cum clamore ualido & lachrymis obtulit, &c̄. Secundo clamauit instantia prædicationis. Sicut in Psalmo dicit: Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, &c̄. Tertio clamauit uirtute uocationis. Iuxta illud: Stabat Iesus, & clamabat: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Huius igitur clamantis, Ioannes uox erat. Melius autem intelligitur, ut idem sit uox clamantis, id est, uox clamans. Sic enim Hebræi frequenter loquuntur, ut: Filius perditionis, hoc est, filius perditus. Vocē igitur clamantem se dicit Ioannes, ad confusionem illorum, qui cum Pastores et Episcopos se iactent, nihil tamen aliud interim, quàm ocium quærunt: Canes muti sunt, non ualentes latrare, cum eorum officium potissime sit, Euangelium annunciare. Sic enim Apostolis dictum est: Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ. Signanter autem addit: *In deserto*. Ad literam enim in deserto prædicabat. Deinde in Iudæa deserta, uel in proximo deserenda. Vel: *In deserto*, hoc est, mundo, qui uere desertum quoddam est inuium & inaquosum, in quo reptilia sunt, & animalia multa, pauci autem homines, rationem sequentes. Allegorice autem in deserto Ioannes clamat, hoc est, in cordibus eorum, qui uere sentiunt, se desertos ab omnibus, in nulla re temporali confidunt, sed à solo Deo pendent: Hi enim soli fructuose audiunt Ioannem.

Itaq; qui lætum illud nuncium audire uelit, & dignus effici Euangelica gratia, is exeat ex urbibus, in quibus sunt opes, diuitiæ, &c̄. Exeat etiam Hierosolymam, in qua erat templum, hoc est, nec

in

Luc. 1.
Ioan. 3.
Heb. 5.
Psal. 68.
Ioan. 7.
Isa. 58.
Mar. 16.
Psal. 62.
Psal. 103.

in externis rebus, nec in sua iustitia confidat, sed prorsus in desertum
Dan.9. secedat, clamans cum Daniele: Peccauimus, iniuste egimus, &c. Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ, &c. Et infra. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras coram te, sed in miserationibus tuis multis.

Præterea subdit, ac clarius se ipsum exponit, dicens: *Parate uiam Domini*, hoc est, apparate, complanate, impedimenta remouete. In uia nanq; est Dominus, uiam uitæ præsentis ingressus est, ad grande
Psal.18. opus proficiscitur. Ecce enim tanquam sponsus procedit de thalamo suo, exultat ut gigas ad currendam uiam, à summo cœlo egressio eius, &c. Nolite igitur obsistere, nolite offendicula ponere. Nam
Matth. 21. super quem ceciderit lapis hic, comminuet eum. Væ enim illis, quorum scelere in mortem casurus est.

Deinde: *Parate uiam Domini*, hoc est, recipite aduenientem Christum, date locum Spiritui sancto. Resipiscite, & agnoscite peccata. Rectas facite semitas, id est, abijcite peccata, implete legem, facite fructus dignos pœnitentiæ. In hunc modum Ioannes uiam Domino parat, quia quanto plus ad resipiscentiam & impletionem mandatorum nos hortatur, tanto magis ad Christum nos compellit, sine quo nec resipiscentia fieri, nec lex impleri potest.

Tale igitur erat officium Ioannis, quale in libro Geneseos legitur:
Genes. 41. Quod cum Ioseph à Pharaone exaltatus circumduceretur, preco clamabat, ut omnes coram eo genu flecterent, & Præpositum scirent uniuersæ terræ Ægypti. Signanter autem dicit: *Parate uias*
Isa.55. *Domini*, non uestras. In Isaia enim dicit Dominus: Non sunt uiæ meæ, uiæ uestræ, &c. Viæ enim hominum sunt ambitio, hypocrisis, externum opus sine fide: Non sunt hæ uiæ, quibus Dominus ad nos uenit, sed fides, spes, charitas. Postremo ne uideatur propria authoritate hoc munus sumpsisse, citat Isaiam. *Ego*, inquit, *uox clamantis* &c. sicut dixit Isaias Propheta. Quasi dicat, reuoluite caput quadragesimum Isaiæ, illic uidebitis, qui sim, & quod aut unde sit officium
Isa. 40. meum. Non autem abs re illuc nos remittit. Primo enim manifestis uerbis Propheta in eodem loco prædicit futurum, ut ante Christi aduentum uox clamatis in deserto audiretur.

Deinde ne quis putet uanam aliquam uocem, aut insanum clamorem audiendum, non obscure indicat, eandem uocem ad hoc ordinandam, ut Domino paretur uia, ut omnis mons & collis humilietur, & praua fiant directa. Postremo etiam idem Propheta ostendit, quid ea uox clamare debeat. Primo enim iubetur clamare: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Exiccatum est fœnum, & decidit flos: uerbum autem Domini manet in æternum. Secundo iubetur ascendere in montem, & dicere, Ecce Deus uester:

Ecce

Ecce Dominus Deus in fortitudine ueniet, & brachium eius dominabitur: Ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Atq; hæc duo omnium maxime Ioannes clamauit. Primo enim docuit, omnia, quibus confidunt homines, nihil aliud esse, quàm fœnum, hoc est, uanitatem: solum autem uerbum Dei, solidum esse fundamentum. Deinde annunciauit Christum propediem appariturum.

Et qui missi fuerant, erant ex Phariſæis]

Quamuis supra satis dixerit, cuius conditionis fuerint missi illi: hic tamen clarius describit, nec sine causa. Primo enim hoc uerbo indicat, insignem eorum obstinationem, quasi dicat: Quotquot hactenus audierunt Ioannem clamantem, moti sunt ad pœnitentiam, etiam Publicani & milites, indeuotum alioqui hominum genus. Hi autem, cum essent ex Phariſæis, hoc est, sanctissima Iudæorum secta, Ioannemq; audissent coram positum clamantem, nihil tamen moti sunt. Sic uere nullum hominum genus est, quod minus moueatur uerbo Dei, quàm hi, qui in sua iustitia confidunt. Quicquid enim audiunt de pœnitentia, non putant ad se pertinere. Sunt enim ipsi è numero nonaginta nouem iustorum, qui non egent pœnitentia. Lucæ. 3. Lucæ. 15.

Hinc est, quod Christus eandem obstinationem eis identidem exprobrat. Si, inquit, in Tyro factæ fuissent uirtutes, quæ in uobis factæ sunt, olim pœnitentiam egissent. Et iterum: Publicani & peccatores, præcedent uos in regno cœlorum. Deinde hoc uerbo insignem eorum cæcitatem indicat, quasi dicat: Quanquam præ se ferrent perfectam scripturæ scientiam, nondum tamen intelligebant responsum Ioannis, cum tamen expressis uerbis dixisset, quis esset, à quo missus esset, cuiusq; authoritate faceret quod faciebat. Nemo enim tam doctus est, qui non plurima ignoret. Immo nemo minus uerum scripturæ sensum capit, quàm qui superbe scripturarum notitiam sibi uendicant. Quem docebit scientiam, ait Propheta: Et statim respondet: Ablactatos à lacte, auulsos ab uberibus, &c̄. Matth. 11. Matth. 21. Isa. 28.

Quod autem non intellexerint responsum Ioannis, patet ex eo, quod subiecerunt.

Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus?]

Quasi dicat, Cum nihil præterquam euanida uox sis, & neq; Christus, neq; Helias, neq; Propheta quispiam, quis igitur authoritatem dedit noua quædam docendi, ueteresq; ritus innouandi? Scimus Messiam omnia innouaturum: scimus & Prophetis, utpote authoritate Dei præditis, aliqua licuisse, quæ alijs non licent. Tibi autem nihil horum permissum est, cum etiam te teste, non sis Prophèta. Hoc igitur uerbo iam incipiunt territare eum, quasi aliquid innouare ausum sine authoritate superiorum. Et profecto nisi Ioannes fuisset, hoc est, gratia Dei plenus & confirmatus, non mirum, si

hoc

Eccleſiaſt. 27. hoc ictu concidiſſet. Verum, quemadmodum & ſupra ore laudantium, ſic & nunc ore terrentium & comminantium, probatus fuit ut uerum aurum. Deinde hoc uerbo calumniam ei ſtruunt, quaſi conaretur Baptiſmo ſuo peccata abluere. *Quid*, inquiunt, *baptizas?* quid homines uana ſpe lactas: cum non poſsis uere homines mundare. Nam id ſolius Dei eſt, Tu autem ne Propheta quidem es. Præterea Deus eſt, qui ſolus abluere poteſt. Ezech. 36. Sic enim dicit: Ego effundam ſuper uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis, &c. Item: Effundam aquas ſuper ſitientem. Et iterum: Erit fons patens domui Iuda, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Iſa. 44. Zach. 13.

Ego baptizo in aqua]

Modeſtiſsime reſpondit, nihil motus iniuria. Non autem dicit, quis ei authoritatem dederit. Nam hoc ex Iſaia ſatis indicauerat: ſed tantum exponit Baptiſmum ſuum, ne quis in eo confideret, & Chriſtum contemneret. *Ego*, inquit, *baptizo in aqua*: hoc eſt, exterius lauo corpora, non intus purgo à culpa. Ego baptizo in pœnitentiam, ut mortificemini, & cognoſcatis uos ablutione indigere: Non autem remitto peccata, ſed ſicut prædicatio mea perfecta non eſt, ſed tantum præparatoria, ſic Baptiſmus meus tantum indicat futurum quempiam, qui ut ego baptizo aqua, baptizabit in Spiritu ſancto. Et quid opus multis? ego tantum, quod minimum eſt, in Baptiſmo præſto, nempe aquam. Nam tria ad Baptiſmum perfectum pertinent. Tres enim ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & ſanguis. Inter hæc autem aqua minimum eſt. Ioannes autem non potuit dare Spiritū ſanctum, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Sed nec potuit dare ſanguinem, quia ſanguis Chriſti nondum erat effuſus. Hinc in Actis dicitur: Ioannes baptizauit aqua, uos autem baptizabimini Spiritu ſancto. Hinc Paulus baptizatos Baptiſmo Ioannis, iterum baptizauit. Atq; hic uides, quæ ſit differentia inter Baptiſmum Ioannis & Chriſti. Ioannis Baptiſma tantum aquam habet: Noſtrum autem Baptiſma, quod & Chriſti eſt, habet aquam, deinde & ſanguinem, hoc eſt, meritum & paſsionem Chriſti. Præterea & Spiritum ſanctum habet, ideo à peccatis mundare poteſt. Vel aliter: *Ego baptizo aqua*, hoc eſt, & doctrina mea, & Baptiſmus tantum ad mortificationem, quæ per aquam ſignificatur, ſpectant. Chriſtus autem baptizat in Spiritu ſancto: nam eius & doctrina & Baptiſmus uere uiuificant. 1. Ioan. 5. Ioan. 7. Act. 1. Act. 19.

Medius autem ueſtrum ſtetit]

Vere in medio ſtetit: quia ſecundum diuinitatem omnibus præſens eſt. Secundo, quia medius eſt inter Deum & nos, nempe, mediator

diator Dei & hominũ, &c. Tertio medius: quia omnibus, & prope & à longe positis, se exhibet ad usum, quemadmodum lignum uitæ olim in Paradysi medio positum fuisse dicitur. Simpliciſsime autem intelligendo: *Medius uestrum stetit*, id est, inter uos apparere, conuersari, & uiuere dignatus est. Vel: *Medius uestrum*, id est, inter uos plane contemptus, ac ignotus uiuit. Nam nihil magni præ se fert, sed per omnia fratribus similis factus est, absq; tamen peccato. 1. Tim. 2. Gen. 2. Heb. 4.

Hoc igitur uerbo omnem, & Iudæis & nobis, excusationem eripuit. Nemo dicere potest: Quis ascendet in cœlum, ut ad eum perueniat, &c. En medius, inquit, uestrũ stat. Et prope est uerbum in ore & corde tuo. Nec quisquam dicere potest: Non audeo tantus peccator ad eum accedere. En medius nostrum stat: omnino se ad humilitatem nostram inclinauit, ne quis uereatur accedere. Non igitur est, quod dicas, quis potest habitare cum igne deuorante, &c. En frater tuus effectus est. Rom. 10. Isa. 3.

Quem uos nescitis]

Si in medio stetit, quomodo eum non uiderunt? quia tantum quæ in speciem magna erant, attendebant. Ideo Christum nulla externa specie fulgentem, non uidebant. Sic nos tantum magnifica spectamus, interim Christum in pauperibus suis non uidemus.

Atqui illorum cęcitas magis ueniam meretur, quàm nostra. Non enim mirum, quod non uidebant Christum, qui adhuc paruus tantum lapis erat. Iam autem creuit, & factus est mons magnus, & impleuit totam terram. Insigniter igitur cæcus sit oportet, qui eum nunc non uidet. Dan. 2.

Ipse est, qui post me uenturus est]

Hæc supra exposita sunt. Vide ibidem.

Post Ioannem uenit Christus: quia post eum & conceptus & natus est, post eum etiam cœpit prædicare, &c. Item post eum uenit: quia omnibus humilibus humilior fuit. Vidimus, inquit, eum nouissimum uirorum. Hinc & seipsum uocat minorem in regno cœlorum. Qui, inquit, minor est in regno cœlorum, maior est Ioanne: hoc est, ego qui minor Ioanne reputor, longe maior eo sum. Isa. 53. Matth. 11.

Ante Ioannem autem factus est, hoc est, ipsi præpositus æternitate: quia in principio erat uerbum. Dignitate, quia uerbum erat apud Deum. Gratiæ causalitate, quia etiam Deus erat, cuius est gratiam dare. Ioan. 1.

Cuius non sum dignus, ut soluam corrigiam]

Alij Euangelistæ habent. Non sum dignus calciamenta eius portare, quod sic exponunt. Calciamentum Christi, est eius incarnatio. Cupiebat autem Ioannes hæc calciamenta portare, hoc est, Chri-

sti incarnationem & passionem, quantumuis coram mundo contemptam, una cum Apostolis per uniuersum mundum portare & annunciare, sed non tam diu uicturus erat. Ideo dicit: *Non sum dignus calciamenta eius portare*, hoc est, cum Apostolis mysterium incarnationis, & resurrectionis gloriam annunciare. Allegorice Ioannes non fatetur se dignum, ut Christi calciamentum soluat,
Deut.25. hoc est, ut sponsam Christo debitam ducat. Mos enim erat in lege, ut qui sponsam iure propinquitatis sibi debitam alteri cederet, calciamentum solueret. Subindicat igitur Ioannes, se omnibus modis indignum esse, cui Christus sponsam suam cedere debeat. Simplicissime autem intelligi potest: *Non sum dignus, &c.* hoc est, ut uilissimi mancipij obsequium ei præstem.

Hoc autem uerbo primo confitetur diuinitatem Christi: quia si Christus tantum homo fuisset, certe Ioannes fuisset dignus ei cal-
Gen.2. ciamentum soluere. Nam homo dignus est, ut homini seruiat: quia ad mutua ministeria conditi sumus. Deinde omnem gloriam operum nostrorum, hoc uerbo damnat. Si enim Ioannes indignum se fatetur, quid tu gloriaris de meritis tuis? Mera igitur gratia, mera misericordia est, accepisse ut seruias.

Hæc in Bethania facta sunt, &c.]

Hic nominat locum, ut fortius fiat testimonium Ioannis. Deinde iterum damnat Iudæorum impietatem, ut qui tam prope habebant Ioannem, nihil tamen consilij ab eo quærebant.

Cæterum, quod nos Bethaniam, alij Bethabaram legunt.

Altera die uidit Ioannes Iesum]

Ex hoc textu primo uidemus, quod Ioannes non semel tantum Christo testimonium dedit, sed sæpe: & ob eam causam etiam Christus sæpe eum adijt, ut illi præberet occasionem clarius de se testificandi. Deinde hic uidemus, quonam modo Deus fidem & deuotionem suorum remuneret. Prædicauerat Ioannes, breui affuturum Messiam, nondum tamen eum cognoscebat, sed indies eum expectabat, undiq; circumspiciens, si quo modo eum uidere posset. Cum ergo sic staret in excelso speculator ille, omni mundo sublimior, desiderio uulneratus, & cœlum pulsans gemitibus, salutem suam uidere sitiens, ut eam & uiuis ostenderet, & mortuis annunciaret: uidit Iesum uenientem ad se. Sic enim Deus deuotionem suorum, per sui manifestationem remunerat, quemadmodum infra
Ioan. 14. dicit: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Magnum autem præmium est, uidere
Gen.28. Deum. Sic Iacob à fratre suo è paterna domo fugatus, uisione nocturna

firma Dei exhilaratus est. Idem tum rediret è Mesopotamia, angelica uisitatione consolatus: Vidi, inquit, Dominum, & salua facta est anima mea. Sic Iob post multas tribulationes, uiso Domino, conualuit. Auditu, inquit, auris audiui te: nunc autem & oculus meus uidet te. Sic Simeon uiso Domino, ne uiuere quidem amplius in hoc sæculo cupiebat: Nunc dimittis, inquit, Domine seruum tuum, &c. Eodem modo & Ioannes uidit Iesum, non secundum formam hominis tantum, sed secundum eam formam, qua speciosus est præ filijs hominum. Vidit eam speciem & pulchritudinem Christi, de qua Dauid: Specie tua & pulchritudine intende prospere, procede & regna. Vidit denique illam, qua protestatus fuerat per eum factam esse gratiam & ueritatem. Præterea hic uidemus, quomodo & quo ordine Christus se suis manifestet. Venerat Christus & antea ad Ioannem, cum scilicet adhuc utero matris concluderetur uterque, uerum tunc non uidit eum Ioannes, sed tantum ex auditu cognouit. Vt enim facta est uox salutationis tuæ, ait Elisabet, in auribus meis, exultauit infans in utero meo. Altera autem die, hoc est, subsequenti tempore, ne dum audiuit, sed & uidit eum. Gen.32. Iob.42. Luc.2. Luc.1.

Sic quam diu prima hæc dies durat, non uidemus Deum, sed tantum audimus. Ambulamus enim per fidem, non per speciem. Cum autem superuenerit altera dies, nempe dies resurrectionis, tunc uidebimus eum, sicuti est. Si igitur cupis in futuro tempore uidere Iesum, iam nunc hoc die, id est, hoc præsenti tempore eum audi, & cum Ioanne exulta in uerbo eius. 2.Cor.5. 1.Ioan.3.

Demum hic uidemus, quantam prærogatiuam nos nunc habeamus præ ueteribus. Prima siquidem die, hoc est, tempore ueteris Testamenti, saluatorem quidem desiderabant plærique, sed nemo eum uidebat: Nunc autem in hac altera die, hoc est, tempore gratiæ, uisibilis etiam apparuit. Verum non omnes eum uident, sed Ioannes tantum, hoc est, illi tantum, qui sunt uasa gratiæ & misericordiæ. Hi ne dum uident eum, sed uident eum ad eos uenientem, immo pro ipsis mortuum, proque ipsis interpellantem.

Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi]

Ex abundantia cordis os loquitur, ait Christus. Nec fieri potest, ut qui Deum uidet, non præ gaudio exclamet. Sic Ioannes suauitatem Dei, quam ex corporali pariter & spirituali eius aspectu dupliciter delectatus degustauit, nobis protinus degustandam gratulationis uoce refudit. Qui enim matris adhuc utero clausus, exultauit ad præsentiam Christi, quid mirum, quod & nunc uiso Christo, præ gaudio exclamauit. Hac autem breuissima exclamatione, primo utranque in Christo confessus est naturam, diuinam scilicet & humanam. Nam ex eo, quod homo est, potuit quasi agnus Luc.1.

manſuetus portari ad uictimam, deditq; corpus ſuum percutientibus, & genas ſuas uellentibus. Ex eo autem, quod Deus eſt, potuit peccata tollere, aſcendens ad prædam, & rugiens apud Inferos ut catulus leonis, non ualente reſiſtere antiquo prædone Diabolo, &c̄. Deinde hoc breui uerbo ſummam Euangelij comprehendit. Lætum enim illud nuncium, quod nos Euangelium dicimus, nihil aliud eſt, quàm prædicatio de remiſsione peccatorum per Chriſtum. Præterea ex hoc loco etiam colligere licet, differentiam inter ſacrificia ueteris legis, & ſacrificium Chriſti.

Non ſine myſterio autem Ioannes dicit: *Ecce agnus Dei*, cum potuiſſet dicere: Ecce Meſsias, Ecce Rex Iſraēl, Ecce Filius Dei, &c̄. Primo enim hoc uerbo exprimere uoluit Chriſti innocentiam. Cum enim Chriſtus inter alios ad Baptiſmum ueniſſet, poterant homines ſuſpicari, etiam ipſi opus fuiſſe Baptiſmo, quemadmodum alij peccatores opus habebant ablutione. Huic igitur ſuſpitioni occurrit Ioannes, dicens: *Ecce agnus Dei*. Quaſi diceret, Is uere innocens & immunis à peccato eſt. Quod autem Baptiſmum recepit, non ideo factum eſt, ut ipſe mundaretur, ſed ut per ipſum aqua
Zach.13. ſanctificaretur, ut deinceps eſſet fons patens domui Iuda, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Deinde agni nomine, indicare uoluit Chriſti ſummam manſuetudinem.

Poterat quidem & alio terribiliori nomine Chriſtum nomi-
Iſa.8. nare, quemadmodum Iſaias eum nominat, uelocem ſpoliatorem,
Iſa.9. feſtinum prædatorem. Item, Deum fortem: Et Ioannes eum uocat
Apoc.5. in Apocalypſi leonem. Verum, quis non ſtatim ad hæc nomina contremiſceret? Vt igitur nemo uereatur eum accedere, nominat eum agnum: Nihil manſuetius agno, nihil minus timetur, nihil minus nocere conſueuit. Vult igitur dicere: Securi accedite, non
Ioan.3. enim leo, ſed agnus eſt. Nec miſit Deus Filium ſuum, ut iudicet mundum, ſed ut ſaluet. Præterea nomine agni multiplicem etiam utilitatem, quam Chriſtus affert, exprimere uoluit. Agnus enim poſſeſſori ſuo & lanam præbet ad ueſtitum, & carnes ad cibum.

Sic Chriſtus nos ueſtit & paſcit. Lana eius, eſt eius iuſtitia, innocentia, paſsio, merita, &c̄. Hæc nobis præbet, quibus tegamus ignominiam noſtram, ne appareat nuditas noſtra in iudicio.

Idem & corpus ſuum in cibum nobis præbet, manducandum ſpiritualiter in fide, corporaliter in Sacramento.

Denicq; agni nomine ſubindicare uoluit, Chriſtum uerum eſſe ſa-
Exod. 29. crificium, quo Deus placatur Secundum legem enim, omni die agnus mane & ueſperi offerebatur in iuge ſacrificium. Offerebantur deinde & alia animalia, &c̄. Verum impoſsibile erat,
Heb.9. ut ſanguine animalium delerentur peccata. Ideo Chriſtus in Pſalmo
Pſal.39. dicit: Sacrificium & oblationem noluiſti, tunc dixi, Ecce uenio: quaſi

dicat,

dicat, quando nullum sacrificium, nulla oblatio te reconciliare potuit, en meipsum offero. De me enim scriptum est, ut faciam uoluntatem tuam. Voluntas autem tua est, hominem reparare. Hanc uoluntatem nemo facere potest, nisi ego solus.

Ecce igitur agnus Dei, Ecce uerum illud iuge sacrificium, quod semel quidem oblatum est in cruce, eius tamen memoria, omni die renouatur. Si igitur sanguis hircorum aut uitulorum, & cinis uitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, Heb. 9. quanto magis sanguis Christi, &c. emundare potest conscientiam nostram ab operibus mortuis? Maxime autem Ioannes nomine agni allusit ad figuram agni paschalis, innuitq; eam in Christo uere impletam. Notum quippe est, quod per immolationem Exod. 12. agni, liberatus est populus Dei ab Ægyptiaca seruitute: & Pharaonem cum omnibus Ægyptijs, quorum duritiam decem plagæ non uicerant per manum Moysi, solus agni cruor contriuit, cæsis omnibus primogenitis Ægypti, filiosq; Israël per mare rubrum transire fecit, submersis Ægyptijs.

Sic genus humanum sub Diabolo captiuum, nemo liberare potuit, nisi sanguis Christi. Lex quidem utcunq; Diabolum exterruit: tunc enim pij homines Diabolo resistere cœperunt, sed tamen omnino euadere aut uincere eum non potuerunt, nisi effuso sanguine Christi. Nulla igitur opera nostra, nulla sacrificia, nos liberare possunt, sed tantum Christi sanguis. Non enim in brachio suo possederunt terram uiuentium sancti patres, sed brachium Psal. 43. tuum, & illuminatio uultus tui, eos perduxit: nec meritis suis id adepti sunt, sed quia tu complacuisti in eis. Non igitur in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me, ait Dauid: Non sperabo in Ibidem. meritis meis, sed in sanguine Christi. Hoc igitur uult Ioannes, cum dicit: *Ecce agnus Dei.* Quasi diceret, Hic est purissimus ille agnus, quem Deus iuxta uaticinium Isaiæ, sibi gratissimam uictimam destinauit, ad expianda peccata totius mundi: Hic est, quem Isa. 53. agnus ille Moysaicus adumbrabat, cuius innoxius cruor filios Israël Exod. 12. ab Angeli uindice gladio tutos reddidit. Ipse adeo non obnoxius ulli peccato, ut unus idoneus sit peccata totius orbis tollere: Adeo charus Deo, ut solus illius iram uertere possit in misericordiã: Adeo mansuetus, & amans salutis humanæ, ut paratus sit pro peccatis omnium pœnas dependere, & in se recipere mala nostra, ut nobis conferat sua bona. Signanter autem dicitur: *Agnus Dei*, id est, Deo charus. Vel: *Agnus Dei*, hoc est, à Deo nobis datus.

Agnus typicus in lege, sumebatur à grege: Hic autem non è grege acceptus est, sed à Deo datus pro peccatis nostris. Ibidem.

Atq; ita uides, hoc nomine gratiam Dei commendari. Non

Isa.53. enim nos meruimus, ut offerretur, sed ipse se ultro obtulit: Oblatus est, quia uoluit. Sequitur.

Qui tollit peccata mundi]

Hic prima est expressa prædicatio remissionis peccatorum, atq; hic exponitur, quale futurum sit regnum Christi, id est, non carnale, sed spirituale, iustitiæ scilicet & pacis. Non solum autem certum aliquod peccatorum genus tollere potest Christus, sed generaliter omnia peccata. Nec solum unius hominis, sed omnium: nec solum Iudæorum, sed & Gentium, immo totius mundi. Hinc etiam
Matth.3. ipse Ioannes sanctus dicit: Ego à te debeo baptizari. Facti enim su-
Isa.64. mus, ut immundi omnes. Huc pertinet, quod Christus ait Petro:
Ioan.13. Si non lauero te, non habebis partem mecum. Hæc igitur, ut supra dixi, summa est totius Euangelij. Nam quid in uniuerso Euangelio aliud quærendum est, quàm remissio peccatorum? qua acquisita, omnia bona Dei acquiruntur. Tollit autem Christus peccata: quia confitentibus & credentibus tegit peccata per suam iustitiam,
Psal.31. ut non conspiciantur coram Dei iudicio. Hinc Dauid ait: Beati, quorum tecta sunt peccata, &c̄. Deinde ita tollit peccata, ut iustitiam doceat. Qui enim mortem tollit, uitam largitur: Ita qui peccata tollit, iustitiam donat. Non enim Christus ita tollit peccatum, quemadmodum carnales interpretantur, quasi amplius nullum sit peccatum: Vel, quasi nunc liceat unumquenq; pro sua libidine uiuere, sed ita tollit peccata, ut deinceps uiuamus Deo & iustitiæ.

Rom.6. Hinc Paulus: Sicut præbuistis membra uestra arma iniquitatis, sic nunc præbete membra uestra arma iustitiæ. Præterea etiam sic Christus tollit peccata, quia est exemplar peccatorum purgandorum: quo enim medio ipse peccatum mortificauit, eodem & in nobis mortificabit. Cruce autem mortificauit, proinde etiam eodem
Rom.8. medio in nobis utitur ad expurganda peccata. Hinc Paulus: Quos præsciuit, eosdem & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, &c̄. Non expurgantur peccata uoluptatibus, &c̄. Immo magis augentur, sed cruce. Noli igitur tantopere fugere & horrere crucem, per quam audis reliquias peccatorum tuorum expurgari.

Hic est, de quo dixi: Post me uenit uir, &c.]

Hoc uerbo Ioannes nos admonet omnium, quæ ab exordio præ-
Matth.3. dicationis suæ, de Christo dixerat. Prædixerat autem adesse re-
Luc.3. gnum cœlorum. Item ex Isaia: Breui futurum, ut omnis caro uideret
Isa.40. salutare Dei, atq; eo tempore futurum, ut omnis mons & collis humiliaretur, &c̄. Item, In proximo affuturum, qui uentilabrum ha-
Matth. 3. beret in manu, ad expurgandam aream suam, &c̄. Omnia hæc & similia hoc uerbo includit: *Hic est de quo dixi.*

Hic nempe est, qui pœnitentibus adfert regnum cœlorum. Hic est

salutare

salutare Dei, qui montes, hoc est, superbos humiliat: Valles autem, hoc est, humiles exaltat, & praua corrigit, uiamq; ad cœlum hactenus impeditam planam reddit. Hic denicq; est, qui uentilabrum suum habet in manu: Ipsi enim dedit Pater omne iudicium, &c̄. Ioan. 5.

Post me uenit uir, qui ante me factus est]

Obserua, quod Ioannes ferme ubicq; utranq; in Christo naturam confitetur: hominem enim manifeste confitetur, cum uirum nominat. Christus autem non simpliciter homo est, sed uir, hoc est, nulla mollicie resolutus, sed omni uirtute constans, solidus, & perfectus. Vir dicitur quasi uirens, nedum natura, sed & gratia, uirtute, sapientia, & magnificis factis. Hinc & in Luca dicitur: Vir potens opere & Luc. 24.
sermone. Huc pertinet, quod in Malachia dicitur: Statim ueniet Malach. 3.
ad templum suum dominator, quem uos quæritis, &c̄. Ob eam causam & in lege signanter offerri iubetur agnus, masculus, & anniculus. Exod. 12.
Quod autem addit: *Ante me factus est, & ante me erat*, diuinam in Christo fatetur naturam, ut supra satis expositum est.

Et ego nesciebam eum]

Hoc addit Ioannes, ne quis suspicaretur eum ex fauore, aut propter consanguinitatem, tanta de Christo dixisse: *Nesciebam*, inquit, *eum*. Nunquam ante hac eum uideram: Nunquam cum ipso uerbum contuleram. Ego enim à pueritia in deserto uixi, procul ab hominibus etiam cognatis. Luc. 1.

Vide quanta diligentia Ioannes hominum suspitiones præuenire studet, ne quis de testimonio suo male suspicetur.

Sed quomodo hic dicit: *Ego nesciebam eum*, cum adhuc in utero Luc. 1.
matris positus, Christum agnouerat præsentem. Præterea aduenientе Christo, ad Baptismum prohibuit eum dicens: Ego à te debeo Matth. 3.
baptizari? quod certe signum est, quod eum cognouerit? Facilis est responsio. Nesciebat Ioannes Christum, quia per propriam rationem eum non cognouerat. Quia enim Christus formis crucis tectus erat, & est, nunquam per rationem cognoscitur. Quis enim credat, eum esse Dominum mortis, quem uidet morientem? Hinc Christus ipse dicit: Nemo uenit ad me, nisi Pater eum traxerit: Et Ioan. 6.
nemo nouit Filium, nisi Pater. Vnde & Petro dicitur: Caro & san- Matth. 11.
guis non reuelauit tibi, sed Pater meus. Hinc est, quod sapientes Matth. 16.
mundi, nunquam cognouit Christum. Si enim cognouissent, nun- 1. Cor. 2.
quam Dominum gloriæ crucifixissent. Quod autem Ioannes Christum cognouit, non ex rationis iudicio, sed ex reuelatione Dei est.
Sicut enim olim Samuel missus ungere Regem ex filijs Isai, sciebat 1. Reg. 16.
quidem unum ex ipsius filijs à Deo electum, sed ignorabat, quisnam esset, donec à Domino certificaretur. Sic Ioannes sciebat Christum adesse, sed non cognoscebat personam eius, nisi per reuelationē Dei.

Sed ut manifestetur in Israël, &c.]

Christus missus est, ut pœnitentiam ageret pro peccatis hominum, sicut Isaias ait: Omnes nos peccauimus, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Quanquam autem Christus sciret, se ideo uenisse, ut tanto pro cunctis officio fungeretur: humiliter tamen apud se latebat, expectans in forma serui iubentis Patris imperium, uidelicet, ut totum opus suum non uoluntatis propriæ, sed ueræ & perfectæ foret obedientiæ. Illo autem sic expectante Patris mandatum, uenit Ioannes clamans: Pœnitentiam agite, &c̄. Hac publica uoce, Sanctus ille sanctorum, qui solus erat idoneus ferre pœnitentiam pro peccatis electorum, uocatus accessit ad opus suum, immo ad cœleste sanctuarium in conspectu Dei Patris, Spiritu sancto designandus in summum sacerdotem, qui non aliam oblaturus erat hostiam, nisi carnem propriam, quam & statim quadraginta dierum, & quadraginta noctium ieiunio: deinde omnibus pœnitentiæ modis afflictam, tandem pro peccatis nostris oblaturus erat Deo Patri hostiam, in odorem suauitatis.

Isa. 53.

Matth. 3.

Matth. 4.

Vt igitur manifestetur in Israël: Ego ueni, inquit, hoc est, ut inciperet & ipse pœnitentiam suam pro nobis, missus sum ego, pœnitentiam prædicare. Quia autem hoc sic debebat fieri, ut falleretur Diabolus, nec ante sciret hunc hominem pro omnibus satis facere, quàm opus perfectum esset: ideo Ioannes non ad Christum dicit: Pœnitentiam incipe pro nobis, sed in generali loquitur ad omnes, ut dum idem in pluribus cernitur, occasio suspitionis de uno ad præsens subtrahatur.

Sic olim & Samuel, uncturus Regem ex filijs Isai, sacrificaturum se simulat, ut falleret Saulem. Vel aliter: *Vt manifestetur, &c.* hoc est, ut omnes magis idonei essent ad gratiam suscipiendam per ipsum, præmissus sum ego ad prædicandam pœnitentiam.

1. Reg. 16.

Aliter, Vt manifestetur omnibus eius humilitas in exemplum alijs, ueni ego baptizans. Hinc enim, cum Ioannes eum prohibere uellet, dixit Christus: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Aliter, *Vt manifestetur, &c.* id est, ut homines ad eius Baptismum recipiendum, humilius se subderent, præmissus sum ego morem baptizandi exercere. Quis enim nunc audeat contemnere, uel non necessaria iudicare Baptismum, & alia Sacramenta, cum uideat Christum ipsum Baptismo Ioannis se subdidisse? Si Christus serui Baptisma non dedignatus est, cur tu immundus refugis Baptisma Domini?

Matth. 3.

Et testimonium perhibuit Ioannes]

Hic demum indicat, unde Christum agnouerit, quem, ut supra dictum

dictum est, ratione carnali nunquam cognoscere potuisset.

Ex duobus autem Christum cognouit, ex signo scilicet, & uerbo Dei. Sic & nos ex his duobus Christum cognoscimus: Ex uerbo scilicet, & signis, uel operibus.

Vidi Spiritum descendentem sicut columbam, &c.]

Non aliud signum Ioanni monstratum est, quam quod Prophetæ dixerunt signum futuri Christi, nempe Spiritus sanctus.

Hinc Isaias dicit. Egredietur uirga de radice Iesse, & requiescet super eum Spiritus Domini, &c̄. Et iterum. Spiritus Domini super me, eò, quod unxerit me, &c̄. Et iterum. Ecce puer meus electus, posui super eum Spiritum meum. Et Dauid. Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. Hinc Ioannes. *Vidi*, inquit, *Spiritum*: quasi diceret, hoc in ipso uidi signum, quod omnes Prophetæ ut certissimum Christi signum prædixerunt. Addit: *Descendentem de cælo*: Non quod Christus tunc primum Spiritum sanctum acceperit. Fuit enim eo plenus ab instanti conceptionis: sed quod tunc spiritus in eo reuelatus est. Ab eo enim tempore omnibus apparuit, eum Spiritu sancto esse plenum. Ab eo etiam tempore plenitudo ipsius, se cœpit diffundere à capite in barbam, immo usq; ad oram uestimenti, id est, usq; ad infimos credentes.

Isa. 11. Isa. 61. Isa. 42. Psal. 44. Psal. 132.

Descendere igitur hoc loco nihil aliud est, quàm præsentiam suam signo exteriori declarare, quemadmodum & sæpe aliàs Dominus dicitur descendisse, hoc est, præsentiam suam signo aliquo declarasse, ut in subuersione Sodomorum, & in datione legis. Addit: *Quasi columbam*, ne quis suspicaretur malum fuisse aliquem spiritum. Sicut enim Noē duas aues admodum dissimiles ex arca emisit, coruum scilicet & columbam: Sic in Ecclesia duo sunt genera spirituum, malorum scilicet & bonorum. Qui igitur gloriatur de spiritu, primum uideat, utrum coruo uel columbæ similis sit. Si Spiritus tuus ad immundiciam, rapacitatem, contentionem, &c̄. te ducit, non columba, sed coruus est. Super Christum igitur in specie columbæ apparet spiritus. Primo, ut nemo dubitaret, bonum esse Spiritum. Secundo, ut certi essemus, per Christum restituendam ueram pacem, quemadmodum columba ramum oliuæ, hoc est, signum pacis, ad Noē in arcam detulit.

Gen. 19. Exod. 19. Gen. 8.

Tertio, ut ostenderetur, primum Christi aduentum esse humilem & mansuetum, quemadmodum de eo Isaias prædixit: Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet. Quarto etiam ideo Spiritus in specie columbæ apparuit, ut deinceps hoc signo discerni posset Ecclesia Christi, ab Ecclesia malignantium. Vere enim Christi Ecclesia est, quæ columbam habet, & columbinos mores.

Isa. 42.

Vbi autem coruini mores sunt, ibi nihil minus quàm Ecclesia Christi est. Postremo, etiam hoc addit Ioannes: Et mansit super eum. Accipiunt quidem & alij Spiritum sanctum, uerum in solo Christo semper mansit & manet. In ipso enim habitat etiam corpo-
Ezech.47. raliter: Ipse uerum templum est Spiritus sancti. Huc pertinet, quod Ezechiel uidit aquam egredientem à latere dextro templi. Vide ibidem de uirtute eius aquæ, signat enim gratiam Christi.

Cæterum quod Spiritus sanctus potissimum apparuit, quum Christus baptizaretur, confirmatio est Baptismi nostri, ne dubitemus, nos in eo Spiritum sanctum accipere.

Et ego nesciebam eum]

Repetit quod supra dixerat, ad maiorem confirmationem. Nunquam enim cognouit Christum ratione humana, sed tantum Spiritu, & reuelatione diuina. Ideo subditur.

Sed qui misit me baptizare in aqua]

Malach. 3. Nulli dubium est, quin Deus eum miserit. Hoc enim & Mala-
Isa.40. chias & Isaias Prophetæ testantur. Et Euangelista noster supra aper-
Supra c.1. tissime dixit, Ioannem à Deo missum. Obserua, quod Ioannes ferme semper, ubi de Baptismo suo loquitur, addit: *In aqua*. Sic supra dixit Iudæis: Ego baptizo in aqua. Et iterum. Propterea ego ueni in aqua baptizans. Hoc autem ideo facit, ne homines confiderent in Baptismo, quem ipse dabat. Non enim erat ex eorum numero, qui
Hier.6. populum docebant confidere in mendacio, dicentes. Pax pax, cum non sit pax: sed omnes à se ad Christum dirigit, qui solus petra est, super quam secure ædificamus.

Super quem uideris Spiritum descendentem]

Hoc est signum, quo Pater de Filio testificatus est, ut supra dictum est. Obserua autem, quod non simpliciter dicit: *Super quem uideris Spiritum descendentem* (Nam & super Prophetas factus
Luc. 1. est Spiritus Domini, & super Mariam superuenit Spiritus sanctus.
Act.2. Et denique, super Apostolos idem Spiritus uenit) Signanter igitur addit: Et manentem super eum. In solo enim Christo uere mansit, ipsius contentus mansione pectoris, ut Ecclesia canit.
Ioan.1. Quia igitur Christus Spiritu sancto plenus est, ideo de plenitudine eius omnes accipere possumus. Et quia Spiritus super eum man-
Zach.13. sit & manet, ideo ipse est fons ille patens, & indeficiens uena, ad ablutionem peccatoris & menstruatæ.

Hic est qui baptizat in Spiritu sancto]

Baptizari in Spiritu sancto, est gratiam Spiritus sancti accipere.

qui non modo quid sit peccatum ostendat, sed & auxilium aduersus peccata præbeat, delendo præterita, repellendo instantia: atq; ita de seruis peccati, faciat filios Dei: de filijs iræ, filios gratiæ: de ignotis & aduenis, genus regale & sacerdotale.

Hoc ante Christi aduentũ nemo facere poterat, id quod Diabolus toti generi humano exprobabat. Quid, inquit, uenistis ad prælium, date ex uobis uirum, qui mecum ineat singulare certamen. Huic autem certamini nemo se offerre audebat, donec ueniret uerus Dauid, Christus scilicet, qui solus abstulit opprobrium ex Israël. Congrue igitur de ipso dicitur: *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Dupliciter autem Christus baptizat in Spiritu sancto. 1. Reg. 17.

Primum remissionem peccatorum dando. Secundo diuersarum ornamenta gratiarum conferendo. Hue pertinet, quod Ioannes apud Matthæum dixit. Ipse baptizabit Spiritu sancto, & igni. Spiritu sancto baptizat, cum peccata remittit: Igni autem baptizat, cum eiusdem sancti Spiritus feruore accensos, fortes in amore, constantes in fide, lucentes scientia, & calentes bono zelo efficit. 1. Cor. 12. Matth. 3.

Ex hoc igitur loco, primo uidemus differentiam inter Baptismum Christi & Ioannis. Ioannes siquidem aqua, Christus Spiritu sancto baptizat. Ioannes mortificat per legem, & parat conscientiam ad futuram uiuificationem: Christus autem uiuificat propter Euangelium, & conscientiam iam lege paratam exhilarat atq; pacificat.

Sicut autem Ioannes non solo uerbo, sed & externo Baptismo mortificationem docuit. Sic Christus uiuificationem non solo uerbo, sed etiam per Sacramentum Baptismi, uerbo annexum, offert & præstat. Hinc & Baptismus à Paulo dicitur lauacrum regenerationis. Deinde ex hoc loco uides, quidnam in causa sit, quod Paulus baptizatos à Ioanne, rebaptizauit. Nunc autem nemo rebaptizatur, etiamsi à malo ministro fuerit baptizatus. Tit. 3. Act. 19.

Necessario enim rebaptizandi erant, qui tantum aqua abluti erant à Ioanne. Baptizati autem Baptismo Christi, nullatenus sunt rebaptizandi. Hic enim est, qui baptizat in Spiritu sancto.

Nec obstat, etiamsi minister malus sit. Sanctitas enim Baptismi eiusq; efficacia, non pendet à ministro, sed ab eo, super quem descendit columba, & cui dicitur: *Hic est, qui baptizat.* Nam si pro diuersitate meritorum, Baptisma sanctum esset, cum diuersa sint merita, sequeretur, quod & diuersa essent Baptismata, & tanto quisq; melius Baptisma putaretur accipere, quanto à meliore accepisset ministro, quemadmodum olim Donatus asserebat, & alij quidam.

Contra hos igitur militat hoc uerbum: *Hic est, qui baptizat, &c.*

Vnus siquidem est, qui baptizat: unus & solus, qui sanctificat. Vnus est & fons, unus riuus Baptismi salutaris, qui per quales-

cunq;

cunq; canales influat, hic est qui baptizat, de cuius ore profluit ipsa uis
Eph. 4. Sacramenti purificans, emundans, uiuificans totum fidelem hominem. Vbicunq; igitur audieris uerbum hoc integre prolatum: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, ibi est absq; dubio hic ipse, & hic idem baptizat. Quid enim est Paulus: quid Apollo: quid Cephas: Ministri Christi sunt in hoc Sacramento, non authores: serui, non domini: canales, non fontes. Vnus
1. Cor. 3. enim hic est fons, unus dominus, unus author, qui baptizat quidem in aqua per ministros, baptizat autem tantum per seipsum in Spiritu sancto. In Sacramentis itaq; quibuscunq; non ministrum attendas, sed Christum, qui author est Sacramentorum, & ab ipso habent suam efficaciam.

Et ego uidi, & testimonium perhibui: quia hic est Filius Dei]

Tria hactenus de Christo dixit Ioannes. Primo, Ecce agnus Dei. Secundo, Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Tertio nunc addit *Hic est Filius Dei*. Atq; in his tribus totum depinxit Christum. Quia igitur agnus est Deo oblatus, ideo peccata abstulit, & auferre potest. Quia autem ipse est, qui Spiritu sancto baptizat, ideo & gratiam conferre potest. Quia autem & Filius Dei est, potest & regnum cœlorum nobis dare. Quid igitur amplius desideras? Huc igitur accedat, qui peccatorum remissionem, gratiam, & beatitudinem desiderat, &c.

Altera die iterum stabat Ioannes]

Hactenus Ioannes fidelem se probauit seruum, ex eo, quod omnes generaliter à se ad Christum dirigebat. Nunc autem, ut manifestius appareat, quàm fidelis fuerit, etiam proprios discipulos ad Christum dirigit. Et cum alij indigne ferant, si à discipulis suis deserantur, Ioannes solus gaudet, quod discipuli se relicto, ad Christum transeunt. Ob eam causam, quum iam in carcerem coniectus esset, reliquos discipulos ad Christum misit. Quod igitur stetisse Ioan-
Matth. 11. nem asserit, iuxta literam quidem situm hominis indicat stantis, & aliquid quod officij sui esset, instanter agentis uel dicentis. Iuxta altiorem autem sensum, magnam ac semper suspensam eius intentionem insinuat, qua uidelicet Christo non solum exterius officio suæ præcursionis deseruiebat, sed etiam interius erecto mentis affectu iugiter astabat. Cum enim Christus statim post Baptismum in desertum abierit, non dubium est, quin Ioannes ad reditum Domini
Matth. 4. toto affectu tetenderit, ut iterum uideret eum, quem uidere salus agnoscentis, gloria prædicantis, gaudium erat demonstrantis.

Stabat ergo in altitudine cordis speculator uitæ, & salutis. Stabat præterea in culmine perfectionis, in apice contemplationis, in stabilitate

bilitate uirtutum. Optimum enim est, gratia stabilire cor secundum Apostolum. Et: Sapiens permanet ut sol, stultus uero ut luna mutatur. Heb. 13. Eccles. 27.

Demum etiam mysticam significationem habet, quod Ioannes dicitur stare, Christus autem ambulare. Nam legis Moysaicæ typum gerebat Ioannes, Christus Euangelicæ professionis erat author. Lex igitur, quæ iam ad summam lineam peruenerat, stabat, ueluti non progressura longius, sed mox cessatura, & Christo uenienti cessura, suosq; illi discipulos traditura. Christus obambulabat, ueluti semper in maius progressurus, & undiq; cœlestis doctrinæ discipulos collecturus.

Et ex discipulis eius duo]

Hi uidelicet magistrum suum statumentis imitabantur, & erant Primitiæ plebis illius, quam non sibi, sed Domino parabat ille præcursor eius.

Et respiciens Iesum ambulantem]

Notanda diligenter narrationis series, in superficie quidem breuis & lucida, intrinsecus autem pondere mysteriorum grauida.

Quid enim est ambulans Iesus, nisi mutabilitatis nostræ particeps factus Filius Dei? qui hominibus non ante cognitus, ex eo cognosci atq; diligi cœpit, ex quo ambulare cœpit, de cœlo ueniens in uterum Virginis, de utero in præsepe, de præsepi ad crucem, de cruce ad sepulchrum, de sepulchro rursus ad cœlum. Ex tunc, inquam, nosci & diligi cœpit, sicut scriptum est: Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Cant. 1.

Ecce agnus Dei]

Quasi diceret, Quid est, quod me tanquam ueram lucem, uerum redemptorem, & iustificatorem suspicitis? Ego non sum is, qui saluare possim. En is est agnus ille Dei, hunc sequimini salutis authorem: Huic enim soli, uos mea doctrina & Baptismo paraui.

Cur autem agnum eum uocauerit, supra dictum est. Idipsum autem nunc repetit, non sine admiratione. Vere enim mirum est, quod agnus uincere potuit leonem: Vere enim agnus Christus. Nam summam humilitatem, patientiam, mansuetudinem, in prælium attulit: Econtra uere leo Diabolus. Summam enim iram, potentiam, omnesq; mundi uires, contra Christum armauit, & tamen agnus uicit leonem. Potuisset quidem in Maiestate & uirtute Diabolum deijcere, sed hic modus placuit, ne Diabolus conqueri posset, se potestate superatu. Deinde, ne nos desperemus, quum Diabolus etiam contra nos omnes suas uires exerit. Times igitur leonem Diabolum, cogita agnum Christum.

Et audierunt eum duo discipuli, &c.]

Hic uides, quàm ardua res sit credere. Sæpius audierant Ioannem de Christo testificantem, immo & ipsum Christum iam semel atq; iterum uiderant, nec tamen quisquam audebat, se Christo credere, propter eius humilitatem, donec Christus tertio uenit ad Ioannem: tunc enim aliqui ausi sunt credere, sed tantum duo.

2. Thess. 3. Idem & nobis contingit: Non omnium est fides, inquit Paulus. In rebus prosperis facile est, bene sperare. Verum uitam sperare, ubi nihil nisi mortem uides, &c̄. hic opus, hic labor est. At in tali casu uix pauci Christum sequuntur, & cum ipso perseuerant.

Et secuti sunt Iesum]

Quia enim ueri cultores fuerant legis, ipsius testimonio pro-
Rom. 1. fecerunt ad Euangelicam perfectionem, hoc est, ex fide in fidem. Sequebantur autem taciti, flagrantes amore sublimioris doctrinæ, sed interpellare non audent eum, cum quo nulla interceſſerat familiaritas. Nec statim Dominus ad eos conuertitur. Non enim statim in initio conuersionis, Maiestatis suæ diuinam præsentiam sequentibus aperit, sed eundum est, & tam diu ruminanda sunt ea, quæ per carnem gesit, donec altissima eius diuinitas se quoq; manifestet.

Conuersus Iesus, & uidens eos sequentes]

Bene dicitur conuersus, quia antequam supradicto modo ambularet, totus auersus erat, id est, propter peccatum generi humano
Isa. 64. iratus. Vnde Isaias: Peccauimus, & tu iratus es, & auertisti faciem tuam. Ad hos igitur conuertit uultum misericordiæ. De quo in
Psal. 84. Psalmo dicitur: Deus tu conuersus, uiuificabis nos. Et iterum: Con-
Psal. 6. uertere Domine, & eripe animam meam. Huc pertinet, quod
2. Chor. 3. Paulus discernit uultum Moysi, & uultum Christi. Vultus enim
Exod. 19. Moysi terruit: Terruit & descensus Dei ad populum. Vultus Christi, est uultus misericordiæ & gratiæ. Signanter autem dicit: *Vidit eos sequentes se.* Ad hos enim solos Christus oculum & uultum misericordiæ conuertit, qui se sequuntur. Hinc in Propheta
Zacha. 1. dicit: Conuertimini ad me, & conuertar ad uos. Item: Respectus
Sap. 4. eius in electos illius. Et in Psalmo: Oculi Domini super metuentes
Psal. 32. eum, &c̄.

Quid quæritis?]

Primum interrogat, quid quærant, quia hoc unum requirit
Isa. 53. Christus à sequentibus, ut credant. Iuxta illud: Cognitio eius iusti-
Ioan. 6. ficabit multos. Et iterum: Hoc est opus Dei, ut credatis. Deinde

etiam

etiam ideo hoc interrogat: sunt enim multi inter eos, qui Christum sequi uidentur, qui nesciunt, quid quærant, id est, credunt quidem ut putant, sed nesciunt, cuius spiritus sint, uel quam intentionem habeant. Aut enim confitentur, se nosse Deum, & factis negant: Tit.1. Aut honorant Christum labijs, & corde longe absunt: Aut aliud Isa.29. quàm salutem animæ, in Christo quærunt. Sic Iudas, cum alijs Christum secutus est, & tamen Diabolus fuit. Sic Simon Magus, Baptismum quidem suscepit, & tamen in felle amaritudinis mansit. Sic quotidie reprobi, cum electis in Ecclesiam intrant. Quilibet igitur sibi dici putet à Domino: *Quid quæris?* hoc est, interroget conscientiam, num Christum, an seipsum quærat:

Rabbi, ubi habitas?]

Ipso statim nomine professi sunt, se teneri desiderio discendi, Nimirum Magistrum nominantes, se discipulos eius fatentur. Et dum domicilium eius, ubi sit, percontantur, declarant se semper cum ipso uelle manere, quasi dicerent, Te Magistrum quærimus, tuam doctrinam obuijs ulnis excipiemus, tecum habitare cupimus. Sic uere Christiani, ne dum Christum cognoscere quærunt, sed & cum ipso habitare cupiunt, semper cogitantes supernam patriam. Sic Dauid: Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quo- Psal.41. niam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usq; ad domum Dei. Et iterum: Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabi- Psal.26. tem in domo Domini, omnibus diebus uitæ meæ. Et Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Sic sponsa in Canticis: Indica mihi, Phil.1. quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Cant.1.

Venite, & uidete]

Christus delectatus ipsorum responso, non excusat instantem noctem, non iubet eos redire postridie, nec signis tantum indicat domum, sed comiter blandeq; ad domesticum colloquium inuitat. Omnes enim quotquot ad se uenerint fide excipit, nec quenquam Ioan.6. reijcit, immo omnes ad se uocat: Venite (ait) ad me omnes, qui la- Matth.11. boratis, & onerati estis. Ideo & Dauid ait: Accedite ad eum, & illu- Psal.33. minamini. Quod autem dicit: *Venite, & uidete*, & non: Hic aut illic habito, significare uidetur, quod nemo recte Christum agnoscere potest, nisi per fidem sensum Christi experiatur. Is autem fidei sensus non fit sine ministerio uerbi. Quicunq; igitur quærit, ubi Christus habitet, ubi Deus maneat, is audiat uerbum, ac sequatur, & tunc uere Christum inueniet. Est enim uerbū uelut columna Exod.13. nubis, quæ præcesit filios Israël in deserto. Vnde & Petrus: Habe- 2.Pet.1. mus, inquit, Propheticum sermonem, cui benefacitis, attendentes tanquam lucernæ lucenti, &c̄. Et Dauid: Lucerna pedibus meis Psal.118.

uerbum tuum.

Venerunt & viderunt, &c.]

Fœlices, quibus hæc contingunt. Videntibus enim creatoris habitationem, angusta est omnis creatura. Sic Paulus raptus in cœ-
2. Cor. 12. lum, nesciuit utrum in corpore, uel extra corpus esset, &c̄.

Et manserunt apud eum die illo]

Opportuna determinatione usus est, cum dicit: *Die illo.* Non enim tunc relictis omnibus, secuti sunt illum, nec semper cum
Matth. 4. illo manserunt, sed tantum die illo. Vnde & postea perfecte uocati sunt à Christo, nimirum postquam Ioannes traditus fuerat in carcerem. Vides igitur, Euangelistas non sibiipsis contradicere. Spiritualiter autem aliqui tantum uno die apud Christum manent,
1. Cor. 12. alij diutius: Diuisiones enim gratiarum sunt. Sic Paulus excellenti
2. Cor. 12. magnitudine reuelationis audiuit arcana uerba, quæ non licet homini loqui: Cæterorum autem singuli in sua subleuantur mensura. Alijs enim quinq; talenta, alijs duo, alijs tantum unum dantur;
Luc. 19. Vnicuiq; secundum uirtutem suam.

Hora autem erat quasi decima]

Scilicet appetente iam nocte. Meminit autem uespertinæ horæ. Primo, ut doceat nos, quanto ardore discipuli ad Christum aspirarint, quod nulla mora ne nocte quidem prohibiti, ipsum secuti sunt. Sic enim solet conscientia lege territa, & peccatorum conscia facta, nullum periculum, nullos gladios, nullos ignes formidare, modo ad Christum conscientiæ exhilaratorem peruenire possit.

Dissimiles his discipulis sunt, qui indies conuersionem suam procrastinant, nec ad Deum conuertuntur, etiamsi uiderint decimam esse horam, hoc est, mortem propinquam.

Eccle. 11. Contra hos loquitur Salomon. Mane semina semen tuum, & uespere non cesset manus tua: quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud. Deinde ad decimam horam eos uocatos dicit, ut innuat, etiam Apostolos non propter aliquod meritum, sed sola Dei mise-
Matth. 20. ricordia uocatos, quemadmodum & hi, qui circa undecimam horam in uineam uenerant, non ex ipsorum meritis, quia una tantum hora laborauerant: sed ex sola gratia Patris familiâs, integram mercedem acceperunt. Præterea hoc uerbo docemur, ne quis desperet, etiamsi circa decimam horam, hoc est, in senectute, uel in termino uitæ, se ad Dominum conuertat. Nulla enim hora nimis sera
Luc. 23. est, quamdiu hic sumus: Hinc & Latro iam iam moriturus, gratiam inuenit. Cæterum etiam ideo uespertinæ horæ meminit, quia non incipientibus sæculis, sed post magnum eorum progressum,

Saluatoris

Saluatoris noſtri myſterium reuelatum eſt. In nouiſſimis enim diebus, ut ſcriptum eſt, docibiles Dei effecti ſumus. Myſtice autem, decima hora ueniunt ad Chriſtum, quia lex ſiue Decalogus, mittit nos ad Chriſtum, quemadmodum Paulus ait: Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum. Nemo enim uenit ad Chriſtum, niſi prius per legem acceperit ſenſum peccati. Quia igitur hi ex lege didicerant ſe peccatores & egere gratia Chriſti, ideo decima hora ueniunt. Nec quicquam aliud in cauſa eſt, quod nos non ſimiliter accurrimus, quàm quod nondum ad decimam horam peruenimus, hoc eſt, nondum per legem territi ſumus. Demum, ſicut agnus paſchalis iubebatur decima die menſis tolli à grege, ſic hi uerum agnum decima hora inuenerunt. Iſa. 54. Gal. 3. Exod. 12.

Erat autem Andræas, frater Simonis, &c.]

Putant aliqui ipſum Ioannem, qui hæc ſcripſit, fuiſſe alterum ex his duobus, humilitatiſq; gratia ſuum nomen reticere: Id quod & de Luca ſuſpicantur, eò, quod ex duobus euntibus in Emaus, alterum tantum nominauerit. Andræam autem nominat, ad inſignem gloriam eius uiri. Cum enim magna gloria ſit, ſequi Dominum, uere maxima laus Andrææ eſt, quod primus omnium ſe auſus fuit credere Chriſto. Repetit autem Euangeliſta, quidnam Andræam permouerit: Audierat, inquit, à Ioanne, &c. Hi enim Euangelium recte audiunt & ſuſcipiunt, qui prius in lege inſtructi ſunt. Qui autem ad Euangelium accedunt, non prius territi per legem, hi plærunq; peiores & leuiores fiunt, id quod indies uidemus. Luc. 24. Eccle. 23.

Inuenit hic primo Simonem, fratrem ſuum]

Hic primo uides, quæ ſit fidei energia. Quam primum enim per fidem in Chriſtum renati ſumus, mox geſtit animus ſeſe alteri effundere, & declarare quantum boni inuenerit. Neq; fieri poteſt, ut otioſa ſit fides. Confitetur enim Chriſtum uel ore, uel charitate in proximum: non enim poteſt bono animo uidere ſe liberata, fratrem ſuum in malis eſſe. Nihil igitur non agit, ut & fratri ſuccurratur. Deinde, hic uides longe aliam eſſe conditionem, temporalium & ſpiritualium bonorum. Temporalia quo pluribus cõmunia ſunt, eo minus talium ad unumquenq; redit: Spiritualia autem etiamſi pluribus communia ſint, omnibus tamen ſufficiunt. Quæ igitur amentia eſt, eas diuitias tam anxiè quærere, quæ ne unius quidem hominis deſiderium exaturare poſſunt, neglectis his, quæ omnibus abundantiſſime ſufficere poſſent? Quod autem frater fratrem inuenit & adduxit, fœlix erat naſcentis Eccleſiæ auſpicium, quæ conſtat fraterna charitate concordiaq; mutua. Hoc enim in Eccleſia perpetuo fit, & fieri debet, ut fratrer adducat fratrem. Omnibus enim nobis uerus ille

Gen. 43. Ioseph dicit: Non uidebitis faciem meam, nisi adduxeritis & fratrem uestrum.

Inuenimus Messiam]

Ex hoc uno uerbo, ex hac parua scintilla uidemus, quanta in ipsis fuerit flamma sancti desiderij. Messias Hebraicè, Græcè Christus, unctus Latinè interpretatur. Vocatur autem Christus hoc nomine propterea, quòd à Deo unctus sit rex & sacerdos. Gloriatur igitur Andræas, se inuenisse uerũ regem, & uerum sacerdotem: Hæc enim est gloriatio Christianorum. Quid autem maius contingere potest, quàm eum inuenire regem, qui à peccatis, morte, Diabolo, & Inferno nos liberare, eumq; sacerdotem, qui cum Deo nos reconciliare potest? Quotusquisq; autem est, qui hunc Messiam, uel quærat, uel inueniat? Miseri nos sola temporalia quærimus, atq; inde gloHier. 49. riamur, non attendentes, quod in Propheta dicitur: Si posueris niAmos. 9. dum tuum ut aquila, inde detraham te. Et iterum: Si posueris in cœlum nidum tuum, inde detraham te. Inuenerunt autem discipuli Messiam, adhibita lucerna, hoc est, testimonio Ioannis. Alioqui nunquam eum inuenissent, ut qui nondum clamabat, nec contendeIsa. 42. bat, nec audiebatur in plateis uox eius. Sic & nos adhibita scriptura, Christum inuenire possumus. Hinc Petrus: Habemus firmiorem 2. Pet. 1. Propheticum sermonem, cui benefacitis, attendentes tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso, &c.

Et adduxit eum ad Iesum]

Semel expertus Domini comitatem & benignitatem, fidenter fratrem suum adduxit. Et quoties nos eandem Domini benignitatem experti sumus, nec tamen audemus accedere. Quod autem fratrem non alio, quàm ad Christum adduxit, damnatur cæcitas nostra, quibus non satis est proprium periculum & peccatum, nisi & filios, & fratres, & amicos, in eadem pericula & laqueos Diaboli conieccrimus. Pauci enim sunt, qui ad Christum: plures autem, qui ad mundum suos trahunt.

Intuitus autem eum Iesus]

Non solum faciem hominis contemplatus, in qua tamen relucebat pectoris synceritas, sed animum potius columbina simplicitate præditum, & ob hoc aptum Euangelicæ doctrinæ, delectatus syncero illius affectu, ultro eum compellat. Synceritatem enim & simplicitatem cordis diligit Deus. Hinc Sapiens: In simplicitate corSap. 1. dis quærite illum. Inuenitur enim ab his, qui non tentant eum, &c.

Tu es Simon filius Ioanna: tu uocaberis, &c.]

Aliqui legunt Iona, alij Ioanna. Iona columbam, Ioanna gratiam significat. Vtrumq; autem Petro conuenit. Est enim filius columbæ, propter

propter simplicitatem, & filius gratiæ, propter electionem. Hoc igitur primo alloquio, animum Petri ad consyderandam latentem diuinitatem subleuat, ne humilitate carnis offenderetur. Argumentum enim diuinitatis est, quod præuidet, & quod nomen, & quis sit pater eius. Deinde multo certius argumentum est, quod significat futurum, ut perseueret Petrus. Nec simpliciter dicit, Tu uocaris Simon, aut filius Ioanna: sed, *Tu es Simon*, inquit, per quod indicat, eum utriq; nomini respondere. Fuit enim Petrus & obediens, & simplex, uel gratia dignus. Iam cum omnibus Christianis gaudendum sit in hoc sæculo, quod nomina eorum scripta sunt in cœlis: Luc. 10. quanto gaudio exultare potuit Petrus, cum uideret, nomen suum quasi in capite libri scriptum esse: Non enim aliquem adhuc Dominus proprio uocauerat nomine, nec postea quenquam tam familiari descripsit inspectione, nec tam amica expressit intentione.

Tu uocaberis Cephas, hoc est, Petrus]

Ridiculum est, quòd quidam hic uolunt Cephas idem esse, quod caput, cum Ioannes ipse dicat: Cephas Syriace, idem significare, quod Græcis πέτρος. Decepti autem fuerunt similitudine dictionum, quod idem putauerunt esse Cephas & κεφαλὴ, cum hoc Græcum sit, illud Syriacum, teste Hieronymo. Cephas igitur nihil aliud hoc loco significat, quàm saxum aut petram. Causa autem huius cognominis additi, fuit certa illa fidei expressio, qua Petrus interro- Matth. 16. gatus à Christo, quid de se sentiret, respondit, Tu es Christus Filius Dei uiui. Tunc enim hoc nomen Petrus accepit, dicente Christo: Tu es Petrus. Hoc Christus hic futurum prædixit, ideo non ait: Tu iam es Petrus, sed: Tu uocaberis in futuro, quando scilicet fides tua tantum robur collegerit, ut aduersus omnia Sathanæ tentamenta possit inconcussa consistere. Petrus igitur cognominatus fuit. Primo propter soliditatem fidei. Secundo, quia Christo, qui uera illa petra & fundamentum Ecclesiæ est, còstantissime & immediate adhæsit. Ideo Christus ait: Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides Luc. 22. tua. Nec mirum quod Simon ille ob eam causam Petrus dicitur, cum ob eandem causam pij omnes dicantur lapides uiui, quamuis Apo- 1. Pet. 2. stoli, primi super Christum in fundamento locati sint. Hinc Paulus dicit: Nos ædificatos super fundamentum Apostolorum & Eph. 2. Prophetarum. Et in Apocalypsi: Spiritualis Hierosolyma duode- Apoc. 21. cim fundamenta habet. Præterea etiam ideo dictus est Pe- Ioan. 21. trus, quia primus post Christum Ecclesiæ pastor fuit, cui commissa est Ecclesia.

Omnium maxime autem ideo hoc nomen consequutus est, quia Ecclesiæ typum gerebat, quæ uera petra est, & super petram firmis- Matth. 16. simam ædificata. In Petro igitur Christus omnes credentes

eruditit, ut ex nomine & cognomine eius discerent fidei rationem. Quod enim in Petro contigit, hoc in omnibus credentibus quotidie contingere uidemus. Initio siquidem uocatur Simon, quod interpretatur audiens uel obediens, Hic enim incipere oportet:
Rom.10. Fides enim ex auditu. Deinde additur cognomen, *Petrus*, id est, firmus, non in se, sed quia innititur super petram. Hæc igitur ordine sese consequuntur, audire, obedire, & perseuerare: hæc ad omnes nos pertinent. Præterea sicut Petro, quam primum ad Christum uenit, permutatum est nomen, sic & nobis accedentibus
Isa.62. ad Christum, datur aliud nomen, quod os Domini nominauit, ut qui prius dicebamur filij Adæ, peccatores, maledicti, &c. nunc dicamur filij Dei, iusti, benedicti, &c. Demum sicut Petrus post acceptionem illius nominis, nunc blandis uerbis à Domino compellatur, nunc durioribus increpatur, aliquoties Sathan uocatur,
Matth.16. nunc confidens Christo adhæret, nunc abnegat, nunc iterum resipiscit: Ita cum quouis credentium, & uniuersa Ecclesia Domini agitur, &c.

In crastinum uoluit exire in Galilæam]

Non erat contemptior Iudææ regio, quàm Galilæa, quod ex ea nemo magni nominis unquam fuisset ortus: Et tamen Christus illuc proficiscitur, quia nihil tam humile est, quod Christus dedigneturdummodo adsit desiderium salutis. Non dedignatur Christus etiam casas pauperum intrare. Sic Deus semper opera sua humiliter incipit, & paulatim ad maiora ducit. Econtra mundus magnifice quidem incipit, sed miserabiliter concludit.

Inuenit Philippum]

Videbatur forte obuius factus Philippus, sed res tota gerebatur diuina prouidentia, cui iam ab æterno decretum erat, quos uellet
Rom.8. Ecclesiæ primores esse, & ab æterno prædestinauerat, quos in tempore uocaturus erat. Fœlix quem Christus sic inuenit. Hinc
Psal.118. Dauid orat: Errauí sicut ouis, quæ perijt: quære seruum tuum, &c. Alioqui nisi Dominus te quæsierit, & reduxerit, nunquam errare
Hiere.31. desistes: Postquam, inquit, conuertisti me, egi pœnitentiam.

Sequere me]

Breue uerbum, sed efficax, quia à uiuo & uero uerbo Dei prolatum. Immerito igitur Apostoli leuitatis à Porphyrio accusantur, quod ad unum uerbum, Christum sequuti sunt. Vbi enim uerbum loquentis est efficax, & animus audientis suapte natura promptus, quid mirum, quod statim effectus sequitur?

Erat autem Philippus á Bethsaida, &c.]

In

In Matthæo legimus Bethsaidam unam fuisse ex ciuitatibus, quibus Christus horrendum illud Væ comminatus est. Vę tibi, inquit, Bethsaida, &c̄. Et tamen ex eadem ciuitate tres Apostolos elegit, quo facto insigniter commendatur gratia Dei, qua etiam ex massa peccatorum, immo è medio Babilonis & Sodomæ, suos eripere potest, & eripit. Matth. 11.

Inuenit Philippus Nathanaelem]

Ea quæ hactenus de discipulis dicta sunt & dicuntur, admonere nos debent uocationis nostræ. Sicut enim Simon ab Andręa fratre, & Nathanael à Philippo ad Christum adducti, ab eodem benigne suscepti sunt: sic & nos, per alios ad Christum adducti sumus in Baptismo, & nihilominus misericorditer suscepti sumus.

Multum igitur debemus his, qui ad fidem nos perduxerunt: sed longe plus debemus ei, qui tam benigne nos suscepit. Quod autem & supra Andræas, & hic Philippus tam sollicite alios quæsierunt, & inuentos ad Christum adduxerunt, magnæ dilectionis & ueræ charitatis indicium, immo & necessitatis ministerium est. Vnicuiq; enim mandauit Deus de proximo suo, ideo quilibet ipsorum putabat sibi à Christo dici id, quod olim Ioseph fratribus suis dixit: Non uidebitis faciem meam, nisi adduxeritis mihi fratrem uestrum. Ecclę. 17. Gen. 43.

Nec alia causa est, quod nostro tempore nemo alium ducit ad Christum, nec Prælati subditos, nec Patresfamiliâs familiam, immo nec parentes filios suos: Nihil, inquam, aliud in causa est, quàm quod deest nobis uera charitas. Deinde, quod non putamus magni referre, quilibet enim cogitat, Quid mihi de proximo? Nunquid custos fratris mei sum ego? Nec interim attendimus, quod Deus sanguinem eorum, quos nobis commisit, requiret de manibus nostris, si per negligentiam nostram pereant. Hic denicq; uides, quæ sit causa, quòd Ecclesia indies decrescit. Quamdiu enim unus alium adducebat, Ecclesia creuit per totum mundum: nunc autem, cum quilibet tantum seipsum curet, quid mirum, quod decrescit Ecclesia? Gen. 4. Ezech. 3.

Obserua etiam, quod quidam hunc Nathanaelem uolunt eundem esse, quem alij Euangelistæ Bartholomæum nominant, quod hinc colligunt, quod ubicunq; nomina Apostolorum recensentur, ferme semper Bartholomæus sequitur Philippum, quemadmodum & hic Philippum in numero discipulorum sequitur Nathanael. Est autem Nathanael idem, quod à Deo datus. Matth. 10.

Quem scripsit Moyses & Prophetæ, inuenimus, &c.]

Quod Andræas supra uno uerbo dixerat: Inuenimus Messiam, hoc Philippus hic diffusius dicit. Magnam autem cordis alacritatem hæc uerba præ se ferunt: Quasi diceret, En lætum apporto nuncium,

Luc.10. eum, quem tanto tempore expectauimus, quem tantis suspirijs desiderauimus, de quo tam magnifice omnes Prophetæ cecinerunt, en uel tandem hoc fœlicissimo æuo inuenimus: nobis datum est uidere, audire, quod multi Reges & Prophetæ uidere & audire non potuerunt, &c. Vel aliter: Iesum filium Ioseph à Nazareth inuenimus, & certis signis probauimus, ipsum esse, quem scripsit Moyses & Prophetæ, &c.

Obserua hic, unde gaudeant uere Christiani, non si temporalia affluant, sed si Christum inuenerint, &c. Tripliciter autem Moyses scripsit de Christo. Primo expressis uerbis, cum dicit: Pro-
Deut. 18. phetam uobis suscitabit Dominus è fratribus uestris, &c.

Secundo, cum uaria instituit sacrificia & cultus diuinos, quæ omnia Christum adumbrarunt. Tertio etiam eo ipso de Christo scripsit, quod legem dedit. Quia enim legem dedit obseruatu
Act.15. difficilem, immo impossibilem (uel Petro teste) tacite insinuauit, alium esse legis impletorem, ad quem sit accedendum, ut iustificemur. Quod autem & Prophetæ de Christo scripserint, omnibus notum est. Philippus igitur & legis & Prophetarum mentionem facit, quia ad Legisperitum loquebatur, quem & nouerat incredibili desiderio teneri Messiæ uenturi, & ob hoc in legis & Propherarum oraculis diligentissime obuersari solitum.

Exprimit etiam nomen Christi: *Inuenimus*, inquit, *Iesum*, ut ostendat, nomen optime concordare his, quæ Prophetæ scripserunt de Messia. Nam Iesus idem est, quod Saluator. Quod autem dicit eum filium Ioseph, secundum uulgi opinionem loquitur. Nondum enim plene instructus erat, nec sciebat Christum Virginis esse Filium, & in Bethlehem natum, iuxta scripturas.

A Nazareth potest aliquid boni esse]

Aliqui hunc textum legunt affirmatiue, quasi Nathanael, ut Legisperitus, certo affirmauerit, possibile esse, ut boni aliquid è Nazareth prodiret: Alioqui (inquiunt) Christus eum non commendasset. Melius autem legitur dubitatiue. Libenter audierat lætum illud nuncium à Philippo, placebat & nomen Iesu: uerum hocuno offendebatur scrupulo, quem illi tacite mouebat Prophetia, quæ
Michæ.5. palam promittit Christum exoriturum è Bethlehem. Deinde offendebatur humilitate loci, ubi Christus nutritus erat, quemadmodum
Ioan.7. & infra quidam offenduntur, qui uidentes & tempus & omnia alia congruere, sola tamen humilitate eius offendebantur, ut uel hinc uideas, quàm arduum sit credere, & quàm non sine causa Christus
Matth. 11. dixerit: Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Semper enim caro solet offendi rebus abiectis, propterea, quod non spiret nisi alta & magnifica.

Deus

Deus autem sua præclara opera abscondit sub aduersa forma, ut sit mirabilis in operibus suis. Sic Christus semper apparet carni alijs formis, alio modo, quàm cogitat caro.

Veni, & uide]

Philippus rudis adhuc & nihil nisi simplicem fidem habens, non poterat explicare nodum hunc. Inuitat igitur Nathanaelem ad ipsum fontem, non dubitans, quin uiso & audito Iesu, statim sit crediturus. Hinc docemur, ad Christum eos adducere, quos uel ob nostram insufficientiam, uel ipsorum obstinationem persuadere non possumus. Emphasim autem habet, quod dicit: *Veni & uide*, quasi diceret, Adeo certa sunt quæ attuli, ut primo statim congressu uisurus sis me, nihil uani attulisse.

Certissima sunt, quæ nobis de Christo nunciata sunt, nec quicquam aliud restat, quàm ut ueniamus, & uideamus.

Vidit Iesus Nathanael uementem ad se]

Et hic plane saluator apertis gratiæ suæ oculis uidit, illis nimirum oculis, quibus omnes nos, antequam essemus, uidit & prædestinauit. Deinde, uidit eum uenientem ad se, nec poterat ignorare, qua mente ueniret ad se, sed quod in simplicitate cordis quæreret Deum. Scriptum enim est: Quæ sunt in corde hominum, oculi tui uident: Et in libro tuo omnes scribentur: Et homo uidet in facie, Deus autem uidet in corde. Psal. 138. 1. Reg. 16.

Ecce uere Israëlita, in quo dolus non est]

Hic uides, quàm uere dicat Sapiens: Oculi Domini lucidiores sole, &c. Nedum enim Nathanaëlem in corpore uidit, sed & abscondita cordis eius intuitus est. De duobus autem eum commendat. Primo, quod uere Israëlita fuit, quo uerbo opportunam facit Israëlitarum distinctionem. Non enim omnes, qui secundum carnem ex Israël sunt, hi Israëlitæ sunt: sed hi tantum, in quibus non est dolus, qui recto sunt corde, & Deum uidere sitiunt, sanctumq; Israëlem in fide & simplicitate cordis imitantur, reputantur Israëlitæ. Quemadmodum & apud nos, non omnes uere Christiani sunt, qui Christiani uocantur, sed hi tantum, qui fide & opere in Christum tendunt. Non igitur est, quod uel Iudæi de nomine Israëlis, aut nos de nomine Christi gloriemur, cum soli hi commendentur à Christo, qui uere Israëlitæ sunt. Eccles. 23. Rom. 9. Psal. 72.

Talis autem erat Nathanael, nec obstat, quod supra nonnihil humilitate Christi offensus dicitur. Omnis enim, qui in Christum credit, gemellus est, carnalis scilicet & spiritualis, qua parte est carnalis, ea peccatum habet, & circumfert quocunq; ierit: Est enim radici carnis infixum & agnatum. Spiritualis autem est, qua Christum credit

& possidet, per quem peccata carnis mortificantur & expurgantur. Sic Christiani peccatores quidem adhuc sunt propter carnem, iusti tamen & sancti dicuntur propterea, quod Spiritus sanctus opus suum in ipsis inceperit. Sic Nathanael, quamuis offensus fuerat humilitate patriæ Christi, quia tamen cœperat simplici credulitate accedere, ideo uerus Israëlita dicitur. Deinde etiam ob id commendatur, quod nullus in eo fuerit dolus.

Dolus est, cum aliud agitur, aliud fingitur. Dolum igitur in se habet, qui cum uere sit peccator (quales omnes sumus) egeatq; medico, tamen dissimulat se esse peccatorem, nec medicum quærit, aut eius ope se indigere credit. In eo autem homine dolus non est, qui ingenue fatetur, se peccatorem esse, & indigere gratia Dei, nec unquam de iustitia sua præsumit. Horum autem admodum
Psal. 31. pauci sunt: adeo, ut Dauid audeat eos beatos pronunciare, in quibus dolus non est. Obserua quod Christus non dicit, Nathanaelem non habere peccatum (quis enim sine peccato est?) sed dicit, nullum in eo fuisse dolum. Nihil enim obesse poterit peccatum, si non accesserit dolus, sed adsit simplex confessio. Hæc igitur sunt, quæ Christus in homine commendat: Fides, simplicitas, & propriæ infirmitatis confessio.

Vnde me nosti?]

Vel ex hoc uerbo uidemus eum fuisse uerum Israëlitam. Falsi nanq; Israëlitæ nimium delectantur laudibus suis, non attendentes, utrum laus ipsorum ex hominibus, an ex Deo, uera an falsa sit. Hic autem nihil moratus, hominum laudem à Deo laudari præoptat.

Deinde hic uides, quod cor Christi desiderio ardens, sollicite subinde omnia tentat, omnia inuestigat, donec plene Christum agnoscat: neq; ei satis fit externis rebus, nisi occulto Spiritus tractu confirmetur. Hoc quærens Nathanael, dicit: *Vnde me nosti?*

Priusquàm te Philippus uocaret, cum esses sub ficu, &c.]

Hoc uerbo Christus euidentissime declarauit, se non latere quamuis occultas hominum cogitationes, ac per hoc se apertius Nathanaeli insinuat, adeoq; in eius animo illabitur, ut efficacissime Nathanael senserit diuinitatem eius, id quod mox confitetur uoce.

Tripliciter autem Christus diuinitatem suam hoc uerbo manifestauit. Primo, quod absentem longe positum uidisse se dicit, id quod Dei proprium est. Secundo, quod se scire ostendit, à Philippo uocatum Nathanaelem: Colloquium fuerat duorum, nec quisquam erat arbiter, qui potuisset renunciare.

Tertio, ex his indicijs palam fecit, etiam totius colloquij argumentum sibi non ignotum fuisse, cuius tamen non refricat mentionem,

nem, ne uerecunde & simpliciter percontanti, uideatur exprobrare incredulitatem. Hinc igitur discę, quod Deus ne dum uidet nos ubiq, sed & audit uerba nostra, immo & cogitationes conspicit. Allegorice, uidit Christus nō solum Nathanaelem, sed etiam omnes electos sub ficu oculis misericordiæ. Primus siquidem parens noster, post peccatum confugisse scribitur ad folia ficus. Sub hac ficu uidit Christus electos suos, eorumq; misertus, iam disponebat misericorditer, quo illos ordine, à prævaricationis reatu liberaret. Gen. 3.

Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex, &c.]

Hæc est uera confessio fidei nostræ, quod Christus est Filius Dei, & Rex Israël. Quia enim Rex est, potest nos eripere à Tyrannide peccati, mortis, & Inferni. Quia autem Filius Dei est, potest nobis conferre regnum cœleste. Obserua autem hic stupiditatem nostram, qui à pueritia Christum edocti sumus, nec dum tamen in tantum profecimus, ut in aduersis possimus & ore & corde dicere: *Tu es Filius Dei, &c.* Cum Nathanael semel tantum diuinitatem Christi expertus, in hanc confessionem proruperit. Vide autem mirum Dei consilium, cum Nathanael non minus insigniter Christum confessus sit quàm Petrus: non tamen legitur, quod in Apostolum electus sit. Cur hoc? Quia uolebat Deus per infirma & contemptibilia mundum ad se pertrahere, ideo Petrum Piscatorem Nathanaeli Legisperito prætulit. Nec tamen Nathanaelem Legisperitum reiecit, ne quis putaret, solos pauperes & inscios posse saluari. Matth. 16. 1. Cor. 1.

Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: maius &c.]

Hoc est, utcunq; nunc me declaro orbi, postea autem plenius & multo celebrius meipsum aperiam, & ostendam qui sim. Nam miraculis, resurrectione, ascensione, &c. manifestissime me declarabo Filium Dei, & Regem Israëlis me esse. Magnum est, quod nos peccatores respexit, sed maius, quod iustificauit. Hæc autem plane de seipso sperare potest quilibet fidelis. Quantacunq; enim nūc accepimus, certi tamen sumus, quod maiora uidebimus in futuro. Si igitur non statim uides, quæ optas: Expecta, si morem fecerit Dominus, quia ueniens ueniet. Deinde, qui parua quæ habet, fideliter exponit, meretur maiora percipere. Huc adduci potest illud Psalmistæ: Os meum aperui, scilicet confitendo ad salutem, quod credidi ad iustitiam, & attraxi Spiritum sanctum, qui in ampliori cognitione ueritatis, bonum meum impleuit desiderium. Summa, hoc uerbo Christus nihil aliud uult, quàm fidem semper augescere in pijs, quemadmodū & Paulus de incremēto fidei loquitur: Probatio, inquit, spem operatur: Spes autem non confundit. Item: Vt probetis Abac. 2. Psal. 118. Rom. 5. Rom. 12.

quæ sit uoluntas Dei bona, beneplacens, &c̄.

Amen dico uobis, uidebitis cœlum apertum]

Gen.28. Hoc loco Christus alludit ad scalam illam, quam uidit Iacob, immo manifeste dicit, in se uere implendum, quod Iacob in somnis uiderat. Primo enim à tempore Christi, uere cœlum apertum est: Eph.2. quia paries inimicitiarum per ipsum diruus est. Deinde ipse scala Ioan.3. est, quam uidit Iacob: quia nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit: & per ipsum habemus accessum ad Deum.

Ephes.2. Hæc scala cœlum & terram tangit, quia Christus omnia implet: Isa.66. Cœlum, inquit, mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Secundo, quia Christus non magis in cœlo, quàm in terra est Dominus & gubernator. Ascendunt & descendum Angeli in hac scala. Primo, quia ad literam sæpe descenderunt ad Christum, in annunciatione, natiuitate, &c̄. in deserto, in passione, in resurrectione, & ascensione eius. Secundo, quia per Christum Angeli & Col.1. homines reconciliati sunt. Ipse enim pacificauit & quæ in cœlis, & quæ in terra sunt. Tertio, quia in Christo omne auxilium situm est, omnis defensio & potestas. Per Angelos enim dicitur Domi- Psal.90. nus operari & defendere. Iuxta illud: Angelis suis mandauit de te, &c̄. Per hunc autem ascensum & descensum, præfiguratus est status Ecclesiæ, qui nihil aliud est, quàm ascensus quidam ad Deum, 2.Cor.12. & descensus ad proximum. Sic Paulus ascendit usq; ad tertium cœlum. Et idem ita descendit ad proximum, ut diceret: Quis infirma- Rom.1. tur, & ego non infirmor? Item: Sapientibus & insipientibus debitor sum. Obserua autem, quod prius dicit: Ascendentes &c̄. Ascendere enim primum oportet ad Deum per fidem: Descendere autem posterius est, quia fructus ascensus est prædicatio uerbi, & opus charitatis. Demum etiam Dominus innititur huic scalæ, quia Christus Deus est, & omnia Dei bona in Christo sunt. Quę omnia sunt plenissime reuelata per resurrectionem, ascensionē, & Spiritus sancti missionem.

CAPVT

CAPVT SE-CVNDVM.

ACTENVS Euangelista noster, breuibus quidem uerbis, sed uere incomprehensibilibus carnali rationi, ostendit diuinitatem Christi, per æternam emanationem à Patre: Nunc quasi attemperans se ad captũ nostrum, incipit eandem declarare per opera miraculosa. Deinde, sicut superiori capite audiuimus, quomodo Christus per Ioannem manifestatus est: sic in hoc capite & deinceps audiemus, quomodo seipsum manifestauerit. Immo quod Christus supra Nathanaeli promisit, dicens: Maiora uidebis, nunc incipit præstare. Quia autem miraculis Christus seipsum manifestauit, quemadmodum infra dicitur, hoc est initium signorũ, quod fecit Iesus, & manifestauit gloriam suam. Et iterum: Opera quæ ego facio, illa testificantur de me, &c̃. Ioan. 1. Ioan. 2. Ioan. 10.

Idcirco aliqua de miraculis præmittenda sunt. Primo igitur, quamuis qui uere æstimare uelit, omnia Dei opera, & in creatione, & in conseruatione creaturarum, uere miracula sint. De ipso enim scribitur: Tu es Deus, qui facis mirabilia: usus tamen inoleuit, ut ea tantum miracula dicantur, quæ non secundum consuetum naturæ cursum fiunt, omnemq; creatam uirtutem excedunt, qualia sunt, quòd mare transeuntibus Israëlitis uiam præbuit. Item, quòd Sol tempore Iosue à cursu suo stetit, &c̃. & similia. Huiusmodi miracula, Deus frequenter & in ueteri, & in nouo Testamento fecisse legitur. Primo, ut ad hæc insolita stuperent, & ad cognitionem laudemq; Dei mouerentur homines, quibus quotidiana Dei opera uiluerunt. Congruum quidem erat, ut ex omnibus Dei operibus consurgeremus in laudem Dei, quemadmodum de Dauide legimus, quòd quia non facimus, subinde nos miraculis excitat, & in stuporem uertit. Sic aquam in uinum miraculose conuertit, ut uel hinc discamus, eiusdem Dei opus esse, neq; minus miraculum, quod aqua pluuialis uinum fit in uitibus, quod tamen nemo miratur, propterea, quòd omni anno contingit. Sic semel quinq; panibus pauit quinq; millia hominum, ut hoc facto admoneremur, eum esse, qui omne hominum genus perpetuo pascit. Sic plærisq; mortuis uitam, infirmis sanitatem, cæcis uisum miraculose dedit, ut omnes intélligerent, se non aliunde uitam, sanitatem, uisum, &c̃. habere, quàm per ipsum. Admoniti autem & propriam ingratitudinem agnoscerent, & deinceps diligentius Dei circa eos opera attenderent. Psal. 73. Exod. 14. Iosue. 10. Psal. 103. Ioan. 6.

Deinde etiam ideo Deus frequenter miracula, hoc est, supernaturalia opera fecit, ut per hæc ostenderet, potentiam suam non esse

alligatam naturæ legibus, diſcereq; homo bene ſperare de Deo, etiamſi naturalia media defecerint. Hinc eſt, quod potentiam ſuam ferme in omnibus his rebus miraculoſe oſtendit, quæ homini aduerſa contingere poſſunt. Sic aliquos in fame mirabiliter ſeruauit, ut uiduam Sarepthanam, &c. aliquos in aqua, ut filios Iſraël: aliquos in igne, ut tres illos, Ananiam, Azariam, Miſaëlem: aliquos inter beſtias, ut Danielem: aliquos inter medios hoſtes, ut Helizæum. Sic aliquos è carceribus, ut Paulum: aliquos à calumnia, ut Suſannam, &c. liberauit, ne quis noſtrum diffidat, ſi ſimile quid ipſi acciderit.

3. Reg. 17. Dan. 3. Dan. 6. 4. Reg. 6. Dan. 13.

Omnium maxime autem miracula ideo fecit, ut eſſent ſigna certaq; indicia ac quaſi ſigilla Dei, è quibus diſcerni poſſet uerbum Dei à uerbo hominum, & doctrinis Dæmoniorum. Hinc eſt, quod hi maxime miracula fecerunt, per quos uerbum Dei orbi prædicatum eſt: Quales fuerunt Moyſes & Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli. Huc pertinet quod Chriſtus ait: Si mihi non creditis, operibus credite: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, &c. Hinc & Nicodemus: Scimus, quod à Deo ueniſti Magiſter: Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo, &c. Obſerua tamen, quod in ueteri Teſtamento plærunq; miracula iram Dei indicant, ut eſt exuſtio Sodomæ, ſubmerſio Pharaonis, repentinus interitus Dathan & Abiron &c. Nec mirum: Nondum enim paries inimicitiarū ruptus erat. In nouo aūt Teſtamento, omnia Chriſti miracula nihil aliud ſpirant, quàm inſignem Dei miſericordiam: adeo, ut diſcipulis Chriſto ſuadentibus, ut ignem è cœlo ſuper quoſdam ingratos mitteret, dixerit: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis: Non uenit Filius hominis animas perdere, ſed ſaluare. Merito igitur gratias agimus Deo, qui nos hoc tempore gratiæ non minis & pœnis, ſed promiſsis tantum & donis ad ſe allicit. His præmiſsis, nunc literam attendamus.

Ioan. 10. Ioan. 3. Gen. 19. Num. 16. Epheſ. 2. Luc. 9.

Et tertia die nuptiæ factæ ſunt, &c.]

Quod diem etiam determinat, continuatio eſt ad præcedentia. Supra enim dixerat: Vna dierum Andræam & Simonem, ad Chriſtum acceſsiſſe, & altera die Philippum & Nathanaelem: Nunc continuando dicit: *Et tertia die nuptiæ factæ ſunt, &c.*

ſup. c. 1.

Poſſet autem cuiquam uideri, Chriſtum à caſu in has nuptias incidiſſe: uerum, qui attendit ſine nutu Dei nec folium arboris decidere, is facile uidebit Dei conſilio & prouidentia hæc ſic ordinata eſſe. Cæterum de nuptiarum uel Matrimonij inſtitutione, liber Geneſis clare teſtatur.

Gen. 2.

Qualiter autem nuptiæ celebrandæ ſint, ex Tobia uideri poteſt. Itidem ex Paulo, quomodo in Matrimonio uiuendum

Tob. 9. Eph. 5.

ſit.

sit. Ex eodem Paulo uidere potes differentiam inter coniugium & cælibatum. 1.Cor.7.

In Galilæa autem Christus & prædicare, & miracula facere cœpit, ut impleretur, quod in Isaia dictum est: Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, &c. ut Matthæus asserit. Isa.9. Matth. 4.

Obserua autem, quod non diu commoratus est in Galilæa, quin ædito miraculo, inciperet declarare, non fuisse uanum Ioannis de se testimonium. Latere enim non potest, quem Spiritus sanctus inhabitat. Non enim potest abscondi ciuitas, supra montem posita. Matth.5.

Et erat mater Iesu ibi]

Si (ut aliqui uolunt) Ioannis Euangelistæ fuerunt hæ nuptiæ, certum est, matrem Iesu affinitatis causa illic affuisse.

Verum quicquid de illo sit, certum est, eam non leuitatis causa affuisse. Ex hoc autem loco uidemus, etiam ueteres quadam solennitate inchoasse Matrimonia, & sub pluribus testibus. Raro enim bonum sortiuntur exitum, clandestina Matrimonia.

Multitudo autem testium ingens consolatio est eorum, qui piè in coniugio uiuunt: certa autem damnatio eorum, qui Matrimonij fidem uiolant. Deinde uidemus hic, morem fuisse apud ueteres, ut honestæ matronæ uocarentur, è quarum aspectu & doctrina, sponsæ ad uitæ honestatem informarentur. Quis autem nescit, omnis honstatis speculum fuisse matrem Christi?

Vnde facile conij potest, nuptias has non in leuitatibus, sed in timore Domini celebratas esse, quandoquidem tales, tamq; Deo dignæ personæ, interfuerunt. Demum habes in hoc loco insigne exemplum charitatis & humilitatis in Virgine beata. Cum enim ipsa Virgo esset, non tamen dedignata est uenire ad nuptias: Et quamuis maximis donis conspicua esset, nihil tamen hinc sibi ascripsit, nec alios longè minora dona habentes contempsit. Eandem & humilitatem & charitatem, etiam prius ostenderat circa cognatam suam Elizabet. Hinc & nos discamus charitatem & humilitatem: Vnusquisq; donum habet á Deo, alius quidem sic, alius autem sic. Et sicut uirginitas, continentia, uiduitas, habent honorem suum: sic & nuptiæ non carent suo. Proinde, qui donum continentiæ & castitatis corporalis habet (nam castitatem mentis omnes habere tenentur) is utatur eo in Domino, & gratias agat: non inde glorietur, non infletur, non alijs insultet, nec se ob id iustiorem æstimet, aut pluribus in cœlo coronis dignum, uerum omnia hæc ipsi Deo æstimanda relinquat. Dona enim nos non commendant Deo, sed donorum usus. Hinc Paulus: Circuncisio nihil est, præputium nihil est. Ita & uirginitas (quod ad solum opus externum attinet) nihil Luc.1. 1.Cor.7. 1.Cor.7.

est, Matrimonium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.

Sicut enim in utroq; statu saluari potest homo, si adsit obseruatio mandatorum Dei: sic in utroq; potest damnari homo, si tantum de statu glorietur, nihil autem curet de obseruatione mandato-
Matth. 25. rum Dei. Ideo legimus illas quinq; tametsi uirgines, quia tamen fatuæ erant, à Domino excluſas.

Rom. 12. Merito igitur Paulus monet, ut non plus sapiamus, quàm oportet sapere: sed sapiamus ad sobrietatem, & unicuiq; sicut Deus diuisit mensuram fidei. Itemq;, ut affecti simus, quemadmodum Chri-
Philip. 2. stus, & unusquisq; per humilitatem alium iudicet superiorem, &c̄.

Vocatus est autem & Iesus & discipuli]

Fieri potest, ut ex speciali & deuotione & fide ipsum ad se in-
2. Reg. 6. uitarint, sperantes fœliciter omnia succeſſura, si Christus eos sua præ-
Luc. 19. sentia dignaretur. Ex eodem affectu & Dauid olim arcam Domini, in domum suam transtulit, & Zachæus Christum cum gaudio susceptit in domum: Neuter etiam suo desiderio fruſtratus est. Nam & illius domus, propter arcam Domini benedictione repleta: Et huius domui per Christum salus facta est. Sic nec hi suo desiderio
Matth. 10. fraudati sunt. Scriptum est enim: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, &c̄.

Quod si ob solam affinitatem Christum inuitarunt (id quod fieri potuit) nihil magni de ipso sperantes, uoluit tamen Christus post se relinquere benedictionem, ut nos alliceret ad hospitalitatem. Hoc enim facto palam ostendere uoluit, se abunde remuneraturum, quicquid ex charitate in alios boni conferamus, id quod &
Genes. 18. olim in Abraham & Loth ostendit, qui susceptis Angelis hospitio,
Gen. 19. abunde remunerati sunt. Quod autem Christus tam facilem & promptum se exhibuit inuitantibus, consolatio nostra est. Hinc enim uidemus, quod nullum spernit, dummodo nomen eius inuo-
Prouer. 8. cet, & gratiam eius quærat: Delitiæ, inquit, meæ esse cum filijs ho-
Ioan. 6. minum. Hinc & in Euangelio dicit: Omnem qui uenit ad me, non
Apoc. 3. ejiciam foras. Et in Apocalypsi: Ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, &c̄.

Quod autem etiam ad nuptias uenire dignatus est, ingentem consolationem præstat coniugatis. Nam alioqui possent uideri ad Christum minime pertinere, quandoquidem & Christus uirgo permansit, & matrem Virginem habere uoluit.

Multa enim sunt, quæ coniugatos offendere, immo ad desperationem adigere possent. Primo enim non est aliquis status, qui tantas habeat molestias ut coniugium: immo ferme perpetuam habet crucem annexam, ob quam uel solam causam plærique

cum

eum ſtatum abominantur, quamuis hoc pios nihil offendat: quo enim plures habent moleſtias, eo magis ac magis Dominum agnoſcere diſcunt. Deinde ſtatus hic nihil magni, quod ad externam ſpeciem attinet, uidetur præ ſe ferre, immo uidetur ad ſolos imperfectos pertinere, cum interim uirginitas & cælibatus præclarum quid ſit etiam coram mundo, & inſuper à Chriſto & Paulo inſigniter commendetur & ſuadeatur. Accedit ad hæc, quod Matrimonium etiam ab antiquo male audit à ſapientibus huius ſæculi. Hinc Cato prudentiſsimus dixiſſe legitur: Si abſq; fœmina poſſet eſſe mundus, conuerſatio noſtra non eſſet abſq; diris. Itemq; alius: Mulier eſt neceſſarium malum. Itemq;: Sapienti non eſt ducenda uxor, &c̄. Demum etiam illud poſſet coniugatos offendere, quod in Eccleſia quoq; fuerunt, qui coniugium palam damnauerunt. Ne igitur coniugati omnino deſperarent, Chriſtus ipſe ad nuptias uenit, atq; hac ſua præſentia ſtatum coniugalem confirmauit, ut bonū & Deo placitum: quemadmodum & in alio loco etiam uerbis eundem ſtatum commendat. Matth. 19. 1. Cor. 7. Matth. 19.

Quid autem magis conſolatorium eſſe poteſt, quàm ſcire, ſtatum tuum Deo placere? Hoc uel ſolum omnes Matrimonij moleſtias mitigare poſſet. Quod autem Chriſtus etiam miraculum & quidem primum in nuptijs fecit, eo ipſo facto obligauit, ac quaſi ſpopondit ſe Matrimonio affuturum.

Cum enim propter uxorem omnes amici, immo & parentes relinquendi ſint, uidetur contrahens Matrimonium, prorſus ab omnibus derelinqui. Itaq; docet Chriſtus hoc miraculo, ſe pro coniugibus ſollicitum eſſe, & ſatis opum, uictus & amictus tibi fore, ſi Chriſtum inuitaueris ad nuptias, id eſt, ſi in Domino contrahas, modo ſatis confidas, & uocationi tuæ diligenter inſeruias. Scriptum eſt enim: Benedictio Domini diuites facit. Et iterum: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Gen. 2. Prouer. 10. Pſalm. 49.

Deficiente autem uino]

Ex hoc clare uidemus, pauperum fuiſſe has nuptias, nec tamen Chriſtus eos accedere erubuit. Hoc autem fecit ad exemplum diuitum, ne pauperes faſtidiant. Hinc Paulus: Scitis gratiam Chriſti, quoniam cum diues eſſet, propter nos egenus factus. Deinde fecit hoc etiam ad conſolationem pauperum: nihilo enim Deo ingratiores ſunt ob paupertatem. Hinc Iacobus: Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites autem in fide, &c̄. 2. Cor. 8. Iacob. 2.

Moraliter autem ubicunq; Chriſtus habitat, ibi deficit uinum carnalis iucunditatis & uoluptatis. Hinc Paulus: Quæ prius mihi erant lucra, reputaui iam ut ſtercora, omniũq; quę retro ſunt, oblitus, &c̄. Phil. 3.

Diligenter itaq; hic obseruandum, quod Christus non scribitur interfuisse nuptijs Pilati aut Caiphæ, ubi erat diuitiarum affluentia, & ubi præ opum multitudine, nihil deesse potuit pompę nuptiarum: sed ad sponsum tenuis fortunæ diuertit, hoc ipso facto significans, se in paupertate, infirmitate, & in extremis calamitatibus potissimum inueniri & præstò adesse, modo inuocetur. Iuxta illud:
Psalm. 9. Adiutor in opportunitatibus, &c̄. Et iterum: Cum ipso sum in tri-
Psalm. 90. bulatione, &c̄.

Vinum non habent]

Chrysostomus duriuscule hoc uerbum exponit: Optabat, inquit, mater, ut Christus iam hominum gratiam conciliaret sibi, & ipsa clarior filij gratia efficeretur, & fortasse aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres eius, cum dicerent:
Ioan. 7. Ostende teipsum mundo, cupidi eius miraculis sibi famam comparare, itemq; Nazaritæ, cum dicerent: Quanta audiuimus à te
Lucæ 4. facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Alij autem ferme omnes mitius hoc uerbum exponunt, quibus & ego subscribo.

Quamuis enim non probem eos, qui nimia superstitione sanctorum errata excusant, quasi prorsus, quicunq; sanctorum nomine censentur, sine omni peccato fuerint (hoc enim partim infirmorum fidem offendit, qui infirmitates in se sentientes, à quibus sanctos alienos fuisse falso prædicatur, se eò salutis peruenire posse non sperāt: Partim etiam gloriam Dei, & misericordiā Christi ob-
Rom. 11. scurat, qui omnes sub peccato includit, ut omnium misereatur) hoc tamen Virginis sanctæ uerbum, uere pium fuisse non dubito: Nam & fidem & charitatem præ se fert, & quidem insigniter. Nam quis dubitat, pium esse, quod ex fide & charitate procedit?

Primo igitur charitatis est, quod ipsa alijs conuiuantibus sollicita est: Charitas enim otiosa non est, immo magna semper operatur. Quod autem non pro se, sed pro alijs curat, signum est cer-
1. Cor. 13. tissimum ueræ charitatis: Ea enim non quærit quæ sua sunt. Deinde, fidem eius indicat, quod alijs alio spectantibus, unde uinum sumerent, immo iam desperabundis (Nam omnibus consilijs obstabat paupertas) sola Virgo ad Christū confugit, non dubitans, illum etiam, ubi omnia alia defecerint, posse succurrere. Nec mirum, quod à filio hæc petere aut sperare ausa fuit: Plura siquidem diuinitatis eius testimonia habebat. Ex uerbis enim Angeli, Pastorum, Magorum, Simeonis, Ioannis, immo & ex ipsa uoce Patris, & specie columbæ, certificata erat de eius diuinitate.

Sic pius quisq;, etiamsi omnia externa media deficiant, & omnes alij desperent, ipse tamen illud adhuc refugium habet, ut ad

Deum

Deum recurrat, quemadmodum Ioſaphat ait: Exemplo ſint, Moyſes ſuper mare rubrum conſtitutus, Helizæus à Syrijs in ciuitate circundatus, Iudas Machabæus, &c. Econtra mundus in neceſsitate ad externa media confugit, quæ ſi defecerint, iam plane deſperat, uel experientia teſte. 2. Par. 20. Exod. 14. 4. Reg. 6.

Quid mihi & tibi eſt mulier?]

Mirantur nonnulli, nec immerito, cur Chriſtus hic tam dure, &, ut uidetur, inciuiliter matri reſpondeat: maxime, cum alijs etiam ſub interminatione mortis præceperit, ut parentibus obediant. Maledictus, inquit, qui non honorat patrem & matrem, immo ex hoc Chriſti reſponſo, Manichæus aſſerere uoluit, eam non fuiſſe matrem ueram Chriſti, quandoquidem eam non matrem, ſed mulierem nominat, quin potius uidetur omnino non agnoſcere eam. Deut. 27.

Poſſet etiam nunc inſcia iuuentus, ex hoc uerbo offendi, ut & ipſa parentes contemnere inciperet. Ad hæc itaq; mala præcauenda, quidam uerbum hoc Chriſti mitigare uolentes, in hunc ſenſum exponunt: *Quid mihi & tibi eſt, &c.* hoc eſt, quid mea uel tua intereſt, uinum ne habeant uel non? Mea quidem non intereſt: non enim propter temporalia, ſed propter ſpiritualia præſtanda miſſus ſum. Sic enim & alio loco, cuidam de temporalibus interpellanti, reſpondit. Quis me conſtituit iudicem, & diuiſorem inter uos? Lucæ 12.

Sed nec tua intereſt, hæc externa curare, dicit enim Paulus: Virgo cogitat, quæ domini ſunt, &c. 1. Cor. 7.

Denicq; nec hora mea adhuc adeſt, nimirum prædicante adhuc Ioanne, quem prius oportet incarcerari, antequam ego me palam oſtendam mundo. Pia quidem ſunt hæc, ſed tamen huic loco minime congruunt. Nam in Græco eſt: *Quid mihi tecum?* atq; ad eum modum omnes ferme expoſitores exponunt. Nec quenquam offendat ipſa duricies uerborum. Primo enim per hoc uel maxime hæreticis illis reſpondere uoluit, qui aſſerebant, Chriſtum ante Mariam non fuiſſe, atq; ob id ipſum tam rigide uerbum hoc protulit, ut uel hinc admonerentur cæci homines, Chriſtum maius aliquid in ſe habuiſſe, quàm quod ex Virgine ſumpſerat: Alioqui nunquam dixiſſet, *Quid mihi tecum mulier?* Deinde hoc uerbo Chriſtus explicare uoluit, quæ ſit ratio & natura fidei.

Fides enim uera per charitatẽ operatur, ac per eandem omnes homines agnoſcit, ut proximos & fratres, omnibus ſeruire & benefacere contẽdit, tantũ abeſt, ut parẽtibus non ſubueniat, & deferat: Verum ubi ſalutis negotiũ agitur, & Dei gloria aliud exigit, ibi fides neminem præter Deum agnoſcit, ne parentes quidem. Sic Chriſtus parentibus quidem ſubditus fuit, ut qui maxime: adeo, ut etiam in cruce cum aliud non poſſet, uel uerbo matrem conſolatus ſit. Vbi autem Lucæ 2. Ioan. 19.

tem in negotio patris uersatur, ibi neminem agnoscit, ne matrem
Lucæ 2. quidem. Sic cum in templo inuentus esset, dixit: Nesciebatis, quod in
Matth. 12. his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et alibi: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? &c. Sic & hic: *Quid mihi tecum mulier?* quasi diceret, Hactenus tuæ uoluntati me præbui morigerum, quod nunc restat ex arbitrio patris gerendum est, non ex humano præscripto. Alibi mater fuisti, post hac mihi nihil aliud eris, quàm mulier, quotics uersor in negotio Patris. Sic & nobis præceptum
Exod. 20. est, ut parentes honoremus, atq; ob eam causam Rechabitæ uel maxime commendantur, quod custodierint mandata patris sui. Quan-
Hiere. 35. tum uero ad fidem attinet, oportet nos parentes odisse. Hinc Chri-
Luc. 14. stus ait: Qui uenit ad me, & non odit patrem suum & matrem, &c. non potest meus esse discipulus. Hinc & se uenisse dicit, ut separet
Matth. 10. hominem aduersus patrem, & filiam aduersus matrem, &c.

Sicut igitur impius est in parentes, qui in operibus charitatis ipsis deest: sic impius est in Deum, qui parentum gratia Christum relinquit, aut aduersus Dominum operatur, uel officium à Deo mandatum, non exequitur. Pietas est parentibus in externis seruire: At nihilo minus pium est, pro Dei gloria parentes non agnoscere.
Deut. 33. Hinc Moyses ait: Qui dixerit patri suo uel matri, Nescio uos: & fratribus suis, Ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt legem tuam, &c. Præterea, hac dura responsione etiam docere uoluit Christus, nullum donum corporale, nullamq; prerogatiuam carnis, nos Deo cõmendare aut gratos facere, nisi adsint & dona spiritualia iustificantia: Sic magnum quidem donum est Prophetia, attamen
Num. 23. etiam Balaam prophetauit, nec tamen ob id Deo gratus fuit, immo
Ioan. 11. & ipse Caiphas prophetauit. Sic magnum donum est, miracula posse
Matth. 7. facere, & tamen multi hoc habentes, in iudicio audient à Christo, Non noui uos. Sic & uirginitas carnis, donum insigne est, tamen in-
Matth. 25. terim fatuæ uirgines excluduntur. Sic magnum erat, quod filij Zebedæi Christo secundum carnem sanguine iuncti erant, & tamen
Matth. 20. hi ipsi audiunt: Sedere ad dexterã meam & sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est, &c. Maximũ autem inter dona corporalia est, esse matrem Christi, nõ tamen est donum iustificans, immo nihil profuisset Virgini, nisi & dona iustificantia habuisset.
Luc. 1. Hinc Elisabeth non dixit: Beata es, quia Christi corporalis mater effecta es, sed: Beata, quæ credidisti.

Dona autem iustificantia sunt, fides, spes, & charitas, atq; hæc sunt, quæ commendant nos Deo: In hoc, inquit, glorietur, qui glo-
Hier. 9. riatur nosse me: quia ego sum Dominus, faciens misericordiam, &c.

Nondum uenit hora mea]

Ex hoc loco Mathematici uel Astrologi, qui omnia & auspi-

cant.

cantur & agunt ad electionem horarum, errorem suum statuere conantur, quasi Christus non potuerit miracula facere, nisi certa hora, & bono, ut uocant, aspectu syderum. Verum hæc friuola sunt: Non enim Christus à stellis regitur, sed rector est stellarum. Hinc in Matthæo dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Matth. 28. Et iterum: Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum Ioan. 10. sumendi eam. Nemo eam tollit à me, sed egoipse eam pono. Augustinus hanc horam refert ad horam passionis, quando in cruce pendens, matrẽ agnouit. Quasi diceret: Nunc te non agnosco, quia miracula facere à te non habeo, cum autem uenerit illa hora passionis, te agnoscam: quia à te habeo, ut pati possim.

Hæc quanquam pia sint, melius tamen est, ut ad miracula referatur, ut sit sensus: Penes me est statuere, quando succurrendum sit, non penes te. Tempus autem & hora faciendi miracula est, cum id exigit gloria Dei. Hinc est, quod Christus nunquam amicorum uel cognatorum affectibus miracula fecit, etiamsi sæpius ab eis ob Luc. 4. id ipsum interpellaretur, ut supra ostensum est. Ob eam causam, nec Ioan. 7. coram Herode miraculum ullum facere dignabatur. Deinde Luc. 23. tempus & hora faciendi miracula tunc est, cum necessitas hominum id exigit. Misericordia enim Dei, maxime specioſa est tempore necessitatis, non minus quàm nubes pluuiæ in tempore siccitatis. Hinc Eccles. 36. & in Isaia dicit: Tempore accepto exaudiui te, &c̃. Nondum autem Isa. 49. aderat necessitas, nec adhuc omnes sciebant uini defectũ, ideo Christus differebat miraculum, quo magis omnibus innotesceret uini defectus, & necessitati, non ostentationi datum uideretur. Ob eandem causam & tam diu distulit incarnationem, ut homo penitus agnosceret suam damnationem, & tanto gratius esset beneficium, quanto diutius expectatum. Ob eandem causam, solet etiam nunc electos suos ad Inferos usq; deducere, ut uel hinc sentiant, quanta sit misericordia Dei, eos inde reducentis.

Quæcunq; dixerit uobis, facite]

Voluntatis eius conscia, & de potentia eius non dubitans, opportuna commonitione ministrorum animos præparat. Illud nimirum procurabat pia matris sollicitudo, ne famulorum incredulitas, aut non paratum obsequium, obstaret, quo minus conuiuio subueniretur. Timebat item, ne si quid inconsuetum præciperet, amentiæ deputarent, nondum ueram eius experti uirtutem: quemadmodum propinqui eius, cum Apostolos eligeret, & quibusdam nomina mutaret, exierunt, ut tenerent eum, putantes eum in furorem uersum. Mar. 3. Et quid aliud curat pius quilibet Paterfamiliâs, quàm ne uel ipse uel familia quicquam agant, quo minus digni efficiantur Dei beneficio. Hinc Iob quotidie pro filijs suis sacrificabat: Ne forte, inquit, benedixerint filij mei Domino in cordibus suis, & peccauerint. Iob. 1.

Ex

Ex hoc autem loco petenda est uera orationis Christianæ forma. Primo enim ueniendum est fidutia solius misericordiæ Dei, & nequaquam prærogatiua meriti nostri, alioqui audiemus: Quid mihi tecum est? Hinc est, quod Daniel oraturus dicit: Non in iustificationibus nostris prosternimus orationes nostras, sed in miserationibus tuis multis & magnis. Secundo simpliciter necessitatem nostram coram Deo aperiamus, omnem effectum committentes eius uoluntati, quemadmodum & Virgo mater simpliciter dicit: Vinum non habent. Sic leprosus orabat: Domine, si uis, potes me mundare. Et Dauid: Si dixerit, non places, præsto sum, faciat ut uult. Tertio, sicut Virgo mater, quamuis duram audierat responsionē à Christo, immo quasi apertam recusationem, non tamen indignatur, non desperat, quin potius, perinde ac si apertam habeat promissionē, seruis demandat, ut faciant, quodcunq; iusserit Filius. Ita nos affectos esse oportet in orationibus nostris, ut pergamus in uocatione nostra, nec de Dei bonitate diffidamus, etiamsi omnia contraria uideantur. Sic oramus pro uita æterna, sed contraria sunt affectus prædestinationis, afflictio, peccatum, & mors: nihilominus tamen perseueramus. Sic Moyses pergebat in liberando Israël ex Ægypto, ut maxime omnia aduersa accidere uidebat. Sic Dauid in acquirendo regno semel promisso. Sic Ezechias in defendēda urbe Hierosolyma. Sic & mulier Chananæa aliquoties repulsa, tamen non desperabat, nec cessabat. Huc pertinet, quod in Isaia dicit: Non usq; in finem irascar, &c. Hinc Petrus monet, ut instemus orationi, & commendemus fideli creatori animas nostras.

Matth. 8.
2. Reg. 15.
Exod. 5.
1. lib. Reg.
4. Reg. 18.
Matth. 15.
Isa. 57.
1. Pet. 4.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, &c.]

Hic tandem accedit ad ipsum miraculum describendum, ac pluribus quidem utitur uerbis, quorum tamen nullum non facit ad confirmationem miraculi.

Primo enim miraculum auget multitudo hydriarum. Deinde ipsarū capacitas, quæ quamuis ad nostras mensuras non facile exigi possit quanta fuerit, facile tamen coniicitur, non parum uini fuisse, quod Christus mirabiliter exhibuit. Præterea miraculo fidem facit, quod eæ hydriæ nullum alium liquorem unquam accepissent, quàm aquam, ne quis forte suspicaretur hic dolum. Hydria enim uas est aquæ, nam ὑδρία aquam significat. Ad hoc facit, quod dicuntur positæ secundum purificationem Iudæorum. Ea autem (teste Marco) talis erat, ut nisi subinde lotis manibus non manducarent, immo à foro uenientes, nisi prius loti, non manducabant. Erat enim Iudæorum gens admodum superstitiosa in operibus, non solum legis, sed & humanarum traditionum, id quod ex Matthæo liquet. Denicq; ad miraculi fidem facit, quod non ipse,

Mar. 7.
Matth. 13.

sed

sed ministri hydrias implent. Deinde, quod usq; ad summũ implent eas, ne quis possit dolum suspicari. Præterea quod Christus nullis præcationibus præuijs, immo ne contactu quidem aquę uel hydriarum, sed solo nutu & uoluntate, aquam in uinum conuertit, id quod solius Dei est: hoc enim neq; Moyses, neq; Prophetarum quispiam potuit, ut uel ex hoc uno uidere possimus, quod Christus nedum plus quàm Iona aut Salomon, sed & plus quàm Moyses est. Quid igitur mirum, si pius homo in ipso omnem suam fiduciam collocat? Matth. 12.

Postremo ad miraculi fidem facit, quod non aliquis è conuiuis, sed ipse Architriclinus, qui cæteris temperatius bibere solet, pronunciat esse uinũ, quod ministri afferabant: nec uulgare aliquod uinum, sed optimum, adeo, ut ea de causa sponsum obiurgaret: Omnis, inquit, homo, &c. Vide igitur, quàm nihil frustra circa hoc miraculum uel factum sit à Christo, uel scriptum à Ioanne. Quia enim hoc erat initium signorum, necesse erat ad fidem confirmandam, ut eo modo & fieret & scriberetur, ne quis posset suspicare dolum. Alioqui enim Christus ad primam matris interpellationem, poterat hoc miraculum facere, & Ioannes uno uerbo dicere poterat: Iesus ad nuptias conuertit aquam in uinũ, nisi putasset plurimum conducere ad fidem nostram, ut ea diffusius describeret. Obserua autem, quod Dominus nec de nihilo uinum, quo conuiuas lætificaret: nec de nihilo panem fecit, quo turbas esurientes satiaret: nec aliquid omnino in tota suorum serie signorum de non existentibus fecit, sed uel existentia in maius aut melius prouexit, ut hic: uel corrupta in integrum reformauit, ut infirmos curando: uel destituta restituit, mortuos suscitando. De nihilo aũt nullum miraculum fecit. Non enim mentitur scriptura, quæ dicit: Qui uiuit in æternum, creauit omnia simul. Simul quippe omnia, id est, prima rerum elementa de nihilo creauit. Ideo dicitur: In principio creauit Deus cœlum & terram, sex autem diebus operatus rerum omnium species, non de nihilo creauit, sed ex eisdẽ elementis uerbi imperio formauit. Et die quidem septimo, requieuit ab omni opere, scilicet, ut nullam nouam deinceps speciem produci iubeat: operatur tamen usq; modo, dum easdem gubernat et multiplicat, maximeq; humanum genus, quod in melius cõmutat. Ioan. 6. Eccle. 18. Gen. 1. Ioan. 5.

Omnis homo primo bonum uinum ponit]

Allegorice hic ostensum est, quod diuerso modo mundus & Christus suos conuiuas recreant. Mundus enim primo loco omnia bona promittit, omnia prospera pollicetur, cęterum in fine, nihil nisi ęgritudines, afflictiones, calamitates, denicq; & mortem nobis relinquit: Christus autem primo loco suorum humeris crucem, persecutionem, & mortem imponit, omnibus malis eos obrũciens, postremo autem non tam gaudio eos perfundit conscientiæ, quàm uita,

Matth. 5. Luc. 6. Hinc in Matthæo dicit: Beati estis, cum maledixerint uobis, &c. Gaudete et exultate, &c. Et in Luca: Beati qui fletis nunc, quia ridebitis.

Hoc fecit initium signorum Iesus, &c.]

Magnum sane & præclarum fecit initium signorum, quo tanquam fulgurea coruscatione feriret oculos hominum, ut ad considerandam cœli faciem attoniti leuarent intuitum, id est, ad considerandā cætera quoq; quæ adhuc facturus erat, diligentes & attenti oculos cordis intenderent. Ideo sequitur,

Et manifestauit gloriam suam]

Hoc enim facto & illi uiderunt, & nos audimus, immo oculis, etsi non corporeis, tamen oculis fidei uidemus gloriam eius, gloriam Ioan. 1. quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & ueritatis. Vere beati oculi, Luc. 10. qui hæc uident: & aures, quæ hoc audiunt. Quis enim desperationi locus relictus est, cum uideamus Christum nostrum nihil non posse?

Et crediderunt in eum discipuli eius]

Hic est fructus huius miraculi, immo omnium, quę unquam fecit, & facit Deus. Quid enim aliud in operibus suis quibuslibet quærit, quàm ut ei credamus, nec quicquam te dediciſſe ex miraculis præsumas, si non inde tua in Deum fiducia crescat. Quis igitur non uidet, quàm frustra nos ea & legamus & audiamus. Nihil enim minus scimus, quàm confidere Deo, &c. Pręter hoc autem, quod Christus hoc miraculo suam gloriam manifestauit, etiam plura alia docet, nempe, nuptias esse probatas, et quod ipse Deus de uictu nostro sollicitus est, modo fidamus, & diligēter uocationi nostræ inseruiamus, id quod ex aliis scripturæ locis aperte monstrauit, ut est. 4. Reg. 4. & Matth. 6. Sed de his supra dictum est in exordio huius capitis. Moraliter per nuptias intelligitur coniunctio Dei cum anima hominis Osee 2. fidelis, de qua dicitur: Sponsabo te mihi in misericordia et miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, etc. In his nuptijs sponsus est Chri- Ephes. 5. stus, sponsa anima, ut Paulus Ephesijs scribit. Merito autem sponsus dicitur, quia ubi alij sibi desponsatis aurum & argētum offerunt, ibi Christus suæ sponsæ propriū sanguinē obtulit. Hę nuptiæ celebrantur, et celebrari debent in Chana Galilęę, hoc est, in zelo transmigrationis ab hoc exilio ad uerā patriam. His nuptijs adest & mater Iesu, & discipuli: quia quāuis tota fidelium Ecclesia una sit sponsa, quęlibet tamen anima specialiter copulatur Christo. In his nuptijs omnium maxime opus est uino internæ consolationis, alioqui frustraneū est, quicquid foris exhibetur. Habet quidem sponsa & conuiuæ sex hydrias, quæ externe quidem purificant & splendidum reddunt, non tamen interne consolantur, nisi Christus aquam in uinum uertat. Genes. 24. Prima hydria est misericordia in miseros. Hæc est hydria Rebeccæ, quæ celeriter deponitur de humeris, ut bibat indigens homo, & iumenta.

menta. Hæc hydria duas habet metretas, quia et in corde habet compassionem, & in opere præstat subuentionem. Secunda hydria, est commotio zeli in malignos. Hæc est hydria Gedeonis, hæc hydria capit ternas metretas: quia amore ueritatis accenditur intus, & ad ea, quæ corrigere ualet, correptionem fraternæ charitatis exhibet foris: ad ea autem, quæ corrigere non ualet, gemitum ponit orationis. Iudic. 7.

Tertia hydria, est spiritus contribulatus in sacrificio deuotionis. Hæc est hydria Heliæ, quam super sacrificium quadruplicatam superinfundi iussit. Hæc hydria continet duas metretas, quia & propriam deplorat miseriam, & anxie suspirat ad gratiam. 3. Reg. 18.

Quarta hydria, est præguſtatio quædam supernæ dulcedinis. Hæc est hydria, quam inter templi uasa reponi fecit Salomon, quam & remouit Ioas, quam denicq; in totum abstulit Nabuchodonosor: Hæc hydria habet metretas ternas. Aliquando enim fit præguſtatio hæc in intellectu tantum, scilicet in ueritatis uisione: aliquando in affectu tantum: aliquando in utroq;, sicut Paulo contigit. 3. Reg. 7. 4. Reg. 12. Hier. 52. 2. Cor. 12.

Quinta hydria, est consyderatio mortalitatis, hæc est hydria, quæ confringitur super fontem: Habet autem duas metretas, dum scilicet & necessitatem moriendi cogitamus, & incertitudinem horæ. Eccles. 12.

Sexta hydria, est diuini uerbi meditatio, hæc est hydria uiduæ Sarepthanæ, quę nunquam exhauritur. Habet autem tres metretas, fidem enim ædificat, mores instruit, & ad superna erigit. Hęc quamuis non nihil externe purificent, tamen omnino insipida sunt, nisi Christus interueniat. Tunc autem aquam in uinum uertit, quando quæ insipida sunt, amabilia reddit, & quæ grauia erant, leuia facit. 3. Reg. 17.

Allegorice, per nuptias has intelligitur unio duarum naturarum in Christo: Hæ nuptiæ factæ sunt tertia die. Non enim tempore legis naturæ, nec tempore legis scriptæ, sed tempore gratiæ, Christus carnem assumpsit. Facta est autem hæc unio in Chana Galilææ, hoc est, ex magno zelo, quem gerebat Deus pro homine, contra adulterum Diabolum. Senarius hydriarum numerus perfectus, sanctos Patres uniuersos significat, qui diuersis temporibus, id est, sex mundi ætatibus diuisi, Christum expectabant. Et hi omnes aquam sapientiæ salutaris habebant, hoc est, cognitionem, & promissiones, aut scripturas de futuro Christo, sed non æqualiter. Aliqui metretas continebant binas, aliqui ternas. Plus enim indicatum est Moysi, quàm Abraham: & Dauidi, quàm Moysi, &c. Verum, quantumcunq; & legem & Prophetas haberent, tamen omnia insipida erant, usq; ad aduentum Christi. Per Christum autem aqua mutata est in uinum, quia insipida litera legis conuersa est in uinum dulcissimum Euangelij. Hoc uinum ex aqua factum, ministri & Apostoli nobis propinauerunt, et adhuc offerũt. Primo tamen omnium Architriclino offerunt, quia nihil inde sibi ascribunt, sed omnia ad Deũ referunt.

Sic igitur reficiuntur fideles in Ecclesia gaudentes, & admirantes admirabile Dei consilium, quo non ab exordio, sed quasi in fine mundi, hoc uinum primo dare uoluit mundo.

Interim autem aspirant ad perfectas illas nuptias, ad quas post finem huius uitæ introducuntur fideles, ubi perfecte Deo unientur & indissolubiliter, & ubi omnis aqua in uinum uertetur, hoc est, omnia aduersa in gaudium perpetuum conuertentur, quando scilicet absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, &c. Vere igitur beati, qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt: beatiores, qui ad eas pertingunt: beatissimi autem, qui & ipsi sponsæ nomine digni inuenientur.

Matth. 25.
Apoc. 21.
Apoc. 19.

Post hæc descendit Capharnaum]

Manifestauerat Christus semel gloriam suam, sed tantum coram amicis & discipulis: Nunc iterum ad tempus se abscondit, nolebat enim præcursorem suum adhuc prædicãtem, à cœpto cursu impedire, donec ad debitũ finem pertingeret, quo facto insigne exemplum ueræ modestiæ ostendit. Deinde noluit calumniatoribus ansam calumniandi præbere. Si enim Ioanne adhuc prædicante, & ipse cœpisset publicè prædicare, non defuissent, qui eum uel æmulatione uel inuidia, hoc facere calumniarentur. Decet autem prædicatorem, ut etiam ab omni specie mala abstineat, omnique prorsus mala suspitione careat. Alioqui facile contemnitur prædicatio, ubi in prædicatore æmulatio, inuidia, contentio, aliique carnales affectus uidentur, id quod nostris temporibus experimur. Hinc Paulus monet: Nemini, inquit, dantes ullam offensionem, ut non uituperetur ministerium nostrum. Descensus autem hic Christi in Capharnaum, non tam decliuem terrarum situm, quàm humilitatis ipsius magnam innuit dignationem: quia uidelicet Deus ad homines, sanctus descendit ad peccatores. Capharnaum enim peccatrix erat ciuitas, in tantum, ut huic quoque exprobrauerit Christus: Et tu, inquit, Capharnum, &c. Non tamen dedignatur Christus illuc ire, immo & manere cum suis. Nec in ullo loco Galilææ plura signa fecit, quàm in Capharnaũ, ut uel hinc uideas, quàm paratus sit in profundo peccatorum iacentibus subuenire: Nõ, inquit, uoluntatis meæ est, ut moriatur impius, sed ut conuertatur. Quamuis hac sua dignatione, parum profecerit apud Capernaitas.

2. Cor. 6.
Matth. 11.
Ezech. 18.

Cæterum, quod matrem & fratres, qui eum per ciuitates & castella circueuntem sequi non poterant, non alibi, quàm in Capharnaũ reliquit, insigne charitatis est exemplum, quo docemur. Primo, ut curam geramus eorum, qui nobis commissi sunt. Qui enim suorum & maxime domesticorum curam non habẽt, fidem negant, etc. Secundo, ut infirmorum imbecillitates toleremus, quemadmodum

1. Tim. 5.

Paulus

Paulus monet, ne ſtatim contemnamus eos, qui Chriſtū per quæq; ardua ſequi non poſſunt, ſed reliquamus eos in uilla cõſolationis (ſic enim interpretatur Capharnaum) crebriſq; conſolationibus eos fulciamus, donec & ipſi grandeſcant in Chriſto. Allegorice autem ſtatim poſt conuerſionem aquæ in uinum, Chriſtus deſcendit Capharnaum: quia poſtquam reſurgendo à mortuis mortalitatis noſtræ aquam, in immortalitatis ſuę uinum trāſtulit: et dato Spiritu ſancto, inſipidam aquam legis, in nouum muſtum Euangelij conuertit, relictiſq; Iudæis, ad conſolandas gentes tranſijt. Rom. 15.

Ipſe & mater eius & fratres, &c.]

Fratres Chriſti non intelligas ex eadem matre genitos, id quod Heluidius uoluit: Neq; ex ipſo Ioſeph genitos, ſed cognatos. Sic enim ſcriptura cognatos fratres nominat. Sic Loth dicitur frater Abrahę, & Iacob frater Laban, &c. Geneſ. 13. Geneſ. 29.

Obſerua autem, quales comites habeat Chriſtus, Matrem, fratres, & diſcipulos. Hi ſunt, de quibus in Iſaia dicit: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus, &c. Itemq; in Zacharia: Mittam, inquit, manum meā ad paruulos, &c. Hic eſt puſillus ille grex, cui pater regnum dare decreuit. Contendendum igitur omnibus nobis eſt, ut in eorū numero inueniamur. Cum autem matrem Chriſti eſſe, & carnaliter cognatos non omnibus datum ſit, ad hoc ſaltem nitamur, ut ſimus eius diſcipuli: hoc enim nulli denegatur, dicēte Chriſto. Omnis qui uenit ad me, non eiiciam foras. Quanquam ſpiritualiter ne dum diſcipuli, ſed & fratres & mater Chriſti eſſe poſſumus: Quicunq;, inquit, fecerit uoluntatē Patris mei, ille meus frater, ſoror, et mater eſt. Iſa. 8. Zach. 13. Luc. 12. Ioan. 6. Matth. 12.

Et prope erat Paſcha Iudæorum]

Paſchæ feſtum celebrabatur, in memoriam liberationis ex Ægypto. Eius feſti ritus erant comeſtio agni in ueſpera, & azymorum panum per ſeptem dies. Signanter autem dicit: *Erat Paſcha Iudæorum*. Nos enim longe aliud Paſcha habemus: nā agnus noſter ſpiritualis, eſt Chriſtus, ſcilicet pro nobis immolatus, & azyma noſtra ſyncritas & ueritas ſunt. Denicq; & ipſa liberatio ſpiritualis eſt, ſcilicet à Diabolo & peccatis, de qua Paulus: Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, &c. Obſerua, quod ſicut Chriſtus in ipſo feſto Paſchæ primo ſe Hieroſolymis manifeſtauit, ſic in eodem feſto, ultimo à Iudæis uiſus eſt, ſed differenter. In priori ſiquidem feſto, admodum ſeuerum ſe oſtendit, ut ſequitur, in poſteriori autem, ſe benigniſsimum exhibuit: adeo, ut in cruce pendens, cum clamore & lachrymis pro peccatoribus oraret. Vtrunq; autem, hoc eſt, tam ſeueritatem, quàm benignitatem in feſto Phaſchæ oſtendere uoluit: tunc enim, ex omnibus partibus conueniebant Iudæi. Omnibus autem Exod. 12. 1. Cor. 15. Coloſſ. 1. Luc. 23. Heb. 5.

necessarium est, & sciant Deum & iustum, & misericordem: Misericordiam & iudicium, inquit, cantabo tibi Domine. Primo autem seueritatē ostendit, ut hinc discamus quid nobis deberetur, nisi Christus in se transtulisset mala nostra. Psal. 100.

Et ascendit Iesus Hierosolymam.

In lege præceptum erat, ut omnē masculinum Iudæorum, ter in anno ascenderet ad locum sacrificiorum: Christus autem, qui prius cœpit facere quàm docere, id præceptum seruauit, tum ut futurorum hæreticorū dicentium, Legem Moysaicam à Diabolo traditam, errorem destrueret: Tum, ut nobis exemplum daret, cum omni diligentia obediendi diuinis præceptis, nimirum ipso facto iam docens, quod postea uerbo docuit: Exemplum dedi uobis, &c. Exod. 23. Ioan. 13.

Et inuenit in templo uendentes oues, &c.

Alij Euangelistę hoc factum esse scribunt à Christo, posteaquam asello insidens, in die Palmarum Hierosolymam intrasset proximus passioni: nec dubium est, quin tale quid eo tempore factum sit, quandoquidem tres Euangelistę illud affirment constanter. Volunt autem aliqui, quod Ioannes, cuius propositum fuit, testimonia diuinitatis undiq; colligere, ideo hoc factū primo loco scripsit, nō quod primo tempore factū sit, sed quod magis insigne diuinitatis testimonium sit, quàm alia. Verū huic repugnat, quod infra dicitur: Cum rediisset Iesus in Galilęam, receperunt eū Galilęi, cum omnia uidissent, quæ fecerat Hierosolymis in die festo. Fateri igitur cogimur, plusquā semel eiectos à Christo negociatores illos. Matth. 21. Mar. 11. Lucæ 19. Ioan. 4.

Quomodo enim totis tribus annis, tantā impietatem passus fuisset in templo? immo fidenter affirmare licet, quod ne dum semel atq; iterum, sed & quoties huiusmodi negociationes & latrocinia inuenit, zelatus est, & comedit eū zelus Domini. Ideo quod Ioannes hic scribit, confirmatio est eius, quod alij Euangelistæ scripserunt. Nam alioqui posset aduersarius quispiam dicere, quod in ultima illa eiectione non diuinitatis nutu Pharisęi quieuerint, sed metu turbarum, quæ multæ partim cum illo uenerant, partim uenienti cū ramis palmarum & laudibus obuiam exierant. Vt ergo totum, quod factū est, diuinitatis eius uirtuti indubitāter ascribendū esse sciamus, illo quoq; tempore hoc illum fecisse testatur Ioannes, quo parum notus adhuc, nulla turba fuerat comitatus. Emphasim autem habet, quod dicit: *Inuenit uendentes in templo, &c.* Dudum per Prophetas eos arguerat, quod templū eius dehonestarent, quanq; ipsi crebro id negarēt: Quid, inquit, niteris bonam ostendere uiam tuā, en ego iudicio contendam tecum. Et in alio loco: Ego sum, ego uidi, dicit Dominus. Et in Psalmo: Existimasti inique, quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuā. Huc igitur pertinet, quod Ioannes ait: *Inuenit uēdentes.* Quasi diceret, quod toties in eis arguit, quodq; ipsi cōstāter Psalm. 68. Matth. 21. Hier. 2. Hier. 7. Psalm. 49.

semper

ſemper negauerunt, hoc ipſo facto deprehendit: Vę homini, quem Deus ſępius monitũ, in malo opere deprehendit. Si enim diſcipulos nihil quidẽ mali operãtes, ſed tantũ à bono ceſſantes et dormiẽtes, tamẽ arguit: quid faciet illis, qui in manifeſtis peccatis deprehẽdentur? Huc pertinet, quod Chriſtus dixit: Si infidelis ſeruus dicat, Tardat Dominus meus, et cœperit percutere cõſeruos ſuos, etc. ueniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, et diuidet eũ, ponetq; partẽ eius cum hypocritis. Obſerua, quod tũc uel maxime ludæoruũ genti ex terminiũ immin[illegible] a Dei: eũ eorũ religio maxime ad auaritiã declinaſſet. Quod ſi uerũ eſt, immo quia uerũ eſt, merito timendũ nobis eſt: nam & noſtra religio plane ad quæſtum & auaritiam declinauit, ut infra dicetur. Statuerant autem Pontifices & Phariſęi, licitum eſſe, in templo uendere res ad ſacrificia & oblationes neceſſarias, ne parum magnificus eſſet cultus Dei: Sed hoc prætextu ſuum quæſtum augebant. Sic enim ſolet caro ſuis affectibus nomen aut cultum diuinum prętexere, uerum non irridetur Deus, qui cor aſpicit. Matth. 26. Matth. 24. Galat. 6.

Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis]

Longe alium ſe hic Chriſtus exhibet, quàm in nuptijs: Illic enim benigne indigentibus ſubuenit, hic autem ſeuere peccantes corripuit, ut uideas uerũ eſſe illud Pſalmiſtæ: Cũ ſancto ſanctus eris, & cũ peruerſo peruerteris. Poteſt quidem Deus infirmitates noſtras tolerare, non autem pertinaciam & proteruiam. Mirũ autem alicui uideri poſſet, quod Chriſtus alioqui in omnibus & erga omnes mitis & benignus: adeo, ut ne dum conuitia, ſed & uerbera et mortem patienter ſuſtinuerit, hic pręter morẽ ſuũ ſe tam ſeuerũ exhibuit. Per hoc autem primo oſtendit, ſe Dei gloriam zelare, id quod ſumme neceſſarium erat auſpicaturo tantũ officium. Si enim poſt tam manifeſta indicia, tamen ut blaſphematorẽ Dei eum condemnarũt, quid futurũ erat, ſi nihil tale in Chriſto uidiſſent. Deinde hoc facto oſtendit grauiſsimũ eſſe, & grauiſsima pœna dignũ, in loco ſancto, aut ſub pietatis uel diuini nominis & cultus prætextu peccare. Sic enim olim in Iſaia prædixerat: In terra, inquit, ſanctorũ iniqua geſsit, et nõ uidebit gloriam Dei, &c. Hinc & in Hieremia miratur: Quid, inquit, eſt, quod dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa, etc. Vbi ſingula uerba emphatica ſunt, & peccatum exaggerant. Congrue autem flagello, ex funiculis facto, [illegible]urbauit eos. Quid enim aliud ſunt peccata, niſi funiculi, quibus peccator conſtringitur? Vę, inquit, qui trahunt iniquitatẽ quaſi in funiculis. Qui igitur peccatũ peccato addit, iam funiculos auget & prolongat, quibus tandem ejcitur. Sic ludæi longis peccatorum funiculis circun[illegible]ur: Veniet, inquit, ſuper uos omnis ſangui[illegible], qui effuſus [illegible] ſanguine Abel, &c. Et iterum: Implete menſuram patrum ueſtrorum, &c. Matth. 26. Iſa. 26. Hier. 11. Iſa. 5. Matth. 26.

Omnes ejecit de templo]

Historiæ testantur, quod Deus etiam in dijs gentium non potuit ferre blasphemiam nominis sui. Quamuis enim dij gentium essent dæmonia, quia tamen pro Deo uero honorabant, redundabat eorum cõtemptus in ueri Dei, diuinique nominis blasphemiam: Quanto minus id ferre potuit aut debuit in templo, suo nomini dicato? Vide autem, quam facile unus & solus, tot tamq; potentes eiecerit,
Deut. 32. ut ne resistere quidem possent aut auderent: Cum exacuero, inquit, ut fulgur gladium meum, et iudiciũ arripuerit manus mea, reddam
Nahum 1. ultionem hostibus meis, &c. Vere igitur dixit Nahum: A facie indignationis eius, quis stabit? Hæc autem uendentiũ eiectio, Iudæis portendit magnum & miserabile malum, nempe eiectionem ne dum à terra sua, sed etiam ab Ecclesia Dei. Sicut enim ante primam templi
Isa. 10. destructionem dixerat Deus: Væ Assur, uirga furoris mei & baculus, in manu eius indignatio mea: sic postea Romanus exercitus, fuit funiculus ille, quibus impij Iudæi exterminati sunt. Et merito funiculus dicitur: Durus enim fuit ad cędendum, & fortis ad ligandum & captiuandum: uere funiculus iræ Dei lorumq; ferreum.

Oues quoq; & boues]

Etiam irrationales creaturę propter peccatum hominis flagellan-
Deut. 28. tur à Deo. Hinc Moyses: Si non obedieris, maledictus tu, & omnia tua, &c. Ad longum. Per hoc autem, quod etiam animalia eiecit, si-
Psal. 39. gnificabatur, finem adesse sacrificiorum legalium: Sacrificium, inquit, & oblationem noluisti, tunc dixi, Ecce uenio. Tempus enim erat, ut cessaret figura, ueritasq; succederet, ac unicum illud sacrificium, quod Christus est, offerretur.

Et numulariorum effudit æs]

Hos adhuc durius tractat. Dupliciter enim peccabant, & quod
Deut. 23. usuras committebant, quod lege prohibitum erat: & quod in loco sacro, ac pietatis prætextu id faciebant. Deniq; & mensas subuertit, ne facile impium opus repetere possent.

Et his, qui columbas uendebant, dixit, &c.]

Hos mitius tractat. Pauperes enim erant: Columbæ enim pauperum mercimonia sunt, & necessitate potius peccabant, quàm malitia, tamen arguit eos. Quãuis enim maius sit ex malitia peccare, non tamen impune feres, etiamsi externa necessitate aut paupertate coactus pecces: Deus enim peccatum odit.

Auferte ista hinc, & nolite domum Patris]

In alio Euangelista dicit: Vos fecistis domum Patris mei, spelunca la-
Matth. 21. tronum. Hic aũt mitius: Nolite, inquit, domũ Patris, facere domũ negotiationis, nimirũ, quia illic loquebatur Scribis et Pharisęis, qui re-

pera

uera sub specie diuini cultus, quasi in spelunca latentes, prædam & latrocinium de populo faciebant. Hic aũt pauperibus columbas uendentibus loquitur, qui nesciebant, quid esset inter dextram & sinistram. Obseruandum hic etiam contra hæreticos Ebionitas, quod Christus non simpliciter dicit: *Domum Patris, sed Patris mei*, hoc enim uerbo indicat, se speciali quodam modo filium Dei esse, nempe ex natura. Vide igitur cæcitatem Ebionitarum, audierunt Mariam dicentem, Fili quid feciſti nobis sic? &c. Nec audierunt Christũ inferentẽ: Nesciebatis, quod in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Quod si mitem illum balatum agni mansueti forte non attenderũt, quomodo saltem hunc rugitũ Leonis non audierunt, in tempestate & turbine uias suas agentis, & omnia terrore aspectus sui subuertentis, ac dicentis: *Domum Patris mei, nolite facere domum negociationis.*

Hactenus igitur quid Christus in externo illo templo fecerit, audiuimus & expauimus: Nec immerito. Cũ enim cõstet, quod templum illud tantum umbra fuerit ueri templi, & omnia quæ Iudæi in ipso feciſſe leguntur, saltem aliquo modo ad cultũ Dei pertinebant; nihilo tamen minus, Christus tantam seueritatẽ ostendit, quid non pœnarum inferet his, qui manifestis uitijs uerum templum Dei dehonestant? Verum autem templum Dei Christus est, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: Extra hoc templum, nullæ orationes exaudiuntur, nullaq; sacrificia accepta sunt. Quicquid, inquit, in nomine meo petieritis, dabit uobis Pater. Coloſſ. 2. Ioan. 16.

Ex hoc templo primus Iudas domum negocitationis fecit: hunc sequutus est Simon Magus, hos imitantur quicunq; sub nomine Christi, se suaq; quærunt. Deinde domus Dei est quilibet fidelis: Nescitis, inquit, Paulus, quod templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in uobis. Noli igitur ex domo Dei facere domum negociationis: Empti, inquit, estis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore uestro. Qui autẽ hoc templum Dei uiolauerit, disperdet illum Dominus. Præterea templum & Domus Dei, est Ecclesia credentium, Paulo teste. Super hanc domũ uere aperti sunt oculi eius, huius domus decorẽ summe zelatur: Zelatus sum, inquit Sion, zelo magno, etc. Et post pauca: Qui tangit uos, tangit pupillam oculi mei. Hanc domum Petro cõmittere noluit, nisi prius tertio stipulatus ab eo, an eũ diligeret. Quis aũt non uidet hanc Dei domum, nunc uere factam domum negociationis? Circuite uias Hierusalem, & uidete si inueniatis uirũ, qui faciat iustitiam, &c. A minore usq; ad maximum omnes auaritiæ student. Matth. 26. Act. 8. 1. Cor. 3. 1. Cor. 6. 1. Cor. 3. 1. Tim. 3. Zach. 1. & 2. Ioan. 21. Hier. 5. Hier. 6.

Quis enim enarrare potest, quantis technis, fraudibus, imposturis, circumuentionibus, uulgus Christianorum sese mutuo defraudant? Quis nobilium, & Principũ, Iudicũ, Scribraũ, Legisperitorũ, Medicorũ, &c. fraudes, rapinas, & noua subinde inuenta, ad exhauriendas

riendas pauperum fortunas, uel numerare posset? Quis denique Sacerdotum ac Religiosorũ, & Pontificũ, inexplebilem auaritiam ac imposturas non uidet? Apud hos omnia uenalia sunt, ne dum oues & boues, beneficia scilicet quæ uocant, & officia maiora & minora, sed etiam columbæ, hoc est, Spiritus sancti dona, & spiritualia bona, quę
Matth. 10. gratis expendere iussi sunt, utpote, quę gratis etiam acceperunt. Inter hos inueniuntur, qui palam omissis spiritualibus, numularios agunt, ac tantum terrenis inhiant. Denique & mensas & sedes suas adeo firmauerunt mundanis præsidijs, ut non facile eijci possint. Verum nihil tam firmum, quod Deus non deijcere possit. In summa, quicquid olim Prophetæ in auaritiam Iudæorum inuecti sunt, etiam in
3. Reg. 13. nobis implebitur: Vt est illud. Quicunq; uolebat, implebat manum
Mich. 3. suam, et fiebat Sacerdos. Item, Principes in muneribus iudicabant, &
Malach. 1. Sacerdotes in precio docebant, &c. Item, Quis ex uobis claudit ostia, & accendit altare gratuito? &c. Interim Christus è cœlo clamat: *Nolite domum Patris mei, facere domum negociationis*, sed quis eum audit? Interdum etiam quæ male congesseramus, semel eripit ac aufert nobis, uel per bella, uel per incendium, uel per Tyrannos: Nec sic tamen emendamur. Insuper & in plærisq; locis mensas numulariorum, hoc est, Ecclesias & altaria, quibus ad quæstum abutimur, subuerti permisit, ad terrorem scilicet aliorum: Nec sic tamen emendamur. Quid igitur restat, nisi ut flagello facto, cum ira omnes
Osee. 9. eijciat: Propter multitudinem, inquit, adinuentionum tuarum, eijciam te de domo mea: Non addam, ut diligam te. Hoc quotidie petunt electi, cum orantes dicunt: Secundum multitudinem impieta-
Psalm. 5. tum eorum, expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine. Quis igitur dubitat breui hoc futurum, quando & Deus ipse hoc comminatus est, & sancti hoc iugiter petunt: maxime, cum & nos non cessemus augere peccata, ac multiplicare funiculos, quorum alioqui heu nimium erat, &c.

Recordati uero sunt discipuli eius, &c.]

Occupatio est. Posset enim quis dicere, qui fit, ut Christus hic tam
Matth. 11. seuerus sit, cum alibi dicat: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Respondet Euangelista, quod Christus hoc loco præter morem crudelis uidetur, nõ libido, non inuidia, nõ temeritas est, sed diuinus zelus, et indignatio iusta. Zelus autem est feruor quidam, seu intensa affectio, ex amore procedẽs, per quẽ homo conatur ea excludere, quę consecutionẽ boni optati impediunt. Sicut aũt duplex est amor: Carnalis scilicet, et Spiritualis. Sic duplex est zelus, uidelicet, Alter carna-
1. Cor. 10. lis, de quo Paulus: Cũ sit inter uos zelus et contentio, nonne carnales estis, etc. Alter spiritualis, diuinus & charitatiuus, quo nitiẽ homo ea excludere, quę diuino honori, aut proximorũ cõtrariãtur saluti. Hoc
Exod. 32. zelo correptus fuit Moyses, alioqui mitissimus, in trucidandis Idolatris,

latris, similiter & Phinees in cõfossione fornicantiũ, & Helias in occidẽdis Prophetis Baal, & Stephanus, dũ primoribus Iudęorũ dicit: Duri ceruice, et incircunsi corde, & proditores & occisores estis &c. Hic zelus Christũ è cœlo traxit. Male enim eũ habebat, dum sui tam misere à Sathana tractarentur, peccatis, morte, et Inferno. Ex eodem zelo non potuit pati contemptum, & dehonestationem Dei. Congrue igitur hic ex Psalmo adducitur uersus hic: Zelus domus tuæ cõmedit me. Idẽ enim Psalmus totus in persona Christi dictus est. Vere aũt dictũ est: Zelus domus tuę cõmedit me. Infirmitas enim humanitatis eius, orat in illo Psalmo, quę cũ diuinitatẽ in se habitantem ita cõtegeret, ut inter homines ambulans, hominibus nõ cõpareret, repẽte sic illum cõmouit zelus Patris sui, ut ipsa infirmitas eius quasi non cõpareret, dũ diuinitatis fulgurantis splendor se exerẽs, naturã infirmã operuit, uel abscondit. Obserua aũt, quod zelus rectus nõ est cuiusuis spiritus: proinde nemo hũc sua authoritate sibi usurpet, ne ex zelo fiat scelus, & omnino curandũ est, ut sit zelus iuxta sententiam. Sunt enim qui uidentur habere zelum, cũ tamen nihil aliud sit, quàm inuidia, quemadmodum Iudæi contra Christum. Alij uidentur habere zelum Dei, sed interim sua quærunt, quales sunt, qui sub titulo reformationis, aliorum bona inuadunt ac diripiunt. Alij uidentur habere zelum, cum nihil nisi temeritas sit, quales sunt, qui alios reformare uolunt, se ipsos autem negligunt. Verus zelus à se ipso incipit. Si igitur uis zelũ ostendere, corrige primo te ipsum: Miserere animæ tuæ placens Deo. Deinde, si quid peruersi in alijs uides, corrige quantum potes. Si emendare non potes, tolera, geme, ora, noli propterea te à domo Dei separare, alioqui præda eris dæmonibus.

Num. 25. 3. Reg. 18. Act. 7. Psalm. 68. Rom. 10. Eccles. 30.

Obserua itẽ circa hũc locũ, quod soli discipuli recordati sunt hoc scriptũ esse. Impij enim quantũcunq; uiderint uel audierint, nihil tamen horum cogitant, immo tantũ in peiorem partem omnia dijudicant.

Quod signum ostendis nobis, &c.]

Hactenus quamdiu cœlum tonuit, ranæ tacuerunt, quamdiu diuinitas fremuit de illo carnis suæ habitaculo, Iudæi conticescentes, contra hiscere ausi non sunt. At ubi tonitruum quieuit, rursus erumpunt: Sic omnes impij, cum irã Dei sentiunt, tacent, & simulant pœnitentiam, quemadmodum impius Achab. Cęterum, quàm primum ira Dei quieuerit, rursum insaniunt ad peccata & impietatẽ, id quod in Pharaone pulchre expressum est. Vide autẽ insaniam Iudæorum, propria conscientia ipsis dictabat, se male ęgisse, & iuste punitos esse, & tamen quęrunt cur hoc fecerit. Sic impij, etiamsi sciant se malos et male agere, tamen nolunt corrigi. Atqui multo satius erat correptionem, quę solis uerbis fit, acceptare, quàm flagellũ Domini expectare. Deinde & hoc insaniæ proximũ est, quod signum petunt, cum iam non uulgare signũ uidissent in tam potenti electione. Manifesta quidem

3. Reg. 21. Exod. 8.

dem diuinitatis indicia fuerunt, quod Lazarũ ſuſcitauit, cæcum à natiuitate illuminauit, quod ad Iordanem audita eſt uox patris, quod transfiguratus in monte, gloriã oſtendit triumphantis: Inter omnia tamẽ ſigna mirabilius eſſe uidetur, quod unus homo, et eo illo tempore admodum contemptus, Scribis & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & uidentibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad unius flagelli uerbera tantam eijcere multitudinem, menſaſq; confringere, & talia facere, quę magnus uix poſſet exercitus. Nihilominus tamẽ Iudæi adhuc ſignum quærunt, quaſi dicerent, Si Deus Pater tuus eſt, et ſi uindicas Patris tui contumeliam, æde miraculum aliquod, ut intelligamus te patris authoritate id facere. Si iſta facis authoritate tua, temeritas
Exod. 32. eſt: ſi diuina, quod ſignum profers, ut credamus tibi? Zelatus eſt
Num. 25. Moyſes, ſed zeli ſui ſigna oſtendit: zelatus eſt & Phinees, ſed à Deo comprobatus eſt, &c.

Sic impijs nullum ſignum ſatis eſt, ſemperq; maiora quærunt, quemadmodũ & diues ille in Inferno: Si quis, inquit, ex mortuis ad
Lucæ 16. eos ierit, credent. Sed fruſtra quęrũt ſigna, non enim dabuntur eis. Signorũ enim ſatis uidimus, interim audiãt Moyſen & Prophetas.

Soluite templum hoc, & in tribus diebus, &c.]

Non dat eis ſignum, quale ipſi uellent, ſed quale decebat ſapientiam Dei dare. Sciebat enim eos nihilo meliores futuros, ut qui tantum ex curioſitate hoc quærerẽt, immo calumniaturos, etiamſi quod miraculum ad oſtentationẽ ædidiſſet, ut interim taceam, quod nihil opus erat nouo miraculo, cum tam manifeſtum diuinitatis iudicium uidiſſent. Non igitur etiam hic aliud ſignum adulteræ generationi
Matth. 12. dedit, quàm ſignum Ionæ Prophetæ, hoc eſt, reſurrectionem ſuam, neq; id abs re. Nullo enim alio ſigno efficacius declarauit diuini-
Rom. 1. tatem ſuam, quàm reſurrectione: Hinc enim declaratus eſt Filius Dei.

Moyſes nanq; & cæteri ſancti omnes, mortui quidem ſunt, ſed nemo illorum reſurrexit. Quod ſi etiam aliquos homines reuixiſſe legimus: nemo tamen præter unum Dominum Ieſum, ſeipſum ex-
Ioan. 10. citauit ad uitam. Solus enim ipſe, poteſtatẽ habuit ponendi animam & iterum ſumendi eam. Deinde, nullo alio ſigno Iudæi ita confuſi ſunt, ut reſurrectione Chriſti. Vt interim taceam, quod omnes
Matth. 28. impios nihil adeo terret, quàm quod Chriſtus poteſtatem in cœlo et
Pſal. 109. terra, omneſq; aduerſarios ſubiectos pedibus ſuis habet. Nec tamen manifeſte eis reſurrectionem ſuam prædixit, ſed ſub enigmate: non enim ei credidiſſent, quando ne tunc quidem crediderunt, cum iam reſurrexiſſet. Deinde nec digni erant, ut eis aperte myſteria regni
Matth. 13. Dei reuelarent, ſed iuſto Dei iudicio excęcandi erãt, ut uidentes non uiderent, etc. Pręterea etiam ideo Chriſtus interdũ obſcurius locutus eſt, ut hi, qui iam erãt, uel futuri erãt digni reuelatione myſteriorum

regni

regni Dei, in tempore ſuo recordarentur uerborum eius, & ad cognoſcenda uel credenda facta ſequentia, dictis eius præcedentibus adiuuarentur. Congrue autem corpus ſuum Dei templum, mortem, ſolutionem templi: reſurrectionē autem, eiuſdem excitationem nominat. Primo enim certum eſt, Chriſtum uerum Dei templum eſſe, per uetus illud præfiguratum: In ipſo enim corporaliter habitat Coloſſ. 2. omnis plenitudo diuinitatis, in ipſo omnes orationes factæ, exaudiuntur, in ipſo ſolo propitius Deus reperitur: Ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & de plenitudine eius omnes accepimus. Ioan. 16. 1. Ioan. 2. Ioan. 1.

Deinde, in paſsione uere ſolutum eſt corpus Chriſti ab anima eius, & ſanguis à corpore, uniuerſaq; membrorum compago, præ nimia corporis diſtenſione ſoluta eſt. Iuxta illud: Dinumerauerunt Pſalm. 21. omnia oſſa mea, &c. Congrue igitur paſsionem ſuam, nominat ſolutionem templi. In reſurrectione autem, templum illud in integrum reſtitutum eſt, nunquam deinceps deſtruendū: Mors enim illi ultra Rom. 6. non dominabitur.

Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt, &c.]

Etiam hic uides ingenium carnis, quæ omnia carnaliter tantum intelligit, quaſi uero Deus nuſquam alibi, niſi in templo illo Hieroſolymitano, habitare potuerit, cum tamen Salomon ipſe, eiuſdem templi primus ædificator, dixerit: Ergo ne credendum, quod Deus 3. Reg. 8 in manufactis habitet? Si cœli te capere non poſſunt, quanto minus domus hęc. Sic caro quicquid de libertate, regno, cultu diuino, aut beatudine dicitur, omnia carnaliter tantum intelligit. Quadraginta autem & ſex annis, reędificatum dicitur templum: quia primo anno, 1. Eſd. 1. Cyri fundatum eſt, poſtea per Camby ſem prohibitū uſq; ad ſextum annum Darij, quo conſumatum eſt. Myſtice autem tot diebus 1. Eſd. 6. corpus hominis in utero materno formatur. Sic igitur etiam imprudentes uerum dicunt, quod templum, de quo Chriſtus loquitur, id eſt, corpus eius, quadraginta ſex diebus ædificatum fuit, ut Auguſtinus uult.

Hoc autem dicebat de templo corporis ſui]

Hoc uerbo iterum percutit hæreticos, qui Chriſti diuinitatem negabant. Cum enim Chriſtus ipſe dicit, ſe habere templum, plane indicat, ſe Deum eſſe. Non enim alicui creaturæ, ſed Deo templa ædificantur. Hoc autem templum filij Dei, longe dignius eſt externo illo templo: hoc enim manu factum habitatorem non habens Deum, dirutum eſt, illud autem Chriſti templum non manu factum, iam æternum, dirui non poteſt. Deinde ex hoc Chriſti templo, iuxta Ezec. 47 Ezechielem, à latere dextro aqua egreſſa eſt, & omnes ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt. De illo templo à Scribis & Phariſæis ſanguis effluere non ceſſat, quem ſibimet imprecati ſunt, dicendo:

Matth. 27. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.

Cum autem ſurrexiſſet á mortuis, recordati, &c.]

Quod Chriſtus dixerat: Soluite templum hoc, &c. nec Iudæi, nec diſcipuli eo tempore intellexerant, utrorunq; tamen mentibus idem uerbum inſedit, ſed diſsimiliter: Vnde etiam in alijs alium fructum protulit. Siquidem Iudæi memores, hunc ſermonem tanquam capitale crimen obiecerunt illi. Nos, inquiunt, audiuimus eum Matth. 26. dicentem: Poſſum deſtruere templum hoc manufactum, &c. Et iterum Matth. 27. pendenti in cruce conuitiantes dicebant: Vah, qui deſtruis templum Dei: &c. Diſcipuli autem quod aſſequi non poterant, tamen recordantes in pectore quid ſibi uellet, admirabantur, donec peracta reſurrectione, Spiritus ſanctus illos doceret & hęc & alia. Nec mirum, quod idem uerbum Chriſti non eundem fructum in omnibus protulit. Nam & auditores, non eodem animo uerba Chriſti audiebant.

Atq; hinc uidere potes, quidnam in cauſa ſit, quod idem uerbum Dei, non in omnibus fructificat, immo quibuſdam male cedit, ut Phil. 1. Paulus ait: Bonus odor Chriſti ſumus, alijs quidem odor uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem. Soli enim hi fructum bonum Matth. 13. afferunt, qui uerbum Dei in corde bono & optimo ſuſcipiunt.

Si igitur uis, ut uerbum Dei in te fructificet, cura ut ſis terra bona: Alioqui quod ſecus uiam, aut ſupra petram, aut inter ſpinas cadit, infrugiferum manet. Maxime autem perit, quod in cœnum, hoc eſt, in uoluptuoſos cadit. Obſerua autem hic circa diſcipulos, ueras & optimas pñ hominis conditiones. Primo enim uerbum Dei ſyncero corde audit, deinde idipſum nedum memoriæ commendat, Lucæ 11. ſed & uita exprimit: Beati enim, qui audiunt, & cuſtodiunt uerbum Dei. Præterea, etiamſi non intelligat, non tamen ſtatim reijcit, Lucæ 11. immo quo minus intelligit, eo magis admiratur, eoq; ſtudioſius pulſat, donec ei aperiatur. Poſtremo, etiamſi non omnia Dei uerba recenti memoria teneat, tamen uel parum admonitus, facile eorum recordatur: Impiorum conditiones omnino his contrariæ ſunt.

Et crediderunt ſcripturæ, & uerbo, &c.]

Etiam hic alias pñ hominis conditiones uides. Ex uno enim uerbo Chriſti, quod uidebant impletum, in tantam fidem profecerunt, ut deinceps omnibus Chriſti uerbis auderent credere, immo nedum uerbis Chriſti, ſed & toti ſcripturæ ſacræ. Atq; hoc eſt tranſire ex fide in fidem: Ex fide ſcilicet eorum, quæ uidemus impleta, in fidem eo- Rom. 1. rum, quæ nondum impleta ſunt. Hinc eſt, quod etiam Paulus toties Epheſ. 3. precatur, ut creſcamus in fide & agnitione Chriſti, donec occurra- & 4. mus in uirum perfectum; adeo, ut etiam in media morte & deſpera- 2. Pet. 3.

tione,

tione, nihil dubitemus de Deo. Ideo enim Christus aliqua prædixit, quę statim impleta sunt, ut est eius passio & resurrectio, &c. Vt cū uideremus ea impleta, neq; de cæteris dubitaremus. Qui autē in Christo didicerit uerbum Dei magni æstimare, eo firmitatis deueniet, ut & toti scripturæ credere possit. Quid autē fœlicius esse potest eo homine, qui uere & syncere credit, quæ scriptura sacra proponit? Fieri enim non potest, ut talis homo nō totis uiribus impietatem odiat, et pietatem amplectatur.

Cum autem esset Hierosolymis in die festo, &c.]

Scinditur incertū studia in contraria uulgus, ait Poëta, id quod uere contigit Christo prædicante. Alij enim ipsi adhærebant, alij in errore persistebant, alij insuper ueritatem persequebantur, nonnulli eam complexi, paulo post deserebant. De his nunc loquitur, cum dicit: Multi credebant, &c. Credebant quidem, sed tantum carnalia in ipso quærebant, indigni erant, quibus Christus mysteria sua crederet. Talium enim uanitatem etiam Psalmista arguit: Vanum, inquit, est uobis ante lucem surgere. Nam ante lucem surgunt, qui ante tempus exaltari quærunt, qui non recto ordine ad festiuitatē gloriæ nituntur, id est, qui non prius humiliantur, ut postea merito exaltentur, cum Paulus dicat, tunc nos futuros socios consolationis, si prius fuerimus participes passionis: tunc nos conregnaturos Christo, si prius simul patiamur. Hi autem credebant Christum temporaliter regnaturum, & carnaliter impleturū, quæ de ipso prędicta sunt. Deinde fides eorū tantum ex miraculis collecta erat, non ex uerbis Christi. Ea autem fides minime firma est: cessantibus enim signis, cessat & fides, id quod uidemus in filijs Israël, qui tam diu credebant, quàm diu signa uidebant, cessantibus signis plane desperabant. Huiusmodi homines & Christus arguit, cum diceret: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Ea autē fides firma est, quæ uerbo Dei innititur.

Psal. 126. 2. Cor. 1. Exod. 15. Ioan. 4.

Iesus autem non credebat eis semetipsum]

Quasi diceret, non curabat eorum uerba, nec mouebatur eorum applausu, ut qui eorum feruorem mox refrigescere cognoscebat, non igitur eis ut perfectis amicis credebat & fidebat, nec occultorum doctrinam tanquam fidelibus discipulis credebat: sciebat enim, quod non adhærerent sibi constanter, nec erat cor eorum rectum cum eo.

Qualis enim quisq; est, talem experitur erga se Deum. Cum sancto enim sanctus est, cū peruerso peruersus. Sic ficte credentibus non seipsum credit: Econtra autem firmiter credentibus, ne dum seipsum credit, sed & sua, seq; ipsum totum eis dat. Hinc Chananææ dicit: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Et Apostolis: Vos dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre, nota feci uobis. Et iterum:

Psalm. 17. Matth. 15. Ioan. 15. Lucæ 22.

Vos estis, qui permansistis mecũ, etc. & ego dispono uobis regnum, etc. Fœlix igitur est, qui in Christũ credit, sed multo fœlicior, cui Christus se credit: hoc enim non omnibus contingit. Sic plærique uidentur credere Christo, fidemq; suam supra modum iactant, interim autem Christus se ipsum eis minime credit, ut quos uel in manifestos errores, uel in horrenda peccata incidere permittit.

Discant igitur hic Euangelici prædicatores, non statim omnia mysteria doctrinę sublimis rudium animis committere, sed paruulis in Christo lac potum dare, donec & ipsi grandescant, quemadmodum & Christus: Adhuc, inquit, multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo.

Ioan. 16.

Deinde discant, non proijcere sanctum canibus, nec margaritas ante porcos. Discat et omnis Christianus, non confidere in homine, nec ponere carnem brachium suum. Quamuis enim uera charitas non cogitat malum, non est suspicax, sed omnia bona sibi de proximo pollicetur & sperat: fides tamen in solo Deo sperat & confidit, non in homine. Scit enim quod omnis homo mendax, & quod Ægyptus homo, & non Deus, & quod uana salus hominis.

Matth. 7. Hier. 17. 1. Cor. 13. Psal. 115. Isa. 31. Psal. 59.

Eo, quod ipse nosset omnes, &c.]

Causam addit, cur seipsum non se eis credebat: Nouit Dominus qui sunt eius, nouit quibus mysteria sua committat. Hoc autem uerbo subindicat humani cordis peruersitatem, qua fit, ut rarus inueniatur, qui fidelis sit. Cor enim hominis prauum & inscrutabile: Omnes suarum rerum studiosi sunt, in necessitate non constant, sed derelinquũt nos uanos, & omni auxilio destitutos. Huc pertinent prouerbia: Proximus sum egomet mihi. Item, Tunica pallio propior est. Hinc Isaias monet: Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, hoc est, nolite confidere, &c. Hanc pessimam naturam Christus in homine agnoscebat, ideo non credebat semetipsum eis. Hic igitur uides, cur in solum Deum iubemur cõfidere: Is enim solus est, qui fallere nequit. Deinde hic uides causam, cur Deus uasis iræ non cõfert gratiã: Ipse, inquit, nouit omnes, quod idẽ est, ac si quis dicat de prouido aliquo homine: Noluit uasculis illis uel illis uinum suum infundere, eò quod illa sciret cœno plena esse, et nõ erat opus, ut quis pro illo iret inspicere: ipse enim per semetipsum ea perspexit.

2. Tim. 2. Isa. 2. Hier. 17.

Non igitur dicat figmentum factori suo, quid me ita finxisti, sed sibi imputet, si Dei dona non habet, immo emundet se ab omni iniquitate, & fiet uas honoris, ut Paulus ait. Pulchre autem Ioannes etiam hic Christi diuinitatem ostendit, contra hæreticos.

Rom. 9. 2. Tim. 2.

Humanorum enim cordium cognitio, solius Dei est, qui ea formauit. Hinc ad Samuelem dicitur. Homo uidet ea, quę patent: Deus autem intuetur cor. Et Salomon, Tu solus nosti corda hominum. Et

1. Reg. 16. 3. Reg. 8.

in Hieremia, Ego Dominus scrutans corda & renes. Sic & Iob, Nudus est Infernus coram eo, & nullum est operimentum perditioni. Item, Oculi Domini lucidiores sole, profundum abyssi & hominum corda prospiciunt, &c. In summa, Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Hier. 17. Iob. 26. Eccles. 23. Heb. 4.

Omnia autem hæc Ioannes Christo tribuit: Ipse, inquit, noscebat omnes: ipse sciebat, quid esset in homine: ipse nullius testimonio egebat. Diligenter autem obseruanda sunt hæc uerba. Quia enim Christus omnes cognoscit, frustra sub ouina pelle se abscondit lupus. Et quia non indiget alicuius testimonio, frustra erit & est omnis excusatio: Ego, inquit, sum, ego uidi, &c. Et quia ipse scit, quid est in homine, nemo propter suam infirmitatem desperet, quandoquidem Deus nouit figmentum nostrum. Sed nec quisquam de sua fortitudine præsumat, quemadmodum Petrus fecit, quem Christus frustra infirmitatis propriæ admonebat: Multo minus quisquam peccata sua Deo abscondita credat: Imperfectum, inquit, meum uiderunt oculi tui, &c. Hier. 7. Psal. 102. Matth. 26. Psal. 138.

Ex hoc igitur capite, quatuor Christianorum genera colligere possumus. Aliqui enim sunt uere Christiani, hi per discipulos designantur. Aliqui manifeste mali Christiani, hi signantur per eos, quos è templo eiecit Christus: Lata enim est sententia, quod omnis fornicator aut auarus &c. non habet partem in regno Christi & Dei, immo pars eorum in stagno ignis. 1. Cor. 6. Apoc. 21.

Aliqui sunt desides & ignaui Christiani, nec̃ calidi, nec̃ frigidi: Hi signantur per eos, qui ad nuptias conuenerant. Aliqui sunt falsi Christiani, qui sub nomine & uerbo Christi, & ipsi errant, & alios seducunt: Hi signantur per eos, qui credebant quidem in Christum, sed Christus non se credebat eis. Det Dominus, ut ueri Christiani inueniamur. Apoc. 3.

ANNOTATIONES

CAPVT TERTIVM.

ERAT homo ex Phariſæis, &c.]

Hoc capite Euangeliſta noſter ſingulari diligẽtia deſcribit colloquium illud Chriſti cũ Nicodemo, nec immerito. Eſt enim notatu digniſsimũ, ut in quo nõ aniles fabulę, ſed res notatu digniſsimę, immo ſumma Chriſtianæ doctrinę tractãtur. Præterea in hoc colloquio utraq; perſona adeo ſui ſimilis eſt, tanq; ſynceriter ſuum agit officium, Nicodemus in quęrendo, Chriſtus in reſpondendo: ut uel ex hoc uno petendum eſſet exẽplum, tam prædicatoribus, quàm auditoribus imitandũ, quandoquidẽ experientia teſtis eſt, quod omniũ maxime hoc tẽpore Eccleſiã perturbãt indiſcreti prædicatores, & carnales auditores. Singula aut uerba emphaſim quandã habẽt. Primo cõiunctio (*Et*) annectit hoc capitulũ his, quę proxime prȩcedũt, ubi dictũ eſt, quod multi credebãt in Ieſum, quorũ unus hic ponitur, ſed tanq; perfectior alĩs. Siquidẽ huic ſe credit et manifeſtat Chriſtus, alĩs aũt non itẽ: ex eadẽ cauſa, quã & ſupra poſuit. Sicut enim illis ſe non credidit, ſciens ipſos nõ firmos permanſuros, ſic hunc prævidẽs firmum, ſeipſum illi credit. Nã et poſtea idem Nicodemus, non ſemel fidem ſuã in Chriſtũ egregie teſtatus eſt, primo cum apud Phariſęos eum defendẽs: Nunquid, inquit, lex noſtra dãnat hominẽ, antequam ſciatur cauſa eius. Maxime aũt, cum Chriſtum ab alĩs crucifixum ipſe ſolẽniter ſepeliuit. Vides igitur etiã hic, cur Deus uni plus tribuat uel gratiæ uel ſapientiæ, quàm alteri: Nempe, quia unus magis diſpoſitus eſt ad accipiendum, quàm alius. Hic aũt diſpoſitus eſt ad accipiendæ Dei dona, qui ardẽter ea quęrit et eſurit, iuxta illud: Beati qui eſuriũt, & ſitiunt iuſtitiã, ipſi ſaturabũtur. Item, Eſuriẽtes impleuit bonis, etc. Deinde is meretur maiora, qui acceptis bene utitur, & gratus eſt. Iuxta illud: Quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te cõſtituã, etc. Talis erat Nicodemus, non aũt alĩ, ideo Euãgeliſta eum hominẽ nominat, ut hoc nomine dignũ, non natura tãtum, ſed quia ratione utebatur. Ad hoc enim Deus homini nedum ſenſus, ſed & rationẽ, & inſuper legẽ ſuã dedit, ut à malo retraheretur, atq; ad omne bonũ extimularetur, ne eſſet ſicut equus et mulus, quibus non eſt intellectus. Erãt quidem etiã illi, quibus Chriſtus ſeipſum nõ credebat, natura homines, ſed quia nõ rationabilitate quærebant quæ neſciebant, quodãmodo homines nõ erãt. Sicut igitur è multis, qui in Chriſtũ crediderũt, ſolũ Nicodemum hominis uocabulo dignatus eſt Euangeliſta, ſic uere inter innumeros Chriſtianos, uix unum aut alterum inuenies, qui ratione

Supra c. 2.

Ioan. 7.

Ioan. 19.

Matth. 5.

Lucæ 1.

Matth. 25.

Eccle. 17.

Pſal. 31.

tione & non affectibus ducatur. Hominis igitur cognomine indignus est, qui non secundum rationem, sed tantum secundum sensualitatem uiuit. Item, qui uelut iumentum computrescit in stercore suo. Ioel. 1. Itē, nunquā nec ad Deum, nec ad cœlum respicit, cū Deus etiā, Poëta teste, ideo dederit homini os sublime, ut ad cœlū non ad terrā oculos leuaret. Item homines dici non merētur, qui uel occulte mordent, ut serpentes: uel aperte alijs nocent, ut bestiæ. Iam uide, quàm paucos uere homines inuenias in tāto numero hominum, ut non mirum sit, paucos esse Christianos. Qui enim non meretur dici homo, quomodo posset esse Christianus? Erat autem hic Nicodemus ex Pharisæis, hoc est, erat & doctus, & corā mundo iustus (Nam Pharisæi et scientia & externa iustitia conspicui erāt. Vnde et Paulus eorum sectā cer- Act. 26. tissimam nominat inter alias) & tamen hic Nicodemus tam doctus & iustus, non erubescit à Christo nedum discere, sed ea discere, quæ ad iustitiam pertinet. Hic igitur manifeste superbia nostra confunditur, qui si uel paululum sapientiæ uel iustitiæ nos habere nobis persuademus, omnes conciones & scripturas contemnimus, quasi nihil nobis necessarias. Quo fit, ut apud nullos cōtemptius sit uerbū Dei, quàm apud eos, qui uel de scientia uel iustitia sua præsumunt, cum tamen certum sit, quod nullus tam doctus sit, qui non plura ignoret: nec raro contingat, ut quis se iustum esse præsumat, qui tamen nondum scit, quid sit uera iustitia, & ubi quærenda. Præterea etiam ideo ex Phariſęis fuisse dicitur, quia cum ipsi secundum nomen suum uere à Deo diuisi essent (Nam Pharisæus diuisum uel segregatum significat) Nicodemus, qui hactenus inter eos erat, nunc ab eis exiens, uni adhæsit, uni uerbo Dei se coniunxit. Demum, ne quis putaret solos populares Christo adhæsisse, addit Ioannes: Erat princeps Iudæorum. Quamuis enim Deus infirma mundi elegerit, ut fortia quæq; 1. Cor. 1. confunderet, tamen nec omnes doctos, aut potentes abiecit. Quod aūt pauci ex eis salui fiāt, uel hinc satis perspici potest, quod ex tot Principibus unus Nicodemus credidit. Difficile enim credere possunt, qui Ioan. 5. gloriam mundi amant: Quomodo, inquit, potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, &c. Insigniter igitur fortis fuit hic Nicodemus, ut quem nec diuitiæ, nec mundi gloria à pietatis studio retardare potuerunt, cum plærique alij tam facile ab his capiantur.

Hic uenit ad Iesum nocte]

Prædixerat enim Propheta, tempus esse requirendi Dominum, Osee 10. cum uenisset, qui doceret iustitiam. Piam itaq; sollicitudinem in Nicodemo indicat, quod uenit, & omnibus alijs relictis & posthabitis, ad hoc unum se accinxit, ut pietatem disceret.

Sic nimirum, qui discere uult à Christo, omnia alia seponat, ne Matth. 13. semen uerbi Dei inter spinas cadat, & ab eisdem suffocetur.

Quod autem ad Iesum uenit fidei est, sic enim olim in Isaia prædictū est de Christo: Venite ascendamus ad montem Domini, etc. Et docebit nos uias suas, etc. Et in Psalmo: Accedite ad eū, et illuminamini, &c. Quod aūt nocte uenit, uel ideo factū est, ut in secreto posset colloqui cū Christo, nullo impediēte. Quo monemur, ut accessuri ad Christi doctrinā, seponamus nedum curas & sollicitudines mundi, sed etiam omnem arrogantiam et proteruiam, ac totos nos cōmittamus eius doctrinę. Scriptū est enim: Qui appropinquāt pedib9 illius, hoc est, qui totos se humiliāt et deiciūt, hi accipient de doctrina eius.

Isa. 2. Psal. 33. Deut. 33.

Vide aūt, quàm dissimilis fuerit hic Nicodemus alijs Pharisæis. Illi nocte miserūt ad cōprehendendū Iesum, hic aūt ad audiendum eum nocte uenit: Illi hora sua male usi sunt & potestate tenebrarū, hic doctrinę aptū nocturni silentij bene captauit otium: & illi quidem comprehendendo & ligando amiserūt saluatorē Christum, hic interrogando & audiendo, inuenit et tenuit Christū, Dei uerbū. Scriptū est enim: Beatus homo, qui audit me, et qui uigilat ad fores meas quotidie, etc. Summa, hic erat & est Princeps uerorū ludęorū: Illi aūt erant & manserūt genimina uiperarū. Vel ideo nocte uenit ad Iesum, quia et pudebat eū, qui inter Iudaicę gentis Principes prœminebat, humilis Iesu discipulum uideri. Deinde timebat, ne cui primus confessus in Synagoga tribuebatur, è Synagoga eijceretur. Nec mirum, si tantæ adhuc imperfectionis erat, cū etiam sanctissimi homines non careant huiusmodi affectibus. Sic Gedeon noctu confregit statuā Baal, propter timorem ciuium suorum, Iudic. 6. Sic etiam discipuli in passione Christi latent, nec prodire audent, &c. Nihil enim difficilius uincitur & expellitur, quàm amor sui, & timor mūdanus: Hæc enim duo, plęrosq; omnino impediunt à salute. In tenebris igitur ad Christum uenit Nicodemus, quia adhuc in tenebris erat, ut qui nondum renatus esset. Solis enim renatis dicitur: Eratis aliquando tenebrę, nunc autem lux in Domino.

Prouer. 8. Matth. 3.

Rabbi, Scimus quia á Deo uenisti magister.]

Hoc uerbo primo uidemus, Nicodemum perturbati fuisse animi, ob uarietatem dogmatum. Nam Pharisæi, inter quos educatus erat, iustitiam tribuebant operibus: Christus autem iustitiam tribuebat fidei. Non autem poterat Nicodemus Christi doctrinam refellere, quæ tot miraculis cōfirmabatur: Nec omnino ei credere audebat, ne uideretur legē & opera damnare. Cū igitur hunc nodū per seipsum dissoluere non posset, ad Christum accessit, in hoc uno multo prudentior quàm nos sumus, qui etiamsi ob uarietatem dogmatū nonnihil dubitemus, non tamen consilium quærimus. Deinde hoc uerbo piam ipsius mentem uidemus. Nam cū eo animo ad Christum accessisset, ut eum de rebus dubijs interrogaret, in præsentia tamen

positus,

positus, nihil omnino interrogat, sed tantum Christum præconijs celebrat: *Rabbi*, inquit, &c. Quasi diceret, tanta sunt quæ me fugiũt, ut ipse nesciam, quid primo, quid ultimo interrogare debeã: Tu igitur, qui à Deo nobis magister datus es, doce ea, quæ maxime necessaria sunt. Sic pius quisq; nihil præscribit Deo, sed discipulum se exhibet, non magistrũ. Scit enim scriptũ esse: Ego Dominus docens te utilia, ideo omnino se Deo cõmittit, ac boni cõsulit, quicquid è uerbo Dei audierit: scit enim se pluribꝰ indigere, semperq; cogitat, quod Nicodemus hic ore proloquitur: *Scimus, quia uenisti magister à Deo*, &c. Contra, impij uolunt ea tantum doceri, quæ sibi placent, eaq; taceri, quæ displicent: quod si non fiat, statim uerbum Dei negligunt. Deinde, quemadmodum Nicodemus hic facit circa doctrinã, sic pius quisq; etiam in alijs rebus facit, ut in oratione. Quantũcunq; enim secũ decreuerit, quid à Deo petere uelit, tamen cũ orare incipit, omnia in Dei ponit uoluntate, dicens: Fiat uoluntas tua. Nunc uerba inspiciamus. *Rabbi*, &c. Putabat se Nicodemus magnificũ titulum Christo dedisse, cũ eum Rabbi nominasset: Pharisæi enim omnium maxime id ambiebant, ut uocarentur ab hominibus Rabbi. Verum hęc quamuis esset magnifica opinio de Christo, longe tamen erat infra illius dignitatem. Nihil enim aliud eum esse suspicabatur, quàm Prophetam aliquem, cui Deus faueret, & adesset in ædendis miraculis. Atqui Christus ne dũ Magister, sed et Deus erat. Hinc Petrus longe sublimiori titulo eũ insigniuit: Tu, inquit, es Christus, filius Dei uiui. Et Apostoli eum non tantũ magistrum, sed & Dominũ uocabant: Vos, inquit, uocatis me magister, & Domine, & bene dicitis, &c. Hoc autem Nicodemus nondum poterat, quia nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Sequitur: *Scimus quia à Deo uenisti*, etc. Quasi diceret, sanctitate uitæ & miraculis tuis ita cõclusus sum, ut nihil mali de te suspicer, quicquid alij de te dixerint. Obserua, quod in plurali loquitur: *Scimus*, inquit. Quo uerbo innuit, Pharisæos non ex ignorãtia, sed ex certa malitia dixisse: In Beẽlzebub eijcit dæmonia, &c. Item, Hunc nescimus unde sit. Quomodo enim ex tot miraculis non deprehẽdissent, quod Magi apud Ægyptios ex uno miraculo deprehenderant, nempe, digitũ Dei esse, qui hæc operaretur: Claret igitur ex hoc uerbo, quod Iudæi in Spiritũ sanctũ peccauerũt, quod peccatũ nunquã eis remittetur, neq; hic, neq; in futuro, nisi ad Christũ conuertantur. Quod aũt subdit: *A Deo uenisti magister*, satis innuit, Christũ eũ esse, de quo Moyses prædixerat: Prophetam suscitabit uobis Deus similem mei, &c. Tantum enim duo præcipui prædicatores, & magistri à Deo dati sunt. Moyses scilicet & Christus: Ille ut legem, hic ut Euangelium mundo annunciaret.

Isa. 48.
Matth. 6.
Matth. 23.
Matth. 16
Ioan. 13.
1. Cor. 12.
Luc. 11.
Ioan. 9.
Exod. 8.
Matth. 12.
Deut. 18.

Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu, &c.]

Verissime

Verissime dictum. Fecerunt & Magi signa, uerũ ex potestate dæmonũ, nec tamen quæcunq; facere possunt, ut patet in Magis Pharaonis. Exod. 8. Fecerũt etiã Prophetæ, Apostoli, alíq; sancti signa, uerũ non ex uirtute propria. Christus autem ex propria potestate fecit signa, quod patet ex ipsius uerbis. Sic enim ad leprosum ait: Volo, mundare. Matth. 8. Luc. 7. Sic ad mortuũ: Adolescens tibi dico surge. Sic ad dæmonem, Surde & mute spiritus, ego tibi præcipio, ut exeas, &c. Mar. 9. In hunc modum nemo alius potuit signa facere. Ex hoc autem loco uides, Nicodemum ex eorum numero fuisse, qui miraculis moti in Christũ crediderunt: quamuis longe perfectius quàm alij. Illi enim tantum signa attendebant, nõ etiã uerba Christi, ideo cessantibus signis, omnes à Christo defecerũt: Hic aũt præter signa, etiam uerbũ Christi requirebat, ideo omnibus alijs negantibus, hic in fide perstitit, ut patet Ioannis 19. Si igitur Nicodemus solis miraculis permotus, tantũ tribuit Christo, ut non dubitaret ipsum à Deo esse: quanto magis nos in ipso omnẽ fiduciam collocare debemus, qui supra signa etiam uocẽ Patris audiuimus dicentem: Hic est filius meus dilectus, &c. Ipsum audite. Matth. 17.

Amen amen dico tibi, &c.]

Solum ex Pharisæis Nicodemum Christus benigno dignatur alloquio & responso. Alijs enim Pharisæis interrogantibus, aut duriter respondit, ut cum dixit: Quid me tentatis hypocritæ. Item, Quare & uos transgredimini præcepta Dei, propter traditiones uestras, etc. Matth. 22. Matth. 15. Aut omnino nihil eis respondit, ut cũ interrogarent, in qua potestate hæc faceret, &c. Matth. 21. Nec mirum. Omnes enim eorũ interrogationes aut erant captiosæ, aut inuidiosæ & malignæ, aut infideles & procaces. Huius uero Nicodemi interrogatio, ciuilis erat & candida. Non enim conuenit Christũ, ut contendat pertinaciter, aut astute eum in sermone capiat, aut ut tentet malitiose, sed ut discat. Sic & nunc qui Dominũ quærere uult, in simplicitate cordis quærat eum. Inuenitur enim ab his, qui non tentãt eum: Econtra Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictũ. Sap. 1. Hoc autem suo responso, Christus insigne exemplum præbuit omnibus prædicatoribus. Primo siquidẽ Nicodemũ, quàmuis intempestiue interpellantẽ, non repulit, quo facto primũ ostendere uoluit, se semper paratum ad recipiendum prodigum filium à peccatis reuertentem. Luc. 15. Deinde hoc facto docuit omnes pastores, ut parati sint omni tempore commisso sibi gregi consulere: Alioqui sanguis pereuntium, de manibus eorum requiretur. Ezech. 3. Ad hoc igitur omnibus nobis persuadendum, quamuis Nicodemus admodum rudis esset in rebus spiritualibus, ut infra patebit, tamen benigne eum Christus tractat, ac paulatim ruditatem eius ad maiora prouehit. Sic enim de ipso prædictum est: Non contendet, nec clamabit, nec audietur in plateis clamor eius.

Iuxta hoc exemplum & Paulus præcipit, ut firmiores tolerent infirmitates

infirmitates imperfectorum, &c. Præterea, quamuis Nicodemus in utranq; partem claudicaret, animumq; suum & mundo et Deo partiretur, nõ tamen eũ ob id coarguit, sed dissimulauit, quemadmodũ medicus multa dissimulat & patitur ab infirmo, itemq; mater in filio: Non tamen ob id eũ expellit, immo & tenerius eũ fouet, quo infirmior est. Sic Christus hic ægit, de ipso enim scriptũ est: Calamum quassatũ non cõminuet, & linum fumigans non extinguet. Alioqui quemadmodũ Helias Israëlitis olim dixit: Quousq; claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si aũt Baal est Deus, sequimini eũ. Sic & Christus hic potuisset Nicodemo dicere: Non potes duobus dominis seruire, Deo scilicet & mundanę gloriæ, itemq;: Quem mei puduerit apud homines, huius & me pudebit apud Patrem meũ, immo cũ Nicodemus dixisset: Scimus, quia à Deo ueneisti, potuisset Christus dicere, Cur ergo times? cur nõ aperte confiteris? cur nocte aduenis? Verũ nihil horum facit, qui enim aliàs deiecto sunt animo, non duriter tractãdi sunt, sed leniter fouendi, ne omnino desperent. Hinc Salomon: Date sycerã mœrentibus, & uinum his, qui amaro sunt corde, ut obliuiscantur egestatis suæ, &c. Sed iam ipsa uerba attedamus. Primo, ut somnolentũ auditorem excitet, præmittit: *Amen, amen.* Hoc autem uerbum in Ioanne plærunq; geminatur, non autem in alijs Euangelistis: quia nimirũ quę Ioannes scribit, maiora & diuiniora sunt, & idcirco concitatiore, id est, geminato semper affirmationis clamore, magis attentũ efflagitant auditoris animum. Quamuis etiam sic possit intelligi, quod Amen dictum sit pro ipso nomine ueritatis, quæ est ipse filius Dei. Iuxta illud: Hæc dicit, Amen testis fidelis, &c. ut sit sensus, cũ dicit: *Amen, amen dico.* Quasi diceret, Ego ueritas ueritatem uobis dico. Deinde est et aliud, quod hic obseruare debemus, nempe ineffabilem Dei bonitatẽ, qua ita nostrę imbecillitati condescendit, ut non cõtentus simplici uerbo sua nobis uerba et promissiones annunciare, sed insuper addat et iuramentũ, uidelicet, ut hęredibus gratię per hoc ostẽderet immobilitatem cõsilij sui, noscq; per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deũ, fortissimũ solatium habeamus. Sũma, cũ audieris Christum sępissime dicentẽ: Amẽ amẽ dico uobis, &c. certus sis, quod in ipso non sit, Est et Non, sed omnia in ipsa sint: Est, hoc est, uera et certissima.

Rom. 15. Isa. 42. 3. Reg. 18. Matth. 6. Luc. 6. Prouer. 31. Apoc. 3. Heb. 6. 2. Cor. 1.

Nisi quis natus fuerit denuo, &c.]

Nihil expresse interrogarat Nicodemus, & tamen Christus primo omnium de regeneratione respondet. Per hoc autem docuit prædicatores, ut primo faciant arborem bonam, & deinde bonos fructus requirant, hoc est, ut primo doceant fidem, qua homo iustificatur, & deinde opera bona. Hoc autem uno & breui uerbo, summam totius Christianę doctrinę comprehendit. Homo quidem ad beatitudinem

Matth. 12.

creatus

Genes. 1. creatus est: uerum, quia propter peccatum maledictionem incurrit, factū est, ut ne dum ipse omniaq; eius, sed & omnes posteri eius maledicti sint. Quia igitur ex Adam nati sumus, omnes inutiles & abominabiles facti sumus in corpore, & anima, & omnibus uiribus nostris. Nisi igitur per gratiam Dei renascamur, ac plane ex filijs Adæ, filij Dei efficiamur, frustranea sunt omnia, quę agimus, conamur, cogitamꝰ aut loquimur, immò uanissumꝰ et nos ipsi, et omnis ratio, uoluntas, uires, et opera nostra. Itaq; qui cupit intrare regnū Dei, oportet ut nouus homo efficiatur. Sic et qui cupit uidere regnum Dei, hoc est, intelligere mysteria regni Dei, & hāc cœlestem doctrinā, quēadmodum Deus ipsi Iacob ostendit regnum Dei in scala illa erecta, etc.

Genes. 28, 2. Cor. 10. is seponat carnalem suam prudentiam, abneget rationē suam, contemnat uires suas, ac totum se tradat captiuum uerbo Dei. Hoc igitur uerbo Christus omnes nos ac omnia nostra damnat, ut eo fortius nos ad quærendum à se auxilium prouocet. Deinde hoc uerbo omnem fiduciam in nos uel opera nostra nobis extorquet, ac baculum illum arundineum nobis aufert, ut discamus in solá Dei misericordia fidere. Fides enim est baculus senectutis nostræ firmissimus, quo solo possumus Iordanem istum tentationum pertransire, cuius

Genes. 32. figura in Iacob præcesserit, &c.

Hinc igitur disce, quam ob causam Deus opera nostra & conatus plærunq; in scriptura damnat. Non enim hoc facit, ut ad desperationem nos inducat, aut quod bona piorum opera ipsi non placeant, sed ut doceat nos in sola Dei misericordia sperare. Deniq; ex hoc uerbo quilibet discat, num ueteri illi homini similior sit, quàm nouo, hoc est, Christo. Si enim uetus ille homo adhuc in te impune uiuit, iam ad te pertinet uerbum illud Christi: *Nisi natus fueris denuo, &c.*

Quomodo potest homo nasci, cum sit senex.]

Diligenter obseruandum hoc inter Christum & Nicodemum colloquium. Nam utraq; persona & potentia, & sapientia, & iustitia conspicua erat, sed dissimiliter. Nicodemus enim Princeps erat Iudæorum, Christus autem Princeps cœlorum: Ille mundanam habebat sapientiam, Christus erat sapientia Patris: Ille iustus erat apud homines, Christus autem iustus erat apud Deum, immo omnis iustitię author, & hominum iustificator. Nullo modo aūt uel potentia, uel sapientia, uel iustitia humana, conferri potest potentiæ, sapientiæ aut iustitiæ Dei. Quamuis enim homo homini comparatus, unus alteri nobilior, sapientior aut iustior uideatur, tamen si ad Dei potentiam, sapientiam, iustitiam aspiciamus, omnes æqualiter sumus

Rom. 3. infirmi, inscij & peccatores, nec unus uel pilo excellit alium: Omnes enim egemus gratia Dei.

Hinc est, quod Nicodemus inter Iudæos tam potens, tam doctus,

tam

tam iustus, statim in primo congressu omnem animi ferociam & confidentiam, in se uel sua seponit, ac Christo palmam præbet: Tu, inquit, à Deo uenisti Magister. Sic igitur ad primum Christi uerbum cum omni sua sapientia succumbit Nicodemus, ut nec uerba Christi intelligeret, tantū abest, ut respondere posset. Attamen non mirum est, quod uerba Christi nō intellexerit. Animalis enim homo non sapit ea, quæ Dei sunt: Stultitia enim est illi, &c. Nunquam tale 1.Cor.2.
quid audierat Nicodemus, nec aliam natiuitatem nouerat, quam carnalem. Hoc tamen in ipso commendandum est, quod non cessat interrogare. Alij Pharisæi audito Christi uerbo, risissent atq; abijssent, hic autem perseuerat pulsando, donec aperiatur ei. Sic Luc.11
enim pius quisq; per uias & plateas circuit, quærens quem diligit, nec quiescere potest, donec inuentum introducat in domum & cubicu- Cant.3.
lum suum. Sic perturbata conscientia, quiescere nequit, donec ueram pacem inueniat, quam tamen nusquam nisi in solo Christo inuenit, etiamsi omnem substantiam suam in medicos expendat, quemadmodum in muliere uidemus, fluxu sanguinis laborante, immo ob Luc.8.
eam causam Christus interdum obscure locutus est, ut pius quisq; haberet ansam quærendi. Cæterum, quod Nicodemus uerba Christi impossibilia iudicat, hinc prouenit, quod ea, ratione naturali & cogitationibus carnalibus apprehendit, quemadmodum & hi faciunt, qui corpus Christi in Sacramento negant. Atqui hic manifeste uides, quod humanæ rationes & carnales cogitationes, impediunt intellectum uerbi Dei. Cum igitur nos fideles simus, oportet ut omissis cogitationibus carnalibus, fidem sequamur. Quod si uerba Christi hæc, sepositā carnali ratione intelligas, nihil absurdum aut impossibile uidebis, immo si spiritualiter ea intelligas, uidebis nedum possibile, sed & necessarium esse, ut quantumuis etiam senex renascatur. Quo enim quis magis inueteratus est in malitia, eo magis opus habet regeneratione, ne nimio peccatorū pondere in profundum deprimatur. Sic & spiritualiter potest homo reuerti in uterum matris. Si enim hominem in natura corrupta post lapsum attendas, mater nostra est concupiscentia & peccatum: in his enim & concepti & nati sumus. Quot autem sunt, qui etiam post Baptismum ad uentrem matris huius, hoc est, ad concupiscentiam & peccatum reuertūtur, in quos competit illud Propheticum: In die ortus tui, non Ezech.16.
est præcisus umbilicus tuus, adhuc enim adhæres impiæ matri.

Si aūt hominem attendas secundum primam sui creationem, mater nostra est gratia. Ex gratia enim creati, & ad tantam dignitatem euecti sumus. De cuius utero tunc male nati & proiecti sumus, quando in primo parēte, deserta Paradysi requie, propter peccatū expulsi, in hoc exilium decidimus. Cuius natiuitatis infœlicitatem, deplorat Iob, cum dicit: Pereat dies, in qua natus sum, &c. Et tamen ad Iob.3.

uterum huius matris, id est, gratiæ redire possumus. Sic enim redierunt Manasses, Dauid, Petrus, & innumeri alij.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c.]

Paulatim Nicodemum ad maiora perducit, secq; subinde clarius ei manifestat. Cum enim supra simpliciter dixisset, necessariam esse regenerationem, hic explicat, quomodo ea fiat. Item, cum supra tantum de uisione regni cœlorum dixisset, hic mentionem facit de ingressu, quod longe maius est. Sic Deus se à principio non statim homini totum ostendit. Primo enim quasi stat post parietem, & respi-
Cant. 2. cit per cancellos. Deinde paulatim sese magis ac magis aperit, quo feruentius homo quęsierit, ducitq; eum de uirtute in uirtutem, donec
Psal. 83. uideat Deum deorum in Syon, iamq; cum Patriarcha Iacob exclamet: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.
Gen. 32. Ad hanc autem perfectam Dei cognitionem, non omnes perueniunt, sed qui mane, inquit, uigilauerit ad me, inueniet me, &c̄.
Prouer. 8. Quod autem dicit de aqua & spiritu, sic accipi potest, ut sit Metaphorica locutio. Terra siquidem infimum elementum est, & crassius quàm alia: subtiliora autē & superiora sunt aqua, aër, ignis. Constat autem, quod primus homo è terra factus est. Accedente igi-
Genes. 2. tur peccato, factum est, ut homo iam nihil aliud sapiat, quàm terram: nihil aliud sciat aut possit, quàm peccare, ac propter peccatum maledici, mori & damnari. Quia igitur tam male cessit prima natiuitas è terra, necessaria erat alia natiuitas, quæ fieret è superioribus & subtilioribus elementis, ut sunt aqua, aër, ignis. Vt enim regnum cœlorum intrare possimus, omnino necesse est, ut ex crassa illa, ponderosa ac terrestri, fiat subtilis ac spiritualis creatura. Huc adduci potest, quod Christus dicit, Paucos esse, qui per angustam illam por-
Matth. 7. tam intrare possint ad uitam, nimirū, quia terreni sunt & crassi, farcinisq; temporalium rerum onusti. Ob quam causam & in alio loco asserit, difficulter fieri posse, ut diues ingrediatur regnum cœlorum.
Matth. 19. Vel aliter, Per aquam potest intelligi mortificatio. Nam & aliàs frequenter crux & tribulatio per aquam significatur, ut est illud: Assumpsit me de aquis multis. Item: Intrauerūt aquæ usq; ad animam
Psal. 17. meam. Per spiritum autem uel aërem, qui est uita omnium spiran-
Psal. 68. tium, uiuificatio significatur, ut sit sensus. Nemo intrare potest in regnum cœlorum, nisi prius moriatur secundum ueterem hominem, & reuiuiscat in nouum hominem. Primus enim gradus iustificationis, est mortificatio: hæc enim præcedere debet. Sic enim Christus ait: Qui uult uenire post me, abneget seipsum, &c̄. Item: Si uis per-
Matth. 16. fectus esse, uade, uende omnia quæ habes, &c̄. Item: Si quis uenit
Matth. 19. ad me, & non odit patrem suum & matrem, &c̄. Secundus gra-
Luc. 14. dus est uiuificatio. Et mortificatio quidem fit per legem. Ea enim mortificat, humiliat, ac deijcit. Viuificatio autem fit per Euangelium:

per

per ipsum enim promittitur gratia, qua homo spem & animum recipit. Clamat enim Christus in Euangelio: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Matth. 11. Hoc audiens homo, & re ipsa experiens, incipit amare tam benignum redemptorem, ac in omnibus ei obtemperare studet, planeq; nouus homo efficitur, nouosq; mores induit.

Huc pertinet quod Ioannes ait de Christo: Ipse baptizabit nos Spiritu sancto & igni. Luc. 3. Primo enim Spiritum dat Christus, hunc sequitur ignis ille diuinus, quo homo, quemadmodum ignis sursum tendit, & totus in amorem Dei & proximi inardescit. Ad literam aũt textus hic pertinet ad Sacramentũ Baptismi, atq; in eum sensum exposuerunt ferme omnes ueteres hunc locum: Non enim tam facile ad tropos confugiebant, ut quidam ex nostris faciunt. Cum autem Baptismus sit primum Sacramentorum, à paucis quidem satis intellectum, à plærisq; autem etiam impugnatum, diligenter attendenda sunt uerba Christi. Primo igitur, quod Christus doctrinam suam à Baptismo auspicatur (nam hactenus nihil legitur docuisse) clare ostendere uoluit, à Baptismo incipiendum esse Christianismum.

Sicut enim in rebus externis nulla huius mundi commoda sentire potest homo, nisi prius nascatur: sic nec spiritualium potest esse particeps bonorum, nisi prius in Baptismo renascatur. Huc pertinet, quod filijs Israël, ex Ægypto egressis, primo omniũ occurrit mare, Exod. 14. per quod transire eos oportebat: deinde solitudo, post hoc manna, subinde Iordanis, demũ terra promissa. Sic tendentibus ad regnum cœlorum, primo occurrit Baptismus. Secundo tentationes uariæ in mundo. Tertio uariæ è supernis consolationes. Quarto mors, qua trãsita ingrediuntur terrã promissam. Deinde obserua, quod Christus hic generaliter loquitur, & nullum excipit, ne quis putet, liberum esse, an quis uelit uel nolit baptizari. Baptismus enim omnibus necessarius est ad salutem: Non, inquit, potest intrare in regnũ cœlorum, qui non renatus est. Nec obstat, quod quidam etiam Martyres non fuerũt baptizati: hoc enim non ex cõtemptu Baptismi prouenit, sed quia ipsum habere non potuerunt, tametsi ardenter desiderarẽt. Vnde creditur eos uel proprio sanguine, uel interna Spiritus sancti gratia baptizatos fuisse. Deus enim nõ alligauit potentiã suam Sacramẽtis. Ordinata quidem uoluntate per Sacramenta dat gratiam, nihilominus tamen potest & sine Sacramentis eam dare. Tertio obserua, quod Christus uerba hæc loquitur ad hominẽ Iudæum: Amen, inquit, dico tibi, &c. Iudæi aũt iam ante habebant Circunciſionẽ, ut signũ fœderis: Nihilominus tamen Christus etiã eis imponit Baptismũ, quo clare ostẽdit, Circũcisionẽ iam cessare debere: Nec iniuria. Nam Circuncisio erat signaculum fidei. Data enim erat ipsi Abrahę in signũ, quod crederet diuinæ promissioni de futuro semine suo, in quo benedicendæ erãt omnes Gentes. Rom. 4. Gen. 17. Circuncisio igitur

nihil aliud erat, q̄ aperta professio expectandi seminis, & quisquis Circuncisionē accipiebat, hoc ipso facto profitebatur, se expectare semen illud futurū, quod est Christus. Non enim facta est promissio
Gal. 3. de seminibus quasi de multis, sed quasi de uno, quod est Christus. Qui igitur post aduentū Christi Circuncisionē necessariam ducit, is
Gal. 5. negat Christū uenisse. Hinc Paulus: Si circūcidamini (inquit) Christus uobis nihil proderit. Congrue igitur, cum iam cessare deberet Circuncisio, nimirū p̄sente Christo, aliud signū fœderis instituitur, scilicet Baptismus. Quod aūt Iudęi garriunt, Circuncisionē nō posse
Gen. 17. immutari, cum scriptū sit: Statuit Circūcisionē in pactū sempiternū, in fœdus ęternū, falsum est. Quomodo enim circuncidendi lex ęterna esse poterit, cū nascendi & generādi successio ęterna nō sit? Deinde nec ipsa scripturę uerba intelligūt: Facta est enim ipsis mensa eorū
Psal. 68. in laqueū, &c̄. Deus quidem uoluit fœdus & pactū suū esse sempiternum: at Circūcisio nō fuit ipsum fœdus uel pactū, sed signū fœderis,
Gen. 17. ut clare exprimitur. Quantū igitur distat inter testatoris scriptū & sigillum, quod appenditur: tantū distat inter fœdus, quod Deus pepigit cum Abraham, & Circuncisionē. Manet igitur etiā nūc fœdus ictū, tametsi signū fœderis sit muratū. Q̄ congrue aūt mutatū sit, uel ex hoc patet, q̄ Deus ter fœdus suū cū homine renouauit, & semper nouū aliquod & perfectius uel proximius signū fœderis dedit. Primo cum Noē pepigit fœdus de non inducēdo in posterū diluuio, &
Gen. 9. ad hoc cōueniens signū dedit arcū in nubibus. Deinde cū Abraham
Gen. 17. & semine eius fœdus ipsum renouauit, ac Christū promisit: huic promissioni cōueniens addidit signū Circuncisionē. Postremo per Christum fœdus renouauit, ac in perpetuū sanciuit cū omnibus credentibus, huius fœderis signū est Baptismus. Multo aūt perfectius & efficacius est hoc nostrū fœderis signū, q̄ priora. Nā Noē quidē signum accepit, uerū extra se, in nubibus: Abrahā signū accepit in corpore, sed tantū in una parte corporis. Noster aūt Baptismus totū corpus occupat, quo significatur, nunc adesse plenitudinē gratię, &c̄. Quarto obserua, quod Christus duo quędam in Baptismo cōiungit ualde dissimilia, aquā scilicet & spiritū, quorū unū corporale & uisibile est, alterū spirituale & inuisibile: Nimirū, ut duplicis substantię hominē perfecte mūdaret. Homo enim ex corpore et anima cōstat. Sicut aūt utrūq̄ à Deo creatū est, utrūq̄ per peccatū collapsum, sic Christus utrūq̄ restituere uoluit, nempe, ut totus homo per ipsum saluaret. Ob eam causam inuisibili operationi suę uisibilia Sacramēta adiunxit, ut quęlibet pars hominis haberet sibi conueniens remedium, corpus corporalia, anima autem spiritualia. Sic in Baptismo spiritus hominis habet Spiritum sanctū: quo sanctificatur, corpus uero aquā, qua nō minus sanctificatur. Neq̄ absurdū est, etiā per aquā sanctificari corpus: quēadmodum enim aqua uiribus ignis intensius calefacta, non aliter, q̄

ignis

ignis erit, sic hic aqua Spiritus sancti operatione, quę sibi adiunctum habet, in diuinam reformatur uirtutę, qua baptizati corpus abstergit. Ita aũt in Baptismo aquam & spiritum coniunxit Deus, ut qui Baptismũ externe accipit rite ac debito modo & forma, & nõ ficto animo, is uere intus accipit & Spiritũ sanctum, quo anima à peccatis abluitur. Hinc est, quod etiã in Propheta hęc duo coniunxit Deus: Effundam, inquit, super uos aquam mundam, &c̃. Et dabo uobis spiritũ nouum, Ezech. 36.
&c̃. Quod si dicis, quid opus fuit addere aquam, cum potuisset solo spiritu nos mundare à peccatis? Respondeo: Cur hominem ex terra Genes. 2.
creauit, cum potuisset eum ex nihilo creare? Nonne ideo, quia sic ei complacitũ est? Et tu quis es, qui respõdeas Deo? Nunquid dicit, figmentũ ei, qui se finxit, quid me ita fecisti? Potissima igitur ratio, cur Rom. 9.
per aquã nos regenerare uoluit, est ipsius uoluntas & beneplacitum. Secunda ratio, ut per sensibile signũ fidem nostrã confirmaret. Tertia, ut subiiciendo nos corporalibus elemẽtis, superbiam nostrã edomaret. Quarto etiam ideo in aqua regenerationis Sacramentũ instituit, quia aquam omnes habere possunt, nec quisq; se excusare potest. Quinto, quia aqua familiare est elementũ Spiritui sancto. Nam & in
principio Spiritus Domini ferebatur super aquas, & ex ea plęraq; Gen. 1.
animalia creauit. Sexto, quia in aqua omnia illa sensibiliter uidentur, quæ in Baptismo inuisibiliter operatur Deus, ut sunt mortificatio, sepultura, resurrectio, uita. In aqua enim uelut in sepulchro caput immergentibus, uetus homo sepelitur, emergẽtibus aũt nouus resurgit: inde quàm facile nobis est immergi, & emersos respirare, tã facile est Deo ueterem hominẽ sepelire, & nouũ reducere. Huc pertinet, quod
Paulus ait: Consepulti sumus cum Christo per Baptismũ in mortem. Rom. 6.
Itẽ, Noster uetus homo simul crucifixus est, &c̃. Vides igitur non sine causa aquam adhiberi ad regenerationẽ: Hoc aũt olim figuratum est Num. 19.
per aquam expiationis. Item, per aquam illam, quam Ezechiel uidit, Ezech. 47.
exire à latere dextro templi, &c̃. Item, Per fontẽ illum, quem per Zachariam promisit Deus, etc̃. Potissimũ aũt per aquas diluuij, quemad- Zach. 13.
modum Petrus ait: Omnes has figuras potes adaptare, ut placet, etc̃. 1. Pet. 3.
Quinto circa hoc Christi uerbũ obserua, quod nõ dixit: Nisi quis baptizatus fuerit, sed, nisi quis renatus fuerit, ne quis de solo externo Baptismo gloriaretur. Non enim te saluabit Baptismus, nisi renascaris.
Renatus aũt est, qui spiritu mẽtis suæ renouatus est, qui ueterẽ homi- Eph. 4.
nem exuit cum actibus suis, & nouũ induit, &c̃. Verũ multi illorũ, qui baptizantur, non renouantur spiritu mentis suæ, exemplo sit Simon Act. 8.
Magus, etc̃. Huiusmodi homines malis fœtibus cõparantur, qui utero quidẽ concipiuntur, sed nõ uiuificãtur, aut uitã inspiratã protinus amittentes, abortiui proficiuntur. Item similes illis sunt, qui mare quidem transierũt, sed in deserto prostrati sunt, et repromissionis terram Num. 14.
non introierũt. Sexto obserua, quod Baptismus nominatur à Christo spiritualis natiuitas, idq; conuenientissime. Nam sicut in genera-

tione carnali concurrunt pater & mater, sic in spirituali, Deus Pater est, Ecclesia aũt mater. Et Deus quidẽ spiritũ dat, Ecclesia aũt aquam. Secundo, sicut in natiuitate corporali, homo nascitur ad uitã, lucem, et ad huius mundi bona: sic in Baptismo, homo nascitur ad uitã animæ, ueram lucem, & bona cœlestia. Tertio, sicut homo tantũ semel nasci potest, sic tantũ semel baptizari. Qui aũt Baptismũ iterat, sacra-
Gen.21. mentũ illudit. Ad hoc adducit Augustinus figurã de Ismaele, ludente cum Isaac, propter quem lusum & ipse Ismael cum matre è domo electus est: uidebatur enim lusus, sed uere persecutio erat, quemadmo-
Gal.4. dum Paulus dicit. Sic lusus uidetur iterũ baptizare, sed uere illusio est & persecutio, ob quam merito ab Ecclesia eiiciuntur retinctores. Talis olim erat Donatus, qui causatus nescio quid in ministris, rebaptizabat homines, quasi Baptismus super bonitatẽ ministri fundatus sit, & non potius super uerbum Domini. Qualiscũcq; enim sit minister, tamen Baptismus in se bonus est, nec melior efficitur ex bonitate cõferẽtis, nec peior ex malitia ministri. Hinc est quod Paulus arguit eos,
1.Cor.1. qui de ministris gloriabantur: Quis, inquit, est Paulus? quis Apollo? Num diuisus est Christus, etc. Itaq; sicut Esau, tametsi de libera natus, non tamen ad hæreditatẽ admissus est: Econtra aũt Dan & Neptalim, Gad & Azer, quamuis de ancillis nati, tamen inter alios possessionẽ accipiunt. Sic plærunq; in Ecclesia contingit, ut à bono ministro baptizatus, malus efficiatur, et econtra à malo baptizatus, bonus fiat. Prædictũ Donatũ sequuntur & nostri Anabaptistæ, immo non parũ deteriores sunt. Primo enim uniuersam damnãt Ecclesiam, qug.
Ibidem. baptizauit paruulos iam inde ab initio. Nam & Paulus legitur baptizasse Stephanæ domũ, hoc est, totam familiam, in qua uerisimile est, etiam pueros fuisse. Secũdo Baptismũ paruulorũ nihil ualere dicunt, cum fateri cogantur, non paucos fuisse in pueritia baptizatos, qui postea Spiritu sancto pleni fuerũt. Certũ est aũt, quod Spiritus sanctus solis his dona sua iustificantia tribuit, qui ad eum pertinent, quales sunt soli baptizati. Si igitur Baptismus paruulorũ nihil esset, non eis
Gen. 17. dedisset ampliorem gratiam. Tertio nolunt pueros Christianorum partem habere in signo fœderis, cum uideant in ueteri Testamento præceptum fuisse, ut & paruuli & adulti signum Circuncisionis habe-
Mar. 10. rent, audiantq; Christũ clamantẽ: Sinite paruulos uenire ad me, etc. Quarto paruulos Sacramẽto indignos censent, quos Christus benedicere dignatus est, quod utiq; maius est. Nam ipsius benedicere, est fauere, diligere, dare, &c. Si igitur gratiam Dei potest accipere paruulus & benedictionẽ, cur non posset etiam accipere gratiæ signum?
Ibidem. Scriptũ aũt est, quod Christus amplexatus paruulos, benedixit eos. Et ut semel omnia dicam, Quomodo inefficax potest esse Baptismus paruulorum, cum fiat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & super eos inuocetur nomen sanctæ Trinitatis? Contra deliramenta igitur illorũ hoc unum oppone, quod sicut nemo potest denuò corporaliter

poraliter nasci, sic nemo potest aut debet denuo baptizari, quandoquidem Christus Baptismū nominat natiuitatē spiritualem. Sufficiat igitur tibi, quod semel baptizatus es, tantū hoc age, ut Baptismo conformiter uiuas, & ea quæ ibi promisisti, impleas, &c. Demum etiam illud obseruandum, quod Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit, &c. non potest intrare in regnum cœlorum.* Vbi uides, quid obstiterit, quod patribus ante mortem Christi clausa fuit porta cœli: Nimirum, quia nondum erant baptizati. Christo aūt mortuo, & sanguine cum aqua ex latere eius profluente, tum demum baptizati sunt, ac Christo resurgente, meruerunt intrare regnum cœlorū. Sic igitur uerbum illud Christi, tripliciter possumus exponere, ut dictū est. Primo, ut sit comparatio quędam, hunc habens sensum. Sicut terra infimū est elementorum, & nunq̄ sursum, sed semper ima petit: sic homo è terra formatus, & insuper per peccatum corruptus, non se potest subleuare ad regnum cœlorū, nisi fuerit regeneratus. Secundo potest uerbum Christi intelligi, ut sit Metaphora, aliud scilicet significans, q̄ uerba sonent, & tunc est sensus, Nemo peruenire potest ad regnū, nisi prius sibīpsi & peccato moriatur, & per Christū uiuificetur, & in nouum hominem transformetur. Tertio potest hoc Christi dictum intelligi secundum literam, de Baptismo scilicet, ut modo dictum est. Ioan. 19.

Quod natum est ex carne, caro est]

Bonus doctor, cui non opus est, ut quisq̄ eum interroget, non expectauit, ut eum Nicodemus interrogaret, Quare nemo, nisi renatus, posset intrare regnum cœlorū: sed ipse ultro rationem reddidit. Prædicatoris enim est, rationē reddere doctrinæ suæ, eamq̄ ita scripturis firmare, ne quis dubitare possit. Oportet enim, ut certa sit doctrina, cui per fidem inniti debemus. Ideo aūt Christus rationē adfert dicti sui, ne quis præsumat sine regeneratione, per propriam sapientiam, iustitiam, aut uires humanas, se posse intrare regnū cœlorum, id quod plærunq̄ facimus. Quantumcūq̄ enim inscij, iniusti & infirmi simus, magni tamen semper æstimamus nostrā sapientiam, iustitiam, uires, &c. Hanc igitur iactantiam Christus hoc uno uerbo reprimit: *Quod natum, inquit, est ex carne, caro est.* Hoc est, uanitas & nihil, quantumcunq̄ arduum uideatur. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius flos fœni, ait Isaias, &c. Ioan. 16. 1. Pet. 3. Isa. 40.

Caro igitur, hoc est, fragile quiddam est, quicquid sumus, habemus uel possumus, ipsum corpus eiusq̄ dotes, anima, ratio, uoluntas, uires, &c.

Quid igitur de his gloriaris, aut in ipsis confidis? Deinde uides hoc uerbo, unde sit, quod etiam qui è iustis, & Christianis parentibus nascuntur, tamen nihil nisi peccatores sunt: Nimirum, quia non ex spiritu, sed ex carne nascuntur. Deinde hoc uerbo Christus ad primam originem nostram nos ducit, ut uel hinc discamus, quàm

necessaria nobis sit regeneratio. Constat aũt, quod omnes ex Adam
Genes. 1. procreati sumus. Iam tametsi conditus fuerit homo, ad imaginem
& similitudinẽ Dei, hoc est, nedum rationalis, sed & bonus, sanctus,
iustus, &c. tamen in hoc statu non generauit filios: neq; enim in Pa-
Gen. 4. radyso, sed post electionẽ suam incœpit generare. Eo aut tempore
iam peccauerat, ac per inobedientiã Dei iram incurrerat, & quamuis
adhuc imaginẽ Dei, hoc est, rationem & formã hominis haberet, ta-
men Dei similitudinem, ac optima quæq; bona, qualia sunt: iustitia,
innocẽtia, gratia, immortalitas, etc. perdiderat. In summa, nihil aliud
erat, q̃ seruus peccati, omnibus bonis spoliatus, diaboli mancipium,
mortis & Inferni captiuus, ac expressa quædam imago, & similitudo
Sathanæ. Ex tã mala ergo radice, quid boni uel sperari potest? Nun-
Matth. 7. quid colligunt de spinis uuas? Atqui ex hoc fonte omnes nos prodi-
uimus. Cõstat igitur, quod non alij nascimur, q̃ ipse Adam erat, cum
generare inciperet. Lupus enim non parit agnũ, nec musca Elephan-
tem, nec homo Angelũ, nec caro spiritũ. Huc pertinet, quod Sapiens
Sap. 12. ait: Erat, inquit, semen maledictũ ab initio, &c. Et Paulus: Per unum
Rom. 5. hominẽ peccatũ intrauit in orbem terrarũ, &c. Et iterũ: Omnes na-
Eph. 2. tura filij iræ sumus. Et in Psalmo: Omnes declinauerunt, simul inu-
Psal. 13. tiles facti sunt, etc. Omnes igitur opus habemus regeneratione. Caro
1. Cor. 15. enim & sanguis, regnũ Dei non possidebunt. Et: Omnis auarus, aut
Eph. 5. fornicator, aut immundus, non habet hæreditatẽ in regno Christi &
1. Cor. 6. Dei. Item, Neq; fornicarij, neq; adulteri, neq; molles, &c. regnũ Dei
Apoc. 21. possidebunt. Item, Timidis & incredulis & homicidis, &c. pars illo-
rum erit in stagno ardẽti, etc. Summe igitur terret hoc dictũ omnes,
qui carnis cupiditatibus seruiũt. Vide igitur, quid agas: Si cœlum de-
sideras, oportet ut primo homini multũ dissimilis sis, alioqui si nihil
Gal. 6. nisi caro es, nunq̃ intrabis cœlum. Noli igitur errare, Deus non irri-
detur, quin potius omnes gratiã quæramus, dum tempus habemus.
Præterea hoc uerbo satis indicatur, q̃ misera creatura sit homo sine
gratia. Primo enim præter carnẽ nihil sapit, intelligit, aut potest, atq;
Rom. 7. adeo nec ullis suis uiribus regnum Dei aquirere ualet. Non, inquit, est
in carne mea bonum, uelle quidem adiacet mihi, perficere aũt non in-
uenio. Postremo ex hoc uerbo uides causam, cur homo tam multis
Iob. 14. repletus sit miserijs, interne & externe: Vt quod tot affectibus, perí-
culis, infirmitatibus obnoxius est: quod pronus ad omnia mala, tar-
dus ad bonum: quod difficulter acquirit scientiam, quod instabilis
est in bono, quod denicq; morti obnoxius est, &c. Vnde enim hæc
omnia mala, nisi quod ex carne natus est. Non igitur mirũ, quod Pau
Rom. 7. lus exclamat: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mor-
Hier. 20. tis huius? &c. Item Hieremias: Maledicta dies, in qua natus sum, etc.
Sic enim clamabunt omnes damnati, quia nullum uidebunt reme-
Rom. 7. dium. Ab his autem malis sola gratia per Iesum Christum nos libe-
rat, teste Paulo.

Et quod

Et quod natum est ex spiritu, spiritus est.]

Omnis noster defectus, ut iam audiuimus, in hoc consistit, quod spiritu caremus, & nihil nisi caro sumus. Spiritū aūt non aliunde acquirere possumus, q̄ṗ á Deo, qui & ipse Spiritus est, & solus potest spiritum bonū dare petentibus se, quemadmodum olim promisit in Ezechiele. Hoc aūt non alio modo fit, q̄ṗ per regenerationem. Sicut enim per natiuitatē carnalem, naturā carnis cū omnibus malis induimus, sic in natiuitate spirituali, Spiritū sanctū cum omnibus bonis accipimus. Non enim qui ex uoluntate carnis, neq; qui ex uoluntate uiri, neq; qui ex sanguinibus: sed soli illi, qui ex Deo nati sunt, filij Dei et capaces Spiritus sancti sunt. Hinc & Isaias ait: A facie tua Domine cōcepimus, & peperimus spiritū salutis, &c̄. Hinc & hic dicitur, Solus ille efficitur spiritus uel spiritualis, qui ex spiritu natus est. Spiritū igit non ex nobisipsis habemus, sed à Deo petēdus est. Deinde hoc uerbo subindicat, q̄ nobilis creatura efficiatur, qui renatus est, & Spiritū sanctū accepit: Is enim nō amplius caro est, nō quærit carnalia, sed spiritus est, spiritualia intelligit, quærit, amat, carnalia despicit, magna et mira agit, ac etiamnum in carne cōstitutus, quodammodo extra carnē est, immo in mūdo existens, iam in cœlis conuersationem habet, ac omniū quæ retro sunt oblitus, ad ea tantū aspirat, quę ante se sunt, quemadmodum Dauid: Vnam petij à Domino, &c̄. ut inhabitē in domo, &c̄. Vide igitur, num carnis uel spiritus plus habeas.

Ioan. 4. Luc. 11. Ezech. 36. Ioan. 1. Isa. 26. Phil. 3. Psal. 26.

Non mireris, quòd dixi tibi, Oportet uos, &c.]

Pulchro Enthimemate colligit, necessariam esse regenerationem. Primo ponit maiorē: Omne quod natū est ex carne, caro est. Substituamus nos minorē: Sed omnes homines nati sunt ex carne peccatrice, Deū nesciente, mūdum diligente, post cōcupiscentias suas eunte. Cōcludit Christus: Ergo nihil mireris, quod dixi, &c̄. Quin potius mirandū esset, si dixisset hominē non renatū, posse intrare in cœlum. Nā hoc fortasse quis sic acciperet, quasi Deo placerēt peccata. Hoc enim primo cōtra ipsius iustitiam, deinde etiam cōtra decorē regni ipsius esset, q̄ṗ nihil coinquinatū admittit. Immo omnino sibi repugnāt homo nō renatus, & regnū Dei. Nā homo nō renatus, caro est: Regnū aūt Dei, spiritus est. Totū enim in Spiritu sancto est, totum in spiritu cōstat & ueritate, nihil habet terrenū, nihil admittit caducū, nihil uanū habet aut ineptū. Paulo aūt teste, caro & spiritus sibi inuicē cōtraria sunt. Nā caro repugnat aduersus spiritū, & econtra, id quod pij homines in seipsis sentiunt, quemadmodū idem Paulus testatur: Video, inquit, aliam legem, &c̄. Quomodo igitur fieri posset, ut homo carnalis ad spirituale illud regnū accessum haberet. Non igitur mireris, &c̄.

Apo. 21. Gal. 5. Rom. 7.

Spiritus ubi uult, spirat, &c.]

Poterat Nicodemus, tanquam rudis adhuc, dicere: Quis ergo po-

terit

terit intrare in regnum cœlorum: ficq; ab omni spe regni Dei decidere, quemadmodmodum Apostoli, cum audissent, quod facilius esset, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum cœlorum, quasi desperabundi dicebant: Quis ergo potest saluus fieri? Verum ibidem statim adiecit Christus: Quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum. Sic & hic, ne Nicodemus omnino desperaret se posse regenerationem illam consequi, atq; adeo regnum cœlorum intrare, quandoquidem uere apud homines impossibile est, ut carnalis homo ex spiritu inuisibili renascatur, subdit Christus modum, quo hoc fieri potest: *Spiritus ubi uult, &c.* Obserua autem, quod quidam hic per spiritum uentum intelligunt, id quod non absurdum est. Nam sæpe in scriptura spiritus pro uento ponitur, ut cum dicitur: Stetit spiritus procellę, &c. Item, Flauit spiritus eius, & fluent aquæ. Spiritus autem dicitur aër, uel uentus: quia per ipsum spiramus, & quia comparatus ad corpora nostra, subtilior est. Hoc igitur quasi externo exemplo, Christus subindicat natiuitatem illam spiritualem, nulla ratione humana posse comprehendi. Quasi diceret, Non mirum est, quod ratio tua & prudentia carnis tuæ, hanc renascentiam spiritualem non capiat. Nam si huius spiritus uel uenti, quem auditus sensu accipis & tactu, ne uiam quidem noscis, unde ueniat aut quo uadat, quo nam pacto diuini spiritus operationem scrutaberis? Deinde, cum triplex legatur formatio hominum. Adam enim ex terra formatus est, mulier ex costa, omnes alij ex semine: nullam tamen harũ, quo modo & qua ratione fiat, consequi possumus, cum tamen crassiora sint. Quid igitur mirum, si spiritualem illam regenerationem non intelligamus, quæ longe altior & subtilior, immo plane diuina est, &c̃. Fide igitur hæc credenda sunt, non ratione perscrutanda, &c̃. Attamen, ut uel aliqua ex parte uidere possimus diuini illius spiritus operationem in hominibus, externo exemplo idipsum ostendit. Sumit autẽ uentum uel aërem pro exemplo, tum propter conuenientiam nominis (Nam & aër spiritus dicitur) tum quia aër est quasi medium quoddam inter corporea & spiritualia. Plures autem aëris uel uenti conditiones sunt, per quas utcunq; uidere possumus, quid Spiritus sanctus in nobis operetur. Prima est: *Spiritus ubi uult, spirat,* Quod uerbum non sic accipiendum est, quasi uoluntate aliqua feratur uentus, sed tantummodo liberum eius à natura impetum per hoc significat. Mos enim scripturę est, ita etiam de inanimatis loqui, ut cum dicit: Vanitati subiecta est creatura non uolens. Hoc igitur uerbo gratia simul & omnipotentia Spiritus sancti demonstratur. Nam quod non debet & tamen uult, gratia est: Quod autem ubi uult spirat, omnipotentia. Sicut igitur uentus libere fertur solo impetu suo, nec ullis humanis legibus constringitur, sed ubiq; spirat,

Matth. 19.

Psal. 106.

Psal. 147.

Genes. 2.

Rom. 8.

ſpirat, in terra, in mari, interdum etiam uiſcera terræ ingreditur, ut ſit in terræ motu: ſic & Spiritus ſanctus in ſuis operationibus liberrimus eſt. Primo, quia nullus eum cogere poteſt: nullius enim debitor eſt, ſed ex gratia dat quicquid dat. Quis enim dedit illi, ut retribuatur ei? Rom.11. Secundo, quia nullus eum retinere uel prohibere poteſt: Non enim eſt in hominis poteſtate, prohibere ſpiritũ. Eccle.8. Tertio etiam in hoc liber eſt, quod cui uult miſereatur, & quem uult indurat. Poteſt enim ſi uult, ex uaſe iræ, facere uas miſericordiæ: & ex uili luto, facere uas glorioſum, item ex humili materia, inſigne opus. Rom.9. 1.Reg.16. Sic Dauidem ex paſtore fecit nedum Regem, ſed & Prophetam: Petrum ex piſcatore Apoſtolum: Matthæum ex Publicano Euangeliſtam: Paulum ex perſecutore Doctorem. Omnia autem hæc agit ſecundum propoſitum uoluntatis ſuæ. Eph.1. Hinc Eſter ait: Si decreueris nos ſaluare, continuo liberabimur, quaſi diceret, Non tibi deeſt facultas, tantum ut uelis. Idem petebat & Dauid, cum diceret: Complaceat tibi Domine, ut eruas me. Pſal.39. Item cum diceret: Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui. Pſal.105. Secunda uenti conditio eſt, quod quamuis ſit inuiſibilis, tamen potẽter operatur. Turres deijcit, montes & ſaxa ſcindit, arbores radicitus euellit quandoq; Dan.4. Sic Spiritus ſanctus excelſa quæq; poteſt humiliare, ut patet in Nabucho-donoſor & Antiocho. 2.Mach.9. Poteſt & corda hominum conuertere, & quantumuis dura & ſaxea corda, ad pœnitentiam emollire, ut patet in peccatrice, & latrone, & Zachæo, &c. Luc.7.19. et 23. Poteſt etiam immitia corda ad manſuetudinem mutare. Hinc in Zacharia dicit: Quis tu mons magne? Zach.4. qui tamen coram Zorobabel eris in planum. Loquitur autem de Rege Perſarum, quem timebat Zorobabel, & ſubdit ibidem, quomodo id fieri poſsit: Non in exercitu, inquit, nec in robore, ſed in ſpiritu meo. Demum poteſt etiam incredulos radicitus euellere, quemadmodum Dauid ad impium quendam dicit: Deſtruet te Deus, & emigrabit de tabernaculo tuo, & tollet radicem tuam de terra uiuentium. Pſal.51. Tertia uenti conditio, quod per omnia ſe transfundit, omnia implet, omnia penetrat, nec quiſquam aërem excludere, uel effugere poteſt. Sic Spiritus ſanctus primo omnia implet, quemadmodum Sapiens ait: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Sap.1. Nam Spiritus ſanctus nihil aliud eſt, quàm uirtus Dei, omnium uiuificatrix, fotrix & conſumatrix. Spiritu enim oris eius omnis uirtus eorum, ait Dauid. Pſal.32. Deinde Spiritus ſanctus omnia penetrat: nihil enim eum impedit, nec ignis, nec aqua, nec carcer quantumcunq; fortis, quo minus penetrare poſsit ad ſuos. Sic tribus illis etiam in igne affuit: Dan.3. Danieli in lacu leonum, Moyſi in deſerto, Dan.6. Paulo in carcere. Exod.3. Act.16. Immo etiam ipſam hominis animam penetrat, quemadmodum Sapiens ait: Spiritus ſapientiæ in animas ſanctas ſe transfert, quo clare indicatur, Spiritum ſanctum eſſe Deum. Nam Sap.7.

nulla

nulla creatura animæ ſubſtantiam penetrare poteſt, nec uentus, nec Angelus, &c. Præterea Spiritum ſanctum nuſquam effugere po-
Pſal. 138. tes, ut non ab ipſo arguantur peccata tua: Quo, inquit, ibo à ſpi-
Pſal. 147. ritu tuo, &c. Item: Non eſt, qui ſe abſcõdat à calore eius: Dies enim Domini, & reuelatio eius, quaſi ſi quis fugiens leonem, incidat in ur-
Amos. 5. ſum, & ab urſo liberatus, percutiatur à uipera. Non igitur ab ipſo, ſed ad ipſum confugias, alioqui nunquam effugies.

Quarta uenti uel aëris conditio eſt, quod corporibus hominum nõnunquam uitam, interdum mortem affert, cum ſcilicet corruptus uel infectus eſt: ſic Spiritus ſanctus uitam, & nihil non bo-
Sap. 7. norum piis præſtat, eſt enim ſpiritus modeſtus, ſuauis, diſertus, incoinquinatus, &c. Nihilominus tamen impios horrendo iudicio
Rom. 1. ſuo excæcat, et in reprobum ſenſum tradit. Iuxta illud: Miſcuit Do-
Iſa. 19. minus Ægypto ſpiritum uertiginis, &c. Item: Quia non accepe-
2. Theſ. 2. runt charitatem ueritatis, dedit eis operationem erroris, ut credant mendacio, &c. Quinta aëris conditio, quod interdum tranquillus & tacitus, interdũ uiolentior eſt: ſic Spiritus ſanctus quibuſdam tacite & in ſilentio illabitur, ad alios autem, utpote pertinaces, uenire non poteſt, niſi prius impetu quodam eos deiiciat. Sic Nabuchodo-
Dan. 4. noſor non credidit, donec è Regno eiiceretur, &c. Tunc primum
Act. 9. aperuit oculos, &c. Sic Paulus non niſi proſtratus, & uiſu priuatus, Chriſtum agnouit. Hoc figuratum eſt in eo, quod antequam Dominus ad Heliam loqueretur, præceſſit ingens uentus, & poſt uen-
3. Reg. 19. tum commotio, poſt commotionem ignis, poſt ignem ſibilus auræ tenuis. Sexta uenti conditio, quod aliquando ab Oriente, aliquando ab Occidente, aliquando ab aliis mundi partibus ſpirat: ſic ſan-
4. Reg. 3. ctus Spiritus non ſemper eodem medio illabitur, nam Helizæus
Act. 2. audito Pſalte, Spiritu ſancto inſpiratus eſt: Apoſtolis congregatis
Act. 10. & orantibus, Spiritus ſanctus ſuperuenit. Cornelius prædicante Petro, Spiritũ ſanctum accepit: Virgo Maria ſub ſilentio, Spiritu ſancto repleta fuit, &c. Septima aëris uel uenti conditio eſt, quod uocem eius audis, tamen neſcis, unde ueniat, aut quo uadat. Quamuis enim in ſigno percipiatur, è qua parte mundi ſpiret flatus uenti, tamen non ſcitur cauſa agens cum determinata perceptione, nec ſcitur determinatus locus eleuationis eius, nec etiam defectionis, ideo Ec-
Eccle. 11. cleſiaſtes dicit: Ignoras, quæ ſit uia ſpiritus. Et Pſalmiſta: Ipſe pro-
Pſal. 134. ducit uentos de theſauris ſuis. Sic uocem Spiritus ſancti audis, primo
Pſal. 84. in teipſo, quemadmodum Dauid ait: Audiam quid loquatur in me Dominus. Plærunq; enim contingit, quod homo ſentit ſe interius
Oſee. 2. tangi, doceri, accendi, rapi, reſolui, & abſorberi. Sicut in Oſee prædictum eſt: Ducam eam in ſolitudinẽ, & loquar ad cor eius. Immo & ipſe Nicodemus nunquam ſalubriter ad Chriſtum ueniſſet, niſi
Ioan. 6. hanc uocem ſpiritus intus audiſſet. Nemo enim uenit ad Chriſtum,

niſi

niſi Pater traxerit eum. Sed neſcit homo unde ueniat, etc. id eſt, quomodo cor intret aut inde recedat: Vel, neſcis ex quo conſilio Dei ueniat, & ad quam beatitudinē deducat te. Deinde uocem Spiritus ſancti audimus in pio homine. Sic in Chriſto Iudæi audiebant uocem ſpiritus. Nā ut dicit Lucas: Mirabātur omnes in uerbo gratiæ, quod procedebat de ore eius, uerum neſciebāt unde ueniret, ideo dicebāt: Vnde huic hęc ſcientia, qui literas non didicit? Sic Nicodemus audiebat uocē ſpiritus in Chriſto: Vere enim uox erat ſpiritus. Nam non ad carnalia, ſed ad ſpiritualia ducebat, tamen Nicodemus neſciebat unde eſſet. Dicebat enim quomodo poſſunt hæc fieri? &c. Sic adhuc contigit, &c. Audimus aliquem uerba Dei loquentem, uocem quidem ſpiritus agnoſcimus, ſed quomodo is, qui loquitur, gratiam acceperit, uel ad quem fructum uel finem eadem gratia proceſſura ſit, ignoramus. Luc. 4. Ioan. 7.

Sic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu]

Sicut uentus uel aër, libere fertur ſuo impetu, & Spiritus ſanctus libere operatur: ſic & Spiritu ſancto afflatus liber eſt, quemadmodum Paulus teſtatur: Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Hoc autem non intelligendum eſt de carnali libertate peccandi, quæ ipſiſſima ſeruitus eſt, ſed de libertate ſpiritus, qua quis liber efficitur à peccato, ut non ei inſeruiat: à morte, ut non in ea pereat: à Sathana, ut non ſit eius captiuus. Item qua quis ſponte et hilariter nō coactus legibus, ſed Spiritus ſancti inſtinctu, ad omnia bona rapitur: adeo, ut nullis indigeat legibus. Vbi autem caro adhuc eſt, illic nulla libertas eſſe poteſt, immo perpetua ſeruitus. Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati, nec huiuſmodi carnales quicquā niſi coacti faciūt. Opus igitur habēt legibus: Virga enim & onus aſino, ait Sapiens. Et Paulus: Iuſtis non eſt lex poſita, ſed adulteris, homicidis, &c. Immo nedum lege coërceri debent, ſed & gladio. Quem autem Chriſtus ſpiritu ſuo dignatus fuerit, & in ueram libertatem aſſeruerit: is uere liber eſt. Secundo, Sicut uentus fortem habet operationem, itidemq; & Spiritus ſanctus, ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu: Fortes enim facit Spiritus ſanctus homines pios. Sic Gedeon indutus Spiritu ſancto, intrepidus contra hoſtes in pugnam proceſsit & uicit, quemadmodum & pius quiſq; dicit: Si cōſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. 2. Cor. 3. Ioan. 8. Eccle. 33. 1. Tim. 1. Rom. 13. Ioan. 8. Iud. 6. et 7. Pſal. 26.

Sic Samſon irruente in ſe Spiritu Domini, omnia uincula, quibus cōſtrictus erat, dirupit, id quod etiam fidelis quiſq; facit ſpiritualiter: Omnes enim laqueos Diaboli rūpit. Sic Petrus et Apoſtoli accepto ſpiritu, fortes effecti ſunt, quam fortitudinem Paulus exprimit, cum dicit: Quis nos ſeparabit à charitate Dei, &c. Præterea, Sicut uentus longe quidem ſubtilior eſt, & agilior quàm quæcunq; corpora, Spiritus ſanctus autem in infinitum: ſic eſt omnis, qui natus ex ſpiritu. Totus enim agilis & ſpiritualis efficitur, ac facile ſe leuat ad cœleſtia, Iudic. 15 Act. 2. et 3. Rom. 8.

stia, &c. Demum, sicut uentus ex parte quidem sentitur, auditu scilicet & tactu, non tamen omnibus sensibus, non enim uideri potest, & Spirirus sanctus auditur quidem, sed non uidetur: Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Habet enim aliquid in se, quod uidetur, nempe corpus & opera: Habet etiam aliquid quod non uidetur, scilicet Spiritus sancti gratia, & interna consolatio. Sic & in regenerationis Sacramento, aqua quidem uidetur, sed non spiritus.

Quomodo possunt hæc fieri?]

Hic primo uides, quàm difficulter spiritualia intelligant, qui carnalibus assuetuerunt. Huiusmodi igitur homines indigent crebris admonitionibus. Nam & gutta cauat lapidem, non ui, sed sæpe cadendo. Deinde hic uides, uere dixisse Christū: Vocē eius audis, & nescis unde sit, &c. Qui n. uerbo Dei nō credit, uel ei repugnat, aut impossibile iudicat, is uere nescit unde sit. Nam si sciret Dei uerbum esse, dicelob.42. ret cū Iob: Scio Domine quia omnia potes. Itē cum Ezechia: Bonus
4.Reg.20. sermo Domini, immo cum ipso Abraham nihil omnino causans uel
Genes.12. submurmurās, ipsum uerbum sequeretur. Miratur aūt Nicodemus, quomodo fieri possit, ut homo corporeus, carnem & sanguinem habens, possit aēris uel uenti leuitatem consequi, uel in spiritum cōuerti.
1.Cor.2. Vbi iterū uides, quàm nihil carnalis homo sapiat eorū, quę Dei sunt. Deinde miratur, quomodo ex aqua possit renasci homo, & non miratur quomodo homo uel ex terra, uel ex costa, uel ex semine nascatur, cum hæc nō minus sint mirabilia. Sic & nos ea tantū ad rationis regulam expendere uolumus, quę in uerbo Dei audimus, cū interim uideamus, Deū & fecisse & facere innumera, quę omnem rationem excedunt. Si uides Deo non fuisse impossibile, uerbo omnia creare, sustētare etc. cur ea sola impossibilia iudicas, quę in uerbo Dei audis? Obserua hic, quod Nicodemus tametsi rudis, multo modestius interrogat, quàm alij Pharisæi. Illi enim cum non intellexissent uerbum
Supra c.2. Christi, dicentis: Soluite templum hoc, &c. statim quasi illudentes & insultantes respondērūt, Quadraginta & sex annis ædificatū est, &c. ideo Christus nō respondit eis. Sic et in alio loco, cū dixisset quę non
Ioan.8. intelligebant, proterue responderunt: Quē te ipsum facis. Itē: Nunc scimus, quia dæmoniū habes: Deniq; & lapidibus eū obruere annisi sunt, ideo & Christus se ab eis abscondit. Hic autem Nicodemus modeste interrogat studio discendi, ideo & responsum meretur.
Sapi. Vere enim dixit Sapiens: In simplicitate cordis quærite illum: Inuenitur enim ab his, qui eum non tentant, &c.

Tu es Magister in Israel, &c.]

Hic iterum Christus fungitur officio boni doctoris, cuius est ne
2.Tim.4. dum docere, sed & increpare & obsecrare, &c. ut Paulus docet. Hactenus igitur Christus docuit, nunc increpat, postea etiam consolaturus.

turus. Singula autem uerba emphasim habent. Primo: *Tu es Magister.* Quasi diceret, Qui profitetur se magistrum, nihil nescire debet eorum, quæ ad suum officium pertinent. Quid igitur inani titulo gloriaris, cum tanta nescias? Hoc igitur uerbo ad humilitatem eum prouocat, ut depositio omni supercilio, humilem & docilem se præbeat discipulum. Tales enim requirit Christi schola. Vnde et in alio loco Apostolus dicit: Vos autẽ nolite uocari Rabbi: Vnus est enim magister uester. Matth. 23.

Secundo addit: *Tu es Magister in Israël,* quasi diceret, Cum Israël significet eum, qui Deum uidet uel fortem cum Deo, illeq; populus & legẽ & Prophetas acceperit, oportebat, ut nullus ex populo harum rerum insçius esset, sicut de eis prędictum est: Cognoscent me omnes à minore usq; ad maximũ. Hier. 31. Qui fit igitur, ut tu huius populi doctor tam ignarus sis? Si tales sunt doctores, qualis erit populus? Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantę erunt? Matth. 6. Si caput adeo languet, nihil mirum, quod & membra langueãt. Hoc autem uerbo pulchre ostendit, quidnam populum Iudaicum in tantã impietatem & mala perduxerit, nempe, quod speculatores eius cęci fuerunt, &c. Item, quod & sacerdos & Propheta nescierunt, &c. Isa. 56. Hinc in alio loco dicitur: Propterea ductus est populus meus in captiuitatem, quia non habuit scientiam. Et iterũ: Propter uos Sion quasi ager arabitur, &c. Et Hieremias: Accessi, inquit, ad optimates, & ecce hi magis confregerunt iugum, ruperunt uincula. Isa. 26. Isa. 5. Mich. 3. Hiere. 5. Quasi diceret, Iam non miror, tam impium esse populum, cũ tam malos habeat pastores. Sic & nunc omnium malorum causa in Ecclesia est, quod hi, qui deberent esse lux mundi, tenebricosi sunt: qui sal terræ esse deberẽt, ipsi insipidi sunt: quiq; alios docent, seipsos non docent, immo qui docent non adulterandum, adulterantur, &c. Matth. 5. Rom. 2.

Tertio emphasim habet & illud, quod subdit: *Et hæc ignoras?* Quasi diceret, nihil alienũ à scriptura aut nouũ doceo, sed hoc ipsum, quod scriptura ubiq; docet & clamat. Non uides scripturã ubiq; hominis peccatum, maledictionem, damnationem, infirmitatem, miseriam ob oculos ponere? Non uides, Prophetas aperte prædixisse, hominum genus per unũ Christum restituendum? Immo, quid impossibilia iudicas, quæ dixi de regeneratione, cum scriptura & figuris, & apertis uerbis etiam modum regenerationis ostenderit. Quid enim, quod Deus ex aqua & pisces & uolucres creauit? quid, quod ex latere dormientis Adæ mulierem formauit? quid, quod per diluuium mundum repurgauit? quid, quod per mare rubrum Israelitas traduxit? quid, quod eisdem tot purificationis modos per legem prescripsit? quid denique, quod Naamã non alibi, quàm in aqua mundatus est à lepra? Quid hæc, inquam, omnia significant, nisi Baptisma nostrum. Ad hæc Prophetæ non semel apertis uerbis hæc prædixerunt. Hinc in Ezechiele: Effundam super uos aquam mundam, Gen. 1. Genes. 2. Gen. 7. Exod. 14. 4. Reg. 5. Ezech. 36.

Zach.13. & dabo uobis ſpiritum nouum, &c. Item Zacharias: Erit fons patens domui Dauid, etc. Qui fit igitur, ut tu legis doctor, hæc ignores: Vides quomodo præſumptionem humanã confundat: Quamuis Chriſtus hoc uerbo non tam Nicodemũ perſtringat, quàm eos,
Matth. 23. qui in Cathedra Moyſi ſedebant, gloriantes, quod ipſi eſſent duces
Rom.2. cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, &c. cum tamen nedum non docerent, ſed ne intelligerẽt quidem, quod præcipuum erat.
Matth. 23. Quam ob rem & congrue Chriſtus eos ſepulchris dealbatis compa-
2. Cor. 3. rat. Summa, uel ex hoc uno loco uidemus, etiam tunc uelamen fuiſſe ſuper cor eorũ, iamq; in ipſis impletã fuiſſe diuinam illam ſentẽtiam:
Iſa.6. Vt uidentes non non uiderent, & audientes non intelligerent.

Amen dico tibi, quod ſcimus loquimur]

Etiam hic Chriſtus doctoris officium agit. Videbat ſe nihil actu-
rũ in Nicodemo, quamdiu ille pergeret ſola humana ratione uerba ſua metire. Suadet igitur ei, ut poſtpoſitis cogitationibus carnalibus, crederet quę ratione conſequi non poſſet. Ad hunc igitur finem, doctrinæ ſuæ certitudinem indicat: *Amen*, inquit, *dico tibi*, &c. Quaſi diceret, Non fabulas loquimur, nec ex coniecturali præſumptione,
Ioan.7. quemadmodũ hi, qui à ſemetipſis loquuntur, propriã gloriam quæ-
Ezech.13. rentes, aut qui de cordibus ſuis prophetant: ſed quod ſcimus & uidimus, rem certam in ueritate exiſtentem, uerum ſcripturarum ſenſum, quarũ profitemur magiſterium, loquimur & teſtamur, ſecurus igitur crede. Hoc autem uerbo docet, audituris uerbũ Dei neceſſariam eſſe fidem, alioqui fruſtra audient, cũ uerbum Dei ea proponat, quæ ui-
2. Cor. 5. deri non poſſunt. Per fidem enim ambulamus, nõ per ſpeciem. Hinc
Iſa.7. & Iſaias ait: Si non credideritis, non permanebitis. Diſcant et hic
Hier.23. prædicatores, quid docere debeant: Nempe non ſua ſomnia, id quod falſi prophtæ olim faciebant, ſed nec hominum opiniones: uerum ea ſola, quę ſciunt & uident, hoc eſt, quæ certa ſunt & indubitata, ne diſcant auditores cõfidere in mendacio, & inniti ſuper baculum arundi-
Matth.25. neũ. Deinde quę ſciũt, docere debẽt, hoc eſt, alijs cõmunicare, quod à Deo acceperunt, ne ſimiles fiant inutili ſeruo, qui pecuniam Do-
Lucæ 11. mini ſui abſcondit: itemq; illis, qui clauẽ quidem habent ſcientiæ, nec tamen ipſi ingrediuntur, nec alios ingredi permittunt. Obſerua aũt quod Chriſtus hic in plurali loquitur, quod alias nõ facit. Quia enim teſtari ſe dicit, & loquelam ſuam teſtimonium nũcupat, teſtimonium
Deut.17. autem unius legitimũ non eſt, ſed in ore duorũ uel trium ſtat omne uerbũ, recte ergo non ait, Quod uidi hoc teſtor, ſed quod ſcimus et uidimus, ſeipſum ſcilicet & patrem intelligens, ſicut & alibi dicit: Ego
Ioan.8. ſum qui teſtimonium prehibeo, & teſtimonium perhibet, qui miſit me. Deinde hoc uerbo oſtendit, ſe idem docere, quod Prophetę docuerunt: Non, inquit, ſolus hęc loquor, ſed omnes Prophetæ eadem loquuntur.

loquuntur. Simpliciſsime autem intelligi poteſt, ut de ſe & Ioanne loquatur: Nos, inquit, qui nunc prædicationis nomine celebres habemur, uera docemus, cognita loquimur. Quæ enim Ioannes docet, reuelatione diuina accepit, iuxta illud: Factū eſt uerbum Domini ſuper Ioannem, &c. Certiſsima autem eſt cognitio, quæ ex Dei reuelatione habetur, eſt enim Deus uerax, omnis autem homo mendax, quæ aūtē ego doceo, ex Patre cognoui & uidi. Vbi obiter indicatum eſt, quæ ſit differentia inter cognitionem Ioannis & Chriſti: Ioannes quidem ſciuit uera eſſe quæ doceret, Chriſtus autē uidit. Quid enim neſcire, quid non uidere poſſet, qui Deus eſt, qui omnia regit, & implet, qui denicq; ſemper eſt in ſinu Patris? Hinc & ad Iudæos dicit: Quæ uidi apud Patrem meū loquor. Et ad diſcipulos: Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci uobis. Hęc autē Chriſti uerba maxime faciunt ad confirmationem fidei noſtræ: Hinc enim uidemus, quàm ſecure uerbis & doctrinæ Chriſti inniti poſsimus. Lucæ 3. Ioan. 8. Ioan. 15.

Et teſtimonium noſtrum non accipitis]

Hoc idem & in alijs locis conqueritur, ut infra patebit. Signanter autē dicit in plurali: *Teſtimonium noſtrum*, ſubindicans, hoc non ſibi ſoli fieri, ſed etiā alijs factū eſſe. Hoc enim & Moyſes, & omnes Prophetæ conqueſti ſunt, Iudæos ſcilicet eſſe duræ ceruicis, contemptores uerbi Dei, etc. Non tamē dicit, Tu non accipis, ne eū omnino confundat, ſed in generali tantū, Vos, inquit, & Phariſæi non accipitis, nec intelligitis nec credere uultis: iuſte igitur uobis auferetur regnum Dei. Hinc & alibi quoq; dicit: Quoties uolui congregare filios tuos, & noluiſti: Ex hoc autem uerbo uidemus, etiam ad nos pertinere omnia quæ hactenus dicta ſunt. Necq; enim ſolus Nicodemus regeneratione opus habet, nec ſolus uerba Chriſti non intelligit, nec ſolus tametſi magiſter ſit in Iſraël, diuinarum tamen rerū inſcius eſt: denicq; nec ſolus eſt, qui teſtimonium Chriſti non ſuſcipit, ſed plæricq; inter nos quoq; tales ſunt, &c. Deut. 9. Matth. 21. Matth. 3.

Si terrena dixi uobis, & non creditis, &c.]

Per terrena hic primo intelligi poſſunt, externæ illæ & terreſtres ſimilitudines, quibus Chriſtus frequenter uſus eſt, ut ſupra de uento. Senſus igitur eſt, Si aëris huius naturā et impetum cum ſentias, non tamen ingenio conſequi potes, quomodo cōſequeris hæc longe ſublimiora? Si exemplum à terrenis ſumptū non creditis, quonā pacto altiora credetis? Vel per terrena intelligi poteſt Baptiſmus & doctrina Ioannis, ut ſit ſenſus: Si Baptiſma Ioannis, quod ad meā regenerationem collatū adhuc terram ſapit, non creditis, quomodo doctrinam meam credetis? Simpliciſsime aūt poteſt intelligi pro doctrina lactis, ut ſit ſenſus, Hacten9 adeo me ueſtræ imbecillitati accōmodaui,

ut nihil ſublime, ſed humilia tantum & plane puerilia docuerim, quæ captum non excedunt humanum: non enim potui uobis loqui
1.Cor.3. ut ſpiritualibus, ſed ut carnalibus. Vnde et quaſi infantibus lac uobis potũ dedi, non ſolidum cibum, nec tamen ſic creditis, uel intelligitis ſaxis ſtupidiores. Deinde, ut doctrinam noſtram ad infirmitatem captus auditorum accommodamus, ita et uitam noſtram pro ingenio-
Matth. 11. rũ uarietate inſtituimus. Venit enim Ioannes nõ edens nec bibens, &c. ſed hac uia nihil apud uos proficitur, nedum enim ei non credetis, ſed etiam dicitis eum habere dæmonium. Veni ego ipſe uobiſcum
Ibid. familiarius, edens & bibens, & ecce rurſum eſt quod calumniamini, &c. In ſumma, cantauimus uobis, & non ſaltaſtis, lamentamus, & non ploraſtis. Hoc igitur uerbo Chriſtus indicat, ſe nullum non lapidem mouiſſe, ut nos ad reſipiſcentiam alliceret. Nulla igitur nobis relicta eſt excuſatio, ſi in peccatis & infidelitate maneamus, &c.

Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui, &c.]

Exprobrata totius ordinis Phariſaici ruditate, redit nũc ad argumentũ diſputationis, apertius docens, unde uera iuſtitia petenda ſit. Vide autem, quàm pulchre ordinẽ ſeruet. Primo docuit neceſſariam eſſe regenerationem. Secundo oſtendit, eam fieri per aquam & ſpiritũ, adiecit & cauſam, itemq; hominis regenerati conditiones: Nunc indicat, ubi Spiritus ſanctus, & per quem quærendus ſit, nam aquam omnes habere poſſumus. Patet igitur, quod non intelligũt hunc locum, qui ex eo colligunt, neminẽ ad cœlum uel peruenille uel peruenire poſſe, cum ſcriptura ubiq; teſtetur, electis æternas in cœlo man-
Matth. 5. ſiones paratas. Sic enim Chriſtus ait: Beati pauperes, quoniam ipſo-
Matth. 6. rum eſt regnum cœlorum. Hinc & omnes nos iubet theſaurizare in
Matth. 19. cœlo. Et cuidam dixit: Vende omnia, &c. & habebis theſaurum in
Ioan. 14. cœlo. Et Apoſtolis: Aſſumã uos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & uos
Ioan. 17. ſitis. Et ad Patrem: Volo ut ubi ego ſum, et illi ſint mecum. Et Paulus:
2.Cor.5. Scimus quoniã ſi terreſtris domus noſtra diſſoluit, quod ædificationẽ habemus in cœlo, &c. E quibus omnibus patet, quod uerbum hoc Chriſti alio ſpectat. Sunt igitur, qui locum hunc tantum ad mores trahunt, uidelicet, ut qui aſcendere uelit ad cœlum, is exemplo Chriſti prius deſcendat, hoc eſt, ſe indignum agnoſcat gratia. Deinde ſit & permaneat in Eccleſia, quæ regnum cœlorum in pleriſq; parabolis dicitur: Qui enim ab ea ſe ſegregant, ad cœlos aſcendere nequeunt. Hæc quanquam pia ſint, tamen huic loco non ſatisfaciunt. Poteſt igitur hoc uerbum primo ſic exponi, *Nemo aſcendit*, &c. Hoc eſt, hactenus omnibus hominibus clauſum fuit cœlum, nec quiſquam aſcendere potuit aut aperire, niſi ſolus filius hominis. Propter peccatum autem clauſum erat hominibus cœlum, neq; id mirum, cum & Paradyſus propter peccatum homini clauſus fuerit, immo pleruncq;
Gen. 3. etiam è terra ejiciãtur homines, quemadmodum ludæis ſæpe euenille

legimus,

legimus,& propter peccata Psalmista cuiuis etiã impio,tale quid minatur: Propterea,inquit, quia scilicet gloriaris in malitia, &c. Deus destruet & euellet te, &c. Iam cũ omnes homines peccato obnoxij fuerunt,quantuncũcq; sancti,præter unum Christũ, qui peccatũ non fecit,nec inuentus est dolus in ore eius,&c. constat,quod nullus præter Christũ cœlum aperire potuit. Deinde potest hoc uerbũ intelligi, quod solus Christus propria uirtute ascenderit. De ipso enim scribitur:Eleuatis manibus ferebatur in cœlum, nec mirũ,quia non solum hominis,sed & Dei filius & Deus erat. Hoc autem nemo alius potuit propria uirtute: Omnes enim alij per Christũ suffulti,ascendunt,clamantcq; Trahe me post te,immo alij omnes in Christo,tancq; in scala ascendũt,quemadmodũ supra etiã de angelis dixit: Videbitis cœlum apertũ,& angelos Dei ascendentes,& descendentes super filium hominis. Hoc aũt etiam in hominibus impletur, nã quotidie uidemus, quod pij homines certatim ascendunt. Regnũ enim cœlorũ uim patitur,&c. Et alij quidẽ iam primũ ascendere incipiunt: Alij iam aliquousq; profecerũt: Alij tam alte ascenderũt,ut non amplius uideant terram,immo cũ Paulo omnium quæ retro sunt obliuiscantur,ac capite cœlum attingant,dicentes:Nostra cõuersatio in cœlis est. Alij iam intrant in gaudium Domini sui,interim descendunt angeli cõsolantes, adiuuantes,defendentes:nec Deus ipse innixus scalæ,clamare cessat: Venite ad me omnes,qui laboratis,etc. Quod si hoc spectaculũ uel ad momentum uidere possemus,profecto puderet nos ignauiæ nostrę, quod alijs ad cœlum irrũpentibus,nos in luto terræ hæremus. Præterea etiam sic potest uerbũ hoc intelligi,quod scilicet solus Christus iure ac merito ascendit in cœlũ. Ipsi enim iure debetur cœlũ,quia naturalis Dei filius est. Ideo dicit: Omnia tua mea sunt. Et Dauid, Cœlum cœli Domino, terrã aũt dedit filijs hominũ. Omnes aũt alij,qui uel unquam ascenderũt,uel ascensuri sunt,tantũ ex gratia hoc habẽt, nullo iure,sed tantũ quia misericorditer hoc promisit Deus. Necq; enim opera nostra etiam qualiacunq;,tanta sunt,ut huiusmodi remunerationem ex æquo uel condigno mereantur,nisi quatenus ea Deus misericorditer acceptat. Hinc Paulus:Nõ sunt cõdignę passiones huius temporis,ad futuram gloriam. Et idem dicit,Pondus illud glorię futuræ,supra modũ excedere omnes passiones præsentes. Ex his itaq; colligit: Gratia saluati estis, non ex operibus, ne quis glorietur. Demum etiam sic potest intelligi uerbum prædictũ,quod nullus hominum sua iustitia potest cõsistere aut apparere corã Deo, nisi Christus solus. Nec mirũ: Omnes enim declinauerũt, simul inutiles facti sunt, &c. Quod si etiã aliqua bona iustitię opera in nobis appareãt,tamen semper plus peccatorum habemus,ut merito Dauid exclamet: Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Præterea etiam bona opera nostra nonnihil habent imperfectionis, immo plęrunq;

Psalm.15. 1.Pet.2. Lucæ 24. Cant.1. Supra 1.c. Matth.11. Phil.3 Matth.25. Matth.11. Ioan.17. Psalm.113. Rom.8. 2.Cor.4. Ephes.2. Psal.13. Psalm.129.

aut per uanam gloriam, aut aliud quiddam ueteris hominis uitium
Isa.64. inficiuntur, ut uerissime dictum sit: Omnes iustitiæ nostræ tanquam
Psal.142. pannus menstruatæ. Vnde & Dauid precatur: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur apud te omnis uiuens. Si igitur iustitia nostra coram Deo consistere nequit, quomodo potuisset nobis aperire cœlum, mereri Spiritū sanctū, ac reconciliare Deo? Christus autem coram Deo apparere audet, quia filius Dei est, aliisq; omnibus damnatis & perditis, solus ipse gratiam Dei habet, solus iustitiam possidet, solus denicq; in se omnia Dei bona habet. Deinde etiam sola eius iustitia, Patri grata est, quia nullis peccatis permixta, immo purissima & ex summa charitate, et dilectione Patris profecta
Ioan. 14. est: Vt cognoscat, inquit, mundus, quia diligo Patrē, facio sicut mandatum mihi dedit Pater. Et Paulus: Obediens fuit usq; ad mortē, etc. Solus igitur potuit nobis mereri apertionem cœli, gratiam Patris, et Spiritum sanctum. Hocitaq; uerbo Christus nos humiliare uoluit,
Luc. 17. ne unquā de nobis ipsis prēsumamus, aut iustitia nostra: Non ut nihil boni operemur, sed ut seruos inutiles nos sciamus & agnoscamus, etiāsi omnia quæ præcepta sunt fecerimus. Deinde hoc uerbo docuit, ut omnia bona ab ipso & per ipsum quæramus. Verissima enim sententia est: Nemo ascendit in cœlum, &c. hoc est, nullus gratus esse po
Ephes. 1. test Deo, nisi per Christū, per ipsum enim nos sibi gratificauit. Nullus remissionē peccatorum accipere potest, nisi per Christū: Ipse enim
1. Ioan. 2. est propitiatio pro peccatis nostris. Nullus Spiritū sanctum accipere
Isa. 11. potest, nisi per Christum: In ipso enim requieuit spiritus Domini. Et
Ioan. 1. de plenitudine eius omnes accepimus. Nullius iustitia Deo grata est, nisi iustitiam & merita Christi suis operibus superinduxerit, ut pius
Genes. 1. pater agnoscere possit tunicam filij sui. Nullus corā iudicio Dei consistere potest, nisi patronum et aduocatū habeat Christum: Ipse enim
1. Ioan. 2. est aduocatus noster apud Patrem. Denicq; nullus omnino potest ascendere in cœlum, nisi sit membrum in corpore Christi, hoc est, nisi Christo per fidem, spem & charitatē incorperetur. Si igitur cupis ascendere in cœlum, unū fias corpus cū Christo, permane in Ecclesia, quæ est corpus Christi, noli te à corpore separare. Verū attendamus & alia uerba. Primo non abs re filiū hominis se nominat, cū potuisset se nominare hominē, uel Deū. Primo enim hoc uerbo fidem nostram confirmauit, ne dubitemus, nos participes esse posse bonorum eius, quandoquidem ipse nostræ naturæ particeps factus est. Poterat quidem de terra aut aliunde nouū plasmare hominē, quem assumeret, sic quidem esset caro & sanguis, ut nunc, sed non nostra caro & sanguis: homo quidem, sed non proximus nobis: homo, sed non filius hominis. Quis autem credere posset, filium Dei sua nobis bona communicare uelle, si eum uideret nostram naturam refugisse & abominatum esse? Vt igitur certo sperare possimus

posſimus eius bona, ipſe ex eadem maſſa carnem ſumerere uoluit, qua omnes nos naſcimur. Deinde hoc uerbo auget ſpem noſtram: Si enim poſsibile fuit, ut Deus fieret filius hominis, poteſt & fieri, ut & homo fiat Dei filius. Prꝛterea hoc uerbo, cū ſe nominat filium hominis, charitatē noſtrā accendere uoluit, ut redamemus eū, qui tanta dignatione nos dilexit, de quo infra. Cæterū quod dicit filium hominis deſcendiſſe, non ſic intelligas, quaſi corpus ſecum è cœlo attulerit, nihilꝙ de uirgine ſumpſerit, ſed tantum per eam tranſierit, quemadmodum Valentiniani hꝛretici dixerūt. Verū hac loquendi figura, inſinuare uoluit unitatē perſonꝛ in ipſo, ne quis putaret, duas in Chriſto eſſe perſonas, ſicut duas cōſtat eum habere naturas, quemadmodum Neſtoriani hæretici ſenſerūt. Quia igitur una tantū eſt in Chriſto perſona, fit, ut & humana de Deo, & diuina de homine dicantur: Sic filius hominis dicitur de cœlo deſcendiſſe, quia ſcilicet aſſumpta humanitas, una eſt perſona cum uerbo, quod deſcendit. Sic infra, filium hominis, qui adhuc erat in terra, dicit eſſe in cœlo: Filius, inquit, hominis, qui in cœlo eſt, quia nimirum cū homine in terra loquente, Deus qui in cœlo & ubiqꝙ eſt, una perſona eſt. Vere igitur qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit, licet aliter ueſtitus, humana ſcilicet natura & corpore ſuo myſtico. Deſcendit Deus, aſcendit Deus & homo. Solus deſcendit, ſed plures cum eo & poſt eum aſcendunt, uidelicet totum corpus ſuum myſticum, omnia membra ſua. Vbi enim fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Ephes. 4. Matth. 24.

Et ſicut Moyſes exaltaut ſerpentem, &c.]

Etiam hoc uerbo altius quiddam, & quod ad rem hanc uel maxime pertineat, docet, nempe quomodo nobis cœlum aperturus, et ſpiritum ſanctum promeriturus eſſet, itemqꝙ per quid nos Spiritū ſanctum accipere poſsimus. Meruit autem Chriſtus nobis Spiritum ſanctum ſua paſsione. Spiritum autem eundem nos fide accipimus: hæc igitur duo hic indicat. Non autem ſine cauſa, Nicodemū hoc loco admonet futuræ paſsionis. Primo enim hoc facto & ipſum & omnes nos admonere uoluit, ut grauitatē noſtrꝛ damnationis attendamus, quaſi diceret, Verū quidē eſt, quod ſolus filius hominis uos patri recōciliabit, hoc tamē nō fiet, niſi prius perſoluto debito, qꝙ homo Deo debet. Magna mihi ſubeūda eſt pro uobis ſatisfactio, ne igitur putes iocū eſſe, qꝙ dico, ſed nec peccata tua tā leuia eſſe tibi perſuadeas, nam alioqui nihil opꝰ erat tāta tanqꝙ ſeuera ſatisfactione. Secūdo ideo paſſionē ſuā prædicit, ne poſtea ſcādalizetur, ſed ſciat diuino cōſilio hoc fieri, ob quam cauſam etiā Apoſtolis ſæpius paſsionē ſuam prꝛdixit. Hinc eſt, quod Nicodemus etiā in morte Chriſti fortior alīs inuētus eſt, propterea, quod hic de eadē paſsione prꝛmonitꝰ erat. Nec tamē aperte Chriſtus ei paſsionem ſuam prædixit, ſed tantū per figuram, tum quod loquebatur legiſperito, tū ut oſtenderet utrūqꝙ teſtamentū Matth. 20. Ioan. 19.

inter

inter se consentire, tum deniq, ut uno hoc exemplo eum induceret
Ioan. 5. ad alia etiam inuestiganda, quemadmodum et alibi dicit: Scrutamini scripturas, &c. Sed cur potissimū hanc figurā de serpente producit, cum potuisset et agnū paschalem aut alia sacrificia, quibus non minus Christi passio prefigurabat, producere? Nimirum, quia in hac figura non tantum ipsa Christi passio proposita est, sed & causa passionis, & conditiones patientis, deniq & fructus passionis, & quomodo eius participes efficiamur. Insuper etiam ideo hanc figurā potissimū adduxit, quia uix alia est, quæ manifestius confundat Iudeos, crucem Christi irridentes. Cum enim dicunt, Quomodo potest saluare, qui crucifixus est? Nos respondemus, Quomodo potuit serpēs æneus, res inanimata, et uita carens, uitam cōferre? Cęterum, historia
Num. 21. quam Christus hic citat, in Numeris scripta est, quam paucis explicabimus. Primo enim, sicut ob id uel maxime quondam igniti serpentes in populū immissi sunt, quod nauseabant super cibo, quē Deus ipsis dederat: sic homo q̄ primum nauseare cœpit ad uerbū Dei (id quod
Genes. 3. Eua fecit) statim infernali serpēti obnoxius fuit. Secūdo, sicut multi ex populo perīsse scribūtur, antequ Deus remediū hoc de ęneo serpente ostenderet: sic multi in peccatis mortui fuerunt, antequ Christus ueniret. Tertio, quēadmodum eo tempore quantūuis populus clamaret, nullus tamen ex eis nec sibi nec alijs subuenire potuit, immo ne quidem ipse Moyses potuit, sed solus Deus. Sic multi quidē Patrū morsus Diabolici serpentis deplorauerūt, nullus tamen se ipsum uel alios curare potuit, immo quantūuis etiā ad legem recurrerēt, tamen nec ipsa quicquam aliud poterat, nisi morbū ostendere. Nihil igitur restabat, nisi à solo Deo auxilium sperare. Quarto, sicut Deus etsi potuisset illos solo uerbo sanare, tamen addit signum: sic in sanatione spirituali uerbo suo addit etiā Christus signa, hoc est, Sacramenta. Quantumuis aūt uideretur impossibile, quod serpens ęneus, res scilicet inanimata, salutem conferre posset, nullus tamen eorū hoc signum contēpsit aut neglexit: sic nec nos cōtemnere debemus sacramēta. Potest enim Deus saluare, & bona sua cōmunicare, etiā per humilia media. Quinto, quamuis populus Israëliticus crebra mala incurreret in deserto, tamen contra nullum illorū legimus datū fuisse signū aliquod, nisi cōtra morsus serpentū: sic quāuis homo pluribus malis internis & externis obnoxius sit, ut sunt fames, sitis, etc. Itē tristitia, timor, etc. tamen nullum cōtra hæc mala spiritale signum habemus, propterea, quod nihil talium malorum nobis nocere possit, si desit peccatum. Nulla siquidem nobis nocere potest aduersitas, si nulla nobis dominetur iniquitas. Contra morsus autem serpentis, hoc est, peccata,
Lucæ 2. signum nobis dedit Deus, Christum scilicet, quem Simeon fatetur in signum esse positum, &c. Congrue aūt peccatum dicitur serpentis morsus. Primo, quia à serpente ortum habuit: Inuidia enim, Diaboli

mors

mors illa, introijt in orbem terrarū. Secundo, quia totum infecit hominem, animā ſcilicet et corpus, rationē, uoluntatē, omnes denicq; uires, omnia membra, immo & totū humanū genus, quemadmodum & ictus ſerpentis totum corpus inficit. Sexto, uel maxime obſeruandum, quod non aliud ſignū ueteribus illis dedit, quàm ſerpentē. Potuiſſet quidē et alia ſigna dare, uerum ita conueniebat, ut quia ſerpens uulnerauerat, etiam ſerpens mederetur: Sic enim & in medicinis uenenum ueneno expellitur. Attamen in hoc erat differentia, quod ſerpens qui momorderat, uenenum habebat, is autem qui ſanabat, nullum habebat uenenū, immo ne ſerpēs quidem erat, ſed tantū ſerpentis ſimulachrum. Sic potuiſſet quidem Deus alio modo hominem redimere, ſed hic modus cōuenientiſsimus erat, ut per hominē Chriſtum homini lapſo mederetur, & mors mortē occideret, hoc eſt, ſerpens ſerpentem fugaret: Ita tamen, ut homo nocens, per innocentem ſaluaretur, & mors iuſta hominis, per mortē iuſtam Chriſti aboleretur. Adam enim ſerpenti conſentiendo, uirus ſerpentinum imbibit: cum quo & totam poſteritatē infecit, quemadmodum & Paulus ait: Per unum hominē peccatum intrauit in orbem terrarum, &c. Et ob id etiam omnes homines, hoc eſt, filij Adam, à Chriſto dicuntur genimina uiperarū. De Chriſto autem dicit Paulus: In ſimilitudinē hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Et in alio loco dicit: Miſit Deus filium in ſimilitudinē carnis peccati. Vnde et à plæriſq; non tantum peccator iudicatus, uerum etiam tanq; Magus et ſeductor in crucē ſublatus eſt, quod quid aliud eſt, quàm ſerpentis ſimilitudinem gerere? Quantumcunq; tamen Chriſtus filius Adæ & peccator, nihilq; differens ab alijs peccatoribus uidebatur, tamen uere uenenum non habuit: Peccatū enim non fecit, nec dolus inuētus eſt in ore eius. Rom. 5. Matth. 12. Phil. 2. Rom. 8. 1. Pet. 2.

Septimo, in figura illa manifeſte exprimitur, non ligneum aut lapideum, ſed æneum ſerpentē fieri iuſſum. Natura autem æris eſt, quod non ferro cedente, ſed igni conflante formatur. Deinde admodum ſonorum eſt. Præterea etiam diuturnum, et rubigine corrumpi difficillime poteſt. Sic uere corpus Chriſti, non maritali opere, ſed ueri ignis conflatione, id eſt, ſancti Spiritus operatione, cōceptum eſt. Et idem Chriſtus cum hominibus loquens, non ut ueri ſerpentes, id eſt, ſuſurrones aut detractores, occulte aliquid inſibilabat, ſed tanquam ſonorum æs clare concrepans, publice prædicabat, ſicut de ſe ipſo dicit: Ego palam locutus ſum mundo, &c. Præterea caro eius tanquam æ̨nea, nulla cuiuslibet uitij rubigine ſolubilis extitit. Luc. 1. Ioan. 18.

Octauo præceptum fuit Moyſi, ut ſerpentem exaltaret, nimirum ut omnes eum conſpicere poſſent, ne quis eo bono fraudaretur, itemq;, ne quis proterue illum intueri, contemnens, quicquam excuſationis haberet: Sic, inquit, exaltari oportet filium hominis. Vere oportuit. Primo, ut omnes uiderent, ubi ſalutem quærere deberent.

Deinde

Deinde, ut omnibus ob oculos poneretur insignis illa Dei dignatio. Præterea, ut ludæorũ ingratitudo & cæcitas manifestior fieret, ut qui eum ad mortem adegerunt, qui omnibus uitam attulit: eum, inq̃, noluerunt uidere, qui cor omnibus ut uerus mediator Dei & hominum, inter cœlum & terram exaltatus fuit. Insuper etiam sic exaltari oportebat filium hominis, ut scilicet in toto mundo prædicaretur electis in bonum, ne quis eorum periret: reprobis autem in malum, ut nullam excusationem haberent. Non sine causa autem Christus passionem suam, non confusionem aut humiliationẽ nominat,
Lucæ 24. sed exaltationẽ. Nam primo per passionem & crucem uere intrauit
in gloriam suam, ut ipsemet dicit. Cui & Paulus astipulatur: Propter
Phil. 2. hoc, inquit (nempe, quia se ipsum exinaniuit usq; ad mortẽ) Deus il-
lum exaltauit, & dedit illi nomen, &c. Vbi interim notandum, quod
Act. 14. etiam nostra crux et passio uere exaltatio nostra est. Per multas enim tribulationes intramus in regnũ cœlorũ, etc. Noli igitur crucem abijcere, aut sub ea desperare. Deinde etiam ideo exaltatio, dicitur passio Christi, quia per ipsam gloriose triumphauit de hostibus suis. Per hoc enim, quo uisus est condemnari & uinci, condemnauit & uicit huius mũdi principem. Præterea hæc ipsa passio ostendit, eum
Matth. 4. inuictum esse à tristitia, quemadmodum prius non potuit uinci à uoluptate, cum Diabolus diceret: Dic, ut lapides isti panes fiant. Itemq;: Hæc omnia dabo tibi, &c. cum tamen hęc duo, uoluptas et tristitia, potenter dominium exerceant in genus humanum.

Tantam autem tristitiæ machinam, Diabolus Christo adhibuit, ut omnes contra illũ moueret: discipulos, ut negarent: milites, ut illuderent: ludæos, ut crucifigerent: prętereuntes, ut blasphemarent, & tamen eum expertus est inuictum. Vere igitur per passionem suam exaltatus est, hoc est, apparuit inuictus. Diligenter igitur obserua circa hunc locum, quod crux dicitur exaltatio, ut non deficias in aduersitate, quandoquidem hic uides, per crucem nos ad gloriam perduci.
Iacob. 1. Vnde & Iacobus ait: Omne gaudium æstimate fratres, cum in tentationes uarias incideritis: Beatus enim, qui suffert tentationem, &c. Nono, Serpens ille ęneus solum proderat his, qui eum aspiciebant, quo docemur, quid agere debeamus, ne frustra Christus nobis crucifixus & exaltatus sit. Oportet autem ut eum aspiciamus non oculis
Ioan. 15. carnis (hoc enim nihil confert ad salutẽ. Nã multi eũ sic uiderunt & oderunt) sed oculis fidei. Cæterũ quomodo hic fidei aspectus fiat, è paupere aliquo discere possumus. Is n. cũ diuitẽ aliquẽ uidet obuium, primo gaudet adesse aliquem, qui possit adiuuare. Deinde etiamsi eum non cognoscat, nec quicquam de eo meritus sit, tamen bene de ipso sperat. Tertio cum fiducia necessitatem suam ei exponit, et quàm potest miserabiliter. Quarto oculos in eum totaliter figit, immo & animum, nec auertit donec accipiat.

Hoc modo fides Christum aspicit. Primo enim fides nos in miseria nostra cõseruat, ne omnino desperemus. Secundo fides ostendit, Christũ nobis posse succurrere. Tertio fides facit, ut etiam nihil meriti, tamen bene de Christo speremus. Quarto fides facit, ut cum fiducia ad thronum gratiæ accedamus, & petamus. Heb.4. Quinto fides facit, ut oculos cordis & corporis in Deum intendamus, non auertentes, donec exaudiat, quemadmodum Dauid ait: Ad te leuaui oculos meos: Ecce sicut oculi seruorũ, &c̃. In hunc modum oportet ut aspicias Christum, alioqui nihil tibi proderit uel eius opulentia, uel eius passio. Ideo enim exaltatus est in cruce, ideo prædicatus in toto mundo, ideo etiam exaltatus in gloria, ut in ipsum credamus, ad ipsum curramus, & omnia bona ab ipso speremus & quæramus. Psal.122.

Sicut igitur in figura illa, tria concurrebant. Deus enim sanitatem præstabat: Medium per quod dabat, erat serpens æneus: Sanitatem autem accipiebant, qui serpentẽ intuebantur. Sic & in iustificatione nostra fit, Christus iustificat, uerbum Euangelij & Sacramenta sunt media & instrumenta, per quæ iustificat: Fides iustificationem accipit, nam soli credentes iustificantur. Decimo in figura illa expressum est, quid aspicientibus serpentem conferebatur, nempe sanitas: Qui percussi (inquit) aspiciebant serpentem, sanabantur. Ingens quidem bonum sanitas est, sed tantum temporale, sic Christus hic exprimit, quid credentes in se consequantur: Vt omnis (inquit) qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Hæc autem longe maiora bona sunt, immo maxima. Quid enim est, Non pereat, nisi, neq; peccatũ, neq; mors, neq; Diabolus, neq; mundus, neq; Infernus, nec quodcunq; aliud malum credentem obruere potest? Et quid est, quod dicit (Sed habeat uitam) nisi quod credẽti promittit omnia ea bona, sine quibus nulla uita iucunda est, qualia sunt sanitas, pax, securitas, gaudium, opes, &c̃. Quid aũt est, quod addit (Æternam) nisi quod credentibus etiam spiritualia & uera bona promittit, nempe ueram sanitatem cordis, uerum gaudium animi, pacem cum Deo, securitatem conscientiæ, omnia denicq; Dei bona, idq; non ad certum tempus, sed in perpetuum? Iam, quid aliud quærimus, quàm ne pereamus, sed ut uiuamus? Vide autem insaniam nostram, qui hæc ipsa in externis magno labore quærimus, sponte autem à Christo oblata recusamus. Ex omnibus igitur iam dictis, satis ostensum puto, quantam consolationẽ fidelis quisq; è passione Christi & cruce accipiat. Hoc est enim signum illud, de quo Isaias: In tempore illo erit radix Iesse, & qui stat in signum populorum, in ipso Gentes sperabunt. Et Paulo post: Leuabit Dominus signum in nationes, & congregabit profugos Israẽl. Vere enim hoc signo nos Dominus congregauit, alioqui plane desperatos. Isa.11.

Rideant igitur Iudæi quantumuis uelint signum hoc nostrum,

Ioan. 6. nos interim dicamus cum Petro: Domine ad quem alium ibimus? Psal. 79. uerba uitæ æternæ habes. Et cum Psalmista: Non discedimus à te, uiuificabis nos, & nomẽ tuum inuocabimus. Aduertendum & hoc in figura supradicta, quod unus serpens erectus, satis fuit contra innumeros morsus serpentum, immo contra uaria genera serpentum: Deut. 8. Deus (inquit Moyses) ductor fuit tuus in solitudine magna & terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio & dipsas, &c̃. Sic unus Christus nedum innumera peccata, sed etiam omnia peccatorum genera auferre potest, originalia scilicet & actualia, peccata cordis, operis, & cogitationis, &c̃.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium, &c.]

Hoc uerbo Christus ad ipsum fontem & originem omnis nostræ salutis nos ducit, quasi diceret, Quod tam aperte uobis uia salutis monstratur, itemq; offertur, qui passione & morte sua uobis salutem & gratiam mereatur, non ex meritis uestris est, sed ex sola Dei bonitate & dilectione. Vos enim, quantũ in uobis est, semper mansissetis in peccatis, morte & Inferno, nisi Deus ex gratia uobis subueniisset. 1. Pet. 4. Sicut igitur origo salutis uestræ à Deo est, sic & in eundem Rom. 15. omnia referenda sunt, ut in omnibus & per omnia honorificetur Deus, & Pater Domini nostri, &c̃. Cæterum uerba, quæ Christus hic ponit, talia sunt, ut qui nesciret, cur doctrinã suam uocarit Euangelium, uel ex hoc uno loco id discere posset. Quid enim lætius & magis consolatorium nunciari posset, quàm quæ hic dicuntur? Verum uerba ipsa expendamus. Primo non dicit: *Sic Deus dilexit electos*, sed, *mundum*, hoc est, dum adhuc in mundo & de mundo, immo nihil quàm mundus essent, hoc est, peccatores, damnati, ac inimici Dei: 1. Ioan. 4. In hoc (inquit Ioannes) est charitas, non quasi nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos, &c̃. Et Paulus: Commendat charitatem suam erga nos Deus, quod cum adhuc essemus inimici, Rom. 5. Christus pro nobis mortuus est, &c̃. Deinde non dicit, Dulciter allocutus est mũdum, aut beneficijs prosecutus est: sed, *Dilexit*. Quo uerbo promptitudinem & affectũ cordis indicauit, quasi diceret, Ex animo fauit. Vide aũt, quantum consolationis uel hoc unum uerbum in se cõtineat. Si enim Deus nos dilexit, dum adhuc inimici essemus, quanto magis nunc diliget, posteaq; filij effecti simus? Vides omnem nobis diffidentiæ occasionẽ sublatam esse, maxime, cum in Isaia simile quiddam legamus: Etiam, inquit, si mater obliuiscatur Isa. 49. infantis uteri sui, ego tamen tui non obliuiscar.

Addit autem Christus ad hæc signum certissimum paternæ erga nos dilectionis: *Vt Filium*, inquit, *unigenitum daret*. Circa quod uerbum primo obseruandum, quod Christus hic Filium Dei se nominat, quemadmodum supra se dixit filium hominis. Vtroq; autem

autem nomine ſumme nobis cõmendatur Chriſtus, quia enim Filius Dei eſt, ideo poteſt ſeruare: quia autem filius hominis eſt, ſeipſum fratribus negare non poterit. Ne quis aũt putet, eum tantũ filium eſſe adoptiuum, quemadmodum & alij ſancti, addit: *Vnigenitum.*

Vt aũt ſciant Ebion, Cherintus, Arrius, & reliqua hæreticorum fex, Chriſtum uerũ Deum eſſe, ſubdit: Vt omnis, qui credit in illum, &c̃. Dupliciter enim hic Chriſtus ſe oſtẽdit Deum eſſe. Primo, quod uult, ut in eum credamus, qui honor & cultus eſt ſoli Deo debitus. Secundo, quod aſſerit ſe poſſe ſeruare, ne pereamus, itemq; uitã ęternam dare, quod & ipſum Dei proprium eſt. Iam cum Chriſtus Dei Filius & Deus ſit, certum eſt, quod nihil non bonorum habet. Hunc igitur talem, tantumq;, tamq; opulentũ, Deus nedum oſtendit, ſed plane dedit, ut noſter eſſet, quantus quantus eſt unà cum omnibus bonis ſuis. Dedit aũt eum primo in carnem & naturam noſtram, ne quem eius diuinitas terreret. Deinde dedit eum in paſsionẽ & mortem, ut quod nos rapueramus, ipſe ſolueret, quo quid maius dici poſſet? Quis enim ut ſeruo parceret, filium proprium flagellaret? Deus aũt, ut inimicis parceret & ingratis, Filium in mortẽ tradidit. Dedit etiam nobis ipſius iuſtitiã & merita, atq; adeo quicquid unq; & fecit & paſſus eſt, ut perinde de eis gloriari poſsimus, ac ſi noſtra eſſent, quod uel ſolum à deſperatione nos præſeruare poterit. Poſtremo dedit eum etiã in Sacramento, ut manducantes corpus eius, dubitare non poſsimus, eum nobis datũ ac noſtrũ eſſe. Vides quantum cõſolationis hoc uno uerbo nobis proponatur. De hoc aũt mirifice gloriatur Paulus: Si Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio non pepercit, &c̃. uſq; ad finem capitis. Sed cur, inquis, filium miſit? Audi, ut omnis qui credit in illum, &c̃. hoc eſt, ut ex ipſo & per ipſum cor hominis perfecte quietetur. Nam mens humana adeo profunda abyſſus eſt, ut nulla creatura expleri queat, nec diuitijs, nec potentia, nec ſapientia, nec uoluptate. Quocunq; enim te uerteris in uniuerſo mundo, nihil reperies, quod cupiditati tuæ ſatisfacere poſsit. Quid igitur illud eſt, quo cor humanum ſaturatur? Solus Deus. Sed is uideri & palpari non poteſt. Filium igitur ſuum miſit, ut in eo uideretur. Sed dicis, etiam is nunc ab oculis corporeis abeſt, quomodo igitur apprehendam eum? Reſpondeo, Non apprehenditur manu corporis, ſed manu cordis, quę eſt fides. Proinde, in ſolo Chriſto per fidem, cordis tui ſufficientiam & ſaturitatem reperies: Propterea, quod ſolus ipſe ſecũ ferat totum Deum, unà cum omnibus ſuis bonis. Hæc aũt fides in Chriſtũ non pudefacit, quia Chriſtus ueritas eſt. Hinc Iſaias: Omnis qui crediderit in illum, non confundetur: Fides enim in ueritatem directa, nunquam fallitur. Docet igitur hoc uerbum, Deum eſſe & proram & puppem noſtræ ſalutis, hoc eſt, initium & finem, autorẽ & conſu-

Pſal. 68.

Rom. 8.

Iſa. 28.

Apoc.1. matorem: Ego, inquit, ſum alpha & o. Deinde hoc uerbo confunditur torpor noſter, quod tam ſegnes ſumus ad propriam ſalutem, cum uideamus ipſum Deum, qui noſtri non eget, tantã habuiſſe ſalutis noſtrę curam. Reprehenditur etiam hoc uerbo ingratitudo noſtra, idq; multipliciter.

Nam piget nos uel minimũ quiddam uel dare uel facere, uel etiam pati pro Deo, quem uidemus tanta pro nobis paſſum, tanta & dediſſe & feciſſe: immo pauci ſunt, qui uel uerbo agnoſcãt hoc tantum beneficiũ, & gratias agant, ut uere dicere poſsit illud Propheticum:
Hier. 2. Nunquid ſollitudo factus Iſraẽli? Nunquid obliuiſcitur ſponſa monilis? &c. Populus uero meus oblitus eſt mei diebus innumeris, etc. Præterea hoc uerbo omnis nobis excuſatio eripitur, in eo quod nihil arduum aut magnum à nobis exigit Deus pro hoc tanto beneficio, ſed tantum ut credamus in eum, quem miſit. Inſuper & facile conijcitur ex hoc uerbo, magnam pœnam imminere ingratis. Quo enim maius beneficium contemnitur, eo grauius iudicium ſequitur. Prętera admonet hoc uerbum, ne noſipſos peccatis dedecoremus, quos Deus tanto honore dignos iudicauit. Noli animam tuam tam uilem æſtimare, ô homo, propter quam Chriſtus mortuus eſt. Omnium aũt maxime hoc uerbo incitamur ad redamandum Deum, quemad-
1. Ioan.4. modum Ioannes docet: Diligamus, inquit, Deum, quoniam ipſe
Pſal.17. prior dilexit nos, &c. Sic Dauid: Diligã te Domine uirtus mea, etc.
Pſal.102. Et iterum: Benedic anima mea Dominum, & noli obliuiſci omnis retributionis eius, &c. Et Iſaias: Nomen tuum & memoriale tuum
Iſa.26. in deſiderio animæ meæ: Anima mea deſiderauit te in nocte, &c.

Non enim miſit Deus Filium ſuum, ut iudicet]

Iudicare in ſcriptura interdum idem eſt, quod regnare, imperare, gubernare, ut cum dicitur: Iudicabit pauperes populi, &c. Item:
Pſal.71. Samſon uel Samuel iudicauit populum, id eſt, rexit & gubernauit. Secundum hoc igitur militat uerbum iſtud contra carnalem Iudæorum opinionem, qui ſperabant regnante Meſsia terrenũ regnum, & carnale ſæculum affuturum. Sed non miſit Deus Filium ſuum, ut ita iudicet, hoc eſt, ut temporaliter regnet, & curet terrena, ſed ut ſaluet, hoc eſt, ut agat ea, quæ ſalutis æternę ſunt. Hinc eſt, quod cuidam de quodam temporali negotio eum interpellanti reſpondit: Quis
Lucæ 12. me conſtituit iudicem, & diuiſorẽ inter uos? immo ob eam cauſam quæſitus ad regnum fugit. Et Pilato interroganti de regno ſuo, re-
Ioan.18. ſpondit: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Deinde hoc dicto differentiam indicat inter ſuam & Moyſi doctrinam, quaſi diceret, Moyſes doctrina ſua & lege peccatũ oſtẽdit & Dei iram, ac per hoc omnes homines damnauit: Mea autẽ doctrina longe alia eſt. Non

enim

enim missus sum ut peccata ostendam, & iudicium Dei prædicem, sicq; homines condemnem, hoc enim Moyses sufficienter ægit: sed missus sum, ut lege territos Euangelio recrearem & subleuarem, comminantemq; legem in iustificantem gratiam commutarem. Nam ut decens erat, damnãtis legis Moysem (qui seruus erat) ministrũ esse: sic me decet (qui sum Filius Dei) à maledictione legis orbem liberare, & misericordiæ cumulo ægritudinem mundi curare. Cum igitur iustificans gratia damnante lege sit longe præstabilior, constat, eum seruilem conditionem omnino excedere, qui potestate diuina, ut Deus à peccatorũ uinculis hominem liberat. Potissimum autem hoc uerbo Christus primum suum aduentum à secundo discernit. Poterat enim Nicodemus audito aduentu Filij Dei expauescere, quemadmodum & olim Adam ad uocem Domini expauit, & se abscondit, quandoquidem mala conscientia nihil aliud sperare potest à Deo, nisi iram & pœnam, non autem nesciebat Nicodemus, utpote legis doctor, quàm seuere Deus olim peccatores punierit, & quàm terribilia Prophetę de futuro iudicio & die Domini prędixerint, etc. Merito igitur expauescere poterat, audiens Filium Dei iam missum, cum igitur Christus hoc uerbo consolatur, quasi diceret, uenturus quidem est Filius Dei etiam ad iudicium illud tremendum, uerum tempus illud nondum est: nunc enim misericordiam præmittere placuit Deo. Si enim etiam nunc cõtra homines uenisset Filius Dei, non humanam carnem induisset: Etsi iudicaturus uenisset, non se iudicandum præbuisset. Non igitur misit Deus Filium, &c. Sed huic contrarium uidetur, quod alibi dicit: In iudicium ueni in hunc mundum, &c. Obserua igitur, quod Deus diuersimode iudicat. Primo enim iudicat, cum merita singulorum discutiens, singulis sua prędemia decernit. Hoc aũt fiet in nouissimo die, de hoc Christus hic loquitur: *Non misit Deus Filium, ut iudicet*, non enim merita in primo aduentu discutit, sed gratiã omnibus offert. Interim aũt etiam nũc indicat, dum uel suos defendit, uel impios punit, uel bonos á malis signo aliquo uel facto discernit, uel denicq; ingratis bona sua aufert. Omnia enim hæc iudicia Dei sunt & dicuntur. Et de his dicit: In iudicium ueni in mundum, &c. quotidie enim ea exercet. Quod autem Christus in primo suo aduentu non uenerit peccatores damnare, sed saluare: satis patet ex Euangelio. Nam & uerbis & exemplis ostendit, se non contra, sed pro peccatoribus uenisse. Verbis, ut cum dicit: Nonest opus ualentibus medicus, &c. Item: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Exempla autem sunt, Matthæus, Zachæus, peccatrix, Latro, & adultera illa, cui dixit: Nec ego te condemnabo, uade, noli amplius peccare. Hoc igitur uerbo summe nobis commendatur misericordia Dei, tum quod patienter nos expectat, cum statim posset punire: tum quod misericordiam & gratiam prius obtu-

Genes. 3.

Soph. 1.

Ioan. 9.

Matth. 9.

Matth. 11.

Ioan. 8.

lit & offert quàm iudicium, ut scilicet pauciores uel si fieri posset nulli
Ezech. 18. essent, in quos iudicium exerceret. Non enim uoluntatis eius est
Sapi. mors impij, nec in perditione nostra lætatur. Vere igitur nunc im-
Num. 14. pletum cernimus, quod olim per Moysen prædixit: Viuo ego, inquit, implebitur omnis terra gloria mea. In omnibus enim mundi partibus, fideles hanc Dei misericordiam collaudant. Diligenter autem obseruandum est in hoc uerbo, quod Dei uoluntas est, non perdere, sed seruare. Non enim ideo aduersa & crucem immittit, ut perdat, sed ut seruet. Non ideo per uerbum suum peccata nostra arguit ac pœnam minatur, ut perdat, sed ut ad pœnitentiam inuitet. Sic collige & in omnibus alijs, quæ Deus nobiscum operatur. Ve-
Psal. 29. rissimum enim est, quod uita in uoluntate eius est, etiamsi iram & indignationem præ se ferat. Quod autem tam pauci seruantur, non medici culpa est, sed ægroti, qui uel medicinam respuit, uel ea abutitur, uel insuper etiam in medicum insanit. Hinc Christus: Si non ue-
Ioan. 15. nissem, &c. peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato. Quid enim ultra facere debuit, quod non fecit?
Deut. 30. Sic Moyses ante mortem dicebat populo: Testor cœlum & terram, quod proposuerim uobis bonum & uitam, benedictionem &
Act. 20. maledictionem. Et Paulus: Innocens ego sum à sanguine uestro. Non enim subterfugi, quo minus ostenderem uobis omne consilium Dei, &c.

Qui credit in eum, non iudicabitur]

Dixerat se ad saluandum mundum missum: Nunc indicat, quonam modo hominibus salutem communicet. Deinde, quia latenter subindicauerat futurum iudicium, nunc etiam statim ostendit modum, quo illud effugere possimus. Vtrunq; autem fit per fidem in Filium Dei. Obserua autem, quibus Christus hæc dicit, Nempe his, qui salutem quærunt, & iudicium Dei effugere cupiunt, quales sunt territæ illæ conscientiæ, quę peccati grauitatẽ & sentiunt & detestan-
Matth. 5. tur, ac iustitiam sitiunt, his, inquam, hęc & similia uerba dicũtur. Nam
Matth. 11. Euangelium solis pauperibus annunciatur, & uinum illud solis mœ-
Prouer. 31. rentibus corde datur, ut obliuiscantur malorũ suorum, sic & mustum
Isa. 61. illud nouum utres nouos requirit. Hinc in Isaia dicit: Euangelizare pauperibus misit me, mederi afflictis corde, &c. Verbum igitur hoc nihil ad eos pertinet, quibus adhuc peccata placent, quales sunt Pseudeuangelici, qui in omnia uitia se præcipitant, interim de fide gloriantes, quasi omnia eis salua sint, quod sciant Christum dixisse: *Qui credit in me, non iudicabitur*, quasiq; nihil referat, siue bene siue male uiuamus. Huiusmodi enim non homines, sed porci immun-
Matth. 7. di sunt, indigni quibus hæ margaritæ proijciantur, immo plane nullam in Euangelio Christi partem habent, ut qui eodem utuntur ad

prætextum

prætextum suæ malitiæ. Neq; digni sunt, ut Christum tam consolatorie loquentem, uerum ut Moysen subinde maledictiones inculcantem, audiant. Tu autem pie homo, animū adfer salutis sitientem, & certo uidebis, quod ingentem consolationem tibi adferent uerba hæc. Deut. 27.

Ideo autem Christus fidei salutem ascribit. Primo, ne Nicodemus putaret, ipsum nouum aliquod onus impositurum, id quod Moyses fecerat. Non igitur graue aliquid exigit Christus, non Circuncisionem aut uictimas, &c. sed fidem. Et quid leuius posset imponere? Qui credere Deo dedignatur, quid pro Deo faciet? Facilis igitur aditus datus est ad salutem, ne quis sponte periens, haberet quod suæ malitiæ prætexeret. Secundo ideo fidei salutem tribuit, ut Nicodemum à fiducia operum legis auocaret. Hoc enim uitio maxime laborabant Pharisæi. Non, inquit, ô Nicodeme, ex operibus legis indicium Dei euadere poteris, aut salutem consequi, sed ex fide in Filium Dei, in misericordiam Dei, in merita mediatoris, alioqui, quid opus fuisset Christo, si ex operibus legis contingere posset iustitia? Gal. 2. Tertio, ideo fidei attribuit salutem, quia fides radix est bonorum operum. Qui enim credit in Christum, ea quoq; credit, quæ Christus dixit, inter quæ præcipuum est, quod supra dixit: Nisi quis natus fuerit denuo, non potest intrare in regnum Dei. sup. eod. c.

Hoc qui uere credit, iam festinat renasci, renatus autem iam, alius homo est, iam à uetusto patre recessit, & ad nouum accessit, alienatus est ab Adam, alterius semen est. Quare ergo iudicaretur? Sic qui Christo credit, etiam alia eius præcepta obseruat. Verum igitur est, quod dicit: *Qui credit, non iudicabitur.*

Hinc igitur disce scripturas concordare. Aliquando enim operibus promittitur uita æterna, ut cum dicitur: Qui bona fecerunt, ibunt in uitam æternam, qui uero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Ioan. 5. Aliquando fidei promittitur uita æterna, ut hic: *Qui credit, non iudicatur.* Et supra: Omnis qui credit in eum, non pereat, &c.

Fidei enim promittitur uita æterna, ut radici bonorum operum, operibus autem ut fructibus radicis. Certum est enim, quod Deus sola ea opera probat, quę ex fide sunt: Quicquid enim nõ est ex fide, peccatum est. Rom. 14. Quemadmodum igitur ea opera, quæ non procedunt ex fide, sed uel ex timore, uel consuetudine, uel propter humanam laudem fiunt, nihil moratur Deus, immo: Acceperunt, inquit, de huiusmodi hominibus mercedem suam. Matth. 6. Sic econtra ea sola fides Deo probatur, quæ per dilectionem operatur pro loco & tempore. Gal. 5.

Non igitur ab inuicem segreganda sunt hæc duo, fides scilicet & opera, alioqui neutrum illorum Deo placebit. Præterea etiam ideo fides saluare dicitur: quia per eam Christo incorporamur, ac ipsius membra, unumq; cum ipso corpus efficimur. Corpus aũt et membra Christi non iudicabuntur, aut iudicari uel damnari possunt, immo

Sap.3. ipſi alios iudicabunt. Iudicabunt, inquit, ſancti nationes, & domina-
Matth. 19. buntur populis. Et Chriſtus: Sedebitis ſuper ſedes iudicantes, &c̄.
1. Cor.6. Et Paulus: Neſcitis, quia Angelos iudicabimus.

Veriſsime igitur dictum eſt: *Qui credit in eum, non iudicatur, etc.*

Poſtremo ideo fidei ſalus tribuitur, quia fides ſoli Deo gloriam tribuit: credit enim eum bonum, miſericordem, ueracem.

Quid igitur mirum, ſi talis fides omnia à Deo impetret, cum in
1. Reg.2. ſcripeura dicat Deus: Qui glorificat me, glorificabo eum. Et ite-
Pſal.90. rum: Sperauit in me, exaudiam eum, eripiam eum, &c̄.

Qui non credit, iam iudicatus eſt]

Sicut ſuperiori ſententia fidei ſalutem aſcribit, ſic hic incredulitati aſcribit damnationem, & quidem iuſtiſsime. Incredulitas enim Deum ſumma afficit ignominia: facit enim eum mendacem, ad hæc etiam radix eſt & origo omnium peccatorum. Merito igitur qui non credit, iudicio obnoxius eſſe pronunciatur. Sicut autem ſalus & uita aliquando fidei, aliquando bonis operibus aſcribuntur, ſicut ſupra dictum eſt: ſic & damnatio interdum aſcribitur incredulitati, ut hoc loco: aliquando autem malis operibus, ut cum dicitur: Qui
Ioan.5. mala egerunt, ibunt in reſurrectionem iudicij. Et iterum: Ira &
Rom.2. dignatio, &c̄. in omnem animam operantis malum, &c̄. Incredulitati, inquam, ut radici, peccatis autem, ut fructibus aſcribitur damnatio. Signanter autem non dixit: Qui male agit, iudicatus eſt, hoc enim ſatis docuit Moyſes, ſed maius aliquid indicare uolens: *Qui non credit*, inquit, ne quis putet ſola peccata externa iudicio Dei obnoxia eſſe. Non ſolum enim externe peccatur, ſed etiam interne, ut cum non credimus Deo, non timemus aut diligimus Deum, ſed noſtra tantum quærimus.

Indicat igitur uerbum hoc, etiam peccata cordis damnare hominem, & quidem uel maxime: maiora enim ſunt, quàm quæ externe committuntur, denique ab ipſis etiam oriuntur externa. Cæterum magna rei exaggeratio eſt, quod dicit: *Iam iudicatus eſt.*

Iudicati quidem ſunt & pij in Adamo, ſed quia renati ſunt per Chriſtum, non amplius iudicabuntur. Impij uero & iam iudicati ſunt, & in ea damnationis ſententia permanent perpetuo.

Geneſ.3. Tunc autem iudicati ſunt, quando Adam à Deo maledictus eſt, & à Paradyſo eiectus: Ea enim ſententia in omnem eius poſteritatem lata eſt. Deinde, qui non credit, etiam ſic iudicatus eſt: quia
2. Thim.2. nouit Dominus, qui ſunt eius: ſcit qui peruenturi ſint ad gloriam, & qui ad flammam: uidet qui ſint triticum, qui palea, item, qui bonum ſemen, & qui zizania.

Præterea iam iudicatus eſt, quia & ipſa incredulitas condemnatio eſt.

tio est. Esse enim extra lucem, per se maximum supplicium est. Demum iam iudicatus est, quia quamuis gehennæ nondum sit traditus, habet tamen iam supplicij futuri occasiones: Sicut homicida, tametsi sententia iudicis non condemnetur, natura tamen rei condemnatus est. Sic Adam die quo comedit, mortuus est, iuxta uerbum Domini: Quamuis enim adhuc uiueret, sentētia tamen & natura rei mortuus fuit. Omnis igitur incredulus condemnatus est, quia hinc migrans, mox supplicio tradendus est: habet enim iam in se causas damnationis. Hinc igitur perpende, quantum malum sit incredulitas, obserua etiam hic, quod impij nihil lucrātur dilatione pœnæ, quantumcunq; enim differatur, tamen iam iudicati sunt. Hinc Dauid: Noli æmulari in malignātibus, &c. Itē, Ne timueris, cum diues factus fuerit homo, &c. Quoniam sicut fœnū uelociter arescent, &c. Potest igitur etiam ex hoc uerbo colligi, quàm necessarius sit nobis Christus, alioqui iam iudicati sumus. Demum uide hic summam in nobis stupiditatem, qui tanto iudicio cōdemnati, non timemus, immo ne sentimus quidem. Gen. 2. Psal. 36.

Quia non credit in nomine unigeniti Filij Dei]

Sicut enim credere & cognoscere Deum, & quem misit, Iesum Christum, uita æterna est: sic non credere & non cognoscere, certissima damnatio est. Secundo, *Quia non credit in nomine, &c.* hoc est, non credit in eum, qui ueraciter se ostendit Filium Dei, scripturis, testimonio Ioannis, uoce Patris, signis et miraculis: Si, inquit, opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, &c. Tertio, *Quia non credit, &c.* hoc est, eū quem pater honorare decreuit, & nomen illi dedit super omne nomen, nedum non honorat ut talem, sed etiam ignominia afficit. Quarto, *Quia non credit, &c.* hoc est, quia à se excludit omnia bona. Christi enim nomen est Deus, iustus, rex, bonus, salus, uita, lux, iustitia, redemptio. Qui igitur credit in nomen Christi, per fidem accipit Deum, iustitiam, regnū, bonitatē, salutem, uitā, lucē, redemptionē. Non enim est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Qui aūt nō credit in nomen Christi, is omnia iam dicta bona à se excludit, ac per hoc in oīa mala sese conjcit. Ioan. 17. Ioan. 15. Phil. 2. Act. 4.

Hoc est autem iudicium, quia lux uenit]

Ne quis calumnietur Deum sola ui & potestate impios damnare, uel externo exemplo docet, iustissime condemnandos omnes incredulos. Merito enim & suapte culpa perit, qui uolens & sciens amplectitur id, per quod perit, & auersatur id, per quod salus poterat restitui. Atqui tales sunt omnes impij. Matth. 22.

Non igitur cuiquam Deus facit iniuriam, &c. Vnde & congrue Christus infert, *Hoc iudicium est*, quasi diceret, Ideo merito perit, ideo inexcusabilis est, ideo damnatio eius iusta est, non quia peccauit (alioqui omnes homines damnati essent, quia omnes peccauerūt) sed Rom. 3

quia

quia non resipiscit, & iustitiam oblatam contemnit & persequitur.

Singula aũt uerba Emphasim habent. Primo: *Lux*, inquit, *uenit*, uerissima sententia. Nunq̃ enim cessauit Deus, hominẽ sua luce illustrare. Nam primo ei indidit rationẽ, qua dirigeretur in actibus suis. Deinde addidit uerbũ suum. Præterea plurima accẽdit illi luminaria ante legem & sub lege, sanctos scilicet uiros, quorũ factis, dictis, uel scriptis lucentibus seipsum uideret & agnosceret, ac nuditatem suam erubescens, pristinum ornatum quæreret. Postremo uenit etiam ipsa substantia lucis, paratũ illis ostendens & facilem introitum regni Dei. Venit, inquam: non enim nos lucem quæsiuimus, aut é cœlis adducere potuimus, sed sponte & ex gratia uenit. Lucẽ aũt se nominat Christus, ut ostendat, se non ut iudicem, sed ut saluatorem uenisse. Deinde hoc uerbo ostẽdit, quidnam in hominibus operari uelit, nempe manifestare & illuminare. Lucis enim operationes sunt, quod nedum illuminat, sed & manifestat quę latebant. Vtrũq; Christus operatur. Primo enim manifestat, omnia nostra esse meras tenebras & peccata: atq; hic est primus gradus ad iustificationẽ. Deinde etiam illuminat, hoc est, monstrat, ubi quærenda sit uita & iustitia: & hic est secũdus gradus. Mundus aũt non admittit primum, non patitur sua damnari, non igitur peruenire potest ad secundum. Quemadmodum enim ægrotus non ferens ustionem & sectionem, sed contendens potius ex insania se incolumem esse, ad sanitatem peruenire non potest, immo subinde in maiorem infirmitatem labitur: sic mundus falso credens, suam sapientiã & iustitiam corã Deo perfecta esse, non patitur sua damnari, proinde magis ac magis è luce Christi damnatur. Hoc aũt uerbo (*Lux uenit in mundum*) iterũ omnem nobis excusationem aufert. Primo enim non possumus prętexere ignorantiam, nisi forte crassam & affectatam. Deinde non possumus prętexere eius seueritatẽ, cum nõ ut iudex, sed ut lux & saluator uenerit.

Et dilexerunt homines magis tenebras]

Mira res & quodammodo incredibilis, si non uel ipsa experientia hoc testaretur: Homines, inquit, quos oportebat nihil amare, nisi quod bonum est, utpote ratione præditos, dilexerunt tenebras, quæ tamen etiam ex sui natura horribiles sunt, nec solum in tenebris iacuerunt, sed dilexerunt, immo defenderunt, ac lucem oderunt, ut uel uideamus, quò perduxerit hominem Diabolus, in quam cæcitatem, deformationem, miserias. Per tenebras autem intelligit primo ignorantiam & cæcitatem, deinde peccata, hoc est, opera tenebrarum. Dicuntur autem peccata tenebræ, quia directé opponuntur uerbo Dei, quod est lucerna pedum nostrorum. Secundo, quia hominem adeo obfuscant, ut uix agnosci possit, an homo uel bestia sit. Tertio, quia ducunt in æternas tenebras.

Psal. 118.

Præterea

Præterea per tenebras etiam intelligit omnia, quæ mundus habet & miratur, ut sunt sapientia, potentia, diuitiæ, iustitia, gloria, &c. Hæc enim, quantumuis in se prædara uideantur, tamen ad diuinam illam lucem collata, meræ tenebræ sunt. Hæc igitur erit hominum condemnatio, quod lux uenit & ipsi dilexerunt ignorantiam: Noluit intelligere ut bene ageret, ait Dauid. Deinde, quod Christus Psal. 51.
peccata auferre uenit, & uiam monstrare ad iustitiam, ipsi autem tanta insania peccatis immersi sunt, ut potius carere uelint iustitia, uita, salute, quàm uoluptuariam illam & bestialem uitam relinquere. Præterea, Christus uenit nedum ostendere, sed & dare ueras diuitias, gloriam, potentiam, iustitiam, sapientiam, &c. Homines autem diligunt tenebras suas, hoc est, fictitias diuitias, gloriam, iustitiam. Tantum enim curant, ut iusti, diuites, potentes sint coram mundo, nihil curantes de spiritualibus & diuinis. Vides igitur, quàm pulchre ingenium mundi declarauit. In hæc autem mala & peccata, homo seipsum impulit, non cogitur à Deo, ideo dicit: *Dilexerunt, &c.* Vnusquisq; enim à propria concupiscentia tentatur, non à Deo. Iacob. 1.

Erant enim opera eorum mala]

Rationem ponit, cur lucem non amplexi sint homines, quia, inquit, mali erant, & mala opera eorum. Lux enim in se quidem delectabilis, sed odiosa oculis ægris, quemadmodum & panis palato saucio. Vide autem, quid hæc lux deprehenderit in mundo, nempe mala opera, nihil boni inuenit.

Omnis qui male agit, odit lucem, &c.]

Pulchra & congrua similitudine, & piorum & impiorum conditiones describit. Sicut enim adulteri & scortatores amant noctem, diem oderunt: Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, &c. Sic omnes impij præsens sæculum diligunt, futurum oderunt, & mendacio 1. Thes. 5.
protecti, à ueritate se abscondunt. Econtra, sicut operosi & pudici noctem fastidiunt, diemq; tardum æmulo lumine præueniunt: sic omnes, qui ex Deo sunt, peccata sua oderunt, iustitiamq; esuriunt & Matth. 5.
sitiunt, præsens sæculum fastidiunt, conscium ubiq; futuri regni Dei ueritatem requirunt. Obserua, quod Christus non dicit, Omnis qui malum agit, odit lucẽ: nam & pij malum interdum faciunt, hoc est, peccant, nec tamen odiunt lucem, nec fugiunt, immo currunt ad lucem, ut uideant suos defectus, & grato animo sunt in eos, qui eos arguunt, quemadmodum Dauid erga Nathan, &c. Qui autem male 2. Reg. 12.
agunt, hoc est, studiose, instanter & perseueranter, hi odiunt lucem: Non quod sua opera mala semper uelint occulta esse, nam interdum Prouer. 2.
gloriantur in rebus pessimis, sed quod nolunt argui, ne in minimo quidem: hoc enim est ingenium mundi. Verũ hoc ipso nihil aliud lucrantur,

crantur, quam quod ad Dei iudicium seipsos & sua facta reseruant,
Apoc. 6. quod tam tremendum erit impijs, ut dicturi sint montibus: Cadite
super nos, & obtegite ab ira agni. Tunc enim scrutabitur Deus Hie-
Soph. 1. rusalem in lucernis, & si quis seuel in terram obstruxerit, latere non
Mich. 7. poterit. Quanto igitur satius esset, nunc correptionem Domini ac-
ceptare? Obserua autem conditiones impiorū. Primo male faciunt.
Secundo etiam male, id est, studiose. Tertio in tenebris sunt. Quarto
tenebras diligunt. Quinto lucem non quærunt. Sexto præsentem
lucem non adeunt. Septimo etiam odiunt lucem: nimirum, ne con-
scientiam sentiant. Volunt enim sine remorsu conscientiæ peccare, &
putant se excusatos, si ignorent.

Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem]

Verbum hoc primo sic accipi potest, ut Christus de seipso loqua-
tur, quasi diceret: Quæ facio, palam facio: quæ doceo, palam do-
Ioan. 18. ceo, nullius formido iudicium, quemadmodum & ad Annam dicit:
Interroga eos, qui me audierunt. Pharisæi autem ferre non pos-
sunt, ut alij de ipsorum uita & doctrina libere iudicent. Deinde
intelligitur uerbū hoc etiam de pio quoq; *Qui facit ueritatem, &c.*
Rom. 7. Id est, qui cum Deo sentit & iudicat aduersus propriam iniquitatem,
qui condelectatur legi Dei secundum interiorē hominem, &c̄. Qui
sic, inquam, seipsum iudicat, damnat, hic uenit ad lucem, quid sit bo-
num indicantem, & regni Dei aditum ostendentem, ut manifesten-
tur opera eius, pœnitentiæ scilicet, & confessionis. Obserua hic
etiam pij hominis conditiones. Primo nedum audit, sed & facit ueri-
tatem & iudicium, hoc est, iudicat seipsum. Secundo uenit ad lucem,
aspirat ad gratiam, item omnia agit secundum præscriptum uerbi
Dei. Tertio ita uiuit, ut non uereatur hominem iudicem. Deniq;
etiam omnia opera eius in Deo fiunt.

Post hæc uenit Iesus in terram Iudæam]

Absoluta cum Nicodemo collocutione, aliud iam & quidem uti-
lissimum Euangelista enarrat, nempe, uter Baptismus, Christi an
Ioannis præstantior fuerit & sit. Perspiciebat enim futuros, qui aut
nullam differentiam inter Baptismum & Baptismum facerent, aut
ob imperitiam etiam meliorem iudicarent Baptismum Ioannis, ideo
hic ipsum Ioannem Baptistam, de se suoq; Baptismo differentem,
adducit. Collocutus igitur cum Nicodemo Hierosolymis: Nunc
ad alia loca proced it, non ex inconstantia, sed ut ubiq; disseminaret
Luc. 4. uerbum Dei. Hinc apud Lucam dicit: Oportet me & alijs ciuitati-
bus euangelizare, ad hoc enim missus sum. Est autem Iudæa
Luc. 3. quarta pars regni Iudaici, ea scilicet, quam Pontius Pilatus procura-
bat. Allegorice autem Iudæa confessionem significat. Vbi igitur

est

est uera confessio & propriæ infirmitatis, & diuinæ laudis: illic spiritualiter implentur, quæ corporaliter hic facta scribuntur. Ad huiusmodi enim homines Christus crebro uenit, apud eos moratur, deniq; eos subinde baptizat Spiritu sancto & igni, ac paulatim transformat. Luc. 3.

Et baptizabat]

Infra dicitur, quod Christus non baptizauit, sed tantum discipuli eius. Ioan. 4. Potest igitur hic locus sic exponi, Christum scilicet sic baptizasse non per se, sed per discipulos. Non tamen eadem efficacia baptizabant ante passionem Christi, qua postea: quia nec dum apertum erat uiuifici templi latus dextrum, ut inde cum sanguine aqua egrediens, omnes aquas sanaret. Ezech. 47. Nondum erat mare rubrum, hoc est, Baptismi Sacramentum, Christi sanguine sacratum & rubricatum. Deniq; nondum agnus occisus erat, quomodo igitur potuissent Apostoli quenq; ex Ægypto educere? Exod. 12. Præterea nondum spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ioan. 7. Patet igitur, quod ante passionem etiam Apostolorū Christi Baptismus, non habuit totam suam efficaciam. Vnde & non ante, sed post passionem Matth. 28. suam præceptū dedit de baptizandis Gentibus: Euntes docete, &c. Erat igitur etiam eorum Baptismus tunc nihil aliud, quàm inuitatio ad pœnitentiam, sicut & Ioannis Baptismus. Potest tamen non absurde concedi, quod Christus ab exordio, etiam in propria persona baptizauit, præsertim discipulos: postea autem soli discipuli baptizauerint. Vide igitur, quàm efficaciter nos Christus ad Baptismum Matth. 3. prouocat. Primo enim seipsum submisit Baptismo, quamuis non haberet peccatū, nec quicq; á Ioanne accipere posset. Deinde etiam in propria persona Baptismum administrauit, ne quis seruus peccator contemnat, quod uidet Dominū suum & subijsse, & dedisse alijs.

Obserua item, quod Christus eisdem initijs cœpit, quibus Ioannes. Nam & apud Matthæum etiam eodem uerbo incipit, quo Ioannes: Pœnitentiam agite, &c. A Baptismo igitur & pœnitentia cœpit, ut Matth. 4. sciamus initium, immo perfectionē Christianismi, esse ueteris hominis mortificationē & renouationē in Spiritu sancto. Omnis igitur uita Christianorū pœnitētia esse debet, contra leues illos & Pseudochristianos, qui se egregie Christianos putant, si ore Christum confiteantur, etiamsi factis negant. Tit. 1. Stat enim sententia: Qui uult uenire Matth. 16. post me, abneget semetipsum, etc.

Baptizabat & Ioannes in Aenon]

Vbicunq; huius uiri mentio fit, insigniter nobis eius pietas innotescit. Id enim uere Christianū est, semper & ubiq; talem se præstare, Luc. 3. ut Christus in eo conspiciatur. Sic Ioannes, cum in principio in omnem regionem Iordanis transcurrisset prædicando & baptizando, nunc Christo negocium salutis aggresso, in uno loco tantum ba-

ptizat, nimirum Christo cedens, ac iamiam propriam gloriam obscurari cupiens, ut Christi gloria cresceret: Id quod infra ex uerbis eius audiemus. Adhuc tamen baptizabat. Primo enim, quia si statim cessasset, æstimare potuissent homines, uana esse quæ supra de sua au-
sup. c.1. thoritate dixit, immo & uana esse, quæ de Christo testatus est.

Deinde non omnibus adhuc notus erat Christus, non cessauit igitur baptizare Ioannes, ut subinde alios ac alios ad Christum dirigeret. Præterea nihil utilius sciebat, quàm homines ad pœnitentiam inuitare, & in hoc tam præclaro opere uel immori pulchrum ducebat, quandoquidem aliud nihil poterat. Veras igitur Christiani cõditiones ex hoc uiro colligere possumus. Christiani enim est, Dei gloriam quærere, scandala præcauere, alios ad pietatem adducere, & in
Lucæ 12. uocatione sua in finẽ usq; perseuerare. Beatus enim seruus, quem dominus ueniens, in officio inuenit: Amen dico uobis, quod præcinget se, &cẽ.

Et ueniebant & baptizabantur]

Indicat hoc uerbo pulcherrime processisse negocium Euangelicum. Vterq; enim prædicator, & Ioannes & Christus, in officio persistebat, uterq; baptizabat, uterq; docebat, Ioannes ad Christum mittebat, Christus uenientes recipiebat. Denicq; & populus quod suum erat faciebat: *Veniebant & baptizabantur.*

Vides quantum Ecclesiæ prosit, si pastores concorditer & ardenter doceant, tunc enim & plebs ad bonum excitatur.

Facta est autem quæstio de purificatione]

Matth. 13. Non potest pati Diabolus profectum Ecclesiæ, semper enim nititur superseminare zizania. Sic in Paradyso non potuit ferre hominis fœlicitatem: Sic in deserto absente Moyse, corrupit quod Moyses summa diligentia docuerat: Sic florẽte Ecclesia, semper aut persecutiones, aut errores, aut simile quid excitauit, quo bonum impediretur. Sic hoc loco, hoc agebat & intendebat, ut fidelissimi testis animus à ueritate, cui testimonium perhibebat, auerteretur, atq; ita baptizantium rupta concordia, Baptismi uel pœnitentiæ remedium quasi rationabiliter contemni uideretur. Primo igitur discipulos Ioannis ad æmulationem & inuidiam incitat contra Christum.

Æmulatio autem contentiones gignit. Cæterum, ubi contentionibus res agitur, ibi plærunq; ueritas negligitur. Nihil igitur perniciosius in doctore, quàm æmulatio & inuidia. Nec mirum, discipulos Ioannis æmulatione uictos esse, cum etiam discipuli Christi hoc affe-
Mar. 9. ctu non caruerint. Cum enim quidam non sequens Iesum, dæmonia eiiceret in nomine tamen Iesu, uolebant eum prohibere, ni Christus prohibuisset, &cẽ. Sic & Iosue æmulatus legitur pro Moyse: Domi-
Num. 11. ne mi, inquit, prohibe eos. Et Moyses: Quid, inquit, æmularis pro me,

me, utinam omnes prophetent, &c̄. Deinde, idem Diabolus Iudæos & discipulos Ioannis inter se cõmittit, ut utrique contentionibus uacantes, interim emendationem uitæ & rem ipsam negligerent: Id quod & nunc facit. Omnes enim egregie pugnamus, quilibet pro sua opinione, at interim nullus emendatur. Vide autem quàm modeste Euangelista de aliorum imperfectione loquatur, quæstionem enim uocat, ciuiliori scilicet uocabulo, quod potuisset contentionem nominare. Verum charitas non gaudet super iniquitate. 1.Cor.13. Nam proximi peccatum aut tegit, aut excusat, aut extenuat.

Signanter autem dicitur: *Quæstio facta de purificatione.* Cum enim Iudæi plærasque ex lege purificationes haberent, Ioannes autem nouum ritũ purificationis incœpisset, quem deinde & Christus sequebatur, fieri potuit, ut Iudæi quæstionem mouerint, cuius eorum, Christi scilicet an Ioannis Baptismus melior esset, discipulis Ioannis summa ope magistri sui Baptismum defendentibus, &c̄.

Sic postmodum in Ecclesia quidam quæstionem mouerunt de Baptismo, propter alios & alios ministros. Putabant enim Baptismum melioris ministri efficaciorem esse. Hinc prodiere illæ uoces: Ego sum Pauli, ego Cephæ, &c̄. quos acriter redarguit Paulus. Mi- 1.Cor.1. nister enim nihil efficaciæ dat uel adimit uerbo Domini, proinde nec Sacramento. Siue igitur hæreticus sit, siue alioqui malus, integritatem Sacramenti distribuit, dummodo uerbi Sacramento annexi, integritatem doceat. Vt, Baptismus Sacramentum est, uerbum eius est: Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Itaque quisquis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizat, is uere baptizat. Alij autem quæstionem mouerunt de aqua, num ex uiuo flumine sumi debeat uel consecrari, cum non ob id consecretur aqua, quasi in nulla alia dari possit Baptismus, sed ut admoneamus Ecclesiam ad gratiarum actionem pro dono Baptismi. Sic & aqua in Ecclesia reseruatur, ut ministro sit ad manum. Alij ex toto Sacramentum illud ludibrio exponunt, ut Anabaptistæ, quo ad Baptismum paruulorum. Huiusmodi aũt quæstiones Diabolus excitat, ut interim uerus Baptismi usus negligatur, id quod fit, &c̄.

Rabbi, qui erat tecum, &c.]

Non satis habebat dæmon discipulos corrupisse, etiam ipsum magistrũ per eos aggreditur: si quo modo posset eum ad inuidiam perducere. In singulis enim uerbis uis quædam latet, quæ hominem etiam quantumuis constantem permouere possent, ni Spiritu sancto stabilitus sit. Primo magistrum adulatorie nominant, quod aliâs non legitur, ut eum facilius decipiant. Quod si eum etiam aliâs hoc nomine compellauerint, tamen hic potissimum exprimitur propter magnitudinem elationis. Deinde rem ipsam uide, quàm

odiosè proponunt: Qui erat tecum, inquiunt, trans Iordanem, cui tuis manibus tanquam minor submiserat, ecce hic nunc baptizat. Item cui tu testimonium dedisti, indiscreta humilitate te subijciens illi, & gloriam tuam dans alteri, ecce omnes te neglecto ad eum ueniunt. Quis tantis machinis non concidisset? Vides quantis machinis Diabolus impetat pios, non abs re igitur monet Petrus, ut
1. Pet. 5. sobrij simus, & uigilemus, &c. Et Paulus: Ne circumueniamur, in-
2. Cor. 2. quit, à Sathana. Non enim ignoramus cogitationes eius.

Ipsius enim erga nos malignitatem, uel primi parentis casus, uel ipsius Iob temptatio satis ostendunt, immo si ipsum Christum ten-
Matth. 4. tare ausus fuit, quanto minus nobis parcet. Et si Christo adhuc prædicante, zizania seminare conatus est, quid mirum, si idem fecerit
Matth. 13. dormientibus pastoribus?

Non potest homo accipere quicquam, nisi datum, &c.]

Hoc est ultimum Ioannis de Christo testimonium, sed in nullo his quæ supra dixit dissimile, ut uel hinc uideas, Ioannem non fuisse
Matth. 11. arundinem uento agitatam. Sæpe enim tentatus est & à Iudæis, & à discipulis, ut sententiam mutaret, sed perstitit. Hinc igitur ueram discamus constantiam.

Deinde ex hoc loco uides, quod Deus omnes Diaboli conatus uertit ad bonum electorum. Ea enim contentio, quam inter discipulos Ioannis excitauerat, omnibus nobis prodest. Nisi enim excitata fuisset, insignia illa uerba, quę Ioannes hic dicit, prætermissa fuissent.
Gen. 41. Sic uenditionem ipsius Ioseph, Deus ordinauit ad bonum totius Ægypti, immo etiam ipsorum, qui eum uendiderant. Sic crucifixionem Christi, ordinauit ad bonum electorum. Sic insanias hæreticorum, ordinauit ad bonum Ecclesiæ: hinc enim excitata fuit, ad profundius scrutandum uerbum Dei. Vide autem, quibus argumentis Ioannes discipulos suos ab æmulatione ducere conetur.

Primo proponit, quod negare non poterant: *Non potest*, inquit, *homo accipere, &c.* Homo enim in natura sua nihil aliud
Iob. 25. est, quàm putredo, & filius hominis uermis. Deinde homo nihil
Rom. 7. ex se boni habet: Non, inquit, habitat in me, hoc est, in carne mea
2. Cor. 3. bonum. Et iterum: Non sumus sufficientes, cogitare aliquid ex no-
1. Cor. 4. bis quasi ex nobis. Et iterum: Quid habes, quod non accepisti? etc.

Quicquid igitur boni habet homo, à Deo habet. Scriptum est
Iacob. 1. enim: Omne datum optimum, & donum perfectum de sursum est.
Osee. 13. Item: Perditio tua ex te: ex me auxilium tuum. Item: Omnis suffi-
2. Cor. 3. cientia nostra à Deo est. Quod autem Deus dat, non ex debito, sed ex gratia dat: non igitur potest eum homo cogere ad dandum, nec ei leges præscribere, quantum & quando dandum, sed nec eum prohibere potest, quo minus etiam alijs det.

Hæc

Hæc itaq; tanquam certa & indubitata Ioannes discipulis suis proponit, ut uiderent, quo eum impellerent, quasi diceret, Dupliciter peccatis. Primo, quod Christo inuidetis Dei dona, & quantum in uobis est, Deum prohibere uultis, ne ut Dominus sua distribuat quibus uelit, cum nulla uobis in hoc fiat iniuria? Potest enim Deus cum suis bonis facere quod uult: Nullius igitur oculus nequam sit, Matth. 20. ex eo, quod Deus tam bonus est. Deinde etiam in hoc peccatis, quod non contenti peccatis uestris, etiam me in peccatum impellere uultis: Ego me scio hominem, & nihil ex meipso habere, sed omnia ex Deo, uos autem uultis, ut magna de meipso sentiam, & maiora quàm habeo mihi asscribam, immo uultis, ut Deum prohibeam dare, quibus ipse uult, id quod nihil aliud esset, quàm summa ingratitudo & impietas. Vides, quomodo hic homo aures suas obfirmauerit contrà adulationes. Vere enim dicere potuit illud Dauidis: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Quam dissimiles nos sumus, quibus nihil dulcius est gloria humana, pro qua etiam consequenda, nihil non & facimus & patimur, immo & perpetramus: Nec ullos magis fouemus, quàm adulatores, cum tamen nihil sit uanius gloria & laude humana, nihilq; perniciosius adulatore. Psal. 140.

Docet nos hoc uerbum, ut quantumcunq; perfecti simus, tamen homines nos agnoscamus, ac nihil ex nobis nos habere ingenue confiteamur. Secundo, ut contenti simus his, quæ accepimus, & gratias agamus. Summa enim ingratitudo est, contemnere quæ accepisti, & alia appetere: Et qui semper suspicit, nec prospicit, facile cadit. Tertio, ne alijs inuideamus sua dona: Vnusquisq; enim donum suum habet, &c̄. 1. Cor. 7.

Vos ipsi mihi testimonium perhibetis, &c.]

Ex propriis eorum uerbis eos confutat. Fatebantur enim eum Christo testimonium perhibuisse, tria enim hæc semper inculcauerat. Primo se non esse Christum. Secundo se esse missum ante ipsum, hoc est, uocem clamantem. Tertio etiam digito Christum indicauerat: atq; hæc ipsa publice fecerat & dixerat. Quam indecorum igitur fuisset, si uir tantus, inconstans in uerbis suis inueniretur. Nihil enim turpius uiro mendaci & inconstanti. Deinde quàm male sibi consuluisset, si morti uicinus à Christo desciscceret, ad quem omnes alios prouocarat. Merito igitur hos consultores repellit, malens Christo propitio humilis reputari, q̄ irato ab hominibus honorari.

Qui habet sponsam, sponsus est]

Exemplo probat, quàm impia suaderent discipuli. Quis enim eum non execretur, qui ut amicus ex gratia uocatus ad nuptias, sponsam inui-

sam inuitantis se abduceret, ac sibi copularet? Quanto execrabilius est, Deo hanc iniuriam irrogare? Atqui Christus Filius Dei iam sponsus effectus erat: sponsam enim, hoc est, humanam naturam, quam multo tempore ambiuerat, iam duxerat. Celebrata erant sponsalia in utero Virginis, iam appetebant nuptiæ, ut omnes credentes sibi imperpetuum copularet. Parabantur aũt nuptiæ magno sumptu, immo proprium sanguinem daturus erat pro sponsa: uocauerat Ioannem ad has nuptias tanquam amicum, ut sponsam adduceret sibi. Quomodo igitur tam ingratus esset in tantum benefactorem Ioannes, ut alteri desponsatam sibi usurparet, animas scilicet fidelium. Obserua, quod Christum nominat sponsum: hoc enim nomine indicat, cur in mundum uenerit. Sicut enim sponsus eam, quam duxit, summe diligit, cum ea se astringit perpetuo mansurum, eam omnium bonorum suorum participem facit, denique omnia, tam prospera quàm aduersa sponsæ, sua ducit. Sic Christus, qui hactenus solius Dei Filius & hæres fuerat, nunc alios sibi adiunctũrus uenit, cum humano genere seipsum fœdere perpetuo astrinxit, quemadmodum in Osee prædixerat: Desponsabo te mihi in fide, in misericordia, &c. Deinde omnia nostra mala nobiscum tulit & fert, præterea omnia sua bona nobis communicat. Summa, nihil non fecit & facit, quod sponsus pro dilecta sponsa faceret. Immo quemadmodum uir & mulier Matrimonio iuncti, unum corpus sunt, ita Christus & Ecclesia unum corpus sunt. Ingentem igitur consolationem præstat, quod is, quem nullum malum obruere potest, quique omnia bona habet, nobiscum omnia communia habere uult. Sponsam autem nominat Ecclesiam, immo quamlibet animam fidelem. Primo, ut hinc discamus, unde nobis tanta bona prouenerunt, nempe non aliunde, quàm ex hoc fœlici coniugio, quo Christus nos dignatus est. Deinde, ut hoc uerbo admoneamur eorum, quæ Christus à nobis exigit. Sicut enim sponsa amat sponsum, obseruat, & placere studet in omnibus, ipsi adhæret, ab ipso omnia sperat, ipsi seruat fidem: Sic anima se exhibeat Christo. Vult enim ut totos nos illi offeramus: Diliges, inquit, Dominum ex toto corde tuo, &c. Sic Paulus: Vult ut nos ipsos uirginem castam exhibeamus Christo.

Osee. 2.

Matth. 22.

2. Cor. 11.

Amicus autem sponsi, qui stat & audit]

sup. c. 1.

Cum supra se dixerit indignum, ut solueret calciamentũ Christi, mirum, quod se hic amicum eius dicit, uerũ hoc non fecit, ut seipsum laudaret, sed ut indicaret, sibi non displicere quę per Christũ fiebant, immo se ex animo eius gloriæ fauere, nec unquam ab eius amicitia se uelle recedere. Quantum igitur ad naturam propriam, erat indignus, ut solueret corrigiam, quemadmodum & omnes nos. Quantum autem ad gratiam acceptam, iam uere amicus erat, & quidem

præcipuus,

præcipuus. Gratia enim ex indignis facit dignos, ex inimicis amicos: Vos, inquit, dixi non seruos, sed amicos, &c. Indicat igitur Ioannes, se pro maximo habere, quod ut amicus ad nuptias has admissus sit. Deinde conditiones exprimit eorum, qui uere Christi amici sunt. *Stat*, inquit, quasi paratus ad quæcunq; exequenda. *Audit*, quid sponsus cum sponsa colloquatur: Gaudet de gloria sponsi. Secundo, quod ipse quoq; admissus sit. Tertio & maxime gaudet ad uocem sponsi. De his enim tribus omnes pij gaudent, eoq; gaudio ita corda eorum impleta sunt, ut nihil eos perturbare possit. Ad literam autem Ioannes stabat, quia iam ad finẽ officij sui peruenerat, nihilq; amplius restabat, quàm ut ipse tacens audiret, & gauderet de uoce sponsi unà cum alijs. Ioan. 15.

Hoc gaudium meum impletum est]

Ostendit hoc uerbo, nihil se tantopere optasse, quàm ut sponsam Christo dignam adducere posset, summumq; eius gaudium esse, quod audiret certatim tantoq; desiderio homines ad ipsum accurrere. Discant igitur ex Ioanne Prædicatores, ut & ipsi soli Christo sponsam adducant, & hinc gaudeant, si Christo plurimos adducere possint, non sibi. Sic seruus Abrahæ pronus in terram cadens adorabat, cum sponsam reperisset filio domini sui, quam & summa diligentia, nõ sibi, sed ipsi Isaac adduxit: sic & Prædicator quisq; faciat. Gen. 24.

Illum oportet crescere]

Non corporaliter, iam enim perfectæ ætatis erat, nec in gratia, qua ab instanti conceptionis suæ plenus fuit: Sed eo modo oportet illum crescere, quo & Deus dicitur exaltari & magnificari. Est autem sensus: Is qui hactenus humilis & contemptus fuit, in tantum excrescet, ut Dei Filius unicusq; humani generis seruator, ab omnibus agnoscatur & prædicetur, nedum in Iudæa, sed & usq; ad finem terræ. Oportet (inquit) sic enim Patri complacitum est, sic saluti hominum competit, ut ab omnibus agnoscatur.

Me autem minui]

Non quod Ioannes gratiam, quam habebat, perditurus esset, sed quod Christo in publicum prodeunte, cessare debebat uana illa suspitio, qua plures eum credebant esse Christum, hoc est, Messiam. Hoc igitur uerbo discipulos suos nedum in præsenti, sed & in futurum ab æmulatione abducere uoluit, quasi diceret: Frustra æmulamini, sic enim decretum est, ut ipse exaltetur. Cesset igitur æmulatio, alioqui nihil nisi uosipsos excruciabitis, quin potius ipsi uos illi submittite, ne cum impijs Iudæis iuste damnemini, qui tametsi scirent ipsum esse hæredem, tamen eum occiderunt. Admonemur igitur hac sententia, omnes omnium hominum authoritates, dignitates, officia, iustitias, sapientias, potentias contemnendas esse, ut sola Matth. 21.

Christi authoritas, dignitas, officium, iustitia, sapientia, potentia, statuatur. Summa, ipsius est exaltari, nostrum est humiliari.

Qui desursum uenit, super omnes est]

Hactenus Ioannes discipulos suos arguit, nunc docere eos incipit. Oportet enim prius agrum à spinis & uepribus expurgari, antequam semina ei committas. Pulchre autem excellentiam Christi describit Ioannes in his uerbis. Is enim solus excellit omnes alios, in natura, in sapientia, in gratia, & in potentia, quæ per ordinem ostendit Ioannes. Primo, cum omnes nos terrenum habeamus fundamentum, & luteas inhabitemus domos, Christus desursum uenit, idq; multipliciter.

Iob. 4.

Matth. 1. Primo desursum uenit, quia è Spiritu sancto conceptus fuit.

Secundo, quia naturam habuit incontaminatam, qualis in primo homine creata fuit, cum omnes alij deorsum in peccatum scilicet ceciderint.

Tertio, quia è cœlo uenit.

Heb. 1. Quarto & omnium maxime, quia à Deo exiuit. Est enim splendor gloriæ, figura substantiæ eius. Vere igitur desursum uenit.

Deinde etiam super omnes est, in hoc etiam Angelos excellens. Apoc. 19. Est enim Rex Regum, & Dominus dominantium: Omnis enim Rom 8. creatura seruituti subiecta est, solus autem Deus regnat.

Vides igitur Christum excellere omnes creaturas, tam homines quàm Angelos. Nec mirum: Quantumcunq; enim altus sit mons, tamen altius est cœlum. Sic nulla creatura quantumuis perfecta, Filio Dei comparari potest.

Hoc igitur uerbo rationem reddit Ioannes, cur dixerit: Illum oportet crescere, me autem minui, quasi diceret, Æquum est, diuinis cedere humana, cœlestibus terrena, perfectis imperfecta.

Qui de terra est, de terra loquitur]

Omnis humana sapientia terram sapit, quia ipse homo de terra originem sumpsit. Sic ab initio fuere, qui nouas artes inuestigarunt & inuenerunt, ut in Genesi legimus. Sic & nunc mundus præclaras & ingenioſas artes habet, sed quæ nihil faciunt ad beatitudinem. Hinc Propheta: Filij Agar exquisierunt prudentiam, sed eam, quæ de terra est, uiam autem disciplinæ non inuenerunt, &c. Sic igitur & nunc qui terra est, terram loquitur, nisi fuerit illuminatus. Deinde, etiamsi de cœlestibus loquatur homo, tamen non nisi ad aures loquitur, nequaquam autem in corda hominum. Summa, qui de terra nati sunt, nihil præter terram sapiunt aut loquuntur: Sic & omnes hominum doctrinæ, nihil quàm mortua litera sunt, nisi Christus sua cœlesti uoce eam uiuificet.

Genes. 4.

Baruch. 3.

Qui de

Qui de cœlo uenit, ſuper omnes eſt]

Doctrina Chriſti omnes alias excellit. Ipſe enim ſolus habet doctrinam uiuificantem, & cœleſtem: ipſe habet uerba uitæ æternæ, apud eum eſt fons uitæ, & in lumine eius uidemus lumen æternum. Ioan. 6. Pſal. 35.

Hinc Baruch: Ipſe adinuenit omnem uiam ſcientiæ, & dedit eam Iacob, &c. Quod autem hoc de Chriſto loquatur, patet ex ſequentibus: Poſt hæc in terris uiſus eſt, &c. Baruch. 3.

Quod uidit & audiuit, hoc teſtatur]

Commendat doctrinam Chriſti à certitudine. Quod enim uiſu & auditu deprehendimus, de hoc certo loqui poſſumus. Audierunt quidem & Prophetæ à Deo, quod prædicarunt, ſed in terra poſiti, nec quiſquam eorum ſpiritualia illa & diuina uidit, niſi in ſomnis, aut per uiſiones imaginarias. Chriſtus autem omnia perfectius audiuit & uidit, quia in cœlo fuit, & è cœlo uenit, & quod maius eſt, in corde Patris fuit, immo ipſum Dei uerbum & ſapientia eſt. Vides igitur, quàm certa ſit doctrina Chriſti, fideſq; noſtra. Tuto igitur ei fidere poſſumus. Merito ergo Paulus monet, ut uideamus, ne quis deſit gratiæ. Non enim acceſsiſtis, inquit, ad montem tractabilem, &c. ſed ad montem Sion, &c. Videte igitur, ne recuſetis loquentem, &c. Heb. 12.

Et teſtimonium eius nemo accipit]

Cum admiratione quadam & increpatione hæc dicit. Quaſi diceret, etiam homo uel tantillo alijs eruditior, ſemper aliquos habet & inuenit, qui ſcientiam eius mirentur & audiant, quæ tamen uana eſſe probatur: & Filius Dei tantus legatus, tam legitimus teſtis, tam certa afferens, non inuenit, qui eius teſtimonium accipiat. Nemo enim eorum, qui reprobati ſunt, & ad ſiniſtram ſtatuendi, teſtimonium eius recipit. Qui enim non eſt ex Deo, non audit uerba Dei. Ioan. 8.

Deinde nemo, id eſt, pauci accipiunt, reſpectu eorum, qui id contemnunt, eo modo loquendi, quo Paulus dicit: Omnes quæ ſua ſunt quærunt. Et Michæas: Periit ſanctus de terra, &c. Phil. 2. Mich. 7.

Maior enim pars hominum dicit Deo: Recede à nobis, ſcientiam uiarum tuarum nolumus. Et illud Iſaiæ: Loquimini nobis placentia, &c. ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſraël. Quod ſi etiam ſunt, qui audiant, tamen pauci qui uere teſtimonium eius accipiunt. Hinc in Zacharia: Solum tertia pars hominū Deo adhæret. Et in Luca: Vix quarta pars ſeminis fructificat, ſemperq; Chriſtianorum puſillus eſt grex. Obſerua autem, quod Ioannes non acrius in eos inuehitur, ſed tantum infœlicitatem & ingratitudinem eorū deplorat. Deinde eos diuino iudicio relinquit, quod non effugerent. Lata enim eſt ſententia: Hæc eſt mundi condemnatio, quod lux uenit in mundum, & dilexerunt, &c. Iob. 21. Iſa. 30. Zach. 13. Luc. 8. Luc. 15. ſup. eod. c.

Qui autem

Qui autem accepit eius testimonium, signauit, &c.]

Multipliciter intelligitur. Primo sic: Qui accipit testimonium eius, signauit, id est, sua fide & confessione confirmat & protestatur, quod Deus uerax sit, & promissi seruans, atq; ita Deo summum honorem impendit, ut non mirum sit, quod fidei tantū tribuatur. Scri-
1. Reg. 2. ptum est enim: Qui me glorificat, glorificabo eum. Fides aūt Deum glorificat, cum ueracem credit. Vel: Qui accipit, &c̄. obsignat, hoc est, accipit in corde suo signum uel testimonium, quod quæ loquitur Christus, uerba Dei uera sunt. Hoc autem signum, est Spiritus sanctus, corda nostra ueluti sigillum certificans, hunc esse Filium Dei, & huius uerbum, esse uerbum Dei. Hinc Christus: Cum uene-
Ioan. 15. rit Paracletus, &c̄. ille testimonium perhibebit de me, &c̄. Et Paulus
2. Cor. 1. obsignauit nos, deditq; arram spiritus in cordibus, &c̄. Certi igitur sunt fideles, Christum esse uerum Deum, eiusq; uerbum, uerbum esse Dei, hoc protestantur, hoc in cordibus suis signarunt, hoc in fronti-
Rom. 10. bus suis signo crucis depingunt, corde credentes ad iustitiam, ore autem confitentes ad salutem. Vide igitur credentis fœlicitatem. Primo ipsi Christus Deus est & saluator. Deinde Spiritū sanctum accipit. Postremo, quia credendo in Christum etiam Patrem honorat, ipsum quoq; Patrem habet. Quid autem fœlicius eo homine, qui habet Patrem, & Filium, & Spiritū sanctum? Econtra aūt incredulus & impius quisq; nihil horū habet: Non Patrem, quia eum non credendo mendacem facit, atq; adeo inhonorat eum: Deinde neq; Spiritum sanctū habet. Postremo etiam Christus ipsi non est Deus & redemptor. Nihil igitur infœlicius est homine infideli. Non
1. Reg. 2. enim frustra dictum est: Qui me contemnunt, erunt ignobiles.
sup. eod. c. Et supra: Qui non credit, iam iudicatus est.

Quem Deus misit, uerba Dei loquitur]

Persistit adhuc in commendanda Christi doctrina, ut efficacius persuadeat. Missi quidem sunt & alij à Deo, ut Moyses & Prophetæ, sed tanquam serui: hic autem tanquam filius, tanquam radius à
Ioan. 10. Sole, ex ipsa scilicet substantia Patris: Exiui, inquit, à Deo, & ueni in mundum, hoc nullus aliorum dicere potuit. Deinde etiam alij locuti sunt uerbum Dei, sed tantum ministerio: hic autem ita loquitur uerbum Dei, ut ipsemet sit uerbum Dei. Item loquitur uerba Dei, idq; cum effectu, quod enim foris loquitur, hoc intus cordi imprimere
Hier. 31. hominibus potest, hoc nemo alius potuit: Scribam, inquit, legem meam in cordibus. Præterea, ita uerba Dei loquitur, sicut Deum lo-
Ioan. 10. qui decet, & quæ nemo nisi Deus loqui potest, ut cum dicit: Ego &
Ioan. 8. Pater unum sumus. Item: Antequam Abraham fieret, ego sum.
Ioan. 14. Item: Ego sum uia, ueritas, & uita. Qui igitur Christum audit, Deum audit: & qui Christum fide possidet, Deum possidet.

Non enim

Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum]

Hoc uerbo excellentiam gratiæ in Christo indicat. Alijs enim per partes in pondere & ad mensuram datur spiritus: Vnicuiq; inquit, nostrum data est gratia, secūdum mensurā donationis Christi, etc̄. Ephes. 4. Et iterum: Alij per spiritū datur sermo sapientiæ, &c̄. Nullus autem est, qui omnia habeat, nec mirum, angustiora enim sunt uasculà nostra, cū ut tantam plenitudinē capere possint: immo plurimū nobis conducit, quod plęraq; nobis desunt. Hinc enim discimus, dona Dei esse quæ habemus, nobisq; ipsis dicimus illud Pauli: Quid habes quod non accepisti? Deinde per hoc in humilitate cōseruamur, qui aliàs in superbiam incideremus, si nihil nobis deesset. Tertio, per hoc etiam ad charitatem inciramur, quandoquidem semper alter alterius ope & auxilio opus habet. Iam, cum omnes nos spiritū ad mēsuram accipiamus (Non enim plenitudinē, sed de plenitudine accipimus) non igitur possumus alijs spiritum largiri. Potest quidem homo pro alijs orare, ut accipiant & ipsi Spiritū sanctum: potest & alios promouere, excitare ad susceptionē Spiritus sancti, sed ipsum spiritum largiri non potest. Hinc Moyses: Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Deus spiritū suum. Christo aūt non ad mensuram datus est spiritus, sed in plenitudine: Plenus enim est gratia & ueritate. Hinc Isaias dicit: Requiescet super eum spiritus Domini. Et Dauid: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ prę consortibus tuis. In huius signū, integra columba super eum apparuit. Summa, Christo datus est spiritus affatim, abundanter, & in tota plenitudine. In ipsum enim effusus est, non cōmunicatione, aut participatione, aut adoptione, quemadmodum in nos, sed natura. Nos contenti sumus micis, quæ cadunt de mensa: Ipse omnia Dei bona in se habet. Et quia spiritū non ad mensurā accepit, potest etiā nobis eundem cōmunicare & in nos effundere. Huc pertinet, quod oleum super caput summi sacerdotis effusum, in barbā & usq; ad orā uestimēti eius descendit. Hæc igitur ingens consolatio nostra est, scire ubi gratiam & spiritum recuperare possimus, quandoquidem eadem bona subinde perdimus: Qui indiget sapiētia (inquit Iacobus) postulet à Deo, etc̄. Num. 11. Ioan. 1. Isa. 11. Psal. 44. Matth. 3. Psal. 132. Iacob. 1.

Pater diligit Filium]

Causam ponit, cur tanta Christo collata sint bona: *Pater*, inquit, *diligit Filium*. Si parentes carnales thesaurizant filijs suis, & hunc affectum non aliunde, quàm à Deo habent, quanto magis talis pater tali filio thesaurizasse credendus est? Diligit autem filium non ad mensuram, sicut nos, sed toto corde, tota uirtute, tota dilectione, toto spiritu suo. Quid igitur retineret, uel ubi abscōderet, quod non daret in manu eius? 2. Cor. 12.

Summe autem obseruandum, quod ait: *Pater diligit Filium*.

Si enim

Si enim diligit, nihil ei gratius aut acceptius facere possumus,
Ioan. 16. quàm ut eum diligamus, quem ipse diligit. Ideo, inquit, Pater amat
uos: quia uos me amastis, &c. Deinde, si Pater diligit Filium, non
igitur impunis erit, qui Filium contemnit, blasphemat, & pedibus
Heb. 10. conculeat, quemadmodum Paulus ait. Id enim etiam per Moysen
Deut. 18. prædixit: Qui Prophetam illum non audierit, ego ultor existam.

Omnia dedit ei in manus]

Hoc est, in potestatem eius. Nam manus potestatem significat, ut
Isa. 48. cum dicitur: Manus mea fundauit cœlos. Item: In manu forti, id
est, magna potentia. *Omnia*, id est, omnia Patris bona, ut sunt
iustitia, uita, salus, beatitudo, &c. Deinde: *Omnia*, hoc est, omnes
creaturas, cœlum, terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Præterea:
Omnia, hoc est, omnem suam potentiam, qua & pios protegere &
eripere: impios perdere possit. *Omnia* denique, uitam scilicet & mor-
tem, cœlum & Infernum, salutem & perditionem, prospera & ad-
uersa. In summa nulla sit hic exceptio: *Omnia dedit ei in manus*,
ut quantus Pater est, tantus sit & Filius: quantum Pater habet, & po-
Ioan. 17. test, tantum habeat & possit Filius. Hinc Christus: Omnia, inquit,
Matth. 11. mea, tua sunt, & tua mea sunt. Et iterum: Omnia mihi tradita sunt à
Ioan. 14. Patre meo. Et iterum: Philippe, qui uidit me, uidet & Patrem. Et
hæc quidem Christus ab æterno habuit secundum diuinitatem:
Ioan. 17. Nunc autem etiam secundum humanitatem ea habet, ideo in passio-
ne orabat: Clarifica me ea claritate, quam habui apud te, priusquam
Dan. 7. mundus fieret. Sic Daniel iam olim uiderat filio hominis datam à
Deo omnem gloriam & regnum. Et hactenus igitur Ioannes
summam Euangelij, paucis uerbis complexus est. Re uera enim læ-
tum illud nuncium, quod nobis prædicatur, nihil aliud est, quàm
quod Christus, in quem credimus, desursum, hoc est, Deus est. Se-
cundo, quod solus cœlestia & salutifera docere potest, nam alij de
terra loquuntur. Tertio, quod spiritum & gratiam nobis conferre
potest. Quarto, quod omnia habet & potest. Hic igitur est ue-
Gen. 41. rus ille Ioseph, quem Deus exaltauit super totam Ægyptum, & præ-
cepit, ut omnes coram eo genu flectant. Hic Ioseph uerus est, qui ma-
gna horrea plena frumentis habet, pro famelicis expendenda. Ad
Ibidem. hunc nos Pater dirigit, quemadmodum Pharao Ægyptios à se ad
Ioseph reijciebat: Ite, inquit ad Ioseph, & quodcunq; ille dixerit, fa-
Matth. 17. cite. Sic & Pater cœlestis: Hic est Filius meus dilectus, &c. ipsum au-
dite. Hic est, qui solus in fame seruare potest. Ad hunc igitur accurra-
mus, dicẽtes cum Ægyptijs: Serui tui sumus: Salus nostra in manu
Gen. 47. tua est: Tantum tu respice nos, & libere seruiemus Regi. Ad
hoc nos inducit Ioannes, cum subdit.

Qui

Qui credit in filium, habet uitam æternam]

Conclusio est eorum, quæ dixit, quasi diceret, Quandoquidem ita placuit Deo, per unum filium suum omnia nobis dare: restat, ut in eum credamus, hoc est, ut eũ pro tali tantoq; agnoscamus, ea omnia quæ iam dicta sunt, ab ipso speremus, eademq; in ipso quæramus, ipsum ut talem tantũq; ueneremur ac diligamus, ipsiq; ut tali obtemperemus. Omnia hæc Ioannes comprehendit in hoc uerbo, cum dicit: *Qui credit in eum*. Non enim loquitur de fide uana & ociosa, qualem nos fingimus, sed de fide uiua & efficaci, cum omnibus quæ ex ipsa sequuntur, qualia sunt spes, charitas, timor filialis, cultus Dei, obseruatio mandatorum. Obserua autem, quod non dicit, uitam æternam accipiet in futuro, sed iam habet, in spe scilicet, quæ non confundet eum. Deinde, quia Deum habet, qui uera uita est. Qui enim Deum habet, etiam in media morte uiuit, & in medio etiam Inferno perire non potest. Rom. 5.

Qui autem incredulus est, non uidebit uitam]

Non promissis tantum, sed etiam suppliciorum formidine, nos ad Christum compellit. Incredulus autem est, qui eam fidem non habet, quam supra proxime descripsi, quantumuis de ociosa fide sibi placeat. Obserua autem, quod non dicit: Incredulus non uiuet, sed non uidebit uitam. Habent enim etiam mali animas immortales. Deinde etiam corporaliter in iudicio resurgent, sed non uidebunt, hoc est, non sentient ueram uitam. Videbunt quidem iustos in gaudium Domini intrare, sed idipsum gaudium in se ipsis non uidebunt. Hinc Dauid: Peccator, inquit, uidebit & irascetur, &c. Et Isaias: Tollantur impĩj, ne uideant gloriam Dei: uideant, & confundantur. Ioan. 5. Psal. 111. Isa. 26.

Sed ira Dei manet super eum]

Ira Dei pro supplicio plærunq; accipitur. Iram autem peccatoribus etiam in alijs locis comminatur scriptura, ut cum Paulus dicit: Thesaurizas tibi iram in die iudicij. Signanter autem non dicit: Ira filij, ne quis contemnat, sed: *Ira Dei*, inquit, qua nihil grauius, quam uel solam etiam Dauid deprecatur. Domine, inquit, ne in ira tua corripias me: Ante faciem enim indignationis eius, nemo stabit: Nam eius ira uelut ignis etiam petras dissoluit: Nec dicit: Ira Dei ueniet, sed manet, ab eo enim tempore, quo Adam peccauit, ira Dei super eum & omnes eius posteros non renatos mansit. Sic & supra dixit: Qui non credit, iam iudicatus est. Sicut igitur piorum uita, in Christo abscondita, tunc autem apparebit, cum Christus redierit: Sic impĩj, tametsi iam iudicati sint, tamen iudicium eorum tunc manifestabitur omnibus. Rom. 2. Psal. 6. Nahum 1. Ioan. 3. Col. 3.

Hactenus igitur arsit & luxit lucerna hæc (Ioannes) nunc occultanda

Luc.3. est, immo & extinguenda impij Herodis sacrilegio. Deinceps igitur Christus in publicum prodibit. Obserua autem in Ioanne, quod magno spiritu incepit. Deinde fortiter & constanter in finem usq; perseuerauit: Nouissimo autem fœliciſsime concluſit. Vere enim fœlix concluſio, qua tam ingenue fidem suam confessus est, ac utiliſsimum discipulis suis testamentum reliquit.

Vtinam hoc Ioannis exemplum omnes imitaremur, &c.

CAPVT QVARTVM.

IN hoc Quarto capite Christus in publicum prodit, ac uarijs modis ineffabilem illam erga nos dignationem manifestat. Videlicet, quod nostræ paruitatis defectus et labores sustinuit: quod mulieri peccatrici tam pie tamq; diffuse loqui dignatus est: quod ignorantes tanta cum charitate instruxit: & quod pro conuersione hominum, tanta prodigia fecit.

Vt cognouit ergo Iesus, quia audierunt, &c.]

Sedauerat Ioannes, quantum poterat, quæstionem illam, à discipulis suis ortam: nihilominus tamen scandalum illud iam latius serpebat, & ad Phariſgos etiam peruenerat. Hic iam indubie utercp, tam Ioannes quàm Christus, immo & populus eos audiens, conuitijs proscindebantur, ut uel hinc discamus uitare offendicula, quemad-
2. Cor. 6. modum Paulus docet: Nemini dantes ullam offensionem, ut non uituperetur ministerium nostrum, quin potius tam pie conuersemur, ut qui detractant de nobis tanquam de malefactoribus, ex bonis ope-
1. Pet. 2. ribus nos conſyderantes, glorificent Deum. Obserua, quod quamuis Ioannes & Christus multa bona in populo facerent, nihil tamen horum audiebant, sed tantum hoc, quod inter eos æmulatio orta uidebatur. Solet enim mundus ea tantũ obseruare, quæ mala sunt, non aũt bona: Maxime aũt id agunt inuidi. Cæterum quod Phariſæi reprehensione dignũ iudicabant in Christo, hoc nos summo cum gaudio amplectimur & exoſculamur, nempe quod ipse discipulos facit, & baptizat. Alij enim discipulos quidem docere possunt ad exempla, sed non possunt discipulos facere, hoc est, præstare, ut uere discipuli sint, intelligentes & obseruantes quæ audiunt: Christus autem etiam
Hier. 31. intus docere potest, & legem suam cordibus inscribere. Solus igitur magistri nomine dignus est, ideo Apostolis dicit: Nolite uocari
Matth. 23. Rabbi. Vnus est enim magister uester Christus. Secure igitur de eo dicimus: Ipse nos docebit uias suas, uerũ ita, ut etiam ambulemus

in

in semitis eius. Deinde summe nos consolatur, quod ipse baptizat non solum Spiritu sancto & igni, sed etiam externe lauacro aquæ in uerbo: Ipse inquam baptizat. Non igitur est, quod propter ministros minus bonos dubitemus de Baptismo: Ipsi enim tantum ministri sunt, Christus autem baptizat. Lucæ 3. Epes. 5. 1. Cor. 3.

Quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius]

De hoc nonnihil etiam supra dictum est. Ideo autem Christus non ipse baptizabat, ne uideretur æmulari contra Ioannem. Vndiq; enim id curabat, ne quis uel de se uel Ioannis doctrina, mali quippiam suspicari posset. Secundo, quia maius habebat officium, nempe, prædicandi. Omnes enim baptizare possunt, sed non omnes docere. Hinc et Apostoli baptizandi ministerium alijs committentes, ipsi uerbo doctrinę instabant. Hinc Paulus: Non misit me Dominus baptizare, sed euangelizare. Tertio ideo non baptizauit, ne baptizati ab eo, putarent se melius Baptismũ habere, quàm baptizati ab Apostolis, sicq; efficacia Sacramenti non ipsi Deo, sed ministris ascriberetur, quemadmodum Corinthij non de Baptismo, sed de baptizantibus gloriabãtur, propter quod acriter eos arguit Paulus: Diuisus, inquit, est Christus? &c. Gratias ago Deo, quod neminem uestrum baptizauerim, &c. Sic Donatistæ hæretici, propter quorundam ministrorum malam uitam, homines denuo baptizabant, quasi prius Baptisma nullius fuisset efficaciæ propter ministri uitã. Et quid aliud Anabaptistæ nostri, toties spiritũ suum iactantes, sentire uidentur, quàm apud eos uel ab eis nullum Baptisma posse conferre, qui spiritu carent? Ob hanc igitur causam Christus noluit baptizare, ut sciamus Baptismum suam efficaciam habere non ab homine, sed à Deo qualiscũq; sit minister. Minister enim bonus, Baptismo nihil cõfert, propter suã bonitatẽ, nec malus minister (dummodo baptizet ut oportet) nihil aufert uel adimit Baptismo. Christus enim ipse est, qui baptizat: Non qui plantat aut rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus. 1. Cor. 1. 1. Cor. 1. 1. Cor. 3.

Reliquit Iudæam, & uenit iterum in Galilæam]

Ex hoc uerbo colligere possumus, Pharisæos mali aliquid contra Christum machinatos: alioqui, si cognouisset eos ex his, quæ ad eos peruenerant, incitari ad bonũ, non eos reliquisset. Reliquit igitur Iudæam, quia uidebat se nihil agere posse, quandoquidem plærique putabant eum ex æmulatione contra Ioannem hæc agere. Vbi enim non est auditus, non effundas sermonem, ait Sapiens. Et iterũ alius: Qui erudit derisorem, ipse sibi iniuriam facit. Secundo hoc facto nos docuit, id quod Paulus monet, nempe, ut honore inuicẽ prȩueniamus. Sic Christus, tametsi maior, cessit Ioanni, nec in publicum prodijt quamdiu lucerna hæc super candelabrum staret. Poterat quidem Eccle. 32. Prouer. 9. Rom. 12.

famã Ioannis obſcurare, idq; Ioannes ipſe optabat, ſed noluit Chriſtus, & ad tempus ſeceſsit. Multum enim facit ad profectum audientium, ſi in doctoribus uideant humilitatẽ et concordiam. Sicut econtra nihil æque auditores offendit, quàm peruicatia & diſcordia Prædicatorum, quemadmodum nunc uel maxime uidemus. Tertio ideo reliquit Iudæã, ne aduerſarios ſua præſentia plus irritaret, nos interim docẽs, ne irritemus crabrones, ac ſua ſponte incitatos, fortius ad
Rom.12. mala prouocemus. Sic & Paulus: Non uoſmetipſos defendentes: ſed date locum iræ. Quarto ideo ſeceſsit, non quod mortem timeret. Ob id enim uenerat in mundum, ut pro hominibus moreretur, ſed quia nondum tempus erat, uix dum incœperat prędicationem Euangelij, ideo ſeceſsit. Euangelio aũt ſatis prædicato, ſponte ad paſsionẽ ſe ob-
Matth. 21. tulit: Interim docẽs nos, ne ſponte in pericula nos præcipitemus ſine cauſa. Quanq; autem potuiſſet etiã inter medios aduerſarios ſeipſum, uel inuiſibilem facere, id quod fecit cum eum præcipitare uellent, ubi
Lucæ 4. tranſiens per medium illorũ ibat: uel potuiſſet etiam diuino quodam impetu aduerſarios cohibere, quemadmodũ eos in horto uno uerbo
Ioan.18. proſtrauit, tamen uoluit per omnia fratribus ſimilis eſſe. Primo, ne quis putaret eum non uerum, ſed phantaſticum corpus habuiſſe, & ex conſequenti non uerũ hominem fuiſſe. Multum enim refert ſcire, Chriſtum uerum hominem fuiſſe: Alioqui ſi non uerum corpus habuiſſet, non uere paſſus fuiſſet, ſicq; nondum redempti eſſemus. Secundo, ut & nos in tentationibus fiducię ſpẽ per ipſum concipiamus: Alioqui ſi Chriſtus mox ut aduerſa ſibi cõtigiſſent, ea potẽti ſua manu ab humeris abieciſſet, quomodo nos poſſemus bene ſperare, qui tale quid minime ualemus? immo quomodo poſſemus in aduerſis poſiti credere, nos filios eſſe Dei, cum nihil minus ſentiamus? Ideo Chriſtus diſſimulata filij potentia in extremã impotentiam ſe transformauit, ut nos uidentes eũ ſimilia perpeſſum, quæ nos patimur, & tamen nihilominus Dei filium, et Deo dilectũ fuiſſe, ſciamus etiã nos nihilominus Deo dilectos eſſe, ſi uarijs tentationibus nos ſubijciat.

Oportebat autem eum tranſire per Samariam]

Samaria Metropolis fuit in regno decem Tribuum, ab ea autem tota regio Samaria appellata fuit. Samaritani autem, qui uel quales
4.Reg.17. fuerint, in Regum libris ſcriptum legimus. Vide autem inſignem Euangeliſtæ prudentiam, poterãt Iudæi ſcandalizari ex eo, quod ad Gentes diuertebat, hoc aũt prœueniens Euangeliſta: Non ſua ſponte, inquit, illuc diuertit, ſed oportebat eum tranſire per Samariam, cum uellet deſcendere in Galilęam. Deinde poterant & diſcipuli dicere,
Matth. 10. cur nobis præcepit, ne in ciuitates Samaritanorum intraremus, cum tamen ipſe nũc eos inſtruat, Iudæis relictis? Reſpondet Euangeliſta: *Oportebat eum illic tranſire*. Sicut autem ignis naturalem urendi uim

nunquam

nunquam amittit, sic omnino impossibile est, opus sapientiæ à sapientia non proficisci. Non igitur mirum, quod mulierem alioscp Samaritanos discendi auidos instruxit, tametsi alio properans, & præter morem suum. Summa: *Oportebat*, hoc est, proposito uel consilio suæ diuinitatis congruebat, ut per illos alienigenas iter faceret, & illud quod de nobis, qui alieni eramus, consilium habebat, præfiguraret.

Venit ergo in ciuitatem, quæ dicitur Sichar]

Sichar ipsa est, quæ aliàs dicitur Sichem, in qua Dina filia Iacob deflorata fuit, propter quod & omnes ipsius ciuitatis habitatores, à filijs Iacob interempti fuerunt. Iuxta eam ciuitatem Iacob reuersus, Genes. 34. Mesopotamia aliquandiu moratus est, emitcp partem agri à filijs Genes. 33. Emor, ubi & altare Domino construxit, &c. Eum agrum postea ipsi Ioseph extra sortem dedit. Tibi, inquit, do unam partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, &c. Quod intelligendum est, de prædicta inuasione urbis Sichē per filios Iacob. Vel, Tuli eum de manu Amorrhæi in gladio & arcu, id est, in fortitudine mea, hoc est, pecunia, quam multo sudore acquisiui. De hoc igitur prædio hic loquitur. Genes. 48.

Erat autem ibi fons Iacob]

Legitur Isaac plures puteos fodisse in Gerara, sic possibile est, quod Genes. 26. etiam Iacob illum puteum foderit. Pro dignitate igitur & memoria tanti Patriarchæ, insignis & notus erat fons ille. Quemadmodum autem Iudæi de ciuitate Dauid, & templo Salomonis gloriabantur, sic Samaritani de priorum Patriarcharum mansionibus, qui in illis locis habitauerāt, sese contra Iudæos defendebant et solabantur, cum tamen nihil de pietate ipsius Iacob haberent, quemadmodum & Iudæi nihil de sanctimonia Dauidis. Quod autem fons ille Iacob à Iudæis, qui naturales filij ipsius Iacob erant, transierat in possessionem alienigenarum, signum erat, quod uera hæreditas eorum, hoc est, promissiones Patrum, & regnū Dei transitura essent ad Gentes, id quod Christus futurum prædixit: Auferetur à uobis regnū, &c. Sicut autem fons ille etiam inter Gentiles, nomen tamen pristinū obtinuit: sic nūc etiam in Ecclesia Gentium, celebris est memoria Patrum, nec ob id honorem suum perdiderunt, quod filij eorum à Deo apostatauerunt. Matth. 21.

Iesus autem fatigatus ex itinere]

Ex hoc uerbo primo uidemus, Christum non ambuisse uel etiam habuisse fastum & abundantiam: rerum nulla enim hic uel de equis uel de uehiculis mentio fit. Damnatur igitur hoc loco fastus et auaritia nostra, ut quibus nihil satis est, cū uideamus Christum Dei filium, cœli & terræ regem, pedestrem incedere. Atqui, quos Deus ab æter-

Rom.8. no præsciuit saluandos, hos & prædestinauit, ut fiant conformes imagini filij eius. Vide igitur, quàm conformes nos simus Christo. Ipse laborem ocio prætulit, nos omni labore postposito, ocium quærimus: Christus inopiam passus est, nos in omnium rerũ abundãtia luxuriamur: Christus id solum spectauit, ut Dei uoluntas perficeretur, & homini succurreretur, nos solum hoc agimus, ne fastus noster detrescat, etiamsi gloria Dei et salus proximi periclitentur. Secundo uidemus ex hoc uerbo, Christum strenue, non ignauiter incessisse, ut
Eccles. 39. nos doceret, cum omni diligentia facere opus Dei. Hinc Sapiens: lu-
Isa. 26. stus cor suum tradet ad uigilandum diluculo, etc. Et Isaias: De mane, inquit, uigilabo ad te. Econtra autem de pigris dicitur: Sicut ostium
Proue. 26. uertitur in cardine suo, sic piger in lectulo. Tertio uidemus ex hoc uerbo, Christũ eisdem affectibus obnoxium fuisse, quibus obnoxia sunt corpora aliorum hominũ. Hinc enim est, quod post laborẽ fatigatur, fatigatus quietem & sessionẽ appetit, denicq; & sitit, & pro siti refocillanda fontem addit. Hęc aũt omnia indicant, eũ uerũ fuisse et esse hominem, & ex consequenti, uere nos per ipsum redemptos, id quod plurimum facit ad confortationem fidei nostræ. Quarto uidemus ex hoc uerbo ineffabilem eius dignationem, qua ita nobis compassus est, ut nobiscum quoq; infirmaretur, quemadmodum mater ne dum compatitur filio, sed quodammodo cũ ipso infirmatur. Hinc
Matth. 23. est, quod in alio loco seipsum gallinæ cõparat: Quoties, inquit, uolui congregare filios tuos sicut gallina, &c. Nam hoc animal prę omnibus alijs, uel maxime cum pullis suis infirmis quasi infirmatur. Ideo autem Christus nedum peccata nostra in se recepit, sed & externas quoq; molestias, ut eo melius nobis mederi possit, quemadmodum medicus tũc optime mederi potest, cũ quàm proxime ad ipsum infirmum accedit, nihil offensus ergastuli fœtore, aut inmunditia. Secũdo ideo has molestias in se recepit, ut doceret, se esse Pontificem no-
Heb. 5. strum apud Patrem. Pontificis enim est, pro populo curare, orare, intercedere, infirmitates et peccata populi in suos humeros trãsferre, id quod ex lege satis patet. Tertio, ut uel ex hoc ipso non dubitemus
Heb. 4. ipsum nobis compati: Non, inquit, habemus Pontificẽ, qui non possit compati. Nam & ipse tentatus est, & didicit ex his quæ passus est, compassionem. Alioqui quomodo nobis compati posset, ac nostris affectibus tangi, nisi & prius eisdem affectibus & infirmitatibus subiectus fuisset. Cum igitur legimus eũ esurientem, sitientem, fatigatũ, morientem, &c. certi sumus, ipsum non ignorare, quo animo nos in eisdẽ malis affecti simus, & quanto auxilio opus habeamus. Demum etiam ideo molestias nostras in se recepit, ut uel in seipso ostenderet, externa mala, quantumuis grauia, nihil obesse posse pijs. Sicut enim infirmus, uidens amarum aliquem potum à medico præguſtatũ, sine periculo, etiam ipse securus bibit, certus nihil sibi nociturũ, quando-

quidem

quidem medico non nocuerit. Sic & nos cum uideamus Christum, amarum illum calicem passionum præguſtasse, nihilq; ei obfuisse, ſecure bibamus & nos, crucemq; nostram post Christum portemus. Matth. 16.

Venit mulier de Samaria, haurire aquam]

Rursus Euangelista de muliere scribit, pro ratione charitatis, quæ solet libenter aliena delicta excusare uel celare. Charitas enim non gaudet super iniquitate. Quamuis igitur hæc mulier scortū esset, honestius tamen eam, mulierem, non scortum nominat. Signanter aūt dicit, quod mulier aliud quærens, nempe aquam, Christum inuenit. Sic & nobiscum agitur. Immeritis enim, & plærūq; neq; petentibus, neq; quærentibus, immo & aliud quærentibus & agentibus, salus nobis contingit. Sic Sauli quęrenti asinas, obtigit regnū. Sic pastoribus pro grege suo excubantibus, anūtiatur Christus. Sic Andręas et Petrus iaciētes rethe in mare, à Christo uocabātur. Sic Matthęus, Paulus &c. aliud agentes, salutē à Christo acceperunt. Summa, tam diu nostra tantū, hoc est, carnalia curamus, donec Christus sua sponte sese nobis citra omnem nostram opinionem obtulerit. Hinc est, quod sponsa clamat: Trahe me post te. Et Propheta: Conuerte nos Deus salutaris noster. Nisi enim Christus gratia sua nos præuenerit, semper manemus in peccatis, sicut & mulier illa qualis uenerat, talis & redīsset, nisi Christus eam præuenisset. 1. Cor. 13. 1. Reg. 10. Lucæ 2. Matth. 4. Cant. 1. Psalm. 84.

Da mihi bibere]

Iudæi adeo contemnebant Samaritanos, immo omnes Gentiles, ut nec colloquio eos dignarentur: Ideo mulier illa uidens Christum Iudæum esse, non ausa fuisset eum alloqui, nisi Christus prior illam compellasset. Sic cum omnes peccauerimus, & sciamus Deum peccatis offensum, & ob id peccatoribus infensum, nemo nostrum ausus fuisset Deū alloqui, nisi ipse prior nos allocutus fuisset. Nunc autem tuto & cōfidenter eum alloquimur, & necessitates nostras ei pandimus, quemadmodum & mulier hæc postmodum ausa fuit cū Christo familiariter loqui. Cæterum eo ipso autem, quod mulierē & gentilem, & peccatricem alloquitur, indicauit se nullum hominem contemnere: Non enim est acceptor personarū Deus. Vide autem Dei mirabilia, Christus fugit Iudæam, in qua erant Sacerdotes, Pharisæi, qui uidebantur sancti, incessu, uestitu, & uita religiosa, ad scortum uero nihil tale sperans, salutem suam affert: Non quod uel peccata ei placerent, aut iustitiæ opera displicerent, sed quod peccatores facilius ad agnitionem sui, ac ex consequenti, ad salutem adducuntur, quam qui de sua iustitia præsumunt. Hinc & in alio loco dicit: Meretrices & Publicani præcedent uos in regno, &c. Sicut autem Christus mulierem ad respondendum prouocat, sic semper etiam nos uarijs occasionibus ad bonum incitat. Act. 10. Matth. 21.

Et sicut ab ipsa aquam petit, cum potuisset diuina uirtute aquam extrahere: sic & à nobis exigit, ut ei in salute nostra cooperemur, cum posset nos sine operibus saluare. Eodem modo posset & pauperes per seipsum sustẽtare, hoc tamen à nobis exigit, et nobis ipsos offert, ut eo iustius nos remunerare possit, & abundantius. Petit aũt bibere, non tam propter corporalẽ sitim, quã propter desiderium salutis nostrę. Sitis Dei est, quod uult omnes homines saluos fieri quantũ in
1. Tim. 2. ipso est. Hinc Paulus: Legatione fungimur pro Christo, tanq; Deo
2. Cor. 5. per nos exhortante, &c. Reconciliamini Deo. Omnibus igitur nobis dicit Christus: *Da mihi bibere.*

Discipuli autem eius abierunt in ciuitatem, &c.]

Humilitatem Christi ostendit hoc uerbum, nempe, quod solus manet apud fontem. Deinde hoc interserit Ioannes, ne quis putet, Christum mulierem coram discipulis de occulto peccato arguisse, indeq; occasionem accipiat, etiam aliorum peccata occulta manifestandi. Signanter igitur ostendit, Christum solum fuisse. Hinc igitur discamus, proximum peccantem primum occulte arguere, &c. Ex hoc aũt
Matth. 18. loco uidemus, Apostolos nullam uel paruam pro uentre curam habuisse. Primo enim nihil secum habent alimentorũ, deinde cum iam sexta esset hora, hoc est, tempus meridianum, aliiq; homines iam satu-
Matth. 16. rati, uel somno uel ludis indulgerent, ipsi tunc primum cibos emere
Matth. 12. pergunt. Sic & in alio loco, obliti sunt secũ panes sumere, aliquando etiam propter inopiam spicas terebant manibus, & manducabant:
Matth. 21. Immo Christus ipse esuriens, ad ficum processit, fructum quærens. E contra autem nos primam curam uentri damus, atq; utinam non
Matth. 6. omnem, nec attendimus Christum dicentem: Primum quærite regnum Dei, &c. Allegorice, Samaria Gentilitatem significat. Ea fontem habebat ne dum aquis abundãtem, sed etiam nomine celebrem, sapientiam mundanam uel Philosophiam: uerum non fons, sed puteus erat. Omnis enim mundana sapientia, non supra terram, sed in terra consistit. Qui enim de terra est, de terra loquitur. Hanc mun-
Supra c. 3. danam Philosophiam, stulta Gentilitas credebat esse aquam uiuam: Ideo ad eam certatim currebat, aut uel secundum Stoicos, curiositatem, uel secundum Epicuræos, omnem expleret cupiditatem, donec tandem aliquando Christum inueniret super fontem. Postquam enim Christus fatigatus in itinere humanitatis suæ doloribus, contumeliis, denicq; & morte, uenisset ad prædiũ, quod dedit Iacob Ioseph
Mar. 16. filio suo, id est, ad gloriam soli filio Dei debitã, ibicq; sedisset ad dexteram scilicet Patris, longe exuperans uniuersum humanæ cupiditatis uel philosophicæ sapientiæ profundũ: Ab eo, incq;, tempore misertus huius mulieris, gentilis scilicet populi, reuocare eam cœpit ab insipidillo fonte, ac ostendere uerũ fontem aquæ uiuæ. Hoc aũt non factum

est,

est, nisi hora sexta. Non enim tempore Adam, nec Abrahæ, nec Moysi, nec Dauidis, sed in nouissima hora mundi: Tunc enim primum reuelatum est mysterium, à sæculo absconditum, nempe, Gentes esse cohæredes, &c. Ephes. 3.

Quomodo tu Iudæus cum sis, postulas à me, &c.]

In lege præceptum erat Iudæis, ne fœdus inirent cum Gentibus, &c. Huic præcepto additum erat ex Pharizaica traditione, ne etiam ciuilia commertia cum Gentibus haberent. Deinde stimulabat eos ingenita superbia, qua omnes alias Gentes præ se contemnebant, quam eorum superbiam Prophetæ subinde coarguunt, nunc Sodomæ eos æquantes, nunc etiam Samariæ præferentes: speciali tamen odio ferebantur in Samaritanos, tum quia Samaritani terram eorum possidebant, tum quia multas molestias eis intulerant post reditum è Babilone. Hanc Iudæorum & superbiam & odium sciens mulier, miratur, quod Christus tam comen se ostenderet. In eum modū & fidelis quisq; miratur, quod Deus olim tam seuerus in peccatores, nunc tam benignum et misericordem ostendit se etiam erga indignissimos, semperq; in ore habet illud Psalmi: Domine quid est homo, quod memor es eius? Item illud Dauidicum: Quis ego sum, & quæ domus Patris mei, &c. Ex hoc autem loco alijsq; similibus, Pseudeuangelici occasionem sumunt contemnendi omnes sine discrimine leges & ordinationes, sub hoc prætextu, quod etiam Christus hæc externa non curarit. Ad hæc respondeo. Primo, cum Paulus dicat: Quæcunq; lex loquitur, his qui sub lege sunt, loquitur, constat Christū huic præcepto non obligatum fuisse, non enim erat sub lege, sed supra, immo ipse Legislator. Sic & nunc soli hi liberi sunt à legibus, qui spiritu Dei aguntur. Hi enim iam supra legem sunt. Nam iusto non est lex posita. Deut. 7. Ezech. 16. Nehem. 4. Psal. 8. 2. Reg. 7. Rom. 3. 1. Tim. 1.

Alij autem nedum legibus, sed & gladio cohibendi sunt. Secundo transgressor legis dici non potest, qui intentionem Legislatoris seruat, etiamsi à litera legis discedat: immo nonnunq; se offert casus, ut necessarium sit discedere à litera legis, alioqui summum ius summa iniustitia esset. Præceptum autem erat Iudæis, ne cum Gentibus fœdera inirent, præcipue ob hanc causam: Ne peccare, inquit, te faciant, &c. Hanc autem legis intentionem Christus etiam manducans & bibens cum Gentibus, melius obseruauit quam Iudęi, qui literam legis strenue obseruabant, cum interim cum omnibus peccatis uel similes, uel etiam peiores essent Gentilibus. Præterea Christus etiam nunquam à litera legis discessit, nisi aut cogente necessitate, aut suadente charitate, ut in sanandis infirmis in Sabbato. Exemplum igitur hoc Christi nō possunt prætexere hi, qui sine necessitate & contra charitatem Exod. 23.

charitatem atq; adeo cum scandalo, aliorum bonas Ecclesiæ constitutiones contemnunt.

Si scires donum Dei, & quis est qui dicit, &c.]

Supra à muliere petijt aquam, hic se pollicetur daturum. Vtrunq; enim agit Christus: Petit à nobis & dat nobis, petit pauca, nempe, aquæ haustum: Dat autem ingentia, nempe, totũ fontem uiuæ aquę. Nihil enim sunt quæcunq; dare uel facere, aut etiam pati possumus ad futuram gloriam, etc. Quam stulti igitur sumus, qui haustũ unum negamus Deo, cum interim audiamus eũ pollicentẽ totum fontem. Singula aũt uerba emphasim habent. Primo enim: *Si scires*, inquit, quasi diceret, quod erras, quod in peccatis permanes, quod salutem non quæris, non ex malitia, sed ex ignorãtia est. Per hoc aũt non tam mulierẽ excusat, q̃p ludæos obscure taxat, qui non ex ignorantia, sed ex malitia peccabãt. Videbãt enim, tamẽ odiebãt, unde et excusationem nõ habebant, prçsertim Legisperiti. Deinde hoc uerbo subindicat, quantũ malũ sit ignorãtia. Qui enim ignorat Dei dona, quando quçret ea: & qui ignorat Dei uoluntatẽ, quando eam perficiet: Et qui iudiciũ Dei ignorat, quomodo illud timebit: Hinc Christus ciuitati Hierusalẽ: Si cognouisses et tu, &c. Tria aũt uerba Christus ex ordine ponit. Primo, *Si scires donum*. Secundo addit (*Dei*) ne uulgare aliquod donũ suspicaretur. Tertio: *Et quis sit qui dicit tibi*, etc. Hęc n. tria ignorabat mulier adeoq; tota gentilitas. Primo, quod Deus uellet dare. Secundo, quod nedũ externa, sed et spiritualia, uitam scilicet & salutem, dare uellet. Tertio, quod ea per solum Christũ dare constituisset. Nos autem scimus, Deum paratũ esse ad dandum, deinde scimus, quod etiã spiritualia & æterna bona dare uelit. Postremo scimus, quod in solo Christo hęc quærẽda sint. Sensus igitur est: *Si scires donum Dei*, hoc est, gratiã & beneficium eius, quod nunc tibi adhuc ignarę offertur per me, ultro à me petisses, &c. Vel aliter, Existimas te cognoscere Deum, sed nondum perfecte cognoscis: ignoras enim me filium Dei & Spiritum sanctum, qui uere donum Dei est. Tunc aũt perfecta esset cognitio tua, si nedum Patrem, sed & Filium & Spiritũ sanctũ scires, immo ea cognitio præstaret tibi uitã ęternã. Hęc est, inquit, uita ęterna, ut cognoscant te solũ Deũ, &c. Ex hoc igitur uidemus, cognitionẽ Dei esse initiũ, immo perfectionẽ & finẽ salutis nostrę. Non igitur mirandũ, quod pauci saluantur: maior enim pars hominũ Deũ ignorat, et quod peius est, refugit eius cognitionẽ.

Rom. 8.

Ioan. 15.

Lucæ 19.

Ioan. 17.

Forsitan petisses ab eo]

Forsitan additur, quia multi sunt, qui tametsi sciant donũ Dei, & quis sit Christus, non tamen petũt. Deinde quod dicit: *Petisses ab eo*, significat dona Dei non dari aut communicari, nisi petentibus. Hinc & subinde in Euangelio petere nos iubet, nec quicquam leuius aut facilius

facilius exigere posset. Quem enim piget uel uerbo petere, quando grauius quid adimpleret?

Nulla igitur nobis remanet excusatio, si spiritualia bona non consequamur, signum enim est, quod ea non petimus.

Dedisset tibi aquam uiuam]

Hic non apponit forsitan, quia Deus fidelis est, seipsum negare non potest. Hinc Christus: Petite, & accipietis. Obserua autem, quod daturum se dicit aquam, non quamcunq; sed uiuam. Sic et Isaias prædixit: Haurietis aquas de fontibus saluatoris. Hæc autē aqua Spiritus sanctus est. Primo, quia purificat. Iuxta illud: Effundam super uos aquā mundam, et mundabimini. Secūdo, quia germinare facit. Hinc iustus dicitur quasi lignū plantatū, iuxta aquas, quod fructū suum dat in tempore suo. Tertio, quia sitim extinguit, de quo infra. Quarto, quia etiam concupiscentiæ ignem extinguit, &c. Dicitur autem aqua uiua non putris, quia hominem uiuificat, facitq; animā agilem, ascensiones in corde suo semper disponentē. De hac aqua biberat Paulus, cum diceret: Omnium quæ retro sunt, oblitus sum, &c. Hanc autem aquam promittit etiam peccatrici, ut doceat, se gratis et nullo merito, nec personæ respectu, salutem suam communicare.

2. Thim. 2. Ioan. 16. Isa. 12. Ezech. 36. Psal. 1. Psal. 83. Phil. 3.

Cæterum, ne quis se excusare possit, ostendit etiam hauritorium, quo eam haurire è fonte possit, nempe orationem. Iam, cum Deus per legē suam ardua à nobis petat, nempe, ut Deū diligamus ex toto corde, ut diligamus inimicos, contemnamus terrena, feramus crucem, etc. necessarium est, ut ab ipso petamus Spiritū sanctum, alioqui nulla nobis remanet excusatio, si ea non impleuerimus, quæ præcepit, quandoquidem nunc dicit: *Si petisses, dedisset tibi.* Ex hoc fonte hauserunt Apostoli ueram erga omnes dilectionem, martyres constantiam, uirgines castitatem, omnesq; pij mundi contemptum.

Domine neq; in quo haurias habes, &c.]

Hic uides ingenium carnalis hominis. Primo sicut supra Nicodemus audiens regeneratione opus esse, nihil aliud cogitabat, quàm carnalem illā generationem: Et Iudæi audientes Christum de templo loquentem, nihil aliud cogitabant, quàm materiale illud templum: sic etiam mulier hæc nihil aliud cogitat, quàm aquā naturalem, eodem modo & mundus in uniuersum, quicquid in scriptura legit uel audit, de uera uita, libertate, ueris diuitijs, potentia, tantū carnaliter intelligit, quemadmodum & Iudæi promissiones per Christum complendas, tantum carnaliter intelligunt. Summa, animalis homo non sapit ea, quæ sunt spiritus Dei, &c. Deinde, mulieri stulta uidetur esse promissio Christi, propter tria. Primum, quod caret situla aut urna, qua aquam hauriat: Alterum, quod nullus ibi fons uiuus conspiceretur, unde posset habere aquam uiuam; Tertium, quod præferre se uidetur sancto Patriarchæ Iacob.

Ioan. 3. Ioan. 2. 1. Cor. 2.

Ad

Ad eum modum etiam Christi promissiones, in quibus promittit uitam, redemptionem, &c. rationi humanæ & prudentiæ carnis uidentur stultę & absurdę. Sic enim cogitat, Quomodo potest prę-
Matth. 11. stare aquã uiuam, cũ non habeat situlam, hoc est, quomodo potest conferre iustitiam, cum ipse careat iustitię fama: En, inquiunt, hominem comedonem, socium Publicanorum. Item promittit uitam, sed ecce etiam ipse moritur. Deinde cogitat ratio, Si solus Christus aquam uiuam dare potest, quid ergo fecit lex? nonne & ipsa fuit aqua uitæ?

Postremo, si omnes per ipsum solum saluuntur, quomodo igitur salui facti sunt Patres, qui ante ipsum fuerunt? En hæ sunt cogitationes carnis, immo hæ sunt tentationes Diaboli, quibus fidem nostrã labefactare nititur, ut incipiamus dubitare de uerbo Dei: Quem enim eò perduxerit, hunc postea facile præcipitat, id quod uidemus
Genes. 3. in primis parentibus. Semper igitur cum Apostolis orandum & di-
Lucæ 17. cendum: Domine adauge nobis fidem. Item cum alio: Credo Do-
Mar. 9. mine, adiuua incredulitatem meam.

Nunquid tu maior es Patre nostro Iacob, &c.]

Ne dum ab surdam iudicat promissionẽ Christi, uerũ etiam impossibilem, ideo antitheſi quadã comparat Christũ cũ Iacob, quasi diceret: Quomodo posses tu uobis prę-
Genes. 23. stantiora conferre cũ Iacob, cum ille sanctus fuerit, tu autẽ nulla sanctitate conspicuus es: Ille Deũ uidit facie ad faciẽ, tu nõ multos admodũ homines nosse uideris: Ille Dei uictor factus, unde & Israëlis cognomem sortitus est, tu nec imbelles homines uincere potes, etc. Deinde ex hac Christi cum Iacob comparatione colligit, nihil sibi opus esse aqua uiua, quam ille pollicebatur, quasi diceret, Si usq; adeo nostra retulisset, fontem habere uiuum, potuisset etiam hoc Iacob, qui Deo acceptissimus erat impetrare. Nunc cum ipse contentus fuerit puteo, nobisq; dederit non fontem, sed puteum, quid nobis opus est alia aqua? Huc pertinet, quod summe commendat puteum illum, ut quod bonus sit, quandoquidem & Iacob & filij eius inde biberint. Deinde, quod copiam aquæ haberet: ita, ut etiam sufficeret pro pecoribus. En hoc est ingenium mundi, suam aquam extollit, hoc est, diuitias, potentiam, sapientiam, & iustitiam mundanam, atq; ea sibi sufficere putat, nihilq; sibi opus esse sapientia aut iustitia Christi, allegat ad hoc, quod etiam sancti inde biberint. Quid mihi opus, inquiunt, doctrina Christi & Pauli, cum ex Ethicis Aristotelis quaslibet discere possim uirtutes? Item quid mihi opus est iustitia Christi, cum tot opera meritoria habeam? Hæc igitur falsa persuasio multos decipit. Obserua circa hunc locum, quod Samaritani gloriabantur de Patriarcha Iacob, cum tamen in minimo eũ non imitarentur, quemadmodũ Iudæi de Abraham, quibus
Ioan. 8. Christus dixit: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, &c. Sic & nos gloriamur de Patribus, &c.

Omnis

Omnis qui biberit ex aqua hac, ſitiet, &c.]

Sicut Chriſtus ubiq; & ſemper paratus eſt dare petentibus, ſic & nunc promptus eſt ad reſpondendum interroganti: Nulla igitur nobis remanet excuſatio. Stat enim ſententia: Si petiſſes, dediſſet tibi. Deinde uides hic, quod paulatim eam ducit ad maiora. Primo enim ab ea petijt aquam, ea cunctante promiſit meliorem aquam: Nunc eiuſdem aquæ uirtutem plenius explicat.

Sic à nobis primo exigit per legem, quod cum præſtare non poſſumus, ad ſe uocat, promittens Spiritum ſanctum, quo legem implere poſsimus: Deinde ſemper perfectius ſe manifeſtat, donec ad ſalutem perducat. Hoc autem uerbo Chriſtus damnat omnia ea, quę mundus miratur, ut ſunt diuitiæ, uoluptas, potentia, ſapientia & iuſtitia politica, hæc enim ſunt, quæ nos quærimus, extollimus, & quibus ſitim noſtrã extinguere cupimus, ſed fruſtra. Stat enim ſententia: *Omnis qui biberit ex hac aqua, iterum ſitiet.* Sic diuitiæ, uoluptates, etc. ſitim, hoc eſt, concupiſcentiã, non extinguunt, ſed excitant. Sic nulla ſapientia, potentia aut iuſtitia mundana, nulla denicq; opera humana, ueram iuſtitiam largiri, aut mentem noſtram exaturare poſſunt. Eſt enim mens humana latior, quam ut ulla creatura explere poſsit. Et humanę iuſtitiæ ſordidatiores ſunt, quam ut poſsint nos iuſtos reddere, aut Deo commendare. Sic qui ex lege quærit iuſtitiam, quantumcunq; boni operetur, non tamen quietem aſſequi poteſt conſcientiæ, immo eo magis irritatur conſcientia, lege ſubinde eam accuſante, ut tandem cogatur ſoli miſericordiæ Dei fidere, & dicere: Serui inutiles ſumus. Et: Non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis uiuens, &c. Luc. 17. Pſal. 142.

Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo, &c.]

Aqua, quam Chriſtus dat, Spiritus ſanctus eſt. Hic enim eſt fons ille Paradyſi, qui exinde in quatuor capita diuiditur. Ex eo enim habemus aquã munditiæ, de qua dicitur: Effundam ſuper uos aquam mundã, &c. Deinde aquam ſapientiæ ſalutaris. Tertio aquã gratiæ. Quarto aquam gloriæ. Signanter autem dicit: *Ego dabo.* Ipſe enim Spiritum ſanctum nobis meruit, unde infra dicit: Paracletum uobis mittet pater in nomine meo. Item: Si non abiero, ſcilicet in mortem, Paracletus non ueniet ad uos. Gene. 2. Ezech. 36. Eccle. 15. Ioan. 14. Ioan. 16.

Qui de hoc fonte Spiritus ſancti bibit, non ſitiet amplius. Primo, quia exaturatur iuſtitia, ſalute, uita, atq; adeo omni cœleſti gaudio: Habet enim uirtualiter omne bonum, quandoquidem Deum omnis boni fontem habet. Hinc Dauid ait: Nihil deeſt timentibus eum. Et iterum: Satiabimur in bonis domus tuæ, &c. Deinde non ſitiet iterum, quia non amplius curat mundanam ſapientiam, potentiam, gloriam, &c. contentus gloria Dei. Dicitq; cum Paulo: Pſal. 33. Pſal. 64.

Galat. 6. Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Signanter autem dicitur: Non sitiet inæternū, licet enim ad tempus habeat sitim spiritualem, suspirando ad patriam, cupiendoq; perfectiorem gratiam, atq; aliorum salutem, non tamen semper sic sitiet, sed ueniet tempus,
Psal. 102. in quo replebitur in bonis desiderium eius, in futura scilicet uita, de
Psal. 16. qua Psalmista: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Nec obstat,
Eccle. 24. quod in Ecclesiastico dicitur: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Duplex enim est desiderium. Primo rei non adeptæ, ut acquiramus, & hoc nō habent pij. Secundo desiderium uel potius amor rei adeptæ, ut magis habeatur, & imperpetuum seruetur citra fastidium. In hunc modum sitiunt pij.

Fiet in eo fons aquæ salientis, &c.]

Pulchre describit gratiæ operationem. Primo, inquit, gratia au-
Matth. 25. gmentatur, quemadmodum ille, qui quinq; talenta acceperat, alia quinq; superlucratus est. Secundo efficitur fons, quia per sinum cordis, sapientiæ & scientiæ riuos diffundens, totum animæ alueum implet. Tertio paulatim in uerbo uitę per meatū oris prorumpens, hortos uicinos, areasq; longe positas, affatim irrigare incipit. Sic in Paulo aqua illa Spiritus sancti in tantum fontem excreuit, ut ab Hiero-
Rom. 15. solymis usq; ad Illyricum omnia repleuerit Euangelio. Quarto efficitur aqua saliens, qui enim Spiritum sanctum habet, is uere habet uenam scaturientem è peccato in iustitiam, è damnatione in salutem, è morte ad uitam, è terra ad cœlum. Signanter autem salire dicitur
Iac. 1. in uitam æternam. Illuc enim resilit, unde uenit, ad Deum scilicet, à quo omne datum optimum & donum perfectum, &c. Deinde bibentis animam, etsi in Infernum descenderit, saliendo in uitam ęternam
Esai. 49. sustollit, ubi non esuriat, nec sitiat, nec percutiat eam æstus aut sol. Hac igitur gratiæ commendatione, Christus nos excitare et allicere uoluit, ut fortius eam quæramus. Vide autem cęcitatem nostram, omni studio ad cisternas nostras recurrimus, & uiuum illum fontem, in quo solo omnia habere possemus, negligimus: Quid tibi
Hiere. 2. in uia Ægypti, ait Hieremias, ut bibas aquam turbidam, &c. En duo
Ibidem. mala fecit populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, &
Esaiæ. 55. foderunt sibi cisternas, &c. Audiamus igitur eum clamantem: Om-
Ioan. 7. nes sitientes, uenite ad aquas, &c. Item: Si quis sitit, ueniat ad me.

Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam, &c.]

Pie quidem uidetur petere, sed tantum carnalia petit, quod ex eo patet, quod in fine dicit: Neq; ueniam huc haurire, hoc enim tantum quærebat, ne tanto labore aquam haurire cogeretur. Atqui Christus non dixerat: Si biberis de aqua, quam ego dabo, non opus habebis amplius hic haurire. Deus enim externum laborem & molestias

leſtias non aufert, etiamſi gratiam ſuam conferat homini. Nam gratia Dei animam reficit, non corpus ad ocium. Verum caro etiam ex ſpiritualiſsimis Dei uerbis, tantum ocium & carnis libertatem quærit. Sic carnalis homo audiens promiſsiones gratuitas Chriſti, ſtatim infert, Nunc bene mecum agetur, ſi gratis omnia Dei bona contingunt, hæc doctrina mihi arridet, hactenus enim omnes uires meas eneruarunt ieiunia, durum erat orare, & præcepta Dei ſeruare, &c. Nunc ſi ſola fide ſaluamur, pro libidine mea uiuam, ociabor, nihil bonorum operum faciam, &c. Atqui Chriſtus nuſquam dicit, Qui in me credit, non amplius tenetur ad bona opera, aut poteſtatem habet faciendi quicquid libet. Sed ita dicit: Qui biberit de aqua, &c. non ſitiet. Ex quo patet, quod his tantum loquitur, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, ad ſolos hos pertinent Dei promiſsiones, non ad ocioſos, non ad eos, quibus adhuc placent peccata: Omnes, inquit, ſitientes, uenite ad aquas, &c. Et Chriſtus non alios uocat, quam ſitientes. Si quis ſitit, inquit, ueniat ad me, &c. Quantumuis autem mulier illa uerbum hoc carnali intentione protulerit, pius tamen quiſq; hoc ueraciter à Chriſto petit. Videt enim in ſe, nondum extinctam illam ſitim, hoc eſt, affectum ad externa, uidelicet ad auaritiam, uanam gloriam, uoluptatem, inuidiam: his affectibus aliquando uincitur. Reuerſus autem ad cor, clamat cum Paulo: Infœlix ego homo, quis me liberabit? &c. gratia Dei per Ieſum. Ideo clamat: Domine da mihi aquam tuam, ut non amplius ſitiam externa illa, nec ad extra curram, ſed ut in te ſolo me oblectem.

Eſai. 55. Ioan. 7. Rom. 7.

Vade, uoca uirum tuum, & ueni huc.]

Non reſpondet ad uerbum mulieris, uidebat enim omnem admonitionem eſſe fruſtraneam, quam diu mulier peccatum ſuum non agnoſceret. Sicut enim qui ſanus eſt, nihil uel medicos uel medicinas curat, immo irridet eos, qui his utuntur. Cum autem infirmari cœperit, longe aliter affectus eſt, immo nihil non agit, ut medicos & medicinam habere poſsit, &c.

Sic Euangelium facile contemnitur, dum non ſentitur peccatum: Reuelato autem peccato, tum demum ad peccati remiſsionem animus ardet. Sic nihil aliud obſtabat uel impediebat mulierem illam, quam quod non dum ſentiebat peccatum.

Vt igitur ſollicita fiat ad iuſtitiam quærendam, Chriſtus eam inducit in peccati agnitionem. Vide autem quam clementer id faciat, poterat dicere, Peccatrix es, ſic & ſic egiſti, niſi pœnitentiam egeris, peribis. Sic, inquam, poterat eam dure arguere, ſed uſa eſt arte ſua Dei ſapientia, ut nec illam moleſta uerecundia pulſaret, & tamen neceſſariam peccati confeſsionem eliceret.

Luc. 13.

Vade, inquit, *uoca uirum tuum*. Virum nominando admonebat

ipſam peccatorum ſuorum, ut admonita cogitaret peccatorum ſuorum turpitudinem & periculum, humilique confeſsione remedium quæreret. Ideo enim Deus nos ad confeſsionem peccatorum noſtrorum inducit, ne ipſe cogatur nobis ea ob oculos ponere in iu-
Hiere.2. dicio. Quid, inquit, uis, ut iudicio contendam tecum? &c. quaſi diceret, Miſer homo, quid ita impœnitentia tua me prouocas ad iudicium: Longe melius faceres, ſi peccata agnoſcens, ad pœnitentiam te conuerteres, &c. Inſignis autem Dei miſericordia in hoc apparet, quod non ſtatim punit, ſed ad pœnitentiam inducit, peccatorumque confeſsionem non pœnis extorquet, ſed lenibus uerbis elicere ſtudet. Sic primum hominem poſt tam graue peccatum, dulcibus
Gene.3. tamen uerbis alloquitur: Adam ubi es? Nimirum, ut confeſsionem ex eo eliceret. Sic impium Cain & homicidam, dulcibus tamen uer-
Gene. 4. bis ad confeſsionem peccati allicit: Vbi, inquit, eſt Abel frater tuus?
2.Reg. 12. &c. Sic & Dauidem, poſtquã & adulterium & homicidium perpetraſſet, primo occulte ſub parabola quadam ad agnitionem peccati inducit. Sic Eſaias Ezechiam regem in ſuperbiam pro-
4.Reg.20. lapſum, dulciter compellat: Qui, inquit, ſunt uiri illi, &c. nimirum, ut confeſsionem peccati ſine duriori obiurgatione eliceret.

Vere igitur clemens medicus eſt Chriſtus, qui acriore medicina non uexat ęgrotum, niſi leniorem fruſtra impenderet. Moraliter, Senſualitas in homine mulier eſt, quæ non debet regere, ſed regi. Ratio autem uir eſt, qui regere debet ſenſualitatem.

Monet igitur Chriſtus carnaliter uiuentes, ut uirum, hoc eſt, rationem adhibeant. Animam enim habere, & rationem non adhibere, beſtialis uita eſt.

Non habeo uirum.]

Admonita fuit peccatorum, nullam aũt adhuc audis confeſsionem, immo quaſi Chriſtum perſuaſura, ut crederet eam tam caſtam: *Non*, inqit, *habeo uirum*. Sic nihil difficilius extorqueri poteſt ab homine quam confeſsio, immo ut plurimum ad excuſationes ſe con-
Heb. 4. uertit, quaſi eum decipere poſsit, cuius oculis omnia nuda & aperta
Hiere.2. ſunt, qui & in Propheta dicit: Ego ſum, ego uidi. Hac autem tectione uel excuſatione peccatorum, nihil aliud agimus, quam quod Deum ad iram prouocamus.

Hinc Adam confiteri nolens, à Deo audit peccatum ſuum, &
Gene.3. inſuper maledicitur. Sic contigit & ipſi Cain, &c. Sic Dauidem
Gene.4. non ſtatim confitentem acriter obiurgat Nathan. Idem contigit Ezechiæ, Idem uidebis & in muliere.

Pſal.140. Merito igitur Dauid: Non declines, inquit, os meum in uerba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Et in alio Pſalmo:
Pſal. 31. Dixi, inquit, confitebor aduerſum me in iuſtitiam meã domino, &c.

Bene

Bene dixisti, Non habeo uirum, &c.]

Cum occulte admonita peccatum agnoscere non uellet, manifeste confunditur, quemadmodum & aliàs flagellis ad se compellit, quos beneficijs allicere non potest. Est autem sensus, Bene dicis, quod non habes uirum coniugem: es enim scortum & turpiter uiuis, ut maxime celes turpitudinem tuam. Deinde hactenus prostituisti pudicitiam tuam quinq; uiris, tanta est castitas tua, præterea nunc sexto adhæres, qui non est maritus tuus, sed clancularius scortator: Interim tamen honesta uideris, tergis os tuum, dicens: Non sum operata malum. Vide quam exacte singula peccata excutiantur, cum ad iudicium Dei peruentum fuerit. Hinc comminatur Iudeis, se scrutaturum Hierusalem in laternis. Et cuilibet impio dicitur: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Hoc igitur uerbo mulier ita in peccati cognitionem ducitur, ut iudicium quoq; peccati sentiat. Non autem in eo iudicio perit, quandoquidem Christum habet præsentem. Sic quamdiu tempus gratiæ est, quantumcunq; condemnet nos conscientia, tamen effugere possumus iudicium per Christum: Væ autem ei, qui tempus gratiæ excesserit. Allegorice, Ecclesia cum adhuc gentilis esset, quinq; sensibus corporis luxuriata in omni concupiscentia carnis & oculorum, quæ in mundo est, tandem ad hoc deuoluta fuerat, ut pro uiro suo legitimo, factore scilicet & amatore animarum Deo, diabolum reciperet, & in ligno & lapide cum illo fornicans, qui non erat suus uir, sed naturæ suæ hostis: non amator, sed interemptor: non sponsus amoris, sed author mortis: homicida, non medicus: diabolus, non Deus.

Proue. 30.

Sophi. 1.

Psal. 49.

1. Ioan. 2.

Hæc igitur ad Christum ueniens, ingenue & uere confessa est, se non habere uirum, &c. Obserua, quod à muliere petente aquam uiuam, Christus exigit confessionem. Sic confessio peccatorum necessaria est petentibus gratiam.

Domine, ut uideo Propheta es.]

Hic iam serio loqui incipit mulier: immo quod maius est, mulier meretrix & pagana incipit quærere iustitiam, neq; id mirum, iam enim peccatum suum agnoscebat, immo propter peccatum iam sentiebat damnationem suam. Sic & nos uidemur quidem ante peccati ostensionem, belle ualere & securi esse, etiamsi peccatorum nobis conscij sumus, tamen somniamus ea remissa, sed domino peccata reuelante, mors ob oculos ponitur, & Infernus accenditur. Hinc oritur sitis iustitiæ & gratiæ, in hoc iudicio perit omnis humana iustitia, & omne auxilium carnale. Hinc oriuntur clamores illi: Domine, ne in furore tuo arguas me, &c. Itemq;, De profundis clamaui ad te domine, &c. Hic est ignis ille, quem Deus in ira sua succendit,

Psal. 6.

Psal. 129.

Deut. 32.

cendit, qui & ardebit usq; ad Inferni nouissima, nisi Dominus sua gratia eum restinguat. Vide autẽ, quid agat mulier, primo non indignatur contra Christum, quod eam confuderit. Non enim Deo, sed nobis ipsis irasci debemus, si quid propter peccata patimur:
Mich. 7. Iram, inquit, Domini portabo, quia peccaui ei, donec iudicet iudicium meum. Secundo non fugit, quomodo enim effugere posset Deum uel etiam conscientiæ uermen, quem semper secum portat? Sed recta ad Christum pergit, ut qui eam terruerat, iterum consolaretur. Sic nos quoq; faciamus. Qui enim nos percutit, humiliat,
1. Reg. 2. occidit, et in Infernum ducit, is solus nos potest sanare, exaltare, uiuificare, & ex Inferno reducere. Obserua autem, quomodo mulier illa ex uno Christi colloquio profecerit: quem enim primo Iudæum nominauerat, mox Dominum appellat, nunc prophetici tituli honorem tribuit, postea etiam Messiam appellat, quod & ipsum ignauiam nostram coarguit. Prophetam autem eum cognouerat ex reuelatione occultorum. Vbi enim occulta cordis manifestantur, ibi nulla dubitatio relinquitur, quin in prophetante solus Deus lo-
2. Reg. 16. quatur, præter quem corda prospicere nemo alius potest.

Patres nostri in monte hoc adorauerunt.]

Hic iam uirum adducit mulier, hoc est, rationem: Non enim amplius quærit carnalia, sed spiritualia. Sciebat iam iustitiam, sed nesciebat ubi ipsam quæreret. Sciebat ex Moysi libris, quos habebant Samaritani, plærunq; sanctos patres in montibus orasse. Sic enim
Gene. 22. Abraham in monte immolare uoluit filium. Sic Moyses in mon-
Exod. 24. tem ascendit, uisurus Dominum. Sic Loth in monte saluatur. Sic
Gene. 19. Helias in monte uidet Deum, &c. Ad hæc sciebat Iacob Patriar-
3. Reg. 19. cham in eo loco habitasse & adorasse. Atq; is mons erat mons Ga-
Gene. 33. rizim, ut quidam uolunt. In quo benedictiones publicatæ fuerant.
Deut. 27.

Ex his igitur Samaritani statuebant cultum suum. E contra audiebant Iudæos, asserentes templum Hierosolymitanum diuino cultui esse deputatum, immo uidebant, se omnino à Iudæis contemni, quasi omnino à Deo reiecti essent. Anxia igitur mulier à Christo quærit. Primo num ad Gentes quoq; pertineat salus promissa. Secundo an ad salutem consequendam sufficiat cultus Samaritanorum, uel necessarius sit cultus Iudaicus. Atq; hic est scopus huius quæstionis.

Ex hoc autem uerbo mulieris uidemus, utranq; Gentem pro suis externis ritibus delectatam alterius religionem contempsisse, cum possibile fuerit, quod neutra interno cultu Deum coleret.

Quemadmodum & nunc maxime propter externa digladiamur, interim spiritualium omnino expertes.

Mulier

Mulier crede mihi, quia uenit hora, &c.]

Euangelicæ pietatis mysterium aperturus, primo omnium exigit fidem, sine qua nullus est auditor idoneus Euangelicæ doctrinę, nec idoneus cultor Euangelicę religionis.

Fides enim purificat corda, redditq; idonea, quibus credantur Acto. 15.
sancta mysteria. Verba igitur Christi audituro, necessaria est fides, alioqui nisi credideritis, non intelligetis. Impie igitur faciunt, qui ad Esai. 6.
uerba Christi solam rationem adferunt, quemadmodum Sacramentarij nostri, &c. Deinde non dicit Christus: Crede in me, nondum enim sciebat mulier eum esse Christum, sed: *Crede mihi*, tanquam Prophetæ, quandoquidem Prophetam me esse dixisti. Præterea etiam mulieris nomine eam compellat, quasi diceret. Tibi o mulier dicam, quod uiris nondum dixi, tibi me credam, qui nondum me credidi Iudæis: Venient dies et in proximo sunt, quos patres uestri, qui Ioan. 2.
in monte hoc adorauerunt, immo & multi Reges & Prophetæ, qui Luc. 10.
in Hierosolymis adorauerunt, non uiderunt. Vestri autem beati oculi paulo post uidebunt, quando uos, qui modo ut alieni à templo Dei, despicimini à Iudæis, adorabitis Deum inuocantes patrem, hoc est, uere cognoscetis Deum, non ut iudicem, sed ut patrem, eumq; ut talem adorabitis. Hoc igitur uerbo ad primam quæstionem respondit, nempe quod etiam ad Gentes peruentura esset salus. Non enim Iudæorum Deus tantum, sed etiam Gentium. Roma. 10.

Quod aũt addit: Necq; in monte hoc, necq; Hierosolymis adorabitis patrẽ, respondet ad alterã quęstionẽ, asserens, necq; Samariticũ, necq; Iudaicum cultũ iustificare: Quomodo enim sanguis hyrcorum Heb. 10.
posset mundare à peccatis? Deinde subindicat, utrunq; cultum in proximo cessaturum. Nam & Gentilium cultus ut impius omnino abolendus erat, & Iudæorum cultus in melius commutandus. Præterea hoc uerbo indicat, omnem de locorum prærogatiua controuersiam esse tollendam. In nouo enim Testamento non uni alicui Psal. 102.
loco alligatus est cultus Dei, sed in omni loco dominationis eius benedicitur Deus à fidelibus. Sic enim in Malachia prædixit: A solis Malach. 1.
ortu & occasu, magnum erit nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur, &c. Hæc autem summa consolatio nostra est, quod ubiq; Deum inuenire possumus: Alioqui si omnibus nobis Hierosolymam pergendum esset, quis non uidet, quam pauci salua- Luc. 19.
rentur.

Non igitur reliquit lapidem super lapidem in templo illo Hierosolymitano, ut omnes sciamus, legem illam de uno loco cultus diuini iam abrogatam, quod ad externa attinet.

Nam spiritualiter omnes nunc in uno Christo, uero Dei templo, adoramus & sacrificamus.

Vos adoratis, quod nescitis, &c.]

Ne uideatur legem eiusq; cultum & figuras damnare, distinguit inter ambos cultus. Vos, inquit, Samaritani, nescitis, quid adoretis. Merito autem hæc audiebant. Nam primo male de Deo sentiebant, putantes eum esse corporeum & localem, de quo in Actis Apostolorum, &c. Deinde cultus eorum non habebat uerbum Dei, quomodo igitur certi esse poterant, eum Deo placere? Tantum enim sequebantur propriam rationem & exempla patrum. Sic enim ratiotinabantur: Si domino placet uitulus carnalis, Hierosolymis oblatus, quanto magis placebit uitulus aureus, cum preciosior sit & diutius duret? Item, si patribus sanctis licuit in hoc monte Deo seruire, cur idem nobis non liceret? Atqui in cultu diuino non sequenda est ratio humana aut exemplum sanctorum, sed uerbum domini: Non, inquit, facies, quod tibi bonum uidetur, sed quod ego præcipio. Quod autem Iacob in monte Samariæ cultum diuinum instituit, priuilegio fidei fecit: nondum enim erat lex data, de unico loco electo. Post legem autem datam, quæ cultum Dei præscribebat, nemo ex fide poterat in alijs locis, ut in excelsis, lucis & montibus, cultum Dei instituere, nisi speciali priuilegio, quemadmodum Helias fecit in monte Carmeli.

Acto. 17.

Deut. 12.

3. Reg. 18.

Vere igitur dicit: *Vos adoratis, quod nescitis*, non enim habebant uerbum domini in cultu suo.

Præterea cultui diuino etiam immiscebant Idololatriam, simul enim colebant etiam alios deos.

4. Reg. 17.

Nos adoramus quod scimus.]

In hoc, inquit, præstat cultus Iudæorum cultui uestro, quod ipsi melius quam uos de Deo sentiunt. Item, quod illius cultum nullo prophano deorum cultu contaminant, & quod in loco ab ipso prescripto, & ritibus ab ipso traditis eum colunt.

Obserua autem, quod Christus seipsum connumerat Iudæis, tum quia secundum opinionem mulieris loquebatur, quæ eum putabat Iudæum: tum quia uere ex Iudæis natus erat: tum etiam ut ostenderet, ueros Iudæos, hoc est, confessores ad se pertinere.

Quia salus ex Iudæis est.]

Primo, quia Christus saluator omnium ex semine Dauid secundum carnem natus est. Non enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.

Heb. 2.

Secundo, quia Iudæi habebant testamenta, legis latione, adoptionem, promissiones, ex quibus etiam Christus est secundum carnem.

Roma. 9.

Tertio

Tertio, quia eam salutem, quam Christus ex Iudæis natus merue rat, Apostoli qui & ipsi Iudæi erant, orbi annunciauerunt.

Quarto, quia omnia bona orbi ex Iudæis prouenerunt: De Syon enim exiuit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Esai. 2.

Quinto, quia illorum delicto salus Gentibus contigit. Nam ipsorum delictum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ sunt Gentium: Ipsis enim Euangelium respuentibus, ad Gentes transierunt Apostoli. Roma. 11. Acto. 13.

Ob eam igitur causam monet Paulus, ne insolescamus contra eos, quandoquidem nobis salus ex eis prouenit, & ipsi aliquando iterum inserendi sunt in bonam radicem, unde excisi sunt propter incredulitatem. Roma. 11.

Sed uenit hora & nunc est, quando ueri, &c.]

Hoc uerbo uerum Dei cultum describit. Nam adorare hoc loco, non est solum orare, aut genua flectere, sed hoc uerbo simul omnia comprehenduntur, quæ ad cultum diuinum pertinent, ut sunt externo cultu Deum colere, externis præcibus inuocare, sacrificare, & ut uno uerbo dicam, Deo seruire. Cum igitur sciamus, magno præcio nos emptos esse à Christo, ut iam non nobis, sed ei uiuamus, qui nos tanti emit. Item, cum sciamus ideo Deum uisitasse & fecisse redemptionem plebis suæ, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate et iustitia coram illo, omnibus diebus nostris: congruum est, ut hoc Christi uerbum diligenter obseruemus. 1. Cor. Luc. 1.

Non raro enim contingit, quod quis putat se Deum colere, & ei gratum aliquid facere, cum nihil minus faciat. Cuius exemplum habemus in Saule, &c. In Iudæis excelsa ædificantibus, &c. In ritibus Gentilium, immo in his, qui putabant se obsequium præstare Deo, persequendo Apostolos, cum nihil minus facerent. 1. Reg. 11. Ioan. 16.

Deinde etiam ob id uerbum hoc Christi obseruandum est, quod Diabolus iam inde ab initio mundi, semper conatus est falsos cultus inducere, ut homines à uero Dei cultu abduceret, id quod uidemus factum in Gentibus, in Iudæis, immo in nobis ipsis. Singula autem uerba Emphasim habent.

Primo enim cum dicit: *Venit hora, & nunc est*, Hoc ipso uerbo se ostendit, plus esse quam Prophetam. Nam Prophetæ ut plurimum de futuris loquuntur, ut cum dicunt: Erit in nouissimis diebus, &c. Nec mirum, quod enim promittebant, hoc ipsi præstare non poterant. Esai. 2.

Christus autem non solum de futuro, sed etiam de præsenti loquitur: quia quod promittit, hoc ipsum iam præstare potest. In ipso enim sunt omnes promissiones, Amen & etiam. 2. Cor. 1.

Congrue

Congrue igitur dicit: *Venit hora, & nunc est*, quasi diceret: Nunc tempus implectionis est, apud Prophetas solum promissiones
Hiere. 17. erant, unde & plærique irridentes dicebant: Vbi est uerbum domini: Veniat, apud me autem et promissiones sunt, et exhibitio promissorum. Deinde non dicit, Omnes homines adorabunt patrem: nam etiam nunc plerique nondum cognoscunt Deum, quomodo igitur possent eum adorare?

Nec dicit, Omnes qui orant, adorabunt Dominum: plærique enim à Deo plæraq; petunt, nec tamen eum uere adorant.

Nec dicit, Omnes adoratores adorabunt eum in spiritu & ueritate. Nam & Iudæi adorant Deum, sed non in spiritu & ueritate.

Signanter igitur dicit: *Veri adoratores*, quo uerbo subindicat, multa requiri ad uerum adoratorem. Non enim in uerbis consi-
Matth. 7. stit uerus Dei cultus. Nam multi olim Christo dicent: Domine domine, quos tamen ipse non agnoscet. Sed nec in externa specie consistit cultus Dei: oportet enim ut cor adsit, immo totus homo. Tertio non dicit, Adorabunt Deum, sed Patrem. Hoc enim uerbo primo ostendit Deum, qui olim iudex erat, iam nobis mutatum esse in Patrem. Deinde latenter subindicat, quis sit uerus adorator, nempe qui Deum colit, non tantum ut Deum, sed ut Patrem, hoc est, non tantum eum externe ueneratur, sed ei credit, in eum sperat, eum diligit, & timet ut Patrem. Quarto, modum ipsum indicat uerę adorationis, cum dicit: In spiritu & ueritate. Quid autem est ado-
Rom. 8. rare Patrem in spiritu, nisi spiritum adoptionis filiorum accepisse, in quo clamamus: Abba Pater. Et quid est, adorare patrem in uerita-
Ioan. 14. te, nisi in filio eius manendo (qui dicit: Ego sum ueritas) patrem inuocare, & in nomine filij orare. Idem ergo est ac si manifeste dixisset, Veri adoratores manifesta et necessaria distinctione personarum, adorabunt unum Deum, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, immo adorabunt Patrem per Filium in Spiritu sancto. Ideo autem spiritum hic præponit ueritati, quia sicut nemo uenit ad pa-
Ioan. 14. trem, nisi per Filium: ita Filium nemo cognoscit, nisi per Spiritum
1. Cor. 12. sanctum, Nemo enim potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Immo ipsa uera adoratio proprium opus est Spiritus san-
Rom. 8. cti. Nam quid oremus sicut oportet nescimus, ipse autem Spiritus postulat pro nobis, &c. Vel aliter: Dupliciter colebatur Deus in mundo ante aduentum Christi, à Iudæis carnaliter uel uisibiliter, à Gentibus hypocritice: Videbantur enim Gentes Deum colere, cum uere esset Idololatria. Sic & Christus in uero Dei cultu duo coniungit, spiritum & ueritatem. Spiritum opponit carnali cultui Iudæorum: ueritatem autem, fictitio cultui Gentium, ut sit sensus.

Veri adoratores deinceps patrem adorabunt, non fictitio cul-

tu ſicut Gentes, ſed uero, non tamen carnali cultu, quemadmodum Iudæi, ſed ſpirituali & interno, fide ſcilicet, ſpe & charitate.

Cum itaq; dicit: Adorabunt in ueritate, tollit omnes ritus fictitios Gentilium. Cum autem addit: In ſpiritu, tollit omnes cæremonias Iudæorum, facitq; unum modum diuini cultus, ut iam nulla ſit diſtinctio inter Iudæum & Græcum, ſeruum & liberum, &c. ſed quicunq; inuocauerit nomen domini, ſaluus fiat. Vel aliter: Adorare patrem in ſpiritu, eſt corde credere ad iuſtitiam: Audorare autem in ueritate, eſt ore confiteri ad ſalutem. Vel aliter: Adorabunt in ſpiritu & ueritate, hoc eſt, in praxi, quam ſpiritus operatur, & in contemplatione. Item, Adorabunt patrem non ſecundum literam, ſed in ſpiritu, ſpiritualiter ſcilicet implentes, quæ Iudæi ſecundum literam carnaliter obſeruabant, non carnē circuncidentes, ſed cor: non pecora offerentes irrationalia, ſed corpora propria hoſtiā uiuā, ſanctam, ꝛc. En habes paucis expreſſum, quis ſit uerus cultus Dei. Si igitur quæris montē aliquem, cœlo propinquum, uel templū aliquod ſacrum, in quo certo exaudiaris: In cor tuum deſcende, cura, ut tu templum Dei ſis, illic ora, ſacrifica, immo potius ad Chriſtum accede, qui uerum eſt Dei templum, ac in ipſum crede, in nomine eius pete omnia: hoc enim uere eſt ſpiritu & ueritate adorare.

Rom. 3. Rom. 10. Ibidem. Hiere. 4. Rom. 12.

Nam & pater tales quærit, qui adorent, &c.]

Hoc eſt, non contentus eſſe uult deinceps externo tantum cultu, ſed maius quid & perfectius exigit. Neq; id mirum. Primo enim externus cultus uel honor, non eſt uerus honor, id quod etiam in externis uidemus. Externe enim interdum eos honoramus, quos odimus. Secundo, cum Deus ſe nobis plus manifeſtauerit, quam ueteribus illis: Iure etiam maiorem & perfectiorem à nobis cultum exigit. Illi enim eum cognouerunt ut Deum, nos autem eum cognoſcimus ut patrem. Tertio ipſum tempus exigit perfectiorem cultum: Quamdiu enim paruuli eramus (inquit Paulus) ſub elementis mundi huius eramus ſeruientes, immo ſub tutoribus & actoribus eramus, &c. Cum autem iam aſsit plenitudo temporis, congruit, ut ad maiora tendamus, quemadmodum Paulus: Cum, inquit, eſſem paruulus, ſapiebam ut paruulus, &c. Cum autem factus ſum uir, euacuaui quæ erant paruuli, &c.

Galat. 4. 1. Cor. 13.

Ad hanc igitur regulam expende cultum noſtrum, & uide num Iudaico uel Chriſtiano cultui ſimilior ſit, &c.

Immo certus ſis, te nondum uerum eſſe adoratorem, etiam ſi omnia externa exactiſsime obſerues, niſi adores Deum in ſpiritu & ueritate.

Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant, &c.]

Hoc

Hoc uerbo rationem adfert prædictorum. Si enim Deus corporalis esset, uno in loco eum coli oporteret: Nunc autem quia spiritus est, nulli uni loco est alligatus. Deinde si corporeus esset, fortasis delectaretur pecudum uictimis: Nunc autem cum sit spiritus,
Psal. 49. nihil horum curat, ideo in Psalmo dicit: Non suscipiam de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos: Meæ sunt omnes feræ syluarum. Si esuriero non dicam tibi, &c. Et subdit: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Præterea, si Deus esset corporeus, fortasis delectaretur in puritate corporali, in parietibus templorum, in externis canticis & cæremonijs, organis, &c. Nunc autem quia spiritus est, maius quid exigit, nempe cor & mentem, imo totum hominem, alioqui etiam nobis dicet: Populus hic frustra
Esai. 29. me colit, nam labijs me honorant, cum cor eorum longe absit.

Scio quia Messias uenit, qui dicitur Christus.]

Samaritani habebant libros Moysi, ideo sciebant promissum quendam insignem Prophetam. Sic enim Iacob prædixit: Non auferetur sceptrũ de Iuda, etc. donec ueniat qui mittendus est. Et Moy-
Gene. 49. ses ipse: Prophetam suscitabit uobis Deus de fratribus uestris, &c.
Deut. 18. Dupliciter igitur possumus hoc uerbũ mulieris intelligere. Primo, ut quod Christus dixerat tanquam arduum quid, & nihil magnopere ad rem pertinens, in aliud tempus reiecerit, quemadmodum hi qui nostro tempore scripturæ sanctæ lectionem, uerbiq; diuini auditum eo usq; differre uolunt, donec uel per Concilium definiatur, uel Prædicatores concorditer doceant, nullam interim curam salutis agentes, &c. Melius autem intelligitur, quod mulier hoc uerbo ipsum Messiam inuestigare uoluerit. Sciebat eum uenturum, audierat autem à Christo nunc horam esse, ut ueri adoratores in Spiritu sancto adorarent Patrem, è quo uerbo colligebat, Messiam iam adesse.

A Christo igitur petit, ut si ipse esset Messias, ingenue fateretur: Sin autem saltem ostenderet ubi eum inuenire posset, ut uel tandem optatam conscientiq; quietem recuperare posset. Christus igitur
Ioan. 10. qui Iudæis sæpius importune quærentibus obscure respondit, huic studiosæ quærenti, se ipsum manifeste ostendit.

Ego sum, qui loquor tecum.]

Breue uerbum, sed efficacissimum. Fatendo enim se esse Messiam, quid aliud innuit, quam se esse eum, qui uere à Deo unctus sit in regem & sacerdotem: adeo, ut ad se confugientes, ne dum possit defendere, ut rex, sed etiam Deo reconciliare, ut uerus sacerdos.

Quid autem dulcius audire posset, conscientia territa peccatis, &
Luc. 7. iudicio Dei? Sic peccatrix illa tam diu flebat, donec à Christo audiret uerbum: Confide, remittuntur tibi peccata tua. Sic latro in cruce

breue

breue uerbum audiens, ſecurus moriebatur. Sic hæc mulier hac una uoce Chriſti, non ſolum plenam iuſtificationem accepit per fidem, ſed etiam certificatur in conſcientia ſua, hunc uerum eſſe illum Chriſtum, qui eſt iuſtitia, ſanctificatio, redemptio noſtra. Hæc eſt illa uox, quam ſi Chriſtus in cor noſtrum loquatur, fieri non poteſt, quin ſummam gratię diuinæ dulcedinem ſentiamus, adeoq; omni gaudio cœleſti perfundamur. Fœlix igitur, qui in nouiſsima mortis anguſtia, hanc uocem audire meretur. Sicut enim mulieris illius conſcientiam nihil aliud uſpiam pacificare potuit, ſed ſola hæc & admodum paruula uox Chriſti, mortificatam uiuificat, deſperatam conſolatur, triſtem lętificat, turbatam pacificat. Lucæ 23.

Ita & nos peccatis obruti, in mortem & deſperationem coniecti, non aliam habemus uitam aut conſolationem, quàm in Chriſto Ieſu per Euangelium. Eſt enim Euangelium potentia Dei, ad ſalutem omni credenti. Hinc ſponſa petit: Oſtende mihi faciem tuam, ſonet uox tua in auribus meis, &c. Rom. 1. Cant. 2.

Vt igitur tempore anguſtiæ uocem illam audire mereamur, ſtudeamus & nunc eam crebro audire, &c.

Et continuo uenerunt diſcipuli, & mirabantur]

Phariſaicæ ſuperſtitionis nonnihil adhuc habebant diſcipuli, putabant enim non communicandum eſſe Gentilibus. Nondum enim ſciebant myſteriũ illud à ſæculo abſconditũ, Gentes ſcilicet eſſe cohęredes promiſsionum. Sic & poſtea reuelato Spiritu ſancto, mirabantur, quod etiam Gentibus dediſſet Deus pœnitentiam ad uitam. Quod autem non temere quęrunt, cur cum muliere loquatur, nihilq; mali ſuſpicantur, reuerentia eſt erga præceptorem: Alioqui ſi Phariſæis ſimiles fuiſſent, ſtatim dixiſſent: Ecce hominem ſocium Publicanorum & meretricum. Item, Si hic eſſet Propheta, ſciret utiq; quæ & qualis eſſet mulier hæc, quia peccatrix eſt. Hic itaq; diſcamus, quales nos exhibere debeamus in cõſyderandis operibus, et iudicijs Dei. Mirari debemus, ſed tacere: Quis enim tu es qui reſpondeas Deo? Ephes. 3. Act. 11. Matth. 11. Luc. 7. Rom. 9.

Reliquit ergo mulier hydriam ſuam]

Hic uidemus, quos fructus ex ſe producat uera fides. Primo enim mulier cognito Chriſto, obliuiſcitur prioris et ſitis & aquę. Secundo, etiam hydriam relinquit. Tertio, totam ciuitatem implet bona fama Chriſti. Quarto, alios ſecum ad Chriſtum adducit.

Sic qui ſemel guſtauerit Chriſtum, eumq; per fidem acceperit, is primo obliuiſcitur eorum, quæ prius male ſitiebat, quemadmodum Paulus ſitiens, & ſpirans minas & cædes Chriſtianorum, cognito Chriſto, ſtatim obliuiſcebatur eorum, quæ Pontifices mandauerant, ſed ad Dominum conuerſus: Domine, inquit, quid tu me uis facere? Act. 9.

Sic Matthęus prius ſedens in Theloneo, ſitiens pecunias, uocatus à Chriſto, ſtatim ſurgens ſecutus eſt. Secundo qui aquam, quam Chriſtus dat guſtauerit, etiam hydriam negligit, hoc eſt, uel temporalia & terrena, ſicut Petrus: Ecce, inquit, nos relinquimus omnia, uel corpus proprium, quod Paulus fas fictile, Salomon aũt hydriam conterendam nominat. Talis enim homo etiam corporis & uentris curam abñciens, pro anima ſollicitus eſt. Quantumcunq; enim hydriam corporis ornes & foueas, tamen ſcito eam conterendã in proximo. Hinc Chriſtus monet: Theſaurizate uobis theſauros in cœlo. Et iterum: Primum quærite regnum Dei, &c. Tertio, qui ad bonum uerbum Dei ſemel guſtauit, ad ciuitatẽ pergit, hoc eſt, ad ciuium unitatem, Eccleſiam ſcilicet, quemadmodum & Saulo dicitur: Vade in ciuitatẽ, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Poſtremo etiam alios ad Chriſtũ adducit, non abſcondens in terra pecuniam Domini ſui, quemadmodũ infidelis ille ſeruus, ſed adimplens illud Petri: Vnuſquiſq; ſicut accepit gratiã, in alterutrũ illã adminiſtrantes, etc. Talem ſe exhibuit in exordio Eccleſia illa ex Gentibus collecta. Audito enim Chriſti nomine, ſtatim curam carnis in concupiſcentñs facere oblita eſt, cupiditatem ſuam uel curioſitatem, quam inani Philoſophia uel fluxis rerum temporalium uoluptatibus implere ſatagebat, abiecit, omnicq; onere depoſito, ſolũ Chriſti nomen pectore & ore baiulans, mundum omnem clamore boni nuncij impleuit, inuitans ad credendum, feſtinans ad generandum ſpiritualium turbam filiorum: adeo, ut grande miraculum fieret omnibus mundi amatoribus, immo in tantum prævaluit in ea uirtus aquæ uiuæ, ut non ſolum cupiditates abiectas rurſum bibere non appeteret, ſed etiam ipſa animarũ fictilia uaſa, corpora ſcilicet, ſponte abñceret, ac in mortem traderet: Sic multitudo martyrũ coronata eſt. Vide aũt, quàm nihil horũ fructuũ nos proferamus. Tantummodo enim etiam nũ ſitimus temporalia, quaſi nihil adhuc audierimus de meliori illa & uiua aqua. Deinde adeo corpus curamus, quaſi neſciamus, nos animam habere, &c. Quomodo igitur poteſt in nobis eſſe uiua fides, quæ tam nihil uitalium operum oſtendit?

Matth. 11. 2. Cor. 4. Eccleſ. 12. Matth. 6. Act. 9. Matth. 25. 1. Pet. 4. Rom. 13.

Venite, & uidete hominem, qui mihi dixit, &c.]

Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi, quæ enim paulo ante ſcortum erat, nunc fit Apoſtola: & quæ prius alios ad peccata alliciebat, nunc eonuerſo omnes ad Chriſtum trahere cupit.

Pſal. 76.

Vide autem emphaſim uerborum. Primo enim dicit ſe inueniſſe Meſsiam, ne forte quis propter eius leuitatem minus crederet, ad uidendum igitur & audiendum eos prouocat. Deinde cum Chriſtus unum tantum ei peccatum reuelaſſet, ipſa tamen ut fortius moueret homines, Dixit (inquit) mihi omnia quę feci. Ex uno enim reue-

lato,

lato, non dubitabat etiam alia eum scire. Præterea, non assertiue dicit eum esse Christū, sed interrogatiue, uolens nimirum, ut ipsi rem diligentius attenderent. Ex hac igitur muliere discamus, ne quis de se uel de alio desperet. Qui enim mulierem hanc tam cito potuit conuertere, poterit et nos in melius mutare. Semper igitur orandum est: Conuerte nos Deus salutaris noster, &c. Psalm. 84.

Exierunt ergo de ciuitate, & uenerunt, &c.]

Hęc Samaritanorum facilitas ad credendum, Iudæorum duritiam, immo malitiam arguit, qui quamuis ex lege & Prophetis scirent Christum uenturum, uiderentq; Ioannem digito monstrare Iesum, immo ipsum Christum uiderent miracula facientem: non tamen accurrebant, immo etiam mortem ipsi meditabantur. Samaritani autem, cum nihil horum haberent, ad unius mulieris, immo & peccatricis uerbum, certatim exierunt ad Christum, & quem Iudæi extra suam ciuitatē ejecerunt, & crucifixerunt, huic hi obuiam exeunt, & in ciuitatem recipiunt. Merito igitur dicit Christus: Si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes, &c. Itemq;: Viri Niniuitæ surgent in iudicio, & condemnabunt generationem hanc, &c. Matth. 11. Matth. 12.

Et nos igitur exemplo Samaritanorum, exeamus ad Christum extra castra, improperium eius portantes. Stat enim & expectat, immo uocat nos: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Heb. 13. Matth. 11.

Itemq;, Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, &c. Eccles. 24.

Interea rogabant eum discipuli, &c.]

Quamuis fatigatus esset Iesus & esuriret, non tamen comedit, plus desiderans salutem hominum, quàm corporis quantumuis necessarium cibum. Vt uel hoc suo exemplo discipulos, eorumq; successores admoneret, quanta sollicitudine sibi cōmissas oues curare deberent: Maledictus enim, qui facit opus Domini negligenter. Hier. 48.

Ob eandem causam & tertio interrogauit Petrum, Num se amaret, quasi diceret, Si non me amas, & tuo & aliorum periculo pastor eris. Vbi interim uide oscitantiam nostram, qui nihil horum cogitamus. Ioan. 21.

Deinde quod discipuli Christo doctori & cibos offerunt, & rogant, ut comedat, exemplum est charitatis, ne pigeat nos his terrena impendere, à quibus spiritualia accepimus. Hinc Paulus: Communicet autem is qui cathechizatur, ei qui se cathechizat in omnibus bonis &c. Rom. 15. Galat. 6.

Ego cibum habeo manducare, quem uos nescitis]

Christus ubiq; captat occasionem, homines à corporalium rerum cura ad spiritualium studium euehendi, quemadmodum

ſupra mulierem ex mentione aquæ, pellexerat ad cognitionem Euangelicæ fidei. Ita hic diſcipulos adhuc rudes, ex occaſione cibi prouocat ad ſtudium euangelizandi. Sic & in alijs locis ita ubiq; condeſcendit paruulis, ut non omittat, qualemcunq; rem occaſio ſibi obiecerit, quin per eius ſimilitudinem, illis quaſi præ oculis exhibeat inuiſibilia myſteria regni Dei.

Quid enim omittit, qui non regum nuptias, nec piſcatorum ſagenas, non Margaritas negociatorum, nec ueteres utres uinariorum, non ficus aut uineas, immo ne granum ſynapis, quod omnium minimum eſt, prꝛterit? Ita de ſingulis ſimilitudines cœleſtium carnalibus explicat, ut tanquam in notis & uulgaribus ſpeculis ſolis imaginem uideant, qui eius ſplendorem ægris oculis non uident.

Nunquid aliquis attulit ei manducare?]

Qualis unuſquiſq; eſt, talia & loquitur & ſentit. Hinc Apoſtoli adhuc carnales, de carnali cibo loquuntur, & ſermonem Chriſti carnaliter intelligunt, quemadmodum & ſupra de muliere audiuimus. Frequenter autem Chriſtus obſcure loquitur, ut hominem excitet ad ulterius quꝛendũ. Doctrina enim Chriſti non oſcitãtem, ſed ſtudioſum et uigilantem auditorem requirit. Ex hoc autem uerbo colligimus, Chriſtũ oblatos ab alijs cibos accipere conſueuiſſe, non quod ipſe talium indigeret. Ipſe enim eſt, qui dat eſcam omni carni, ſed ut offerentibus merces multiplicaretur.

Supra c. 4.

Pſal. 135.

Sic à nobis exigit opera bona, non quod ipſi hinc aliquid fructus accreſcat (Bonorum enim noſtrorum non eget) ſed ut eo copioſius nos remunerare poſsit.

Pſal. 15.

Meus cibus eſt, ut faciam uoluntatem, &c.]

Quaſi diceret, Non ideo in mundum ueni, ut aliud non agam, quàm ut edam, bibam, & cutem curem, &c. ſed aliud eſt quod ego eſurio, quod ardentiſsimis uotis deſidero, multo amplius quàm famelicus cibum, quodq; multo amplius me delectat, quàm quicunq; cibus corporis, nempe, ut faciam uoluntatem, &c. Voluntas autem Patris eſt, ut omne quod dedit mihi, non perdã ex eo, &c. Immo uoluntas Patris eſt, ut eos quos ab æterno prædeſtinauit per me filium ſuum, in tempore uocaret, iuſtificaret, glorificaret.

Ioan. 6.

Rom. 8.

Vt perficiam opus eius]

Opus Dei ſecundum aliquos eſt ipſa lex, quam Chriſtus adimplere uenerat. Vel aliter, & melius: Opus Chriſti ſpeciale eſt homo, atq; adeo ipſius hominis ſaluatio.

Matth. 5.

Hoc opus in Paradyſo quidem cœptum erat, ſed non perfectum, impediente Diabolo, & interueniente peccato. Miſſus igitur erat

Geneſ. 3.

filius

filius Dei, ut hoc opus perficeret, quod tamen fieri non poterat, niſi ipſe pro homine moreretur. Indicat igitur Chriſtus hoc uerbo, ſibi non ſolum iucũdum eſſe, homines uocare ad gratiam, ſed etiam pro hominibus mori, ut opus Dei perficiatur: Quaſi diceret, cum uideam Gentes ſalutis ſitientes eſſe, optarem uel nunc mori, ut eo citius ſalus ad Gentes peruenireț. Obſerua igitur circa hoc uerbum, inſignem & ineffabilem Chriſti dilectionem, qui ſalutem noſtram dicit eſſe cibum ſuum. Per hoc autem iterum diſcipulos admonet ſollicitudinis & dilectionis, quam paſtor debet ouibus ſuis. Ioan. 10.

Deinde hoc ipſo uerbo nos ad bonum incitat. Si enim cibus eius eſt, facere uoluntatẽ Patris, ergo qui Dei uoluntatẽ facit, Chriſtum cibat. Vides igitur, te non fruſtra laborare. Item ſi Chriſti cibus eſt, pro hominum ſalute mori, ergo Chriſtum cibat, qui proximo benefacit. Huc pertinet, quod alibi dicit: Quod uni ex minimis meis Matth. 25. feciſtis, mihi feciſtis. Poſtremo etiam conſolatur nos hoc uerbum. Sicut enim Chriſti paſsio, uoluntas, & opus Patris eſt: ita paſsio omnium qui ſunt Chriſti, uoluntas & opus Patris eſt. Hinc Paulus Col. 1. dicit ſe implere id, quod deerat afflictionibus Chriſti.

Ergo ſicut Chriſtus per paſsionem glorificatus eſt, ſic glorificabuntur & hi, qui in Chriſto ſunt. Diſcant igitur hic filij adoptiui exemplo naturalis filij Dei, quanto ſtudio implenda ſit uoluntas Dei.

Diſcant deinde, ut eum præcipue cibum Deo offerant, quem ipſe deſiderat, hoc eſt, ea agant, non quæ ipſis bona uidentur, ſed quæ ipſe exigit, nempe ut uoluntatem Patris faciamus.

Huc pertinet figura de Iacob & Eſau, quorum primus à matre Geneſ. 27. edoctus, cibos Patri offerens, quibus libenter ueſcebatur, benedictionem reportauit, cum interim alter fruſtra uenationem ſequeretur. Sic ſunt quidã, qui magna et ardua moliũtur, nihil interim curantes de his, quæ Deo placent, uerũ fruſtra laborant. Hinc in Michæa, Mich. 6. quærenti cuidam quid dignum poſſet offerre Deo, &c. reſpondit Propheta, Oſtendam tibi, ô homo, quid ſit bonum coram Deo: Nihil curat magnas illas uenationes tuas, ſed hæc exigit, nempe facere iudicium in teipſo, diligere miſericordiam, quo ad proximum, & ſollicitum ambulare cum Deo, &c.

Sicut igitur Chriſtus uoluntatem Patris perficiens, benedictionem promeruit omnium Gentium, ſic à Chriſto benedici non meretur, qui non facit uoluntatem Patris: Non, inquit, omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, ſed qui facit uoluntatem Patris, intrabit in re- Matth. 7. gnum cœlorum.

Nonne uos dicitis, quia adhuc quatuor, &c.

Sicut ſupra ſub nomine aquæ & cibi, ad ſpiritualia nos prouocauit: ſic hic ſub nomine meſsis, idem facit. Eſt autem correctio, quaſi diceret, Vos dicitis meſſem procul abeſſe, quatuor ſcilicet menſibus, at

ego dico eam prope adesse.

Leuate oculos uestros, & uidete regiones]

Quasi diceret, Videte Samaritanos, quomodo exeant, properent, & sitiant salutem: digni profecto, qui in horreum Domini recondantur. Hoc autem uerbo respondet ad cogitationes discipulorum, immo ad futuras calumnias Iudæorum, quasi diceret. Miramini, quod cum muliere loquutus sum, & nunc magis admirationi uobis erit, cum uideritis me apud Samaritanos cõmorari, immo Iudæi hoc factum calumniabuntur. Atqui uidetis, quod quasi uiolenter rapiunt ad se regnum Dei, tanta est eorum deuotio, ut non possim eis denegare me ipsum, quamuis sciam me potissimum ad oues domus Israël à Patre missum. Sicut enim infidelis dispensator esset, qui maturas segetes non in horreum Domini conueheret, sed perire sineret in agro: sic ego officio meo & uoluntati Patris non satisfacerem, si eos qui tantopere sitiunt gratiam, uacuos remitterem. Deinde hoc uerbo etiam Apostolos prouocare uult, ut et ipsi sitiant hominum salutem, quasi diceret. Quis non libenter metat, si uideat labori suo respondere fructum? Quis non libenter salutis uiam monstret his, qui eam auide sitiunt & quærunt? Atqui leuate oculos mentis, uidete regiones, nõ unam, sed omnes: quoniam albæ sunt ad messem, quales enim hos Samaritanos uidetis, tales ubiq; inuenietis, qui cupide uerba uestra audient, tantũmodo ne cessetis. In hunc modum etiam Moysen de futuro successu olim prȩmonuit, ut alacrior opus aggrederetur, immo & Hieremiam & Ezechielem. Præterea hoc uerbo pulchre sub nomine messis Apostolorum officium adumbrauit. Primo enim sicut messem præcedere consueuit seminatio, sic prȩdicationem Euangelij, præcedit lex in peccati cognitionem ducens. Secundo, sicut metere non possumus ante maturitatem segetum, sic frustra prædicatur Euangelium his, qui nondum sunt maturi, hoc est, non sitiunt aut quærunt salutem. Hinc Christus: Nolite sanctum dare canibus, &c. quod idem est, ac si dicat, Nolite metere, ubi uidetis nondum maturas segetes. Tertio, sicut in messe omnes fructus non messoribus, sed domino agri aduehuntur: Sic in officio Apostolorum omnis fructus ad Deũ refert: Quid, inquit, est Paulus? quid Apollo? Ministri Christi sunt, &c. Quarto, sicut in messe una cum tritico inuehuntur & paleæ & stramen, immo etiam immixta zizania. In horreo autem expurgãtur: sic per prȩdicationem Euangelij, & boni & mali in Ecclesiam introducũtur, qui tamen in fine procul à se inuicem separandi sunt. Quinto, sicut è messe huius anni seruantur semina ad futuram messem: sic Apostoli ex his, quos Domino messuerunt, aliquos reseruarunt, qui postea in futurum meterent, quemadmodum Paulus post se reliquit, quasi semina quædam futuræ

Matth. 11.

Matth. 15.

Exod. 3.

Rom. 7.

Matth. 7.

1. Cor. 3.

Matth. 13.

messis,

meſsis, Timotheum & Titum. Inſuper cum Chriſtus dicat, iam adeſſe meſſem, differentiam ponit inter uetus & nouum Teſtamentum. Sicut enim meſsis longe appetibilior eſt quàm ſeminatio, ſic nouum Teſtamentum longe præſtantius eſt ueteri. In ueteri ſiquidem Teſtamento pauca quædam ſemina habuerunt ſancti, hoc eſt, paucas promiſsiones: Nos autem copiam frugũ, hoc eſt, ſcripturarũ ſanctarum habemus. Item in ueteri lege patres primo acceperunt ſemen, hoc eſt, uerbum Dei: In nouo, Apoſtoli idem uerbum Dei per orbem euulgarunt.

In ueteri Teſtamento plurimum laboris fuit: Circuibant enim tanquam peregrini & aduenæ. Itemq; euntes ibant & flebant propter abſentem Chriſtum, mittentes ſemina ſua. Nihil tamen fructus uidebant, niſi in ſpe. Nam à longe ſalutabant promiſſam patriam: Omnes enim mortui ſunt, non acceptis promiſsionibus, &c. Summa, in ueteri lege ſeminatum eſt. Nam lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, & quæcunq; in illo tempore fiebant, erant quaſi ſemina futurorum in Chriſto reuelandorum. In nouo igitur Teſtamento metitur, quod in ueteri per umbras ſeminatum eſt: Vt. Benedictio horrei & agri, quę olim ſeruantibus legem promittebatur, ſemen eſt: Benedictio uero ſpiritualis, qua benedixit nos Pater in cœleſtibus, meſsis eſt. Terra Canaân ſemen eſt, terra æternæ patriæ eſt meſsis. Heb. 11. Pſal. 125. Heb. 11. Galat. 3. Epheſ. 1.

Pax externa, ſemen eſt: Pax conſcientiæ meſsis. Remiſsio peccatorum cæremonialium, eſt ſemen: Remiſsio uerorum peccatorum, eſt meſsis. Ideo Iſaias de nouo Teſtamento dicit: Lętabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, &c. Iſa. 9.

Monet igitur Chriſtus, ut leuemus oculos, et attẽdamus quæ et quanta donata ſint nobis. Vere enim nunc hyems tranſijt, imber abijt & receſsit, &c. Hinc Paulus: Hora eſt de ſomno ſurgere; nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus. Vide igitur, ne pigrum illum imiteris, qui in meſſe non colligit, merito eſuriturus in hyeme: quin potius imitare formicã, quę in æſtate parat cibum ſuum. Cant. 2. Rom. 13. Pro. 6.

Demum admonemur hoc uerbo etiam alterius meſsis, quæ in fine mundi erit, in qua meſſores erunt Angeli, qui colligent malos è medio iuſtorum, & zizania è medio tritici ſegregabunt in æternum interitum. Merito igitur monemur, ut leuemus oculos, præcogitemus futurum iudicium & mortem: Nam utrunq; præ foribus eſt. Vere enim regiones albæ ſunt ad meſſem, & nouiſsima hora eſt, in proximo iudicium Dei ſe manifeſtabit: Cum, inquit, dicent: Pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ueniet interitus. Matth. 13. 1. Theſſ. 5.

Et qui metit, mercedem accipit]

Non facile laborioſum aliquid aggreditur homo, niſi ſciat fructum aliquem inde ſecuturũ: Nam ſpes mercedis hominẽ ad laborẽ trahit.

Genes. 15. Sic Abraham egressus de terra sua, promissionibus Dei confidens:
Matth. 19. Domine Deus, inquit, quid dabis mihi? Et Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? Eadem poterant & hic dicere Apostoli. Præuenit igitur eos, & ostendit laborem eorum insigniter remunerandum. Primo, inquit: *Qui metit, mercedem accipit.*
Matth. 10. Hoc intelligi potest de illa mercede, de qua dicitur: Dignus est operarius cibo & mercede sua. Significat igitur studiose laborantibus in messe Domini non defutura temporalia, quemadmodum & Petro
Mar. 10. dixit: Qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet in hoc sæculo. Sic enim Apostoli pro uno parente relicto, centũ, immo innumeros acquisierunt, qui corpori necessaria offerrent, &c.

Secundo, Qui metit (inquit) non tantum mercedem accipit, sed etiam colligit. Quid autem maius uel optare possemus, quàm ut omnia nostra opera bona *ita in unum* colligerentur, ut ne unum quidem excideret. Alij dispergunt sua, quantumcunq; etiam uideLuc. 11. antur colligere. Qui enim non colligit cum Christo, dispergit. Hinc
Lucæ 12. diuiti auare colligenti contra Deum, dicitur: Stulte, quę congregasti cuius erunt? Tertio colligit fructum in uitam æternam. Vides quàm non frustra laborent Apostoli, hic accipiunt corporalia, & in futuro æternam uitam. Consydera hic Dei benignitatem, poterat nihil non arduum nobis imponere, utpote seruis emptitijs, sine mentione præmij, at ipse econtra leuia quidem imponit, & immensa promittit.

Vt simul gaudeant, & qui seminat, & qui metit]

Ne quis seminatores illos ueteris Testamenti, qui ad hanc messem non peruenerunt, putaret ab hac remuneratione excluſos, addit, eos simul gauisurus cum Apostolis: Neutri enim carebunt fructu suo. Non enim erit sicut in externis, ubi plærunq; non ad eum, qui seminauit, sed ad aliũ aliquẽ deuenit fructus messis. Illic enim messor quidem gaudet, sed diseruciatur seminator: hic aũt simul gaudebunt. Consolatio est Prędicatoribus, immo omnibus Reipublicæ seruientibus, quod etiamsi parum fructus eorum labores consequantur, tamen ipsi præmio suo apud Deum non carebunt.

In hoc enim uerum est uerbum, &c.]

Prędmonet Apostolos, ut sciant, se non semper sementem suam ad maturitatem perducturos, quemadmodum nec Prophetæ, ut eo facilius ferant hominum uel duritiam uel ingratitudinem, neq; ob id a labore cessent, sed semper bene sperent in futurum.

Ego misi uos metere, quod non seminastis]

Probat quod dixerat. Sunt autem uerba emphatica. Primo, *Ego*, inquit, *uos misi*, hoc est, non uestro merito in hoc officiũ electi estis,

ut

ut infra dicit: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos. Secundo, *Misi uos metere*, quasi diceret, Labor uester nedum minor est eo, quem Prophetæ habuerunt, sed etiam delectabilior: quia fructum habet & affert secum. Si igitur Prophetæ ad suos illos magnos & iucundos labores tam alacres & strenui fuerũt, quid uobis agendum est: Tertio addit: *Quod non seminastis*. Non tanta pertulistis, ut ueteres illi. Nec enim de terra uestra egressi estis, quemadmodũ Abraham, ut uobis extra domum seminantibus surgeret messis, id est, benedictio, qua uniuersæ cognationes terræ benedicuntur. Nec scientiam uel Prophetiam habuistis, ut possetis seminare, immo hactenus fuistis homines sine literis idiotæ, nec agrum Domini uel uerbo uel opere colere sciebatis. Monet igitur hoc uerbo discipulos, ut gratiæ Dei ascriberent, quę per eos facturus esset Deus.

Alij laborauerunt, & uos in labores, &c.]

Non dicit, Alij seminauerunt, sed laborauerunt, ut indicet, non solos Apostolos laboraturos. *Et uos in labores eorum introistis:* Hoc est, quæ illi incœperunt, uos complere habetis: Illi Christum uenturum prædixerunt, uos Christum uenisse prædicabitis. Docet igitur hoc uerbo, etiam Prophetarum uoluntatem fuisse, homines ad Christum adducere, itemq; pulchre inter se conuenire nouum & uetus Testamentum. Non enim aliud docent Apostoli, quàm Prophetæ, sed in eundem laborem successerunt, licet clarius omnia doceant. Sic & in generali etiam nunc uerbum istud in omnibus nobis uerificatur. Vere enim alij pro nobis laborauerũt, Christus patiẽdo, Apostoli scribendo et prędicando, &c. Nos autem laboribus eorum fruimur, utinam fœliciter & grato animo.

Ex ciuitate autem illa multi crediderunt]

Hic uides, quæ sit messis illa, de qua supra dixit, & quomodo Samaritæ fuerint albi ad messem & maturi: Quia, inquit, crediderũt in eum, magna de eo sentiebant, magna de ipso sperabant, ipsum desiderabant, &c. hæc erat maturitas illius messis: Vnde & Christus statim apposuit manum.

Sed qui nam fuerunt hi: profecto non Iudæi, sed Samaritani. Sic igitur impletum est illud Isaiæ: Quęsierũt me, qui prius ignorabant: Isa. 65.
Inuenerunt, qui non quæsierunt me, econtra autem tota die expandi manus meas ad populum non credentem, &c. Ad maiorem autem ipsorũ laudem facit, quod non unus aut alter, sed multi crediderunt: Vna enim arista non facit messem. Multi igitur ex Gentibus credunt, cũ interim Prophetæ omnes clament contra paucitatem Iudæorũ credentium: Væ mihi, inquit Michæas, quia factus sum quasi
O qui racemos colligit, &c. Et Hieremias: Væ mihi mater mea, ut Mich. 6.

quid

Hiere. 15. quid me genuisti, &c. Omnes maledicunt mihi, &c. Præterea etiam hoc Samaritanos illos commendat, quod ex una ciuitate tam multi
Gene. 18. credũt, cũ tempore etiã Loth in quinque ciuitatibus non potuerint inueniri decem uiri iusti, immo in Hierusalem tanta tamq; sancta ciuitate, ne unus quidem inueniri potuerit, qui faceret iustitiam &
Hiere. 5. ueritatem: Circuite (inquit) uias Hierusalem, si inueniatis unum, &c. Sed unde Samaritanis illis tanta fides? Ex uerbo mulieris. Fides
Rom. 10. enim ex auditu, alioqui quomodo crederent in eum, de quo nihil audissent? Quale autem fuit uerbum mulieris? Dixit mihi omnia, quæ feci: hoc uerbum, quod alios à Christo alienasset, ne ab ipso confunderentur, hos ad Christum adduxit.

Conscientia enim territa, non curat, si externe pudefiat, dummodo remedium inueniat. Qui autem peccatum non sentiunt, occultant, tegunt, ne confundantur. Verum hoc nihil illis proderit
Heb. 4. coram Deo: Eius enim oculis omnia nuda & aperta sunt. Quanto igitur satius erat, ad tempus modico rubore suffundi, quàm perpetuam confusionem portare? Omnia autem hæc ideo tam exactè describit Euangelista, ad maiorem confusionem Iudæorum:
Matth. 9. Vere enim Christus non inuenit tantam fidem in Israël. Deinde hoc exemplo Samaritanorum, nos excitare uoluit ad similia, &c.

Cum autem uenissent ad eum, rogabant, &c.]

Vnde alienigenis illis & peccatoribus tanta fiducia, ut Christum auderent interpellare? Nimirum ex his, quæ à muliere audierant. Deinde cum uiderent eum non repulisse mulierem, sperabant etiam se admittendos.

Sic ex Dei bonitate, quam in scriptura audimus, & in multis peccatoribus uidemus, etiam nos concipimus fiduciam adeundi ad Iesum: Alioqui, nisi ipsius misericordia nobis perspecta esset, quis auderet appropinquare, nedum aliquid petere? Sic & olim fratres ipsius Ioseph, peccatorum suorum memores non ausi fuerunt ipsum
Genes. 45. interpellare, donec uidebant, eum omnis simultatis oblitum, in oscula ipsorum ruere.

Obserua autem, quod Gentiles illi nihil terrenum à Christo petunt, sed ut apud eos maneret. Quis eos hoc petere docuit, nisi fides?
Psal. 26. Hæc enim non terrena quærit, sed ipsum Deum: Tibi, inquit, dixit cor meum, quæsiui uultum tuum, &c. Et Moyses: Si inueni, inquit,
Exod. 34. gratiam, ostende mihi faciem tuam. Scit enim fides ei qui Deũ habet,
Psal. 15. nihil bonorum deesse posse: Dominus, inquit, pars hæreditatis meę, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Nihil unquam tale Hierosolymitę à Christo petierũt: quid igitur mirum quod eos reliquit? Aliquando inuitarunt eũ ad mensam, sed inuidiosè: Aliquando cum
Lucæ 14. tota die prædicasset, cogebatur uesperi exire in Bethaniam.

Tandem

Tandem etiam uiolente & cum pœna, eiecerunt eum extra ciuitatem: In illa enim ciuitate uulpes foueas habebant, & uolucres cœli nidos, id est, malitiosi & superbiæ pennis elati dæmones, mentium infidelium hospitia compleuerant. Filius autem hominis non habebat in ea, ubi caput reclinaret. Matth. 8

Obserua item, quàm dissimiles hi Samaritani fuerint Gerasenis illis, qui Dominum rogabant, ut excederent de regione illorum: Hi autem rogant, ut maneat. Matth. 8.

Et mansit apud eos duos dies]

Hic uides, quod Christus facile se teneri patitur ab his, qui sincero corde eum quærunt: Alioqui, qui in Christo nihil aliud quàm externa quærunt, quemadmodum Nazaritæ, qui uolebant, ut patriam suam miraculis illustraret: Vel qui insidiose quærunt, ut Pharisæi, hos fugit. Deinde hic uides, quod nullius quantumuis etiam peccatoris dedignatur hospitium, dummodo is eum roget, id quod summa consolatio nostra est. Manst autem duos dies non unum tantum, ut ostenderet se his, qui eum uere quærunt & in præsenti & futuro sęculo, affuturum, quo quid iucundius uel annunciari posset? Luc. 4.

Non autem mansit ultra duos dies. Primo, quia nondum aderat tempus, ut totus apud Gentes maneret, quemadmodum nunc: oportebat enim, ut prius Iudæis offerret Euangelium.

Deinde nolebat Iudæis odij maioris & inuidentiæ materiam dare. Sciebat Iudæorum inuidiam, nouerat odium in Samaritanos, & nondum aderat tempus, ut illis ob inuincibilem incredulitatem repulsis, demigraret ad Gentes.

Sic igitur temperauit negocium, ut nec Iudæi possent conqueri, se ab eo spretos, sibiq; antepositos Samaritanos, nec Samaritanorum piam credulitatem omnino destitueret.

Nam quod per Samariam fecerat iter, necessitatis erat: quod ab ipsis rogatus biduo illic commoratus est, humanitatis erat, quam nemo poterat calumniari. Insignem igitur charitatem hoc facto ostendit erga Iudæos: Cum enim in Gentibus plus fructificare posset, tamen ad Iudæos reuertitur. Merito igitur dicit: Quoties uolui congregare filios tuos, & noluisti? Matth. 23.

Sic Deus abunde dona sua etiam nobis confert, ne quis conqueri possit se neglectum.

Et multo plures crediderunt, &c.]

Vide profectum fidei, primo crediderunt propter uerbum mulieris, nunc propter uerbū Christi: Prius multi, nūc multo plures. Magna narrarat mulier de Christo, nunc maiora experiuntur in se. Sic olim regina Saba, fatebatur se uix dimidium audisse cōparatione eorum, 3. Reg. 10.

quæ

quæ uidebat in Salomone. Sic pius quisq; magna quidem audit de Christo in scripturis, sed multo maiora sentit in corde. Fides incipit ex uerbo Apostolorum, confirmatur autem, cum Christus intus docet & obsignat Spiritu sancto. Hinc Paulus: Ego plantaui, &c. Deus
1. Cor. 3. autem incrementum dedit.

Iam non propter tuam loquelam credimus]

Ne uiderentur leues, & omni uento doctrinæ moueri, ac propter unius mulieris uerbum tanta de Christo sperare, Ipsi (inquiunt) audiuimus. Quid Christus apud eos docuerit non exprimitur, sed
Matth. 7. ipso facto uidemus, non puerilia fuisse, sicut & aliàs dicitur: Docebat sicut potestatẽ habens. Quid enim aliud audis etiã nũc ex ore sapientiæ, nisi ueritatem, mansuetudinem, & iustitiam, propter quæ mirabi-
Psalm. 44. liter illum dextera sua ducebat: Audierũt, inquam, ueritatem docentis, mansuetudinem ad credendum inuitantis, iustitiam non accipientis personam siue Iudæi, siue Samaritani.

Scimus (inquiunt) quia hic est uere saluator mundi]

Vide certitudinem fidei, nec mirũ: quia innititur summæ ueritati. Eodem modo & Ecclesia, ex Gentibus collecta, nec Christum uidit nec signa eius, sed tantũ audiuit, nec tamen dubitat eum esse Christum. Vere aũt saluator est Christus, ad differentiam aliorum. Nam
Genes. 41. & Ioseph dictus est saluator mundi: Et Iosue Iesus appellatus est. Et de Iudicibus dicitur: Misit eis saluatorem. Hi enim tantum externa
Matth. 1. quædam præstiterunt & temporalia, Christus autem uere saluat populum suum à peccatis eorum, immo & à morte, Diabolo, Inferno, & omnibus malis.

Post duos autem dies, exijt inde]

Cur tantum duos dies manserit apud Samaritanos, iam supra dictum est. Exijt autem ab eis, non ut iterum obliuiscerentur gratiæ, quam ab ipso acceperant, sed ut absentia eius maiori desiderio arderent. Ideo enim plerunq; se ad tempus abscondit, ut instantius quæramus.

Ipse enim Iesus testimonium perhibuit &c.]

Hic Ioannes abrumpit historiam. Huc enim pertinet, quę Lucas scripsit de Nazaritis Christum accusantibus, quod non in patria sua faceret, quæ in alijs locis fecerat. Quibus Christus prouerbium hoc obijcit: Non est Propheta acceptus in patria sua, propter quod dictum & præcipitare eum uolebant.
Lucæ 4. Sicut igitur Lucas hoc uerbo indicat causam, cur in patria sua nulla aut pauca miracula fecerit, sic Ioannes eodem uerbo hic causam

causam indicat, cur Christus in Galilæam ueniens, patriam suam prę-
terierit: Non, inquit, in Nazareth uenit: sed in Galilæam præteri-
ta Nazareth. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit: quia Pro-
pheta non est acceptus in patria sua. Apparet ex hoc uerbo, quod in-
terrogatus fuit, cur patriam suam præteriret. Non tamen sic in-
telligas, quasi Christus externum honorem & ciuiles uenerationes
quæsierit. Qui enim uenerat ut ministraret alijs, non ut sibi minis- Matth. 20.
straretur, quomodo humanum honorem quæsisset? Alium igi-
tur honorem quærebat Christus, nempe fidem: Nam fidem alicui
habere, summus honor est. Proinde nec Deus nec Christus Filius
eius, maiori honore coli aut possunt aut uolunt, quàm fide. Hunc
honorem apud Compatriotas non habuit. Sic enim & affectus ho-
minum & familiaritas contemptum pariunt, & plæræq; res non ob
aliud in precio sint, quàm quod è longinquo uenerint. Merito igi-
tur eos & prius reliquit, & nunc pręterit. Infœlicissimi plane fuerunt
Nazaritæ illi, quos saluator, hoc est, uita, lux, gaudium, pax, & omne
bonum præterit. Quid enim aliud eis restabat, nisi mors, tenebræ,
tristitia, & omne malum: quod quamuis tunc non sentirent, postea
tamen senserunt, & sentient in futuro iudicio. Propter duas autem
causas, patriam suam prætert, non quia inanis gloriæ esset cupidus,
sed quia optime sciebat prædicationem, fidei fructum ibi facere non
posse, ubi Prędicator contemneretur. Deinde non parum gratiæ
in hoc illis præstitit, qui cum neglecturi sermonem eius essent, huius
contemptus supplicia effugerunt, quæ daturos omnes scimus, qui
prædicationem ueritatis paruifaciunt. Cæterum, sicut Christus nus-
quam minorem honorem habuit, quàm in patria sua, immo in tota
Iudæa (In propria enim uenit, & sui eum non receperunt) sic & Ioan. 1.
nunc nusquam minus curatur, quàm apud eos, qui uidentur esse
proximi, ut etiam nunc uerissime conqueri posset: Factus sum op- Psal. 30.
probrium uicinis meis, &c̃.

Cum ergo uenisset in Galilæam, exceperunt, &c.]

Etiam hoc ponit ad condemnandam Iudæorum incredulita-
tem. Sicut enim supra Samaritani ad prædicationem unius mulier-
culæ credunt, alienigenam ad hospitium pertrahunt, Messiam mun-
diq; saluatorẽ profitentur, cum nullo miraculo eos dignatus fuisset
Iesus: sic nunc Galilæi crassa & legis imperita Natio, apud quam
nullus unquam extiterat Propheta, uisis miraculis, credere cœperũt.
Hierosolymitani autem sacerdotes, Scribę & Pharisæi, qui uidebam-
tur & religionis apicem tenere, & legis peritia præcellere, tum facta
tum dicta Iesu pertinaciter calumniabantur.

Sic & apud nos pauperũ humilis credulitas, diuitum & magna-
tum damnat duritiam, &c̃. Viri, inquit, Niniuitæ surgent in iudicio Matth. 12.
cum generatione hac, & contemnabũt eam, &c̃. Allegorice: Chri-

Ioan.16. ſtus uere exiuit, à Patre ſcilicet, & uenit in mundum: Exiuit, hoc eſt,
Phil. 2. ſeipſum exinaniuit, &c̄. Exiuit autem poſt duos dies, hoc eſt, poſt tempus legis naturalis, & legis Moyſaicæ. Oportebat enim, ut homo prius conuinceretur de ſua ignorantia, & impotentia, anteq̄ Chriſtus ueniret. Venit autem in Galilæam, hoc eſt, mundum,
Sap. 5. qui uere Galilæa, hoc eſt, tranſmigratio eſt. Nihil enim ſub ſole permanet, ſed omnia tranſeunt uelut umbra: Quæcunq̄ enim uiden-
2. Cor. 4. tur, temporalia ſunt, &c̄. Signanter autem dicitur patriam ſuam præterijſſe, quamuis enim primo ad Iudæos uenerit, tamen poſtea ob incredulitatem illorum ad Gentes tranſijt, relictis Iudæis.

Tunc igitur ſuſceptus eſt, non ab omnibus, ſed à Galilæis, hoc eſt,
Heb. 13. tranſmigrantibus, qui ſcilicet agnoſcunt ſe peregrinos & aduenas
Phil. 3. eſſe, nec habere hic manentem ciuitatem, immo iam in cœlis conuerſantur: hi ſoli eum recipiunt, his ſolis conſolatorius eſt eius aduentus. Sciunt enim ipſum eſſe, qui in uia ducere poteſt, itēq̄ cōfortare, & demum ad terminum perducere. Ideo autem potiſsimum eum ſuſcipiunt, quia audierunt ea, quæ Hieroſolymis fecit. Illic enim docuit, ſanauit infirmos, eiecit è templo prophanatores, deniq̄ & mortuus eſt. Ob hæc, inquam, eum ſuſcipiunt. Primo fide, ut doctorem. Secundo ſpe, ut ſaluatorem. Tertio timore, ut Iudicem. Quarto dilectione, ut pro nobis mortuum.

Venit ergo iterum in Chana, &c.]

Ioan.2. In Chana cœpit miracula facere: Nunc ferme reuoluto anno, redit ad Chana. Hoc autem primo anno pulchre in ſuis actibus præoſtendit, futuræ prædicationis ſiue inſtantis ſaluationis ordinem, quo proceſſura eſſet à tempore ſuę natiuitatis, uſq̄ ad finem ſæculi. Sicut enim hoc anno primo uenit ad nuptias, deinde aquas in uinum uertit, tertio Hieroſolymam aſcendit, ibiq̄ de paſsione ſua locutus eſt, ſub Metaphora deſtructionis templi. Quarto, cum Nicodemo de regeneratione colloquitur, poſtea commanens in Iudæa, ut cognouit, quod detraherent ſibi, reliquit Iudæam, & ad Samaritanos diuertit. Tandem iterum rediit in Chana.

Sic in opere noſtræ redemptionis, primo nuptias celebrauit, aſſumendo & uniendo ſibi naturam noſtram. Secundo inſipidam legis aquam, in nouum muſtum Euangelij conuertit. Tertio, propalato Euangelio, Hieroſolymam ad paſsionē properauit. Quarto, conſummata paſsione, pœnitentiam per Apoſtolos prædicari fecit, & remiſsionem peccatorum per nomen ipſius, idq̄ primum in Iudæa. Quinto Iudæis hanc gratiam reſpuentibus, diuertit ad Gentes, ubi uſq̄ nunc moratur, tandem iterum reuertetur ad Iudæos, non tamen ad templum Hieroſolymitanum. Nam ad Iſraēl quidem ſalus reuertetur, cum plenitudo Gentium ſubintroierit, ad templum

templum autem, hoc est, ad hostiarum sanguinem suscipiendum uel Circuncisionis ritum, Christus nunquam rediturus est. Ad literam autem iterum redijt ad Chana, non ut ex miraculo illic ædito, laudem aucuparetur, sed ut ex ea semente, quam occulte iecerat, nunc messem aliquam meteret. Deinde, ut ipsi præcedenti signo admoniti, ad maiorem fidem & deuotionem excitarentur. Hoc enim Deus ubicq; agit in electis suis. Primo, etiamsi se ad tempus subducit, tamen iterum redit: In momento, inquit, & ad modicum dereliqui te, & in miserationibus magnis colligam te. Secundo, nihil non agit, ut ad maiorem fidem & deuotionem nos alliciat, nunc per prospera, nunc per aduersa. Tertio, etiam fructum & messem exigit ab his, quibus semina concredidit, id quod discere possumus ex parabola de ficulnea, quam subinde uisitans Paterfamilias, cum non inueniret fructum in ea, succidi eam præcepit. Et adhuc manifestius de ficulnea, cui Christus maledixit: Terra enim, quæ superuenientem imbrem crebro bibit, & tamen nihil aliud quàm spinas & tribulos profert, maledicto proxima est. Isa. 54. Luc. 13. Matth. 21. Heb. 6.

Et erat quidam Regulus, &c.]

Historia hęc pulchre nobis proponit fidei naturam, eius initium, incrementum, & perfectionem. Nam quemadmodum corporis humani ætas suam habet infantiam, adolescentiam, & uirilitatem: Ita fides sua habet rudimenta, suos profectus, & sua fastigia. Deinde uidebis in hac historia, humani cordis imbecillitatem in rebus aduersis, immo in uniuersum uidebis, quàm misera creatura sit homo, diuina gratia destitutus. Postremo uidebis, quàm benigne Deus nostræ imbecillitati condescendat.

Erat quidam Regulus, &c.]

Regulus dictus est homo hic, uel quia regij generis erat, ut quidam uolunt, uel quia prophanum aliquem Magistratum Cæsaris nomine gerebat: Is igitur habebat filium infirmum. Quantumuis enim diuitijs & potentia mundana præditus esset, non tamen præuenire potuit filij infirmitatem, sed nec eandem depellere. Non enim proderunt diuitiæ in die ultionis, & non saluatur rex in uirtute sua, nec Gigas in multitudine fortitudinis suæ. Stultus itaq; est, qui uel in diuitijs, uel in potentia spem suam reponit, cum neutrum eum possit à morte liberare. Cur igitur nō ueras diuitias & potentiā quærimus? Proue. 11. Psal. 32.

Hic cum audisset, quòd Iesus uenisset, &c.]

Etiam hic uides mundani hominis ingenium. Primo enim quantumcunq; malis innumeris sit obnoxius, non tamen ea præuenit, nec sentit, immo ne credit quidem, se tam miseram creaturam esse, donec in caput ipsius incidant mala, tunc enim primū sentit se miserū: Sola enim uexatio dat intellectum. Deinde, qui uel diuitijs, uel humana potentia turgent, nec Deum agnoscūt aut quærunt, donec flagellis Isa. 28.

admoniti fuerint. Sic Nabuchodonosor, cum è regno electus, inter
Dan. 4. bestias aliquot annos uixisset: Post finem, inquit, dierum, ego Nabuchodonosor leuaui oculos meos, &c. Sic impius Anthiochus, cum nihil non malorum contra Deum cœli ægisset, tandem plaga
2. Mach. 9. insanabili percussus: Iustum est, inquit, subditum esse Deo.

Abijt ad eum, & rogabat ut descenderet]

Quod homo ille aduerso casu admonitus, ad Christum properat, arguit eos, qui nec flagellati ad Deum conuertuntur, de quibus
Hier. 5. Hieremias: Percussisti, inquit, eos, & non doluerunt, &c. Et in
Amos. 4. Amos: Percussi, inquit, uos uento urente, &c. & non estis reuersi ad me, dicit Dominus. Arguit item eos, qui in aduersis non ad Deum, sed ad Magos, uel dæmonũ auxilium recurrunt. Deinde quod pro filio rogat, & impense rogat, nec cessat, nisi exauditus: exemplum est parentibus, ut solliciti sint pro filiorum salute, immo festinent eos Christo commendare, antequam moriantur in mala consuetudine:
Prouer. 22. Adolescens enim iuxta uiam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Quod autem pro salute corporis tantum rogat, infirmitatis humanæ est, qua semper prius sentimus incommoda corporis, quàm mala animæ: cum tamen multo maiora sint spiritualia mala.

Minus igitur quàm oportet de Christo sentit, qui corporalia tantum ab ipso petit, quanquam & ea ab ipso quærenda sint, sed non sola: Alioqui, quemadmodum adolescenti de rebus externis inter-
Lucæ 12. pellanti respondit: Quis me constituit iudicem inter uos, sic nobis dicet: Non ueni, ut medicus corporum, sed animarum. Postremo quod rogat, ut Christus secum descendat, infirmam eius fidem indi-
Hier. 23. cat, quasi Christus non posset sanitatem cõferre, nisi præsens: immo quasi è uicino tantum esset Deus, & non etiam de longinquo, cum
Psal. 144. tamen scriptum sit: Prope est Dominus omnibus, qui inuocant eum in ueritate. Rogat igitur ut descenderet, quasi medicum accerseret hominem, non saluatorem Deum. Longe perfectiorem fidem
Matth. 8. habebat Centurio ille: Domine, inquit, non sum dignus, &c. Nec opus est, ut uenias, dic tantum uerbum, & sanabitur puer meus. Ea autem fides adeo rara est, ut etiam Christus admiratus dixerit, se talem non inuenisse in Israël, &c. Nam etiam Apostoli fidei suæ imbecillitatem non semel nec obscure prodiderunt, cum in mari periclitantes, Dominum excitarent, quasi dormiens seruare eos non
Matth. 8. Psal. 120. posset, immo quasi ullo modo dormitare aut dormire posit, qui custodit Israël. Profecto male nobis consultum esset, si Christus non nisi corporaliter præsens seruare nos posset: uerum meliora scimus, nempe eum & ubiq; esse, & omnia posse.

Nisi signa & prodigia uideritis, &c.]

Mire

Mire responsum suum temperauit Christus. Primo enim non omnino negat, se daturum quod ille petebat, ne in desperationem eum adigeret. Deinde nec statim dat, quod ille petit: sed differt, ut ardentius petat, quemadmodum & Chananæam diu differebat. Matth. 15.

Interim autem eum arguit de incredulitate, quasi diceret, Ad quid tecum descenderem, cum non credas? Si enim crederes, non me rogares, ut descenderem, sed ut Centurio peteres tantũ uerbum à me, quo sanaretur filius tuus. Hoc autem dicit Christus, non quod Matth. 8. abominetur Regulum, aut quod noluerit filium eius sanare, sed ut fidem eius imbecillem hac dura tentatione robustiorem reddat, ac doceat, eum credere non è miraculis, sed è uerbo. Signanter autem obseruandum, quod plurali numero loquitur Christus: *Nisi uideritis, &c. non creditis*, ut sciamus, eum non soli Regulo hæc dixisse.

Primo igitur hoc uerbo Iudæos taxat, qui subinde signa quærebant, aliâs non crediturí quantumcunq; uerbum Dei audirent.

Hinc Moyses ad Dominum: Non, inquit, credent mihi, &c. Exod. 4.

Atq; in hoc plurimum degenerabant à fide patrum. Quæ enim signa uiderat Abraham, cum ad uerbum Domini exiret de terra sua, Gen. 12. &c. Item cum crederet se futurum in gentem magnam, &c. Deinde etiam nos arguit hoc uerbum. Nam & nos signa quærimus, hoc est, uolumus alio modo certificari, quàm per uerbum. Cum enim audimus remissionem peccatorũ, aliasq; Dei promissiones, tunc nos crediturос cogitamus, si aliquo signo sensibili certi redderemur.

Atqui si fidelis es, sufficere tibi debet uerbum Dei, etiam sine signis. Satis enim superq; nostræ condescendit imbecillitati, quod in exordio & legis & Euangelij, uerbo suo certa signa ceu quædam sigilla adiunxit, quibus certi redderemur, ea esse Dei uerba: Nunc autem non amplius pro libidine nostra signa dat, sed uult ut uerbo credamus. Non enim ambulamus per speciem, sed per fidem. Hinc 2. Cor. 5. ad Thomam dicit: Beati, qui non uiderunt, & crediderunt. Non Ioan. 20. igitur immerito arguit eos, qui etiam nunc signa quærunt. Primo enim, nolle credere sine signis, est contra naturam fidei: Fides enim Heb. 11. est substantia earum rerum, quæ non uidentur, sed sperantur. Secundo, nolle credere sine signis, etiam Deo iniuriosum est, quasi ipse falli aut fallere possit. Tertio etiam periculosum est, plus obseruare signa, quàm uerbum ipsum Dei. Nam & Diabolus signa facere potest, id quod uidemus in Magis Ægypti. Hinc & Moyses prohi- Exod. 7. bet, ne Prophetę miracula facienti, & interim contra legem docenti, Deut. 13. fides habeatur: Quia miracula ex falso uerbo non faciunt uerum, sed seducunt. Quod si autem uero uerbo annexa fuerint, uerbum ipsum in sua ueritate confirmant & obsignant. Postremo fides ex miraculis imbibita, minus constans est: Qui enim non propter uerbum ipsum, sed propter miracula credunt, subinde in incredulitatem

tatem labuntur tempore tentationis, nec in fide perdurant, id quod uidemus in Israëlitis subinde cessantibus miraculis, dubitantibus, etc̃.

Domine, descende priusquam moriatur]

Hoc uerbo Regulus magis fidei suæ infantiam prodit, idq; dupliciter. Primo enim non solum non credit, quod Christus solo uerbo suo possit sanitatem conferre: Sed nec credit, quod mortuum filium possit resuscitare. Quid autẽ hoc aliud est, q̃ uere parua fides? Quid aliud ab homine medico peteret? Atqui male consultum nobis esset, si Christus tantum in hac uita nobis succurrere posset, non autem etiam in morte, & post mortem. Hinc Christus: Ego, inquit, sum resurrectio & uita: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, &c̃. Deinde etiam in hoc prodit incredulitatem suam, quod tantopere festinat. Incredulitas enim festinat, fides autem expectat: Qui crediderit, inquit, non festinet. Et iterum: Si moram fecerit expecta, &c̃. Sicut igitur Chananææ mulieri duriter respondit Christus, ac distulit, ut magnanimitatem fidei eius omnibus conspicuam faceret; Ita & hoc loco, Regulo duriter respondit, ut agnitam fidei imbecillitatem, fortiorem redderet.

Ioan. 11.
Isa. 28.
Abac. 2.

Vade, filius tuus uiuit]

Vide benignitatem Dei, quomodo condescendat infirmitati nostræ. Non enim semper imperitiam nostram respicit, sed etiam peccantibus & indigne de se sentientibus auxilium fert. Ipse enim nouit figmentum nostrum, ideo quomodo pater miseretur filiorum, sic ipse miseretur nostri. Deinde, quamuis duris uerbis eum increpauerit, nihilo tamen minus præstat, quod ille rogauerat. Non enim in æternum irascitur, neq; in æternũ cõminatur Deus. Ira quidem in indignatione eius, sed uita in uoluntate eius. Hinc de Christo dicit: Si dereliquerint filij eius legem meam, &c̃. uisitabo in uirga iniquitates eorum: Misericordiam aũt meam non dispergam ab eo. Et Abacuk: Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Summa, quem prius terruerat, nunc summe consolatur. Hinc igitur discamus, bene sperare de Deo, etiam cum uidetur iratus. *Vade*, inquit, *filius tuus uiuit*. Hoc uerbo ostendit se, etiam absentem, posse sanare. In hunc modum & Helizæus per internuncium mandauit Naaman Syro, ut se in Iordane septies lauaret, nimirum ut homo Gentilis hinc disceret uirtutem Dei. Discamus & nos hic uirtutem uerbi Dei, hoc enim unum idemq; dictum, & uera de præsentibus Prophetia est, & sicut ex seruis postea comperit Regulus, imperium uitæ est. Nedum enim hoc uerbo sanitatem filij prædixit Christus, sed etiam effecit: Misit, inquit, uerbum suum & sanauit eos. Et iterum: Nec herbam nec malagma, sed sermo tuus eos sanauit. Obserua autẽ, quod Christus

Psal. 102.
Psal. 29.
Psal. 88.
Abacuc. 3.
4. Reg. 5.
Psal. 106.
Sap. 16.

non

descendit ad filium Reguli etiam rogatus, cum ad seruum Centurio- Matth. 8.
nis ultro se uenturum obtulerit. Per hoc enim primo ostendere uoluit, se plus posse, quàm ille speraret aut peteret. Deinde ostendit, alia esse iudicia Dei quàm hominum: Nos enim tantum miramur & suspicimus eos, qui diuitijs, nobilitate, potentia, conspicui sunt: Contemnimus autem pauperes. Deus autem humilia respicit, alta Psal. 112.
autem à longe cognoscit. Et plerunq; contingit, ut qui ab hominibus magnificantur, apud Deum nulli sint: & econtra, qui apud homines pro nihilo reputantur, magni coram Deo sint. Discamus igitur in hominibus potius pensare naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, quàm accidentalia bona, quibus in hoc mũdo prefulgent.

Credidit homo sermoni, quem dixit Iesus, &c.]

En uno uerbo duos sanauit, patrem & filium. Sicut enim filius è uerbo Christi, tanquam ex herba medica, sanitatem recepit: ita & pater ex eo robur fidei concepit. Verbum enim Dei & infirmos sanat, & sanos confirmat.

Singula autem uerba Emphasim habent. Primo enim quem prius Regulum, hoc est, mundo deditum nominauit, nunc hominem nominat: Tunc enim hominis cognomine digni sumus, cum cordis incredulitatem abijcimus. Vel admiratiue hominem nominat, quasi diceret: En homo ille, qui hactenus totus mundo deditus erat, quiq; in primo congressu tam infirmam fidem habuit, is nunc ex uno Christi uerbo tantum robur accepit, ut nudo uerbo Christi crederet. Arguitur igitur hoc uerbo incredulitas nostra, qui tot tantaq; à Christo audiuimus & uidimus, nec tamen adhuc audemus uerbo eius confidere. *Credidit*, inquit, *sermoni*. Vides quomodo creuit eius fides. Credidit etiam prius, alioqui non accessisset ad Christum, sed infantiliter & ex miraculis, nunc autem credit, sed uiriliter, & ex uerbo, quod ut potens est, ita reddit credentem etiam potentem. Atq; ea demum uera est fides & robusta, hæc etsi omnia aduersa & cõtraria uideantur, tamen non dubitat de uerbo, sed certa est aliquando implendum uerbum Dei, potiusq; cœlum & terram Luc. 21.
peritura, quàm unum Dei uerbum. Talem fidem habuit Abraham, Dauid, Moyses, &c. Signanter autem dicit: *Credidit sermoni, quem dixit Iesus*, cum tamen eum adhuc nihil aliud, quàm hominem Prophetam esse crederet. Hinc igitur discamus, etiam nos credere his, quæ per Prophetas & Apostolos suos docuit Deus non minus, quàm si ipsum loquentem audiamus: Qui uos, inquit, audit, me au- Luc. 10.
dit. Postremo addit: Et ibat, quod uel solum indicat, eum uere credidisse. Nam solo & nudo uerbo contentus abibat, infidelis autem quisq; uoluisset certificari, quomodo et quando sanandus esset filius, num & medicina opus esset, & quæ medicina, & quomodo ea utendum: hic autem contentus est in eo, quod filius ex infirmitate libera-

retur, quomodo & quando id fiat, Deo committit.

In quo docemur, quæ sit fidei natura, nempe fiduciam de Deo concipere, quod seruaturus nos sit, quomodo autem, quando, aut per quas afflictiones, nihil ad nos pertinet. Sic Abraham egreditur terram suam, nesciens, quo sibi esset eundum. Sic expectat posteritatem, quanquam filium iuberetur occidere. Sic Moyses educit filios Israël ex Ægypto, quanquam nesciret, quomodo Deus eos aduersus uim Regis esset defensurus. Sic cum staret ad mare rubrum, nesciens quo euasuri essent, iubet tamen eos consistere uisuros magnalia Dei.

Genes. 12.
Gen. 22.
Exod. 14.

Iam autem eo descendente, occurrerunt, &c.]

Hic uides, quàm uere dixerit Dauid: Iunior fui etiam senui, & non uidi iustum derelictum, &c. Quam primum enim Regulus ille in Christum credidit, statim sanatur filius, & omnia læta & prospera sunt in domo eius, ideo serui nescientes unde tanta prosperitas contingeret, læti occurrunt, nunciant, &c. Bene igitur monet Christus: Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Sic monet & Dauid: Reuela Domino uiam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Et item alius: Credite Domino & Prophetis eius, & cuncta uobis euenient prospera. Hinc Iudæis per Psalmistam improperat Deus: Si populus meus audisset me, &c. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, &c. Summa, si uitam, pacem, prosperitatem, desideras & dies bonos, declina à malo, & fac bonum, &c. Timentes enim Dominum, non deficient omni bono, &c.

Psalm. 36.
Matth. 6.
Psal. 36.
2. Par. 20.
Psal. 80.
Psal. 35.

Interrogabat ergo horam ab eis, &c.]

Seruis læta nunciantibus, pater aliò spectabat. Nunciabant illi corporalem filij sanitatem, ipse autem & filium & seruos ad perpetuam animæ sanitatem perducere cupiens, interrogat horam, &c. Iam enim apud animũ suum defixerat, ut si hora recuperatæ sanitatis illa esset, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus uiuit, iam de diuina illius magni Prophetæ potentia non dubitaret, quod ipse esset Filius Dei, & Rex Israël.

Heri hora septima reliquit eum febris]

Antiqui diem in duodecim horas diuiserunt. Septima igitur hora, proxima est post meridiẽ, atq; hæc ipsa hora est, in qua omnis æger peius habere incipit secũdum naturã: quia tunc sol à summo cœli incipit declinare, & cum declinatione solis omnis uirtus ægri incipit cadere & declinare: Hinc igitur patet, quod hæc curatio non fuit naturalis, sed miraculosa.

Vnde in Iob dicitur: Ipse uulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt. Ingens aũt consolatio nobis hoc uerbo datur, nempe,

Luc. 10.
Iob 5.

quod

quod Christus etiam ubi natura deficit, sanare & adiuuare potest. Non igitur est, quod desperemus, si tantummodo decreuerit, confestim liberabimur: In uoluntate enim eius uniuersa sunt posita, &c. Hester 13. immo ideo Deus opera sua plærunq; diuerso modo agit, aliterq; quàm natura, ut discamus etiam deficiente natura, bene sperare.

Cognouit ergo pater, quod illa hora esset, &c.]

Confert ipsum opus ad uerbum Christi, & ex magnitudine operis, agnoscit magnitudinem & uirtutem uerbi: & quia uidet opus plane diuinum esse factum in filio suo, non dubitat, quin & uerbum ipsum, quod à Christo audierat, plane Dei, non hominis uerbum sit. Sic supra Nathanael, cum Christus arcana quædam ei reuelasset; Ioan. 1. Rabbi, inquit, tu es Filius Dei, &c. Sic Nicodemus: Scimus, inquit, Ioan. 3. quia à Deo uenisti, nemo enim potest hæc signa facere, &c. Discamus itaq; & nos diligenter attẽdere, quę circa nos agit Deus, factaq; cum uerbis Dei cõferamus, ut uel tandem discamus uirtutem uerbi.

Et credidit ipse, & domus eius tota]

Hic iam tertio de fide huius Reguli dicitur. Primo enim credidit cum accederet, sed infantiliter, & ex signis tantum. Secundo credidit uerbo, sed unico tantum: hic iam tertio expertus uerbi energiam, simpliciter credit, non uni uerbo Christi, sed omnibus. Neq; id mirum, quod propter unum hoc signum credidit. Non enim paruum fuit hoc signum. Per hoc enim Christus manifeste ostendit, se ubiq; esse, ubiq; & omnia posse, & sola uoluntate cuncta perficere, quo quid uel maius, uel iucundius annunciari posset? Si enim ubiq; est, & omnia potest, & solo nutu, quid igitur est, quod tantopere in aduersis trepidemus. Quin potius ad eum cum sancto Iosaphat clamamus? Cum ignoramus (inquit) quid agere debeamus, hoc unum 2. Paral. 20. residium est, ut oculos nostros ad Deum leuemus. Quod igitur è uerbo filius Reguli sanatus est, cõfirmat nobis etiam alia uerba Christi, ut cum dicit: Ego sum lux mundi: Ego sum resurrectio, & uita, Ioan. 8. &c. Sic in Matthęo, ut confirmet hoc uerbum: Remittuntur tibi pec- Ioan. 11. cata, addit miraculum, dicens: Surge, & ambula. Sic ut hoc uerbum: Matth. 9. Princeps huius mundi uictus & iudicatus est in sua ueritate, confir- Ioan. 12. met, adiecit miracula: Multos dæmoniacos curans à dæmonio, &c.

Signanter autem addit: *Credidit ipse, & domus eius tota.* Vbi primo uidemus, Regulum hunc boni Patrisfamiliâs functum officio, in hoc quod familiam, suo exemplo & uerbo ad fidem prouocauit. Deinde uidemus, unius hominis infirmitatẽ profuisse ad salutem uniuersę familię, ut uel hinc discamus, Deum ideo aduersa immittere, non ut nos perdat, sed ut saluet. Nisi enim hic filius infirmatus fuisset, forsitan nemo ex illa familia credidisset. Huc pertinet, quod non seruum, sed filium infirmari permisit, ut eò feruen-

tius

Prouer. 3. tius Pater Christum quæreret. Bene igitur monet Sapiens: Fili mi, noli negligere disciplinam patris tui, &c. Quem enim diligit, corripit, &c. Si familiam illam non dilexisset, permisisset eam in pec-
Iacob. 1. catis suis citra omnem admonitionem, &c. Hinc & Iacobus: Omne gaudium, inquit, æstimate fratres, si in tentationes varias incideritis. Obserua autem, quod signanter dicit, *Credidit ipse, & domus eius*, nihil de alijs Capernaitis dicens, sicut supra: Crediderunt
Ioan. 2. (inquit) in eum discipuli eius, nullam mentionem faciens de alijs conuiuis; ut uel hinc uideamus paucitatem eorum, qui uere credunt. Maior enim pars, etiamsi uideat & audiat, tamen in peccatis manet. Allegorice: Sicut supradicta mulier Samaritana typum Ecclesiæ de Gentibus prætulit, sic filius illius Reguli, Iudaicum populum significat. Is enim tunc incepit mori, cum Gentium populus inciperet credere. Regulus autem pro filio rogans, nobilem patrum fidem recte significat, quæ pro salute illius populi, apud Christum antiquis meritis etiamnum intercedit. Facit ad hoc, quod mulier sexta hora ad Christum uenit, hic autem septima hora primum sanatur. Ascendente enim Sole iustitiæ Christo in cœlum, Ecclesia de Gentibus credidit. Iudaicus uero populus, illo descendere incipiente, id est, signa & prodigia descensus sui ad iudicium præmittente, crediturus est. Moraliter: Regulus significat superiorem hominis portionem: filius infirmus, sensualitas est uel inferior portio: febris peccatum. Nam & calorem & frigus habet, inordinatum scilicet amorem & timorem. Causa morbi, id est, peccati, est iuuentus, nobilitas, abundantia rerum omnium. Facile enim in morbum labitur homo, ubi hæc sunt. Hic morbus certo ducit ad mortem, nisi Christus subueniat. Ad ipsum igitur nobis currendum, immo festinandum est:
Eccle. 5. Ne, inquit, differas conuerti ad Deum, &c.

Hoc iterum secundum signum fecit Iesus]

Sicut in auri metallis ne minimam quidem uenam negligit, qui rem intelligit, utpote quæ ad diuitias augendas plurimum faciat: sic in diuinis scripturis, ne unum iota prætermittendum est, quandoquidem certum est, nihil ibidem superuacaneum esse. Sic Ioannes hoc uerbum non temere addit, sed adhuc Samaritanos admiratur, propterea, quod Galilæi etiam post alterum signum apud ipsos factum, nondum peruenerant ad perfectionem eorum, qui nihil uiderant.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

IN hoc capite docemur afflictiones durare & differri, non ut pereamus, sed ad maiorem Dei gloriam: deinde quæ sit ratio soluti Sabbati. Nam Christus Sabbato, quod maxime omnium obseruabile in lege erat, languidum sanauerat.

Post hæc erat dies Festus Iudæorum]

Ostensa & Samaritanorum & Reguli facilitate ad credendum, nunc reditum Domini in Hierusalem subiungit Euangelista, ut à collatione rerũ ostenderet, quantum alienigenæ præstarent Iudæis, & quod iustissimo iudicio Dei, à gratia deciderint Iudæi.

Interim autem bonitatẽ Christi in hoc uidemus, quamuis enim in primo Festo eos ingratos expertus esset, tamen subinde reuertitur. Non enim statim abijcit Deus peccatores, nisi obstinate peccent, immo etiam peccantibus & ingratis beneficia præstat. Miseretur enim omnium, & dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Sap. 11.

Obserua quod Ioannes non exprimit, quale fuerit Festum illud: unde plærique suspicantur, Festum fuisse Penthecostes, quod & pulchre mysterio congruit. Nam Penthecostes Festo, effusum est eximium illud donum Spiritus sancti, quo ab omnibus animæ morbis sanamur. Act. 2.

Sed huic obstat, quod supra dixit Christus: Nonne uos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt ad messem. Claret igitur, quod ante Festum Paschæ, hæc cum Samaritanis egit. Ioan. 4.

Cum autem nulla alia festiuitas tunc proximior esset, quàm Paschalis, cogimur hunc locum de Festo Paschæ intelligere. Nam non est uerisimile, quod Christus hoc Festo neglecto, ad Pentechosten ascẽdisset.

Vbi obserua, quod Ioannes quatuor Festa Paschalia describit, ad quæ Christus ascendit, semperq; insigne aliquid in eisdem Festis perfecit. In primo siquidem Festo, uendentes & emendentes expulit, ac primum & maxime necessarium uitæ nostræ Sacramentum uerbis aperuit, dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, etc̃. Ioan. 2. Ioan. 3.

In hoc secundo Festo Paschæ ueniens ad probaticam piscinam, eandem, quam præterito anno, uerbis tantum commendauerat, factis quoq; præfigurat Baptismi sui potentiam. Tertio nihilominus anno, circa eandem sollennitatem facto conuiuio, de quinq; panibus & duobus piscibus, per occasionem cibi illius, aliud non minus necessarium saluti nostræ condidit Sacramentum, dicens: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c̃. Ioan. 6.

Ioan.19. Quarto anno in eodem Festo patitur, uidelicet ut (sicut superioribus annis docuerat) nos in morte ipsius baptizaremur, & carnem eius ad manducandum, sanguinemq; ad bibendum acciperemus. Adeo sanctam & ueram ueteris Paschæ rationem comprobat, ut in qua fulgebat memoria ueterum beneficiorum. In eadem nouorum conderet ueritatem Sacramentorum.

Est autem Hierosolymis probatica, &c.]

Locus erat sic dictus, eò, quod sacerdotes hostias immolandas illic abluerẽt. Allegorice: Hic uidemus quis fuerit status mundi ante Christi aduentum. Primo enim multi erant infirmi, immo omnes.
Rom.3. Nemo enim mundus à sorde. Et: Omnes peccauerunt, &c̃.

Deinde uaria erant morborum genera. Aliqui enim erant cæci, nescientes uiam salutis: Alij claudi, scientes quidem uiam, sed ingredi non ualentes: Aliqui omnino aridi, non percipientes influxum sensus & motus è capite, hoc est, à Deo. Interim nullum erat remedium, nisi piscina illa, quæ uniuersos ludęorum Cæremonias, immo uniuersum ueterum sacrificiorum ritum, atq; adeo legem ipsam significat, quæ quinq; porticus habet: In quinq; enim libris descripta est.

Hæc piscina solum Hierosolymis erat, hoc est, tantum apud Iudæos. Atqui quantumuis adesset aqua, nemo tamen ex ea sanabatur, nisi prius è cœlo mota fuisset. Sic lex nullum iustificare potest aut potuit, nisi per Spiritum sanctum scribatur in corde, id quod paucis contigit. In hoc igitur statu, cum esset mundus, superuenit Christus uerus saluator.

In his iacebat multitudo magna, &c.]

Miserabile spectaculum ubi tot infirmi erant, & tam rara medicina. Atqui etiam nostris oculis tale spectaculum obiectum est. Quocunq; enim nos uertimus, uidemus aliquos, qui nostro auxilio opus habent. Ad hos autem quinq; porticibus peruenire possumus, hoc est, quinq; modis subuenire eisdem possumus. Primo corde, per compassionem. Secundo ore, per consolationem. Tertio opere, per supportationem. Quarto facultate, per subuentionem. Quinto etiam per orationem. Ad hæc autem potissimum nos mouere debet incertitudo mortis, & quod post mortem non est locus
Eccle.9. merendi. Nescit enim homo finem suum, &c̃. ideo quæcunq; potest manus tua, instanter operare. Iuxta Sapientis dictum: Expectant igitur infirmi motum aquę, hoc est, compassionem cordis tui, & sub-
Iob. 31. uentionem, &c̃. Hoc cognoscebat Iob: Oculus, inquit, fui cęco, &c̃.

Angelus autem Domini secundum tempus descendebat]

Hoc miraculo insignis Dei misericordia declaratur. Nam cum se promisisset fore Deum & Patrem seminis Abrahæ, nunquam non

fere

fere præsentiam suam miraculis testatus est, ut non frustrà à Moyse dictum sit: Non est alia natio, quæ habeat deos, ita appropinquantes sibi, ut Deus noster adest nobis. Sic egredientibus ex Ægypto, uarijs & maximis miraculis præsentiam suam circa eos probauit. Deinde, ne uideretur discessisse, sub Helia & Helizeo, rursus se per miracula aperuit, ut patet in libris Regum. Postremo autem, ut nunquam non suam præsentiam proderet, sub Christi tempus, angelum mittit ad piscinam, &c. Et quanquam iam uere in carne præsens erat, uoluit tamen & alia suæ præsentiæ & potentiæ testimonia exhibere. Hoc autem facto etiam præluſit ad futurum Baptismi Sacramentum, atq; adeo homines ad ipsum Baptismum præparauit, ut cum uiderent in aqua piscinæ morbos corporis sanari, non diffiderent etiam in aqua Baptismi peccata ablui. Deut. 4.

Et qui prior descendebat post motionem, &c.]

Etiam hic uides, quod Dominus opera sua sub contraria specie exequitur. Nam per turbidam aquam homines sanat, cum tamen perspicua & clara aqua commodior uideatur ad sanitatem. Sic aliàs uitam operatur per mortem, qua nihil uitæ magis contrarium est: gaudium operatur per tristitiam, &c. Sic olim Helizæus, aquas sanauit iniecto sale, cum aliàs sal aquæ immixtus, sterilitatem afferat. Ideo autem contraria specie sua opera exequitur, ut rationem nostram confundat. Deinde, ut sciamus, eum nihil non posse, quantumuis humilia sint aut uideantur instrumenta seu media, immo eum sua opera perficere posse etiam cessantibus mediis, hoc est, etiam omnibus desperatis. Vel turbida aqua signat crucem, qua Deus nos sanat. Quia enim prosperis plærunq; abutimur, & inde peiores efficimur, idcirco aquam turbat, hoc est, aduersa immittit, ut ad Deum recurramus. Videtur quidem aqua turbida nihil facere ad sanitatem, uidetur etiam tribulatio non saluare, sed perdere: uerum in fine fructum pacatissimum reddit exercitatis per eam, ut ait Paulus. Postremo per aquam illam piscinæ, Baptisma nostrum præfiguratum est. Sicut enim in piscina morbi corporum sanabantur: sic in Baptismo peccata. Deinde, sicut aqua piscinæ non sanabat, nisi turbata uel mota esset ab angelo: ita inefficacia sunt omnia Sacramenta, & media, nisi à uerbo Domini moueantur, hoc est, nisi habeant uerbi appendicem, & fide accipiantur. Præterea, sicut in piscina illa, nullus sanabatur, nisi primus descendisset: ita nemo saluatur, nisi per Christum primogenitum fuerit, & ipse primogenitus factus. Omnia enim primogenita legis, in Christum primogenitum respiciunt, proinde ut credentes, alia bona Christi per fidem mutuo accipiunt: ita & primogenitura donantur, ut saluentur. Nam soli primogeniti ad Deum pertinent, ideo & Paulus fidelibus 4. Reg. 2. Heb. 12. Num. 3. Exod. 13.

Heb.12. loquens, dicit: Accesisti ad contionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis. In hoc autem Baptismus noster piscinam illam excellit, quod non uno loco affixus est, sed ubiq; haberi potest. Secundo, quod non unum peccatum tantum, sed omnia tollit. Ter-
Zach. 13. tio, quod non certis diebus, sed semper patet: Est enim fons patēs, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Nec unum tantum sanat, sed omnes. Omnis igitur nobis adempta est excusatio, si in peccatis remanserimus. Atq; hic uides, quã abunde in nouo Testamento gratia Dei effusa sit. Quod si illi tam diligenter expectabant motum aquæ, propter sanitatem corporis recuperandam, quanto magis nobis accurrendum est ad fontem gratię, ad thronum misericor-
Heb. 4. diæ, ut gratiam inueniamus in tempore opportuno.

Erat autem quidam homo ibi, &c.]

Pulchre diuus Ioannes in uno homine hæc duo connectit, hominis scilicet naturam, & adhærentem morbum. Sic enim in quolibet homine, duo quædam uidemus: Bonum scilicet quod fecit De-
Sapien. 2. us, & malum quod adiecit Diabolus. Inuidia enim Diaboli, mors intrauit in orbem terrarum. Et uere miserandum est, tam nobilem creaturam in tanta mala recidisse. Vnde & Christus quasi commiserans: Hanc, inquit, filiam Abrahæ, quam alligauit Satha-
Luc. 13. nas decem & octo annis, nonne oportuit solui, &c. Immo hæc ipsa commiseratio, ipsum é cœlo traxit: Dominus, inquit, de cœlo in ter-
Psal. 101. ram prospexit, ut audiret gemitus compeditorum, &c. Et tamen plærique nostrum nondum sentiunt se miseros & deplorandos, cum tamen in medijs malis sint. Discamus igitur ex hoc loco, quanta mala nobis inuexerit peccatum. Vnde enim tam uariæ infirmitates,
Hiere. 2. nisi ex peccato? Hinc Hieremias: Vide, inquit, quam amarum sit reli-
Thren. 4. quisse Dominum. Et iterum: Væ nobis, quia peccauimus.

Deinde discamus ex hoc ægroto, quanta mala in nobis lateant. Quicquid enim malorum in alijs externe uidemus, ea in nobis latent, nec ob aliud Deus miserandos aliquorum hominum morbos ob oculos nobis ponit, quam ut uel hinc discamus, quam misera creatura sit homo, quanquè misericorditer nobiscum agit Deus, nos præueniendo & pręseruando à malis, in quæ aliàs incideremus.

Quicquid enim malorum uni homini contingit, hoc omnibus contingeret, ni manus clementissima Dei præseruaret. Ideo autem Ioannes morbi diuturnitatem tam exacte ponit. Primo, ut miraculi magnitudo commendetur. Secundo, ut doceat, non fortuito hominem hunc tanto tempore morbo affectum fuisse, nec casu ęgritudinem dilatam, nec temere ab alijs præuentum, nec sine causa hominem non habuisse, qui eum in piscinam mitteret. Hæc enim omnia uoluntate Dei sic desponsata sunt, ut glorificaretur Christus.

Hinc

Hinc igitur discamus, omnes nostras afflictiones potissimum uoluntate & opere Dei diutius durare, ut tandem Dominus in nobis glorificetur. Sic infra de cæco dicitur: Neq; hic peccauit, neq; parētes eius, ut cæcus nasceretur, sed ut manifestentur opera Dei in eo. Ioan. 9. Sic Israëlitæ nō ideo tam dure, tamq; diu in Ægypto afflicti sunt, ut perderentur, sed ut glorificaretur nomen Dñi ipsis liberatis, et Rege potētissimo deiecto. Sic Iob multis mensibus in grauissimos inferni dolores coniectus est, ut per doloris diuturnitatem, manifestum fieret, omnem hominem esse mendacem, Deum autē solum ueracem: sicq; nomē Dei per illum glorificaretur. Sic & Ioseph diu post somniū suum partim in seruitute, partim in uinculis mansit: sed nulla alia ratione, quàm ut nomen Dei per illū glorificaretur. Nomen aūt Dei glorificatur, quando facto quopiam manifestatur eius potentia, sapientia, aut misericordia, ut inde pij assurgant in laudem eius, & discant confidere, & timere. Hinc igitur & nos discamus patienter ferre manum Domini, nec per infidelitatem festinemus, sed per fidem expectemus: certi quod etiam si Dominus moram fecerit, ueniens tamen ueniet & non tardabit: ad huc quidem uisus procul est, apparebit tamen in finem, & non mentietur. Rom. 3. Gene. 37. Abac. 2.

Hunc cum uidisset Iesus, &c.]

Quod inter multos infirmos Christus hunc potissimum uidet, immo cognoscit eum multum tempus habere, confirmatio est, eorum quæ iam diximus, nempe quod Dominus, etiamsi tardauerit, tamen ueniens ueniet. Hinc & Sapiens: In tempore (inquit) erit respectus illorum. Summa autem afflictorum consolatio esse debet, quod Dominus eos uidet, & insuper cognoscit eorum afflictiones. Sic in Ægypto uidisse dicitur afflictionem filiorum Israel. Deinde, etiam ideo hunc potissimum uidit, quia omnium maxime deploratus erat: Excelsus enim Dominus humilia respicit. Itemq;, quia eius calamitas profectura erat ad miraculi magnitudinem. Et demum, quia eius nobis fides conducebat ad exemplum. Sed cur (inquis) non eodem modo & alios respexit & sanauit? Primum respondeo, quia non ut medicus corporum, sed animarum uenit, nec externa mala à suis semper aufert, quin potius crucem eis reliquit & prædixit. Deinde, quia plærisq; magis conducit infirmos esse, quā sanos. Sapien. 3. Exod. 3. Psal. 112.

Vis sanus fieri?]

Magna Dei misericordia, non expectat ægroti preces, sed ipse eum præuenit. Qui enim percutit, ipse idem & sanat. Hinc in Osea dicit: Sanabo contritiones eius, diligam eos spontanee, quoniam auersus est furor meus ab eis. Huc pertinet, quod in Psalmo dicitur: Vidit cum tribula[illegible]ur, & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. Et [illegible] Thobiæ: Cū iratus fueris, misericordiam Osee. 14. Psal. 77. Thob. 3.

Iudith. 8. facies. Congrue igitur Iudith nos monet: Non (inquit) ulciſcamur nos pro his, quæ patimur, ſed peccatis noſtris deputantes, credamus ea non ad perditionem, ſed ad correptionem nobis accidiſſe.

Sicut igitur Chriſtus hic præuenit ægroti preces, ſic immenſa ſua miſericordia, omnium ex fide laborantium uota præoccupat. Iuxta Eſai. 65. illud: Erit (inquit) antequam clament, exaudiam eos. Quamuis autem Chriſtus deſiderium pauperis huius iam dudum audierat, & pręparationem cordis eius: tamen eum interrogat. Primo, ut eum ad petendum inuitet, ac deſiderium eius excitet.

Deinde, ut occulte doceat, ſe eum eſſe, qui inuocatus ſanare poſſit. Præterea, hac interrogatione oſtendit ſe nullum cogere, ſed unumquęq; relinqui in manu conſilij ſui, num uelit ſanari: Appoſuit Eccle. 15. (inquit) ei uitam & mortem, bonum & malum, quodcunq; uoluerit dabitur illi. Non eſt igitur, quod expectes, donec Deus te cogat: ſatis enim ſuperq; quod ſuum eſt facit, dum gratiam ſuam tibi offert. Deniq;, hac interrogatione ſubindicare uoluit Chriſtus, neminem ab animi uitijs ſanari poſſe, niſi morbum ſuum oderit, & ſalutis deſiderio teneatur. Demum etiã hoc uerbo Apoſtolos docet, quod de homine non debet quæri, qualis ſit perſona, aut ex qua gente: ſed hoc ſolũ, utrum peccata ſua relinquere, & iuſtitiã operari uelit.

Domine hominem non habeo, &c.]

Quaſi diceret, Non deeſt mihi uoluntas, nec etiam ſpes, ſed hominis baiuli auxilio deſtitutus ſum. Igitur ſi quid potes, adiuua. Nam ex ipſa interrogatione tua, uideris mihi auxilium polliceri.

Hic igitur primo diſcamus fidem huius hominis, quam ex una compellatione Chriſti concepit, ut nihil non magnum ab ipſo expectaret. Vbi interim noſtra cõfunditur incredulitas, qua fit, ut quantumuis benigne nos Chriſtus alloquatur, non tamen ei credimus. Deinde, ex hac infirmi reſponſione, uidemus eius charitatem, quæ 1. Cor. 13. ut non inuidet nec irritatur, ita languidus hic non accuſat, non conuitiatur, non maledicit alijs, qui ipſum præuenerunt, ſed citra contumeliam aliorum, narrat quod præueniatur. Præterea, etiam non paruam præ ſe fert humilitatẽ, qua non audet aperte petere, propter Luc. 18. ſuam indignitatem, quemadmodum & alibi Publicanus ille nõ audebat faciem ad cœlum leuare. Videmus inſuper in hac languidi reſponſione, inſignẽ eius tolerantiam in cruce. Non enim deuouet ſe ipſum diris, non execratur diem natiuitatis, ſed patientiſsime ſuam calamitatẽ deplorat. Poſtremo inſignem etiam eius ſpem & longanimitatem hic uidemus, quamuis enim tot annis fruſtratus eſſet, Roma. 4. non tamen deſperat: ſed exemplo ipſius Abrahæ cõtra ſpem in ſpem credidit. Atq; hæc ſunt, quæ Chriſto placent, unde protinus, hac eius reſponſione delectatus, reſpondit.

Surge.

Surge.]

Christus solo uerbo sanat, ut ostendat, se plus posse, quàm Prophetæ. Hi enim orando fecerunt miracula, Christus autem præcipiendo. Hinc turba mirabatur eo, quod loqueretur tanquam potestatem habens, & non sicut Pharisæi eorum. Secundo, per hoc ostendere uoluit, etiam eos, qui motu piscinæ sanabantur, sua uirtute sanari. Discamus & nos, hic peccata in Baptismo ablui, non uirtute aquæ, sed uirtute uerbi potissimum. Obserua autem, quod Christus plus præstat, quam miser ille sperare poterat. Is enim solummodo sperabat, se à Christo ualido homine, ad piscinam deportandum, sed maiora accipit, nempe perfectam sanitatem. Sic Ioseph patienter expectans, ne dum fratribus suis superior euadit, sed & toti Ægypto præficitur. Sic Iob, sic Thobias maiora accipiunt, quam sperare poterant. Discamus igitur patienter expectare: Spes enim non confundet nos: Et omnes qui expectant Deum, non confundentur. Matth. 7. Roma. 5. Psal. 24.

Tolle Grabathum tuum, & ambula.]

Hoc præcipit Christus, ut miraculũ celebrius reddatur, omnesq; uideant, eum uere sanatum. Nam lectum ferre non potuisset, nisi iam membra firma & robusta facta fuissent. Ob eandem causam & in nuptijs iussit Architriclino uinum prægustandum offerre, & discipulos fragmenta panum colligere, & leprosum sacerdotibus se ostendere, ut clariora fierent & magis conspicua eius miracula. Deinde, etiam ideo hoc languido, sed iam sanato præcepit, ut alij uidentes eum in Sabbato lectum portare (quod lege prohibitũ erat) quærerent facti causam, certioresq; de miraculo fierent. Vult enim Deus, ut opera sua conspiciantur, ad aliorum excitationem. Ioan. 2. Ioan. 6. Matth. 8. Hier. 17.

Et statim sanus factus est.]

Efficacia uerbi demõstratur, ut certo sciamus, Euangelij uerbum potentiam Dei esse ad salutem omni credenti, ut maxime extrinsecus contemptibile appareat, & à mundo persecutionem patiatur. Discamus igitur uerbo fidem adhibere, etiam si interim multa diuersa uideantur. Quod autem infirmus ille præceptum Christi implet, fidei & confessionis est. Oportet enim ut etiam coram alijs confiteamur, quæ à Deo accepimus, neq; nomen eius erubescamus, qui nos sanauit: Alioqui & ipse nos negabit coram patre suo. Moraliter: Infirmus hic peccatorem quemlibi significat. Roma. 1. Luc. 9.

Huius infirmitas 38. annos habet: quia à quadragenario numero, qui pœnitentiæ est dedicatus, binario differt. Caret enim dilectione Dei & proximi, & ideo per pœnitentiam conualescere non potest. Hic infirmus seipsum sanare non potest: quia homo est spiri- Psal. 77.

tus uadens, et non rediens, hoc est, ualens peccare, sed non resurgere. Sed nec hominem habet, qui ei auxilio esse possit, tum quia peccatum nedum naturam uulnerat, sed etiam priuat communione sanctorum: tum quia solus & purus homo eum sanare non potest, sed oportet quod sit Deus & homo. Hunc igitur Christus sanaturus, primo interrogat num uelit sanari. Hoc autem facit cum dicit:
Ezech. 18. Zacha. 1. Matth. 11. Nolo mortem peccatoris, sed ut cõuertatur, & uiuat. Item, Conuertimini ad me, & conuertar ad uos. Item, Venite ad me omnes, qui laboratis, etc. Deinde eũ sanat uerbo, et sacramentis. Demum ei præcipit, ut surgat è peccato, tollat lectũ suum, hoc est, diligat proximum. Quam diu enim languidus eras, portabat te proximus: Nunc cum sanus effectus sis, porta tu uicissim & aliorum defectus: Alter (inquit)
Galat. 6. alterius onera portate, &c. Postremo præcipit, ut ambulet ad Deum, &c. Allegorice autem, hic homo significat populum Gentilem, qui ne dum grauius ægrotabat, eo quod nullum remedium sciebat, sed etiam diuturnius quam Iudæi. Nam 38. annos habebat in infirmitate, id est, olim desperatus erat, perdita corporis & animæ temporali & æterna salute, fraudatus uitæ prȩsentis pariter, & futuræ ueritate. Nam per 30. annos (qui numerus annorum plena uiri ætas est) uitæ præsentis perfectio, per octo annos uitæ futuræ æternitas (cuius octo sunt beatitudines, quæq; octaua mundi ætate perficietur) recte figuratur. Hunc igitur Christus sanauit uerbo, Iudæis frustra apud piscinam suam iacentibus, hoc est, frustra in aqua legis confidentibus. Sanatus autem statim lectum suum portare cœpit, hoc est, manifesta uerȩ sanitatis indicia ostendit, ac Christo per omnia obediuit.

Erat autem Sabbatum in die illo.]

Hoc Ioannes signanter addidit, quia inde Pharisæi calumniæ seminarium accipiebant. Legis enim prȩceptum erat: Nullum facias
Exod. 20. Hiere. 17. Sabbato opus. Et in Hieremia: Custodite animas uestras, & nolite portare pondera in die Sabbati. Quod autem Christus præcipit, ut portet lectum, non fecit in contemptum legis. Non enim uenit
Matth. 5. soluere legem, sed adimplere. Verum ideo mandat infirmo, ut tollat lectum suum in Sabbato, ut manifestius fieret miraculum. Si enim non fuisset Sabbatum, nemo interrogasset, cur lectum portaret. Deinde, hoc facto Christus ostendere & docere uoluit, ueram Sabbati rationem. Hanc enim Iudæi uere nesciebant, quantumuis de Sabbato suo gloriarentur. Primo enim putabant, Sabbatum tantum propter ocium & cessationem à rebus externis institutum, cum longe alia fuerit instituentis intentio. Non enim dixit: Septi-
Exod. 20. mam diem ocio celebrabis, sed sanctifices. Aliud autem est ociari, aliud sanctificare: Illud etiam Pagani sciunt, hoc autem soli fideles.

Huc

Huc pertinet, quod per Moysen dicit: Videte, ut Sabbatum meum custodiatis, ut sit signum inter me & uos: Vt sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico uos. Ex hoc uerbo plane patet, Sabbatum Iudaicum umbram ac signum esse, & ueritatem habere absconditam. Vmbra etenim est nullum seruile opus aut externum, uel manuariũ facere in Sabbato. Veritas est, Nullum peccatum (quod uere seruile opus est, perpetuã seruitutẽ inducens) facere in Sabbato: uerum sinere, ut per nos Deus sua sancta opera exequatur. Sicut in Isaia dicitur: Si auerteris pedem tuum, facere uoluntatem tuam in die sancto meo, &c. uocaberis Sabbatum delicatum, &c. Iam quia nunquam licet peccare (qui enim Christo uiuit, peccato mortuus est) Semper enim oportet Adamum nostrum ferias agere, ut Deus nos sanctificet, ac opera sua per nos exequatur, proinde reuelato Euangelio, perpetuus est Sabbatismus. Ideo Paulus ait: Qui ingressus est in requiẽ Dei, requieuit & ipse ab operibus suis, quemadmodum & Deus à suis. Et Isaias: Erit Neomenia ex Neomenia, & Sabbatum ex Sabbato. Deinde Iudæi sola externa & carnalia legis superstitiose seruabant, neglectis his, quę erant præcipua & perpetuo duratura, nempe charitate et iustitia, &c. quemadmodum Christus eis improperat. Duo igitur nos hoc facto docuit. Primo, Sabbatum non propter ocium institutum esse, sed propter sanctificationem. Secundo, charitatem omnibus legibus prę ferendam. Finis enim legis est charitas. Et: Misericordiam uolo, non sacrificium.

Exod. 31.

Ioan. 8.

Isai. 58.

Heb. 4.

Isai. 66.

Matth. 23.

Roma. 13.

Matth. 9.

Hinc igitur discamus & nos, quomodo & quatenus constitutiones nostras seruare debeamus, &c.

Sabbatum est: Non licet tibi tollere, &c.]

Etiam hic uidemus, uerum dixisse Paulum, quod Iudæi æmulationem quidem Dei habebant, sed non secundum scientiam. Primo enim nesciebant omnia præcepta legis in unam charitatem dirigenda, quemadmodum Christus probat in Matthæo: Si, inquit, sciretis quid est, Misericordiam uolo, et non sacrificium, non condemnassetis innocentes. Deinde literam legis tantum ponderabant, non autem intentionem instituentis. Sabbatorum ocium uiolasse, nefarium erat apud eos: Proximum autem fraudasse, nullius erat momenti. Sabbato sustulisse Grabathum, impium haberi uolebant: inuidere misero salutem, culpa non erat. Huiusmodi prępostera iudicia, etiam in nobis uidemus, &c. Et quamuis scirent eum, qui ligna in Sabbato collegerat, iussu Domini fuisse occisum, imprudenter tamen illud exemplum ad hunc infirmum trahebant. Illic enim fuit contemptus, hic necessitas: Illic prohibitio Domini, hic autem præceptum eius.

Roma. 10.

Matth. 12.

Num. 15.

Qui me sanum fecit, ille mihi dixit.]

Non dissimulat beneficium acceptum, & Domini Iesu autoritate criminis inuidiam à se depellens, significat eum, qui rem tantam uerbo præstare potuerit, homine simul & Sabbato maiorem uideri. Vtinam & nos semper in mente & ob oculos haberemus Dei beneficia, tunc enim intrepide ac feruenter mandatis eius obediremus. Cum igitur grauia tibi uidentur Dei præcepta, cogita, quis ea præceperit, itemq; cum mundus te propterea uituperat, contemnit, dic: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, &c.*

Quis est ille homo, qui dixit tibi, &c.]

Hactenus in eum, qui sanatus fuerat, inuecti sunt: Nunc etiam salutis authorem calumniare incipiũt. Per hoc igitur produnt se ipsos, quod nec fidem nec charitatem habeant. Duo quædam audierant ab homine illo. Primo, Qui me sanum fecit. Secundo, Ille mihi dixit: Tolle Grabathum tuum. Primum autem omittentes quod bonum erat, illud tantum arripiunt, quod calumniæ proximum uidebatur. Sic facit inuidia, non attendit bona, sed tantum mala in eo, quem odit. Debuerant Iudæi ex tanto miraculo fidem confirmare, potentiam Dei admirari, ac gloria eum celebrare, interim & sanato per charitatem congratulari, sed neutrum faciunt. Impij enim è mirabilibus Dei obstinatiores fiunt, ut & in Pharaone uidemus. Sic plærunq; hypocritæ ficta iustitia tumidi, & fide & charitate uacui inueniuntur, &c.

Exod. 7.

Nesciebat Iesum quis nam esset.]

Verbum audierat à Christo, quod fide apprehenderat. Non autem norat eum de facie, nec hoc quærit Christus: Beati enim, qui non uiderunt, & crediderunt. Cum econtra corporalis Christi præsentia Iudæis nihil profuerit.

Ioan. 20.

Iesus enim declinauerat á turba.]

Subduxerat se Iesus. Primo, ut se absente testimonium hominis illius suspitione careret. Secundo, ne aduersarios irritaret. Poterat quidem eos spiritu oris sui perdere, sed se ipsum exinaniuit usq; ad extremã impotentiam, ut exemplo eius discamus, nõ tentare Deum, & declinare iratorum insaniam, donec aliquantulum iræ deferuescat. Graue enim est saxum, & ponderosa harena, sed ira stulti grauior utroq;. Tertio, ut doceret nos post perpetrationẽ magnorum operum, fugere gloriam hominum & applausum. Quarto, ut & nos quietum locum quæramus ad uacandum Deo. In turba enim plurima sunt obstacula deuotionis & puritatis. Ideo signanter dicit, Eum declinasse à turba, non à loco. A nullo enim loco Iesus declinat: Nam ubique est. Sic spiritualiter Deus non declinat à loco suo, qui est & Ecclesia: Deus enim in loco sancto

Phil. 2.

Prou. 27.

Psal. 67.

suo,

ſuo, ſed ab his declinat, qui turbam faciunt in loco ſuo, id eſt, in Eccleſia.

Poſtea inuenit eum Ieſus in templo.]

Non ſemel tantum Deus hominem uiſitat, ſed ſubinde & frequenter, quamdiu homo non obſtinato animo ipſi repugnat. Quia autem iam cognitum erat miraculum, nunc uult ut & miraculi author cognoſcatur. Item, quem à peccatis ſemel liberauit, hunc deinde prouocat ad gratiarum actionem. Obſerua autem, quod eum in templo inuenit, non in delitijs aut uanitatibus mundi. Vnde cognoſcere poſsumus, eum gratum fuiſſe Deo pro ſanitate. Longe aliter nos facimus: Statim enim, ut liberati ſumus, in maiora mala prorumpimus, &c.

Ecce ſanus factus es.]

Duo quædam ei incultat. Primo ſanitatem acceptam, ut gratus ſit. Secundo futurũ iudicium, ut timeat: hæc enim duo omnibus nobis neceſſaria ſunt. Vide autẽ, quibus uerbis eum alloquatur. Non dicit: Ego te ſanum feci, ut exemplum nobis daret humilitatis. Deinde non dicit: Ego te puniam, ſi peccaueris, ob eandem cauſam. Quod autem ait: Noli amplius peccare, ſignificat primo, quod plærunq; morbi ex peccato proueniunt, ut patet ex lege. Deinde hic locus arguit eos, qui putant incongruum pro peccato, quod breui tempore perpetratur, hominem æternaliter puniri. Hic enim homo non peccauerat triginta octo annis, & tamen tanto tempore punitus fuit. Tertio ex hoc uerbo uidemus maiora mala imminere his, qui relabuntur: fiunt enim nouiſsima hominum illorum, peiora prioribus. Vnde & Sapiens monet: Fili peccaſti, ne adijcias, &c. Item, Ne ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, &c. Obſerua autem, quod aliter flagellantur iuſti, aliter iniuſti: Illi ad probationem, hi propter peccata. Deinde impijs afflictio perditio eſt. Iuxta illud: Populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe. Pijs uero eſt diſciplina, qua docentur effugere iram Domini, & uoluntati eius obſequi. Hinc Paulus: Dum iudicamur (inquit) à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Summa, quam diu ſub lege & in peccatis ſumus, punimur propter peccata: Quando autem ſub Euangelio ſumus, punimur ad probationem. Duo autem in omni afflictione conſyderanda ſunt, iudicium & miſericordia. Iudicium, quod propter peccata punimur. Miſericordia, quod puniens non in hoc punit, ut perdat, ſed ut conuertat, modo ei credamus. Hinc Nahum dicit: Bonus Dominus & cõfortans in die tribulationis. Et in Pſalmo: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, &c.

Deut. 28. Leuit. 26. Matth. 12. Eccle. 7. Eſai. 9. 1. Cor. 11. Pſal. 49.

Obſerua item, quod Chriſtus dicens: Noli amplius peccare, ſubindicat, ſe uidiſſe priora eius peccata, ut uel ſic eũ à peccatis deterreret.

Demum

Demum etiam hoc obserua, quod Christus primo blande allo-
cutus est infirmum, nunc autem sanato uiuendi præcepta dat, & fu-
tura mala pronunciat, si ingratus fuerit. Sic Euangelium primo
quidem blande nos alloquitur, nihil de operibus dicit, sed citra om-
Matth. 5. nia merita gratiam pollicetur: Postea autem etiam uiuendi præcepta
Matth. 24. præscribit, immo & futurum iudicium comminatur ingratis. Qui
& 25. igitur primam Christi uocē amplectitur, qua gratis offert gratiam,
is etiam audiat eum, præcepta uiuendi proponentem: alioqui, nihil
Matth. 17. prodest Christum audire in uno, nisi eum audias & in altero: Vult
enim pater, ut eum simpliciter sine exceptione audiamus. Vides igi-
tur, quomodo se ipsos tam misere decipiant, qui tantum ex Euange-
lijs promissiones arripiunt, alia autem nihil curant.

Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis, &c.]

Sunt qui putant hominem maligno animo hęc Iudæis nunciasse, id quod summa fuisset ingratitudo: quanquam non raro uidea-
1. Cor. 13. mus, quosdā pro acceptis beneficijs nedū gratias non referre, sed in-
super pro benefactis mala rependere. Immo maior pars hominum
tantam ingratitudinem Deo exhibet, ut quotidie experimur. Ve-
rum, cum charitas non suspicetur malum de proximo, sed semper
bene de ipso speret & credat, uerisimilius mihi uidetur & magis con
gruum, si dicamus eum bono animo hæc Iudæis nunciasse, nempe,
ut cognito tanto medico, cessarent persequi eum, immo & ipsi accur
rerent, sanitatē animæ accepturi. Cum enim hactenus multa bona
de homine hoc subindicarit Euāgelista (nempe quod in infirmitate
& fidem, spem, charitatem, & tolerantiam ostenderit: Et post sani-
tatem recuperatam nō alibi, quam in templo inuentus sit) nulli du-
bium est, quin & hoc in eius commendationem dixerit Ioannes.
Huc pertinet, quod eum hominem nominat, quo nomine indignus
fuisset, si in tantum benefactorem tam ingratus immo tam crudelis
fuisset. Maxime autem pia eius intentio, ex uerbis ipsius probatur.
Non enim quasi accusans, dixit, quod Iesus esset, qui tollere Graba-
thum in Sabbato imperasset, sed qui eum sanum fecisset: quare patet
nihil eum aliud uoluisse, quam medicū ostendere. Alioqui, si ma-
ligno animo hęc dixisset, utiq; miraculū ipsum obticuisset, tantumq;
arripuisset id, quod calumniæ proximum erat, quemadmodum &
Iudæi supra fecisse memorantur. Hic igitur uides, quid faciat & in-
uidia & charitas. Sicut enim illi supra, partem illam, quā criminare
non poterant, silentio præterierūt, tantumq; arripuerunt quod ma-
lum uidebatur: sic hic econtra, partem illam, quā illi criminabantur,
silentio præterit, partem autem nulli patentem reprehensioni, nun-
ciat insidiatoribus. Sic enim charitas facit, bona tantum uidet in pro
ximo, mala dissimulat, inuidia autem contrarium facit.

Habemus

Habemus igitur in homine hoc plura exempla notatu digniſsima. Primo enim opus Dei in ſe factum alijs manifeſtat, nec ſemel tantum, ſed ſubinde: nec opus tantum, ſed & authorem: Hoc enim à nobis exigit Deus. Hinc Petrus: Vos eſtis gens ſancta, &c. ut enarretis uirtutes eius, qui uos uocauit, &c. 1. Pet. 2. Et in Thobia: Opera Dei confiteri honorificum eſt. Thob. 12. Secundo non contentus eſt homo ille propria ſanitate, niſi & alijs medicum oſtenderet. Sic & unicuiq; noſtrum Deus mandauit de proximo ſuo. Tertio etiam è templo exit ad eos, qui foris erant, ut ad Chriſtum eos introduceret. Eccle. 17. Non ſic feciſſent hypocritæ, ſed ſuam deuotionem fictã, charitati & proximorum ſaluti præpoſuiſſent.

Verus autem Chriſtianus, nonnunquam quieti præponit laborem, propter ſalutem proximi. Non enim ſibi uiuere, ſed alijs proficere ſtudet. Quarto, uerbum illud, quo Iudæi prius offenſi erant, nunc obticens, tantum ea loquitur, quibus moueri in amorem & admirationem Chriſti poterant. Sic uere pius non addit oleum igni, hoc eſt, ſi quẽ uidet commotum contra alium, non inſtigat aut incitat, ſed mitigare eum ſtudet: Non ſic faciunt detractores, &c.

Quæ autem hactenus de homine illo dicta ſunt, hæc in hunc uſq; diem facit Eccleſia de Gentibus. Semper enim uirtutem & nomen ſaluatoris ſui confitetur, uolentibus nolentibus Iudæis, immo nonnunquã è templo exit ad eos foris poſitos, uel potius flagellis eiectos, ut eos in templum reducat. Verum ſicut homo ille fruſtra Iudæis Chriſtum nunciauit, ſic & Eccleſia nunc fruſtra laborat in Iudæis cõuertendis. Stat enim foris ſenior frater, indignans, quod iuniorem filium pater in gratiam receperit, nec intrare dignatur, donec ipſe Pater exeat, & per ſemetipſum eum introducat. Luc. 15.

Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum.]

Etiam hic ſe prodit Iudæorum exitio digna peruerſitas. Samaritani in eum crediderant cum biduo tantum apud eos fuiſſet, nec aliquod ſignum feciſſet. Galilæi cum pauca uidiſſent ſigna, tamen redeuntem ſuſcipiunt, & hi tamen inter Iudæos ob ignobilitatem & legis imperitiam male audiebant. Regulus, mundanus ſcilicet homo, ob unum miraculum cum omni domo ſua credidit. Hieroſolymitæ autem, & urbis nobilitate & templi religione tumentes, et exacta legis peritia ſeſe uenditantes, uiſo tam ingenti miraculo, nedum non credunt, ſed & perſequuntur. Emphaſim aũt habet quod dicit: Propterea, quod hæc faciebat. Iuſta nimirum cauſa erat, ob beneficium tantum, perſequi ſaluatorem, eum ob id uel potiſsimum amãdus eſſet, quod ſemper omnibuſq; diebus paratus eſt ſuccurere. Ioan. 4.

Hic igitur uidemus inſignem eorũ cęcitatem, indignantur Ieſu, quod hominẽ miſerandũ ſanaſſet Sabbato, cũ ipſi qui ſibi uidebãtur

legis

legis tenaciſsimi, non uererentur aſino in puteum delapſo ſuccurre-
re in die Sabbati. In homine ſanato calumniantur offenſum De-
um, ſine cuius auxilio non poterat ſanari homo: In aſino ſubleuato
non exiſtimant uiolari Sabbati religionem. Et cum Sabbatum ad
requieſcendum miſeris ſeruientibus, & ad reperandos artus ſolutos
Deut. 5. datum ſit, dicente Moyſe: Vt requieſcat bos tuus, & ſeruus, &c. ipſi
iudicabant opus morte dignum, quod Chriſtus requiem præbue-
rat infirmo laboranti. Deinde uidemus hic inſignem eorum ma-
litiam: Euidentius erat ſignum quam ut negari, ſanctius quam ut re-
prehendi poſſet, quid enim ſanctius, quam homini calamitoſo gra-
tis dare ſalutem? et tamen cum opus ipſum calumniari non poſſent,
Sabbati uiolationem impugnant. Sic enim inuidia ſemper inuenit
quod calumnietur, quaſi Deus non poſsit diſpenſare in lege ſua, uel
quaſi Sabbatum in præiudicium hominis inſtitutū ſit, uel quaſi cæ-
remoniæ plus obligent, quam prçcepta charitatis, uel quaſi Sabba-
Luc. 14. tis non liceat benefacere, cum omnia hæc contrario modo ſe habe-
ant. Primo enim poteſt Deus in lege ſua diſpenſare, & excipere
Roma. 13. quos uult. Sic contra præceptum: Non occides, excepit magiſtra-
tus, quibus commiſit gladium. Sic contra præceptum: Non facies
Exod. 3. furtum, diſpenſauit cum Iudæis, dum eis præcepit, ut ſpoliarent
Ægyptum. Deinde Sabbatum ad utilitatem hominis inſtitutum
Matth. 12. eſt: Non enim homo propter Sabbatum, ſed Sabbatum propter
hominem eſt. Præterea, non cæremoniis præcepta charitatis, ſed
præceptis charitatis cæremoniæ cedere debent. Non enim qui cæ-
Roma. 13. remonias ſeruat, ſed qui diligit proximum, legem impleuit.

Demum etiam Sabbatis licet benefacere, immo tunc uel maxi-
Exod. 20. me tenemur benefacere. Scriptum enim eſt: Sabbata ſanctifices, hoc
eſt, ſanctis operibus inſiſtas eo die. Non igitur mirandum, quod
Chriſtus potiſsimum Sabbatis miracula faciebat. Non enim hoc fe-
cit in contemptum legis, nec ut eos prouocaret, ſed quia lucerna
Ioan. 1. erat: & ut lucerét in tenebris in mundum uenerat, ideo non in ab-
Matth. 5. ſcondito, ſed ſuper candelabrum ponendus erat. Nemo enim ac-
cendit lucernam, & ponit eam ſub medio, ſed ſuper candelabrum.
Bene ergo in oculis omnium, lucem ſuorum operum propolare de-
Ioan. 18. bebat: Bene in Synagogis et in templo, quo omnes Iudæi conuenie-
bant, operari & docere illum decebat. At illi non qualicunq;
die, ſed Sabbatis & Neomenijs alijſq; feſtis, ſolennes agebant con-
uentus. Oportebat igitur, ut tunc cum domus plena eſſet, expan-
Coloſſ. 2. deret lumen corporaliter in ſe inhabitantis diuinitatis, ut oculi ſim-
Ioan. 15. plices in lumine eius gauderent, & oculi nequam excuſationem de
peccato ſuo non haberent. Hæc enim lucerna nullum oculum, ob
ſui præſentiam, nequam eſſe faciebat, ſed tantum à ſimplici oculo di-
ſtinguebat, quemadmodum artifex per oſtenſionem artis ſuæ,

neminem

neminem bonum uel malum esse facit, sed tantum ab effectis deprehendit & discernit, quis inuidus, quis erga se beneuolus sit.

Pater meus usq; modo operatur, & ego operor]

Hoc uerbo rationem reddit uiolati Sabbati, id quod & in alijs Euangelistis fecisse legitur, sed multo aliter. In alijs enim adducit exemplum Dauidis, qui legem de panibus propositionis in necessitate uiolauit: adducit & exemplum sacerdotum, qui Sabbato uiolabant legem. Itemq; eorum, qui ouem collapsam è fouea extrahunt die Sabbati. Hic autem adducit authoritatē Patris, docetq; simul & se operari & Patrem. Nec mirum, quod hic sublimius & diuinius rationem reddit: Illic enim discipulos excusat, hic seipsum. Est autem sensus uerbi, quasi diceret, Pater meus cœlestis, cuius uos uideri uultis religiosi cultores, quicq; uobis Sabbati fuit author, cum orbe sex diebus condito, septimo requieuisset ab opere, non ita se obligauit ocio, quoniam quoties uisum est, possit quæ uelit operari. Nam cum illius Sabbatum adhuc duret, non cessat tamen ab opere, quo gubernat omnia quæ condidit, quo subinde res alias ex alijs progenerat, quo collapsa restituit. Sicut igitur ille ob religionem Sabbati, quo dicitur ab opificio mundi conquieuisse, non desinit quotidie benefacere mortalibus, ac rebus omnibus: ita & ego, qui filius illius sum, ab eo & exemplum & potestatem habens operandi quę faciunt ad salutem generis humani, non impedior religione Sabbati, quo minus ea perficiam, quæ Pater mandauit. Quod igitur in alijs locis dicit: Dominus est filius hominis etiam Sabbati, hoc loco exponitur, cur & quomodo sit Dominus Sabbati. Deinde hac oratione breuissime & apertissime docet, se Patri æqualem in natura & operatione. Matth. 12. Gen. 1. Matth. 12.

Quod eiusdem naturæ sit, patet ex eo quod non dicit: Pater noster operatur, sed meus. Deinde non tantum dicit: *Pater meus operatur*, sed confestim addit: *Et ego operor*.

Ipse enim uerbum & uiuens consilium atq; uirtus Patris subsistens est, ac ideo uniuersa operatur cum Patre. Ideo, ut iratos sibi propter Sabbatum recōciliaret: *Pater meus* (inquit) *usq; modo operatur*, &c̄. quasi diceret, Si creditis nutu & uoluntate opificis Dei, Sabbati quoq; die omnia gubernari, ac Solem quidem oriri, fontes fluere, plantas è terris prorumpere, &c̄. cur temere eum accusatis, per quem Pater omnia operatur? Omnia enim Pater non aliter, quàm per uerbum, uirtutem & sapientiam suam, qui filius eius est, peragit.

Subindicat etiam hoc uerbo Iudæorum calumniam, quam sibi impingebant in ipsum Patrem recidere, ut uel sic eos absterreret ab huiusmodi calumnijs. Sic enim & alibi ait: Qui me odit, & Patrem meum odit. Sic & nunc quicquid iustis, qui filij Dei sunt, irrogatur, Ioan. 15.

Zach.2. hoc in ipsum Deum recidit: Qui, inquit, tangit uos, tangit pupillam oculi mei. Signanter autem pertinet locus iste ad prouidentiam diuinam, quo discimus Deum omnia in omnibus operari. Ex ipso Rom.11. enim tanquam principio, per ipsum tanquam medium, & in ipso tanquam in fine, sunt omnia. Qua sententia, si quis eam ratione metiatur, nihil uidetur absurdius: Contra, pij nullam præsentiorem habent consolationem, quàm quod sciunt, in manu Dei esse, uitam, uictum, & mortem ipsorum, omniaq; sua regi & disponi præsente Patre. In omnibus igitur aduersis bene confidunt pij homines: Certi enim sunt, quicquid sibi euenerit, è manu Dei euenisse. Deus autem non affligit ut perdat, sed ut seruet: non mortificat, ut pereamus, Hier. 29. sed ut uiuificemur. Cogitationes, inquit, meæ, cogitationes pacis sunt, & non afflictionis.

Postremo, hoc uerbo latenter etiam minatur Iudæis, & omnibus impijs, ne putent Deum omnino dormire nunc, & nihil curare nostra, quandoquidem scriptum est, eum requieuisse ab opere suo: Non (inquit) dormit Pater, sed operatur usq; nunc, quibuscunq; Genes. 1. enim diebus & occidit, & uiuere facit, percutit & sanat, & quacunq; die apprehenderit hominem dignum morte: quacunq; die peccator in manus eius inciderit, non est Sabbatum, quod illum de manu eius possit eruere. Et quia iam uos homicidium contra me cogitatis, scitote, quod Pater meus iam operatur, delet enim uos de libro Hier. 17. suo, immo peccatum uestrum stilo ferreo in ungue adamantino scribit, forti scilicet opere, & profunda scriptura, quam inæternum nemo delebit.

Hinc igitur & nos timere discamus.

Propterea ergo magis persequebantur eum]

Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, semper suo pondere ad maiora trahit. Sic hi primo odiunt Christum, secundo persequuntur, nunc etiam interficere quærunt, ut appareat, non sine Rom.3. causa Paulum in eos torsisse illud Dauidicum: Veloces pedes eo- Psal. 13. rum, ad effundendum sanguinem.

Quod Patrem suum dixisset Deum]

Christus non simpliciter dixit, Patrem suum esse Deum, quemadmodum Deus Pater est omnium piorum, sicut in Propheta dicit: Hier.31. Factus sum Israëli Pater, & Filius meus primogenitus Ephraim: sed Deum ita Patrem suum dixit, quod omnia sua opera, Dei Patris sint opera, hoc est, quod eiusdem sit potentiæ, essentiæ, gloriæ, adeoq; plane unus Deus cum Patre. Et hoc etiam intellexerunt Iudæi ex uerbis Christi, ut uel hic uideamus Arrij malitiam, qui hoc uidere uel non potuit uel noluit, quod Iudæi intellexerunt & uiderunt.

Nisi

Nisi enim sic intellexissent, non habuissent iustam calumniandi causam. In hoc autem mentiuntur, quod Christus se fecerit æqualem Deo: hoc enim conati sunt & Angelus & homo. Christus autem non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Nec seipsum glorificauit, ut Pontifex fieret, sed qui dixit illi: Filius meus es tu, &c̄. Phil. 2. Heb. 5.

Vel aliter: Æqualem se Deo facere, blasphemia est in creatura: In Christo autem ueritas, quia uere cum Patre est, eiusdem gloriæ, potentiæ, & naturæ.

Amen dico uobis, non potest Filius á seipso, &c.]

Cognita malitia illorum, pergit illos clarius exposita potestate, quam à Deo Patre accepisset, deterrere ab impia crudelitate.

Mire autem sermonem temperat. Nunc enim sublimia quædam loquitur de diuinitate sua, ob causam iam dictam, nimirum, ut diuinæ uirtutis sublimitas eos cohiberet ab impia temeritate: Nunc humiliora quædam admiscens, ne suapte sponte iam offensos plus irritaret ad insaniam. Per hoc autem exemplum dedit Prædicatoribus, ut discretionem obseruent in uerbis suis. Non enim satis est, docere quæ uera sunt, nisi ita doceas, ut ædificent.

Videtur autem hoc uerbum sonare quandam impotentiam insufficientis naturæ, atq; in hunc sensum Arrius hoc uerbo usus est, ad stabiliendum errorem suum: Quomodo, inquit, Filius æqualis esse potest Patri, cũ ipsemet dicat: *Non potest Filius á se quicq; facere?*

Verum non attendit miser, quando & quibus Christus hæc dixerit, & quam ob causam tam humiliter de seipso locutus sit, sed nec illud attendit, quod ante & post tam magnifice de se loquutus sit. Hæc est enim natura hæreticorum, tantum ea obseruare, quæ ipsorum opinioni consonare uidentur. Sed ualeat Arrius, nos uerba ipsa penitius introspiciamus. Primo igitur, ex hoc uerbo habemus insigne exemplum pñ cordis, ex eo, quod Christus quantumuis magnifice de se loquatur, tamen Deo Patri cedit authoritatem, & omnia illi accepto fert. Si hæc Filius Dei facit, erubescat miser homo, si quid sibñpsi attribuit: Quid enim habes, inquit Paulus, quod non accepisti? &c̄. Deinde uerbum hoc quantumuis humiliter sonat, ueram tamen, certam, stabilemq; Filñ Dei omnipotentiam prædicare comprobatur. Si enim potest facere, quicquid uidet Patrem facientem, certum est, eum omnipotentem esse. Quis enim alius hoc potest? Præterea, quod maius est, hoc ipso uerbo indicat, se non posse, nisi quod bonum est, facere. 1. Cor. 4.

Qui enim malum facit, à semetipso facit, quia solus facit: quia seorsum extra Deum & Patrem facit. Filius autem nihil potest à seipso facere, ergo non potest peccare. Quis autem uel Angelorum uel hominum, ita castum se habere cor gloriari potest, ut dicat, quòd Prouer. 20

à seipso quicquam facere non possit? Nam Angelica natura potuit facere malum, & fecit: Et humana natura potuit facere malum, & fecit. Deinde, si Filius nihil potest facere, nisi quod uidet Patrem faciente m, certum est, quod male facere non potest. Quid enim ui-
Gen. 1. det Patrem facientem, nisi omne bonum? Vidit enim Deus cuncta quæ fecit, & erant ualde bona. Hoc igitur uerbo primo percutit Iudæos, qui calumniabantur eum male fecisse sanando infirmum in Sabbato. Deinde etiam Arrium percussit, qui impio ore delatrauit, Filium Dei esse conuertibilem, hoc est, de bono ad malum flexibilem, quemadmodum homo & Angelus. Sed audi miser, Quid unquam uidit Filius Patrem suum intus & foris, in cœlo & in terra
Gene. 1. facientem, nisi ualde bona? Sed ipse non potest quicquam facere à seipso, nisi quod uidet Patrem facientem. Ergo non nisi omne bonum Filius facere potest, & ex consequenti, de bono in malum flexibilis aut conuertibilis non est. Hic igitur discant adoptiui filij à naturali Filio Dei, ut & ipsi nihil faciant, nisi quod uiderint Patrem fa-
Matth. 5. cientem. Videmus autem, quod Deus Solem suum oriri facit super bonos & malos, &c. quod benignus & misericors est, & præ-
Iohel. 2. stabilis super malitia, quod denique fidelis est in uerbis suis, & sanctus
Psal. 144. in omnibus operibus suis. In his igitur imitemur Patrem no-
Matth. 5. strum. Hinc & Christus: Estote, inquit, perfecti, sicut & Pater ue-
Ephes. 4. ster, &c. Et Paulus: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, &c.

Quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius, &c.]

Præcedenti sententia indicauit, se nihil nisi bonum facere posse: hic aũt maius aliquid ostendit, nempe, quod eadem cum Patre operetur, & quod nullum unq̃ bonum à Patre factum sit, sine cooperatione Filij. Tria aũt magnifica hac breui sententiola indicat, scilicet q̃ hæc ipsa faciat, quæ Pater facit, & non alia: nec partẽ aliquam ex eis, sed omnia: & q̃ non dissimiliter, sed similiter, id est, quod Patre faciente per naturalem omnipotentiam, nõ faciat Filius per accidentalem uel indultã sibi gratiam: quod Patre faciente impassibiliter, non faciat Filius passibiliter: quod Patre faciente incõuertibili imperio, non faciat Filius conuertibili artificio. Hoc igitur uerbum expo-
Ioan. 1. nit id, quod supra dictum est: Omnia per ipsum facta sunt. Ne quis enim putet, per uerbum, ut per instrumentum, omnia fecisse Deum, dicit: *Quæcunq̃ Pater facit, hæc & Filius facit similiter*, id quod instrumentum non potest. Deinde hoc uerbo exponit etiam id, quod supra proxime dixerat: Non potest Filius facere, nisi quod uidet, &c. Non enim est intelligendum, Patrem & Filium, quemadmodum duos artifices, magistrum & discipulum, illum facientem, istum in alia materia opus magistri imitantem: sed sic intelligatur,

Deum

Deum Patrem omnia facientem, & cum illo Deum Filium eadem cuncta componentem. Huc pertinet, quod sapientia Dei (quam & Filium Dei nominamus & uerbum) aperte de seipsa testatur: Quando, inquit, præparabat cœlos, aderam, &c. cum eo eram cuncta componens, &c. Vides igitur ex hoc uerbo, eandem esse Patris & Filij operationem. Si autem Filius omnia operatur cum Patre, quis non uidet, quàm securi sedeant Christiani, qui tam potentem habent Regem, dummodo sub alis eius permaneant: Qui, inquit, habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, &c. dicet Domino: Susceptor meus es tu, &c. per totum Psalmum. Prouer. 8. Psal. 90.

Pater enim diligit Filium]

Hoc uerbum supra in testimonio Ioannis explicatum est, ideo autem hic repetitur, ut uideamus, unde sit illa tam concors societas, & socialis concordia inter Patrem & Filium, ut alter sine altero nihil faciat: *Pater* (inquit) *diligit Filium.* Nec mirum. Nam & dilectio facit, quod pater carnalis filio, omnia & acquirat & donet externa, libentissime etiam daturus interna, utpote sapientiam, prudentiam, probitatem, si posset. Quid igitur mirum, quod Deus omnia cum Filio communicat quem diligit, non accidentali dilectione, sed essentiali, quæ nihil aliud est, quàm Spiritus sanctus. Deinde hoc uerbo iterum terret Iudæos, immo omnes impios. Si enim Pater diligit Filium, certe non inultum sinet, si quis Filium contumelia afficiat, & opera eius calumniatur. Hoc ipsum attendant, quicunq; Christianos, qui filij Dei sunt, offendunt uel lædunt: Pater enim diligit filios. Nec sine causa dixit: Qui tangit uos, tangit pupillam oculi mei. Ioan. 3. Zach. 2.

Summam autem consolationem hoc uerbum pijs omnibus præbet. Si enim Pater diligit Filium, diligit etiam omnes quotquot Filio per fidem incorporati & insiti sunt. Hinc & supra dixit: Accepimus gratiam pro gratia. Et infra: Ipse Pater amat uos, quia me amastis & credidistis, &c. Ab hac autem dilectione Dei, nemo nos separare potest, neq; mors, neq; uita, &c. Quid igitur timemus? Dominus (inquit) refugium nostrum & uirtus, &c. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, &c. Ioan. 1. Ioan. 16. Rom. 8. Psal. 45.

Et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit]

Etiam hic humiliter de se loquitur Christus, quod & ipsum arripuit Arrius, probare uolens ex hoc, Filium non esse æqualem Patri. Verum eius insania, ubicq; in hoc Euangelio redarguitur. Ideo autem Christus tam humiliter de se loquitur, ne si semper magnifica de se diceret, Iudæis alioqui insanientibus, maiorem insaniendi occasionem daret.

Pater igitur Filio omnia monstrat, non quasi depicta in tabulis, nec quasi ignorantē doctrina iuuans (omnia enim Filius Dei uelut

Deus nouit) sed totum seipsum in natura Filij sic pingens, ut quæ eunq; in se habeat, in Filio demonstret. Hinc dictum est: Nemo
Matth. 11. cognoscit Patrem, nisi Filius, & econtra. Igitur, si secreta Patris uo-
Heb. 1. lueris cognoscere, ad Filium festina. Ipse enim est expressa imago
Rom. 11. Patris, & figura substantiæ eius. Sunt enim iudicia eius inscrutabilia, & uiæ eius imperuestigabiles, at in Christo & per Christum fiunt nobis iudicia eius cognobilia, & uiæ eius apertæ. Sic in Filio
Ioan. 3. uidemus, qui præordinati sint ad uitam, nempe, qui in ipsum credunt. In ipso uidemus Deum non carnificem & damnatorem esse, qualem nobis lex eum depingit, sed Patrem & misericordem.

In ipso uidemus crucem bona Dei uoluntate accidere, eamq; esse resurrectionis meditatorium, quam lex dicit esse maledictum.

Ipsi igitur Pater omnia, & in ipso, uel per ipsum nobis monstrauit, & monstrat omnia. Vel aliter: *Omnia demonstrat ei*, non ut sciat, quod nesciebat (quomodo enim à quoq; sua instrui posset sapientia?) sed ut dijudicet omnia. Non enim facere quicquam uult, nisi quod Filio suo primum placeat antequam faciat.

Neq; per hoc quicquam derogatur authoritati Patris, immo plurimum laudis accrescit. Quid enim est Filius, nisi sapientia Patris? Summa autem laude dignus est, qui antequam opus aggrediatur, prius secum pertractat, quo fine uel fructu id faciat, itemq; perfecto opere, rursus attendit, num quid ei desit. Sic igitur & Deus omnia Filio demonstrat, hoc est, nihil temere facit, sed omnia sapientissimo consilio. Hinc in Genesi quoties aliquod opus perfectum dicitur,
Gen. 1. confestim subiungitur: Et uidit Deus quod esset bonum. Hinc &
Psal. 103. Dauid fidenter exclamat: Omnia in sapientia fecisti, &c. Obserua autem, quod signanter dicit: *Demonstrat*, in præsenti, non Demonstrauit in præterito. Non enim tantum creationem Deus cum cõsilio & sapientia perfecit, sed etiam redemptionis opus, immo quicquid unquam fecit aut facit, sapientissime facit.

Hinc igitur discamus, non temere de operibus Dei loqui, etiamsi
Rom. 9. non intelligamus, quid qua ratione operetur. Quis enim tu es, qui respondeas Deo? Satis nobis sit, quod Pater omnia demonstrat Filio, hoc est, omnia in sapientia facit.

Et maiora his demonstrabit ei &c.]

Aliqui uolunt hoc comminatorie dictum contra Iudæos, quasi diceret. Magna iam uobis in me demonstrauit Pater bona, uerum adeo non mouemini, ut insuper me occidere quæratis: Propterea prædico uobis: *Maiora his demonstrabit Pater in Filio*, ut uos miremini, hoc est, ut digna admiratione fiant in uobis. Quantum enim gratiæ nunc uobis offert, tantum iræ & iudicij uobis propediem immittet. Sic plærunq; in uetere Testamento comminatur, se adeo puniturum,

niturum, ut omnes qui uiderint, in ſtuporem conuertantur. Atq; hæc comminatio nedum Iudæos, ſed omnes impios tangit, qui cum uidere Chriſtum humilem nolunt ad ſalutem ſuam, olim eum uiſuri ſunt Iudicem potentiſsimum in ipſorum condemnationem. Aliter autem intelligi poteſt uerbum hoc, & melius, ut demonſtrare nihil aliud ſit, quàm per Filium reuelare. Prius igitur dixit: Pater Filio omnia demonſtrat, nam omnem ſuam potentiam, & omnia ſua bona Filio impreſsit iam inde ab æterno. Nunc aũt dicit in futuro: *Demonſtrabit*, hoc eſt, quod ab æterno impreſsit Filio, nunc reuelabit, & mundo conſpicuum faciet. Sic per miraculum, quo Chriſtus ſanauit languidum, triginta octo annorum declarauit, & reuelauit Pater, quod potentiam ſanandi corporales morbos Filio ſuo dederit, hoc eſt, quod uerbum eandem poteſtatem cum Deo habeat. Sed poſt hac maiora his morborum corporalium ſanationibus opera demonſtrabit Filio, ac per ipſum reuelabit. Quid enim prodeſſet, ſi Chriſtus tantum in corporalibus ſuccurrere poſſet?

Quæ ſunt autem maiora illa? Mortem uincere, è morte reſurgere, aſcendere in cœlum, mittere Spiritum ſanctum, iuſtificare credentes, ſuſcitare mortuos, &c̃.

Obſerua, quod Chriſtus minora nominat corporalia beneficia: maiora autem, quæ ad animam pertinent, ut diſcamus plus quærere ſpiritualia, quàm terrena. Deinde etiam in nobis uerificatur hoc uerbum. Magna enim Chriſtus nobis in hac uita oſtendit, ſed longe maiora demonſtrabit in futuro. Iam ſiquidem filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus, &c̃. Nunc uidemus quidem Deum, ſed per fidem, et per ſpeculum in enigmate: tunc autem uidebimus facie ad faciem. 1. Ioan. 3. 1. Cor. 13.

Vide igitur, quàm aperte in ſupradictis uerbis Chriſtus diuinam ſuam naturam declarauerit, ut mirum ſit, Arrium hæc non uidiſſe. Sed proprium hæreticorum eſt, ea non uidere, quæ contra ipſos ſunt. Primo enim in eo, quod ait Chriſtus: Pater meus uſq; modo operatur: indicat, ſe eiuſdem naturæ cum Patre eſſe, alioqui non diceret: Pater meus, ſed, Pater noſter. Secundo cum dicit: Non poteſt Filius ex ſe facere quicquam: indicat, ſe idem poſſe cum Patre. Tertio cum dicit: Quæcunq; facit Pater, hæc & Filius facit: indicat ſe idem operari cum Patre. Quarto, cum dicit: Pater diligit Filium: indicat, ſe idem uelle cum Patre, & in nullo ab ipſo diſcordare.

Quinto, cum dicit: Omnia demonſtrat ei, &c̃. indicat, ſe omnia noſſe, & ſcire cum Patre. Quis igitur tam inſanus eſt, ut eum neget eſſe Deum, qui cum Deo Patre idem habet eſſe, poſſe, operari, uelle, et noſſe? Omnia igitur hæc faciunt ad confirmationem fidei noſtræ contra Iudæos, Paganos, & hæreticos. Deinde faciunt hæc, ut ſecurius & conſtantius Chriſto adhæreamus, ut quem uidemus uerum

rum esse Deum, Patri in omnibus coæqualem. Postremo faciunt hæc uerba, ut pius quisq; eo cautius ambulet, quandoquidem audit se Dominum habere, qui omnia & potest & scit.

Sicut enim Pater suscitat mortuos, &c.]

Vide quomodo paulatim nos ad altiora ducat Christus, & subinde seipsum clarius manifestet. In principio siquidem capitis huius externo signo ostendit, se posse corporis morbos tollere. Deinde altius ascendens, ostendit se eandem naturam & uoluntatem, idem esse, posse, operari & scire, cum Patre habere: Nunc autem his omnibus omissis, procedit ad ea, quæ magis necessaria nobis sunt, palamq; indicat, se cum Patre eandem habere potestatem suscitandi mortuos, uiuificandi, iustificandi, iudicandi. Atq; hæc sunt, quæ maxime scitu necessaria sunt: nec enim Christū perfecte cognoscit, qui hæc ignorat. Nihil tibi proderit scire, quod Christus possit morbos corporis tollere, sed nec quicquam tibi proderit, si scias subtiliter de eius diuinitate disputare, nisi simul scias ipsum posse iustificare, suscitare, beatificare. Hæc sunt maiora illa, quæ Pater monstrauit nobis in Filio: Ea autem non ita tantum audienda sunt, ut inde miremur, quemadmodum Iudæi fecerunt, sed ut hinc salutem nostram operemur & quæramus. Duo autem sunt genera mortuorum, quos Pater suscitat. Primo enim eos suscitat, & suscitare potest, qui
1. Reg. 2. corporaliter mortui sunt: Dominus enim mortificat & uiuificat, habetq; imperium uitæ & mortis, id quod palam ostendit in Eze-
Ezech. 37. chiele, de ossibus mortuorum resuscitaris, &c. Summam autem Dei potentiam indicat, quod etiam in puluerem redactos potest resuscitare, & per spiritum uiuificare.

Huc pertinet quod generaliter hic dicitur: *Pater suscitat mortuos*, non enim unum & alterum potest suscitare, sed omnes: non eos tantum, qui naturaliter moriuntur, sed & eos, qui uel igni concremantur, uel aqua submerguntur: nec eos tantum, quorum corpora incorrupta adhuc sunt, & ossa indispersa, sed & eos, quorum caro computruit, & ossa dispersa uel confracta sunt. In summa, Pater suscitat mortuos. Per hoc igitur responsum est his, quibus impossibilis uidetur resurrectio mortuorum. Deinde etiam eos suscitat Pa-
Sap 2. ter, qui mortui sunt spiritualiter, ea scilicet morte, quæ per inuidiam Diaboli intrauit in orbem terrarum, hoc est, qui per peccatum à Deo exciderunt. Sic ab exordio mundi, semper aliquos à morte peccati & incredulitatis, ad uitam gratiæ & fidei suscitauit, quales fuerunt Abel, Enoch, Noe, Abraham, Iob, &c.

Vtranq; autem potestatem etiam se habere ostendit Christus. *Sicut*, inquit, *Pater suscitat, &c.* Hac autem sententia quid uel iucundius audiri posset? Quid desperas propter peccata, cum audias

dias Christum posse iustificare? Quid times mortem, cum audias eundem Christum posse mortuos suscitare? Vide autem, quàm prudenter Christus hoc uerbum protulerit. Primo enim de Patre duo uerba dicit, scilicet: Suscitat, & uiuificat: De Filio autem unum solum, uiuificat scilicet. Nec̃ id absre. Pater enim non eodem tempore, quo patribus innotuit, salutis opus perfecit in illis, dum melius Heb. 11.
aliquid pro nobis disponeret, ne sine nobis eõsumẽtur. Filius autem eodem tempore, quo mundo innotuit, salutem nostram cœpit facere, simul & perfecit. Recte igitur patres illi dicuntur, primum beata spe, & deinde longo post tempore re ipsa uiuificati. Nos autem, qui in plenitudine temporis sumus solummodo, uiuificati recte dicimur & sumus, quia uidelicet uno eodemq̃ tempore simul & credimus, & uitam, quam in Adam perdidimus, per spiritum remissionis peccatorum regenerati accipimus. Secundo obserua, quod Christus non dicit: Sicut Helias, uel Helizæus mortuos suscitarunt, sic & Filius, &c̃. sed sicut Pater (inquit) Quo uerbo significat, se non ficte, sed uere: non aliena, sed propria uirtute, authoritate & imperio suscitare mortuos posse. Sic enim Pater suscitat. Id autem nemo alius potest, ut uel hinc uideamus Filium Patri æqualem. Suscitarunt quidem & alij mortuos, sed non sicut Pater. Sic mulier Phithonissa suscitauit Samuelem, non tamen uere, sed ficte. Suscitarunt & Helias Helizæusq̃ mortuos, sed non propria uirtute. Solus Christus mortuos suscitat, sicut Pater. Postremo non sine causa dicit: Filius, quos uult, uiuificat. Corporaliter enim non omnes suscitauit mortuos: hoc enim non expediebat, nec tempus erat, nec id agebatur, ut iam omnes corporaliter mortui reuiuiscerent, sed tantum ostendendum erat mundo, Christum habere uniuersalem potentiam, mortuos suscitandi. Id autem satis ostensum est per hoc, quod aliquos suscitauit: Filius igitur, quos uult, uiuificat. Spiritualiter autem sine ulla exceptione Gentiles aut Iudęi, quos uult, inquit, uiuificat, nulli quicquam debens, sed sola uoluntate gratuita uel uoluntaria gratia, iuste morti addictos misericorditer ad uitam reuocans. 1. Reg. 28. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4.

Nec̃ enim Pater iudicat quenquàm]

Iudicare homines uniuersos, conuenit Deo, secũdum quod Deus, id est, secundũ propriam naturã. Sic enim Dauid ait: Misericordiam Psalm. 100.
& iudicium cantabo tibi Domine, etc̃. Et Iob, Absit à Deo impietas: Iob. 34.
Opus enim hominis reddet ei, & iuxta uias singulorum restituet. Et Hieremias: Domine Deus fortissime, &c̃. cuius oculi aperti sunt Hier. 32.
super uias hominum, &c̃. Iam quod conuenit Deo absolute secundum naturam diuinitatis, conuenit cuilibet diuinæ personæ. Non solum igitur Filius, sed & Pater & Spiritus sanctus iudicant.

Quod igitur hic dicitur: *Pater non iudicat quenquàm*, non sic intelligendum est, quasi Pater desierit habere prouidentiam rerum.

Nam

Nam Christus ipse dixit contrarium: Ego, inquit, gloriam meam non quæro, est qui quærat & iudicet. Obserua igitur, quod in iudicio quatuor considerantur. Primo authoritas iudicandi uel iudiciaria potestas, & hoc modo iudicium conuenit toti Trinitati singulisq; personis. Secundo, ipsa interior approbatio boni, & detestatio mali, & secundum hoc similiter conuenit toti Trinitati. Tertio ipsa prolatio sententiæ exterior & sensibilis, & secundum hoc Pater non iudicat quenquam. Christus enim solus sententiam pronunciabit: Tunc, inquit, dicet Rex his, qui sunt à dextris: Venite benedicti, etc. Quarto ipsa retributio pœnæ uel gloriæ, & sic iterum iudicium conuenit toti Trinitati.

Ioan. 8.

Matth. 25.

Sed omne iudicium dedit Filio]

Sic Paulus ait: Deus statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terræ, in uiro quem statuit, &c. Item: Oportet nos omnes sisti ante tribunal Christi. Sed huic contrarium uidetur, quod infra dicit: Ego non iudico quenquam.

Act. 17.

Rom. 14.

Responsio: Ideo Christus aliquando iudicium sibi arrogat, aliquando à se in Patrem reiicit, ut ostendat opera eorum communia esse. Pater enim non iudicat quenquam, quia iudicium dedit Filio: Et Filius non iudicat quenquam, quia non est solus, sed unum cum Patre, hoc est, alter sine altero non iudicat. Pater non iudicat, nisi per Filium: Filius non iudicat, nisi à Patre. Deinde, Pater non iudicat quenquam, quia Deum nemo uidit unquam. Habitat enim in abscondito, in caligine nubis, & iudicia eius sunt inscrutabilia, & inperuestigabiles uiæ eius.

Ioan. 1.

2. Paral. 6.

Rom. 11.

Omne autem iudicium dedit Filio, quia in Filio manifesta facit sua iudicia. Qui igitur anguntur cura prædestinationis, ex hoc loco pacem conscientiæ petant. Si scire cupis, an electus uel reiectus à Deo sis, ad Christum descende: Qualem te in Christo inueneris, talis es & in Deo. Si Christo per fidem ueram & uiuam insitus es, scito te prædestinatum. Si à Christo alienus es, scito te reiectum: Pater enim omne iudicium dedit Filio, idq; iudicium Filius manifestauit: Qui, inquit, credit in Filium Dei, non iudicatur: Qui non credit, iam iudicatus est. Quod autem hic dicitur, Christo datum esse iudicium, ad humanam naturam refertur. Christus enim in quantum est uerbum Dei, naturaliter habet potestatẽ iudicandi: In quantum autem est homo, eandem potestatem accepit. Hinc Daniel uidit quasi Filium hominis uenientem, cui antiquus dierũ dedit regnum & potestatem, &c. Iuste autem Filio dedit iudicium & potestatem, quia idem ex obedientia Patris adeo se exinaniuit, ut se iudicandum offerret. Signanter autem dicit: *Omne iudicium dedit Filio*, uidelicet, ut & in præsenti & in futuro iudicio præsideat. Nam etiam nunc iudicium exercet: In iudicium, inquit, ueni in mundum, &c.

Ioan. 3.

Dan. 7.

Ioan. 9.

Deinde

Deinde omne iudicium habet, hoc est, potestatem & præmiandi bonos, & puniendi malos. Probat igitur Christus hoc uerbo, se uere Deum esse, & per omnia Patri æqualem. Solius enim Dei est, iudicare: Mihi, inquit, uindicta, & ego retribuam. Et iterum: Deus Iudex est, hunc humiliat, & hunc exaltat, & in eius manu est calix plenus uino mero, &c. Deinde hoc uerbo Iudæos & omnes impios terrere uoluit, ut impie agere desistant. Iudicium enim Dei frenum est, quo impij retrahuntur à uitijs: Memorare (inquit) nouissima tua, & non peccabis. Econtra autem: Inquinatæ sunt uiæ impij in omni tempore, quia auferuntur iudicia tua à facie eius, &c. Postremo, omnes in se credentes, hoc uerbo summe consolatur. Non enim formidabile eis erit iudicium, qui ipsum Iudicem amicum habent, immo ipsius filij sunt. Deut. 32. Psalm. 74. Eccles. 7. Psal. 9.

Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant, &c.]

Hoc uerbo indicat, quam ob causam Pater Filium, & Filius seipsum mũdo manifestauerit: *Vt omnes* (inquit) *honorificent Filium*, &c. Singula autem uerba Emphasim habent. Primo enim non sine causa dicit: *Omnes*. Quicunq; enim uiuificari uolunt, ac de congerie mortuorum subleuari cupiunt, siue Iudæi siue Gentiles sint, honorificare debent Filium, hoc est, corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, ipsum uere esse Filium Dei, &c. Deinde sic diffinitum est, ut omnes honorificent Filium aut uolentes aut inuiti. Qui enim uolentes non honorificant Filium, hi uel pœnis coacti, eum confiteri cogentur esse Filium Dei. Signanter aũt dicit: *Sicut honorificant Patrem*. Non enim satis est, Filium Dei honorare eo honore, quo mundana potentia præditos honoramus: nec eo honore, quo uel Angelos uel sanctos honoramus: sed maior ei honor debetur: *Sicut*, inquit, *honorificant Patrem*, hoc est, sicut Patrem credunt & confitentur uerum esse Deum & Dominũ increatum, immensum, æternũ, omnipotentẽ, sine initio, sine fine, incõuertibilem, & incommutabilem, ac in eum ut talem credunt, confidunt, sperant, eumq; ut talem diligũt, timent, obseruãt, & audiunt: sic quicunq; uiuere cupit, nihil diminuat, nihil detrahat Filio de uniuerso honore Patris, neq; hanc iniuriam faciat Patri, ut dicat Filium non æqualem esse Patri, sed pari honore, æquali gloria, simili laude credat & cõfiteatur, amet & timeat, ac audiat Filium. Hoc idem iam inde ab initio Deus ab homine exegit. Quid enim est, quod Deus primo homini dixit: De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, nisi quod sub uelamine literæ præcepit, ne se extolleret aduersus sapientiam Dei, quemadmodum Diabolus se extulerat. Verum, quia primus homo subesse contempsit sapientiæ Dei, cœlum, terram, mare, & omnia quæ Rom. 10. Gene. 2. Prouer. 8.

quæ in ipsis sunt creanti, & cuncta cum Patre componenti: Nunc ab eodem iuste exigitur, ut se subijciat de fœmina nascenti, & sic honorificet in cruce pendentem, sicut honorificandum esse sentit Patrem in maiestate sua, absq; carnis susceptione uel mortis passione, rutilantem.

Qui non honorificat Filium, &c.]

Natura sic comparatum est, ut quilibet pater moleste ferat filium suum contemni. Patres enim diligunt filios, & affectus eorum in illis reconditi sunt. Vnde & suauius in filijs honorem suum sentiunt, & in eisdem acerbius iniurias suas excipiunt. Deinde, qui regis terreni statuas contemnit, non aliter quàm si regẽ ipsum cõtempsisset,
Dani.3. punitur: Id quod uidemus in rege Nabuchodonosor erga socios Danielis. Postremo, cum homo sit ad imaginem Dei factus, iniuria homini facta in Deum ascendit & recidit, ipso teste, cum ait: Qui
Gene.9. effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis eius: ad imaginem enim Dei creatus est homo. Non igitur mirum, quod contemptus Filij Dei, qui imago & caracter Patris est, in ipsum Patrem recidat. Proinde, quicunq; per incredulitatem Christum Filium Dei contemnit & reijcit, is Deum contemnit & reijcit, quantumcunq; uideatur externe Deum honorare. Hoc igitur uerbo damnat cultum Ethnicorum, Iudæorum, & falsorum Christianorum, ac palam Deo ingratum pronunciat. Assueuerat Ethnicus, se adorare
1.Cor.1. Deum creatorem cœli & terræ. Verum, quia eidem Ethnico Christus stultitia est, ingrata sunt Deo omnia quæ agit.

Sic Iudæi putabant se Deum digne honorare, si frequentes essent in templo, si sacrificarent, ac festa celebrarent: Verum, quia horrendo sacrilegio filium in templo corporis sui non manu facto habitantem persequebantur, merito audierunt: Quo mihi multitudinem
Isa.1. uictimarum uestrarum? &c̃. Sollennitates uestras odiuit anima mea, &c̃. Sic impij & solo nomine Christiani, putant se egregie Deum honorare, si externarum cæremoniarum nihil negligant: quia tamen Christus ipsis contemptus est, nullus eorum uere Deum honorat. Sic & Arrius alijq; hæretici, putabant se honorare Deum, cum tamen nihil minus facerent, quandoquidem contemnebant fi-
Phil.2. lium. Summa, Christo datum est nomen, quod est super omne no-
Ephes.1. men, ut in nomine eius omne genu flectatur, &c̃. Ipsumq; posuit Deus super omnem principatum, & potestates in cœlestibus. Quicunq; igitur Deum uere honorare uult, honoret eum, quem in tantum sublimauit, nempe Christum.

Qui sermonem meum audit & credit ei, &c.]

Primus homo in omnia mala cecidit, eò, quod à Diabolo per-
Genes.2. suasus, non credidit uerbo, quod dixerat Deus: In quacunq; hora comederis,

comederis, morieris. Contra hoc igitur Diaboli uenenum, Christus hic antidotum ostendit, certoq; affirmat, quod si homo auertat aurem suam ab illa lingua coinquinata & à uerbo mendacij, & humilietur sub potenti manu Dei, credens illi semper uerum dicenti, uitam recuperare possit in primo homine perditam.

Hic autem uides, qualem honorem quærat filius Dei, itemq; quomodo cum Patre uult & qualiter uel similiter honorificari, uerbū suum uult audiri, Deo Patri uult credi. Audire igitur & credere summus honor est, quo & Pater & filius affici possunt. Quamuis autem credere facillimum uideatur, & plærique se credere putent, cum hoc solum nomen audierūt, existimantes credere idē esse, quod intelligere, meminisse, scire, opinari: uere tamen arduum ac difficile est credere. Facile est ieiunare, orare, peregrinari, eleemosynas dare, &c. sed credere uiribus nostris impossibile. Nam credere, est in morte uiuere, in afflictione gaudere, è carnali spiritualem, è peccatore iustum, è filio Diaboli, filium Dei fieri, atq; adeo ex Inferno in cœlum transcendere, montes transferre, ac nihil non posse: Nam credenti omnia possibilia sunt. Sed quis hęc ex seipso potest? Nemo. Discāt igitur contemptores, quoties de fide dicitur, non esse de somnio quopiam sermonem, aut re aliqua facile parabili. Mar. 11.

Discant & superstitiosi Deum longe maiorem & difficiliorem cultum à nobis requirere, quàm ipsi imaginentur. Discant postremo & pij, omnium maxime fidem à Deo petere, exemplo Apostolorum dicentium: Domine adauge nobis fidem, quandoquidē hic audiunt, summum uel saltem primum Dei cultum esse, credere. Huc pertinet Luc. 17. quod ad Iudæos dicitur: Non sum loquutus cum Patribus uestris de Hier. 7. uerbo holocaustomatum, &c. sed hoc dixi: Audite me, &c. Et iterum: Non accipiam de domo tua uitulos, etc. sed immola Deo sacrificium Psal. 49. laudis, &c. & inuoca me in die tribulationis. Obserua autem, quod Christus non dicit, Qui audit me & credit mihi, &c. sed: *Qui credit ei, qui me misit*, ut ostendat se non esse contra Deum, sed uerbum eius esse uerbum Dei.

Habet uitam æternam, & in iudicium non uenit]

Triplex prȩmium promittit in se crendenti. Primo uitam et non quamcunq;, sed æternam: Qui, inquit, audit uerba mea, & credit ei qui me misit, non tantum habebit, sed & iam habet uitam æternam, in spe scilicet & promissione. Deinde in iudicium non uenit, id est, in damnationem generi humano propter peccatum Adæ debitā, non incidet. Vel in iudiciū non ueniet, tanquam iudicandus uel condemnandus, sed cū Christo ipse quoq; iudicabit & condemnabit impios. Sic enim Christus Apostolis ait: Sedebitis super sedes, iudicantes Matth. 19. duodecim tribus Israēl. Et Paulus: Nescitis quod etiam angelos iudi- 1. Cor. 6. cabimus. Postremo additur: Transiet à morte ad uitam. Fidelis enim

per mediam mortem irrumpit ad uitam. Mors nanq; in ipso absor-
Psal. 115. betur, & fit uitæ ianua. Hinc Psalmista: Preciosa in conspectu Domi-
ni mors sanctorum eius. Quod si preciosa est, certe non est mors;
Ioan. 11. quia mors est contempta. Huc pertinet, quod infra mortem som-
num nominat. Vide igitur quanta promittat Christus in se creden-
tibus, Quid melius uel optare posses? Obserua, quod aliqui hic
legunt Transijt in præterito. Fidelis enim ex quo renatus est in
Christo, uere iam transijt à morte ad uitam. Nam etsi corpus mor-
tuum, id est, mortale est propter peccatum, spiritus tamen iam ui-
Rom. 8. uit propter iustificationem.

Amen dico uobis, quia uenit hora, &c.]

Pergit Christus seipsum plenius manifestare, ut sciat fidelis quisq;, in afflictione quacunq; positus, quid ab ipso sperare debeat.

Potest autem uerbum hoc intelligi de his, quos Christus à morte corporis suscitauit: Hi enim audita uoce Christi, reuixerunt. Sic filia
Matth. 9. Archisynagogi, cum audisset: Puella surge, statim surrexit. Sic filius
Lucæ 7. uiduæ, cum audisset: Adolescens tibi dico surge, statim resedit qui
Ioan. 11. fuerat mortuus. Sic & Lazarus, cum audisset: Lazare ueni foras, statim prodijt.

Secundum hunc sensum Christus hic arguit Iudæorum duritiam, ut qui etiam mortuis stupidiores & insensibiliores essent, quasi diceret. Loquor mortuis & audiunt, reuiuiscunt, sentiunt, loquuntur: Loquor uobis, & nihil horum facitis. Hanc eorum duritiam etiam Prophetæ subinde coarguerunt, immo, ut omnibus manifestum fieret, quàm obstinati essent homines, plærunq; sermonem ad res ina-
Hiere. 22. nimatas direxerunt. Sic Hieremias: Terra, terra, terra, inquit, audi
Isa. 1. sermonem Domini. Et Isaias: Audite cœli quæ loquor, &c. Eadem duritia plus satis in nobis uidetur. Secundo potest uerbū hoc Christi referri ad uocationem Gentium, quæ facta est post missionem spiritus sancti. Nam Gentes plane mortui erant præ Iudæis. Secundum hunc sensum uerbum hoc nihil aliud est, quàm cōminatio, quasi di-
Matth. 11. ceret. Tanta inter uos dixi & feci, quæ si in Tyro & Sidone, uel etiam in Sodomis facta essent & dicta olim, pœnitentiam ægissent: Vos autem nec cantantem me, nec Ioannem lamentantem audire uoluistis. Quia igitur homines audire nolunt, ad lapides me conuertam, hoc est, ad Gentes lapidibus duriores. Et quia uiuentes audire no-
Matth. 21. lunt, ad mortuos me conuertam, hi audient. Summa, Auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructum, idq; propediem uobis eueniet. Hæc comminatio etiam nos terrere deberet, qui in peccatis ferme similes sumus Iudæis, & plerūq; peiores. Generaliter autem intelligitur uerbū hoc Christi, de resurrectione iustificationis.

Duplex enim resurrectio in scripturis inuenitur. Prima est resur-

rectio animæ, qua scilicet impius à sua impietate resurgit, & qua peccator à morte peccatorum in uitam iustitiæ reuocatur. Hęc est resurrectio prima, & beatus est, qui partem habet in hac resurrectione: Apoc. 20.
Hunc enim mors secunda non lædet. Altera erit resurrectio corporum. Vtranq; Christus hic per ordinem ponit, quia utranq; ipse per uerbum suum efficit. Prius autem loquitur de resurrectione iustificationis, quia sicut in primo homine anima prius uitam suam, quæ Deus est uel Dei gratia, perdidit, postea & corpus morti obnoxium factum est: sic oportet ut anima prius resurgat, alioqui resurrectio corporis non ad uitam, sed ad perpetuam damnationem continget. Singula autem uerba emphasim suam habent. Primo enim non parum consolationis adfert, quod in præsenti dicit: *Venit hora*, &c. Quasi diceret, hactenus cæci cæcos duxerunt, & utriq; in foueam ceciderũt, mortuiq; mortuos suos sepelierũt, nec quisquã ex eis aliquod remedium nouit: Nunc autem uenit hora, ut etiam mortuis succurratur. Secundo auget hanc consolationem, quod addit: Et nunc est. Non enim in futurum loquitur, sicut olim Prophetæ. Illud autem (Nunc) non refertur tantum ad tempus illud, quando Christus uisibilis in terra apparuit, sed ad totum illud tempus à primo eius aduentu usq; ad secundum. Tertio, tempus illud gratiæ horam nominat, ut cessantes et desides extimulet, ne pœnitentiam differant. Quid enim breuius hora? Ad eundem modum & Paulus dicit: Hodie si Heb. 3.
uocẽ eius audieritis, quasi diceret, Non promitto tibi diem crastinũ: Nescis enim an uicturus sis, hodie igitur curã age animæ tuę. Quarto, Consolatorium est & illud, quod non dicit, infirmi audient & uiuent, sed etiam mortui (inquit) hoc est, ne dũ qui leuiter peccauerũt, ueniam acquirere possunt, sed etiam hi qui plane in profundum peccatorum uenerunt: Nemo igitur desperet. Sic Matthæus, Zachæus, Peccatrix illa, Filius prodigus, Latro, &c. plane mortui erant, tamen reuixerunt per gratiam. Quinto non dicit, uidebunt formam filij hominis. Non enim omnes eum uiderunt, immo beati pronunciantur, qui non uiderunt & crediderunt: Sed audient (inquit) uocẽ, ne quis Ioan. 20.
ideo putet à Christo se alienum, quod eũ non uiderit. Sexto, signanter dicit, uocem filij Dei: hominis enim uerbum tam potens non est, ut peccatorem conuertere possit. Hinc Paulus: Ego quidem plantaui, 1. Cor. 3.
sed Deus incrementũ dedit. Septimo, non dicit omnes peccatores conuertendos. Non enim omniũ est fides: sed qui audierint (inquit) 2. Thess. 3.
uiuent. Audire aũt uerba filij Dei, non est uerba illa carnalia auribus corporeis audire, sed corde credere. Hominis uerbũ auribus corporeis auditur, Dei aũt uerbum aures cordis requirit. Et qui sic audiunt corde, id est, credũt, hi iustificãtur: Corde enim creditur ad iustitiam, Rom. 10.
&c. Sic credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Sic Genes. 15.
Peccatrix illa, similiter & Latro uocẽ Christi audierunt, & reuixerũt, Lucæ 7.

Lucæ 23. adeo, ut illa audiret: Fides tua te ſaluam fecit. Hic autẽ: Hodie mecum eris, &c. Ex his igitur uidemus, uerbũ Chriſti uere omnipotens eſſe, excitat enim mortuos, et iuſtificat peccatores. Secure igit̃ ei innitimur.

Sicut enim Pater habet uitam in ſemetipſo]

Rationẽ aſsignat, unde tanta uirtus inſit uerbis ſuis. Nõ ſimpliciter autẽ dicit: *Sicut Pater habet uitã*. Sed addit: *In ſemetipſo*. Nã & homo habet uitam, ſed nõ in ſemetipſo, ideo nec eam retinere poteſt quàm diu uult, nec alĩs eam communicare. Sic ferrum ignitum calorem quidem habet, ſed non in ſemetipſo, ideo ab igne remotum, calorem amittit. Sic oculus lucẽ quidẽ habet, ſed non in ſemetipſo, ideo recedente ſole uidere non poteſt. Ignis aũt calorem habet in ſemetipſo, et ſol lucem, ideo ignis nunquam ſine calore eſt, nec ſol ſine luce: immo ignis & alia ignire, & ſol etiam alia poteſt illuminare. Sic Deus uitam habet in ſemetipſo, quia nunq̃ ſine uita eſt, & omnibus alĩs uitam dare poteſt. Hinc in Geneſi: Inſpirauit (inquit) Deus in faciem hominis ſpiraculum uitæ.

Geneſ. 1.

Sic & Deus eſt iuſtitia, uita, ſalus, ueritas, nec unquam ſine his eſſe poteſt, inſuper eadem etiam peccatoribus communicat.

1. Cor. 9. Hoc neq̃ Paulus, neq̃ Cephe poſſunt, plantare & rigare poſſunt, non autem incrementum dare aut iuſtificare: Nimirum, quia non in ſe, ſed aliunde uitam habent.

Sic dedit & filio uitam habere in ſemetipſo]

Hac ſententia impius ille Arrius uſus eſt in patrocinium ſui erroris, ſed peruerſiſsime. Non enim de uita Dei, qui ipſe ſibi uita eſt, non de uiuificatione filĩ, qui æquè ſibi ipſi uita eſt, ſed de ſuſcitatione & uiuificatione mortuorum ſermo eſt. Nec aliud ſibi uult hoc uerbum, quàm quod Pater, qui uirtutem uel operationem effectiuam uitę hominum mortuorũ non aliunde petit, nec alicubi habet, niſi in ſeipſo, partem maximam eiuſdem operationis filio incarnato impoſuit, ut & ipſe mortuos uiuificaret in ſemetipſo. Æqualis igitur Patri eſt Filius, cui Pater dedit habere uitam in ſemetipſo, hoc eſt, quem miſit uiuificare mortuos de ſemetipſo. Summe autem hoc uerbum, fidem noſtram confirmat. Si enim Chriſtus uitam habet in ſemetipſo, certum eſt, eũ mori & perire non poſſe. Qui enim moreretur fons uitę? Hinc Paulus: Chriſtus ſemel peccato mortuus, amplius non moritur, &c. Deinde ſi uitam, ueritatem, iuſtitiam, &c. æque ut Pater in ſe ipſo habet, poteſt & ea communicare nobis: Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ eius, &c.

Rom. 6.

Heb. 4.

Et poteſtatem dedit ei, iudicium facere]

Vitam & iudicium ubiq̃ coniungit Chriſtus: Vitam ad conſolationem credentium, iudicium ad terrorem incredulorum.

Vitam autem præmittit. Non enim uult mortem peccatorum, sed ut conuertantur, & uiuant. Iudicium autem subnectit, ut sciant se non impune euasuros qui uitam oblatam respuunt. Ezech. 18.

Quia Filius hominis est]

Hoc est, in quantum homo accipit potestatem iudicandi, quam secundum diuinitatem ab æterno cum Patre ex natura habuit. Accepit ergo hanc potestatem, quia Filius hominis est, hoc est, in filio incarnato reuelata est iudicandi potestas. Antea enim non notum erat omnibus, Deum tam horrendum esse iudicem, qui incredulum damnaret, sed in Christo incarnato reuelatum est. Vel, quia filius hominis, hoc est, ideo hāc potestatē ei dedit, quia homo factus est obediens usq; ad mortē: Per hoc enim meruit exaltari, &c. Omnis enim qui se humiliat, exaltabitur. Eandē habet sententiā illud Psalmi: Minuisti eū paulominus ab angelis: Gloria & honore coronasti eū, &c. Phil. 2. Lucæ 18. Psal. 8.

Vel, quia filius hominis est, id est, propter conuenientiam, quam habet ad exercendū iudicium ex parte humanitatis assumptæ. Decet enim iudicem, ab omnibus iudicandis manifeste uideri: Nulla autem alia persona diuina uideri potest oculis carneis. Cum igitur persona filij secundum humanam naturam sit à bonis & malis uisibilis, ideo datum est ei iudicium facere, quia Filius hominis est.

Nolite mirari hoc]

Malum non est, opera Dei admirari: Prohibet tamen Christus hic Iudæorum admirationē. Non enim admirabantur hæc tanquam uerba uitæ & uirtutis, sed tanquam insaniam Dæmonium habentis. Sensus autem uerbi est: Nolite mirari, quod dixerim, hęc posse Filium hominis. Non enim solum hominis, sed & Dei filius sum. Vel, Nolite mirari, quod dixerim per uerbum meum iustificari peccatores: Maiora enim audietis. Magnum est quod hora iam uenerit, qua per uerbum meum iustificantur & conuertuntur peccatores, sed maius erit, cum per uerbum meum etiam mortui omnes excitabuntur.

Quia uenit hora, quando omnes qui in monumentis, &c.]

Hactenus de resurrectione animæ, quæ fit per fidem, dixit: Nunc de resurrectione carnis loquitur. Neq; sine causa hoc facit: primo enim per hoc augere uoluit credentium consolationem, ut sciant & uideant, se in Christo omnia habere, & quæ ad iustificationem & quæ ad [illegible]ationem pertinent.

Deo[illegible] hoc obturare uoluit ora eorum, qui circa hunc articulum a[illegible]arunt. Nam plærique Gentium non crediderunt futuram resurrectionem, immo & inter Iudæos inuenti sunt Saducæi, qui eandem negabant: Atq; utinam non etiam nunc inter Christianos inuenirentur huiusmodi homines. Præterea tempore Pauli erant Hymenæus & Philetus, qui asserebant resurrectionem iam factam. Matth. 22.

Ad hæc posset quis ex supradictis suspicari, solos credentes resurrecturos carne, sicut soli resurrexerunt fide: Omnia autem hæc uno hoc uerbo refellit Christus. Singula autem uerba emphasim habent. Primo non dicit, ueniet hora, sed uenit, in præsenti scilicet, hoc est, imminet, appropinquat, ut scilicet semper simus parati, ne dicamus sicut seruus infidelis: Dominus meus tardat, & incipiamus percutere conseruos, &c. Dies enim Domini sicut fur in nocte sic ueniet, & cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Non tamen addit (Et nunc est) sicut supra, ut uideamus eum de alia resurrectione loqui. Quod autem subdit: *Omnes, qui in monumentis sunt*, manifeste indicat, eum de corporaliter mortuis loqui. Item, quod non tantum boni, sed etiam mali resurgent: *Omnes*, inquit. Signanter autem dicit: Audient uocem. Sic Paulus: Dominus in iussu & uoce archangeli & tuba Dei descendet. Et iterum: In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Et item: Media nocte clamor factus est, &c. Quod autem addit. Vocem Filij Dei, significat diuinæ non humanæ uirtutis esse resuscitationem mortuorum.

Matth. 24.
1. Thess. 5.
1. Thess. 4.
1. Cor. 15.
Matth. 25.

Et procedent, qui bona fecerunt, &c.]

Hactenus indifferenter de omnibus mortuis locutus est. Omnes enim audiẽt uocem filij Dei, omnes reuiuiscent, omnes procedent è monumentis: Hic nullum erit discrimen inter iustos & iniustos, sed deinceps ab inuicem longe separat eos. Procedent quidem omnes, sed non ad unum finem, uerum aliqui in uitam, aliqui in iudicium. Qui bona ægerunt, procedent in resurrectionem uitæ, idest, quia nunc prima uoce Christi audita uiuere incipiunt, tunc in ipsam uel speciem uitæ peruenient, cuius in spe nunc ambulant per fidem. Qui uero mala ægerunt, procedent in resurrectionem iudicij, ut damnationis sententiam recipiant eadem iustitia & ueritate, qua prædamnati sunt in Adam: quia uocem primam filij Dei nunc inuitantis, ut ab illa hæreditaria morte per fidem resiliant dum tempus est, audire recusant.

2. Cor. 5.

Obserua, in iudicio etiam operum nostrorum habendam esse rationem. Huc pertinet illud: Esuriui, & non dedistis mihi mãducare.

Matth. 25.

Obserua item, sicut mala opera impunita non manebunt: sic nec bona opera, remuneratione carebunt.

Non possum ego à meipso facere quicquam]

Hanc sententiam etiam supra posuit, ubi & exposita est, sed nunc eandem repetit, ac per eã quasi summatim respondet ad calumniam de uiolatione Sabbati. Vult autem dicere, Longa argumentatione probaui, me non uiolasse Sabbatum, nec cõtra Deum fecisse. Primo siquidem appellaui ad Patris authoritatem, qui etiam Sabba-

tis

tis sua opera exequitur: Facit enim solem oriri, nubes pluere, fontes fluere, terra nascentia crescere, animalia nasci, &c. Deinde, ne quis obijciat ut mihi homini non eadem licere, quæ Deo licent (Nã multa sunt, quæ si per Deũ fiant, iusta sunt: Vt, uindicare, maledicere, occidere, &c. si autem ab hominibus usurpentur, iniusta sunt) docui me non uane nec mendaciter ad Patris authoritatem appellasse, sed uere & iustissime, ut qui eiusdem cum ipso naturę, uoluntatis, potestatis, & operationis sum. Sit igitur hæc summa omnium, quæ dixi: *Non possum à me ipso facere quicquam*: Id est, opera mea Patris opera sunt, nihil à me ipso facio, hoc est, extra Deum, extra uerum, mea uoluntate diuisa à Dei uoluntate, immo adeo non contra Deum quicquam agere intendo, ut ne possim quidem. Potuit angelus ex semetipso citra, immo contra Dei uoluntatem facere, & fecit, idem potuit homo & fecit. Deus autem, sicut nulli uitio nullisq; accidentibus omnino subiacet, ita summe iustus, tale quid, hoc est, iniustum omnino facere non potest. Cum igitur me Deum esse probauerim, nedum uerbis, sed reipsa fidenter dico: *Non possum á me ipso quicquã facere*, quare cesset blasphemia uestra. Tam igitur non possum male agere, quam Deus non potest male agere, & à iustitia declinare.

Obserua, quod non sine causa Christus hic tam diligenter se defendit, idq; prȩter morem suum. Nam alias patienter fert ludȩorum calumnias, quemadmodum cum eũ hominem uoracẽ nominarent, & socium Publicanorum. Item, cum eum Samaritanum uocarent. Item, cum coram Pilato falso accusarent, nihil omnino respondit: immo & discipulos docuit, patienter ferre calumnias impiorum: Beati, inquit, estis, cum maledixerint uobis. Hic autem ideo se defendit, quia Patris negocium agebatur, & ea calumnia nedum in Christum, sed & in Patrem recidebat. Si enim Christus male fecit sanando infirmum Sabbato, consequitur etiam Deum male facere, si Sabbatis beneficia præstet, Quo quid magis impium uel cogitari potest? Deinde, ad nostram utilitatem hoc fecit, alioqui quis in eum crederet, quem persuasum haberet, Deo esse contrarium?

Matth. 11. Ioan. 8. Lucæ 23. Matth. 5.

Præterea, nisi Christus hic respondisset, ignota adhuc nobis esset uera Sabbati ratio: nec scire possemus, in quibus rebus uel uioletur, uel obseruetur Sabbatum.

Si igitur placet imitari Christi patientiam, plus satis exemplorum in alijs locis inuenies, quanquam & hic aperte uideamus eius patientiam, ut qui ita calumniam depellit, ut tamen non regerat calumniam. Hoc igitur uerbo Christi docemur, ne temere de operibus Dei filiorumq; eius iudicemus. Fieri enim potest, ut bona intentione fiat, quod malum nos putamus. Generaliter aũt hoc de omnibus Dei operibus nobis persuadeamus, quod male & iniuste facere nequit: Vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant ualde bona.

Genes. 1.

Deinde discamus & nos non ex nobis ipsis quicquam facere, sed singula ad uoluntatem & præscriptum Dei.

Sicut audio, sic iudico]

Supra eodem c. Eandem ferme sententiam habet, quod supra dixit: Nihil potest filius facere, nisi quod uiderit Patrem facientẽ. Sensus est, Sicut opera mea sunt Patris opera, nihil enim ex me ipso facio: sic iudiciũ meum, est Patris iudicium. Sicut eum audio iudicantem, sic & ego iudico.

Isa. 11. Act. 10. Psal. 7. Iam cum Pater non iudicet iuxta uisionem oculorum aut externam speciem. Nec enim est respector personarum, sed scrutatur renes & corda & iudicat iuste, ideoq; iudicium eius tam non iniquum esse potest, quàm non potest non esse Deus: Ita & ego non iuxta oculorũ uisionem, sed secundum causæ meritũ iudico. Proinde quicunq; bona agit, non uereatur, ne bona eius irremunerata remaneãt. Ecõtra qui male agit, non seipsum inani spe decipiat, quasi impune euadere possit: Vtercp enim secundum causæ meritum iudicabitur. Obserua conditionem boni iudicis esse, ut & bonos remuneret, & malos puniat.

Rom. 13. Sic Paulus: Gladium (inquit) portat Magistratus, ad terrorem malorum, laudem uero bonorum. Verbum igitur hoc Christi, non tam impios terret, quàm consolatur pios. Possumus & hunc locum aliter intelligere. Certum est ex scripturis, quod peccata clamant in cœlum:

Genes. 4. Genes. 19. Isa. 5. Sic enim ad Cain dicitur: Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra. Sic & alibi dicitur: Clamor Sodomorũ uenit ad me, &c. Et in Isaia: Expectaui iustitiam, & ecce clamor. E contra etiam bona opera in cœlum clamant. Sic Sapiens dicit: Absconde eleemosynã in sinum

Eccles. 29. pauperis, & ipsa orabit pro te: Ipsa (inquit) eleemosyna. Sic & Paulus

Heb. 12. dicit: Sanguinẽ Christi clamare pro nobis. *Sicut igitur audio* (inquit Christus) *sic iudico*, hoc est, quamuis iuste omnes damnare possem

Rom. 3. (quandoquidẽ omnes peccauerũt) tamen si aliunde audiero bonum clamorem, præstabo misericordiam. Econtra, quamuis misericordia

Psal. 144. mea sit super omnia opera mea, tamen si alicunde audiero malum clamorem, uincet iustitia mea, ne peccator ille impunis transeat.

Lucæ 19. Sic quamuis Christus pio affectu super Hierosolymam fleuerit, non tamẽ ob id impunitos Iudæos reliquit: *Sicut* (inquit) *audio, sic iudico*, hoc est, magis attendo, quid iustitiæ debeatur, quam quid meus humanus uelit aut defleat affectus. Attendamus & nos iam, bonus uel malus clamor à nobis ad Deum ascendat, &c.

Et iudicium meum uerum est, quia non quæro, &c.]

Proue. 12. Sic in Prouerbijs dicit Salomon: Qui quod audit loquitur, iudex rectissimus est.

Non quæro uoluntatem meam, &c.]

Hoc est, Non condescensionem sequor naturæ humanæ, sed rectitudinem teneo diuinæ iustitiæ. Quod non sic intelligendum est, quasi Christus secundū diuinitatē aliā et diuersam à Deo uoluntatē habeat. Nam alibi orat, ut & nos unū simus, hoc est, tam concordes, quemadmodū ipse & Pater, immo hoc uerbo ostendit, plane unam esse Patris uoluntatem & suam. Obserua, quod Christus per omnia se cōformat diuinę uolūtati, immo nihil aliud uult, cq; quod Deꝰ uult, ut uel hic uideas, quàm dissimiles Christo simus. Ex duobus aūt probat iudicium suum iustum esse. Primo, *Non*, inquit, *quæro meam uoluntatem*. Oportet enim iudices huius mundi gladium administrantes, ab omnibus suis affectibus, qui natura mali sunt, in iudicando liberos esse, ut uel hinc uideas, quàm difficile sit recte iudicare. Hinc Sapiens: Noli quęrere, ut fias Iudex, nisi ui possis perrumpere iniquitatem, &c. Item, Munera excæcant oculos sapientum, &c. Ideo Moyses elegit iudices, qui oderant auaritiam, & Iosaphat iudicibus suis præcipiebat: Sit timor Dei uobiscum, &c. Secundo addit Christus: Sed quæro uoluntatem eius, qui me misit, hoc est, sententiam iudicij mei non colligo è somnio quopiam, è carnali prudentia, è personarum respectu, aut è carnis libidine: sed è uoluntate Patris mei, è quo totus, quantus quantus sum, pendeo. Non enim satis est, iudicem non esse auarū, uel affectibus suis deditum, sed necesse est, ut & certam regulam in iudicando obseruet. Nulla autem certior regula esse potest, quàm diuina uoluntas. Qui hanc regulam sequitur, errare non potest: Deus enim iustus est, absq; ulla iniquitate.

Ioan. 17.
Eccles. 7.
Exod. 23.
2. Para. 19.
Deut. 32.

Hinc in lege præcipitur regibus, ut semper secum habeant legem Domini, & legant. Summa, Boni iudicis est suspicere, non despicere. Suspicit dum eius uoluntatem quærit, à quo iudicandi potestatem accepit: Despicit uel deorsum uidet, dum personas miratur, aut commodum affectat, ac suis cupiditatibus in iudicando inseruit. Erudimini igitur, qui iudicatis terrā: Seruite Domino in timore: Apprehendite disciplinam, &c. Iudicium enim durissimum his, qui prę sunt.

Deut. 17.
Psal. 2.
Sapien. 6.

Si ego testimonium perhibeo de me ipso, &c.

Ne aduersarij uerba hactenus dicta contē nerent, nunc consequenter adducit testes, atq; per hoc non tantū aduersariorū ora obstruxit, sed etiam piorū mentes in fide confirmauit. Multū enim refert scire, quomodo fidem nostrā cōtra aduersarios defendamus. Nam nulla alia fides tantas patitur tentationes, ut fides nostra: Impugnat eam Iudæus, Paganus, hæreticus, interdum etiam ipsa conscientia nostra dubitat, an se tuto credere debeat uerbis Christi. Operę precium igitur est, testimonia hæc à Christo producta diligenter attendere: non tam ut aduersarijs respondere possimus, quàm ut conscientiam uacillantem confirmare ualeamus.

Quatuor autem per ordinem testimonia producit Christus, ac talia

quæ

quæ nemo reiícere poteſt. Præmittit autem generalem ſententiam: *Si ego de me ipſo teſtimonium perhibeo*, &c. quod tamen uerbum non ſimpliciter accipiendum eſt, ut iacet: alioqui totum Euangelium totaq; fides noſtra rueret, ſi uera non eſſent, quæ Chriſtus de ſe ipſo dixit: quis enim non uidet, quàm magnifica ubiq; de ſe loquatur. Intelligamus igitur Chriſtum hic locutum ſecundum opinionem et cogitationes Iudæorum, quaſi diceret. Iam dudum uideo uos obmurmurantes, Tu de te ipſo magnifica dicis, ſed in hoc nobis ſuſpectus es. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: Ideo & homini de ſeipſo teſtificanti nō facile creditur. Laudet (inquit Sapiens) te os alienum non tuum. Scio igitur ſuſpecta uobis eſſe, quæ hactenus dixi, ideo alia teſtimonia nunc adferam, quæ ſuſpecta eſſe non poſſent. Obſerua, quod Chriſtus etiam hoc loco ad eorū cogitationes reſpondet, quo facto palam oſtendit, ſe Deum eſſe: Solus enim Deus abſconditorum eſt cognitor.

2. Cor. 10. Proue. 27. Act. 4.

Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me]

Sunt qui hoc intelligant de teſtimonio Patris, qui alius quidem eſt à Chriſto, non in natura, ſed in perſona. Eius teſtimonium de Chriſto ueriſsimum eſt & certiſsimum. Scio (inquit) quia uerum eſt teſtimonium eius. Non enim ſum ſicut cæteri homines, quorum nemo ſcit utrum amore uel odio dignus ſit, & quibus omnia in futurum reſeruantur incerta. Nos enim quamuis ſpiritum adoptionis accepimus, & ipſe ſpiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei, illud tamen teſtimonium non tam uerum aut iuſtum, quàm gratuitum & indebitum dicendum eſt: quia non eſt debiti, ſed gratiæ: non iuſtitiæ, ſed miſericordiæ. Non enim eſt teſtimonium comparium, ſed inclinatę dignationis monumentū: Chriſtus autem nec in iniquitatibus conceptus eſt, nec quicquam à ſe ipſo fecit aut facere potuit, ideo teſtimonium, quod de ipſo perhibet Pater, uerum eſt, iuſtum eſt, debitū eſt, & utiq; teſtimonium cōparium, atq; ideo legitimum. Congrue igitur dicit: Scio, quod uerum eſt teſtimonium eius. Alij autem hoc uerbum de Ioanne intelligunt, quibus & ego ſubſcribo: Nam de Patris teſtimonio infra dicitur. Primus igitur teſtis Chriſti eſt Ioannes Baptiſta, qui quamuis homo fuerit, ita tamen uixit, ut ne aduerſarij quidem eum reiícere poſsint. Quatuor autem per ordinem de ipſo dicit.

Eccle. 9. Rom. 8.

Scio quia uerum eſt teſtimonium eius]

Hoc dicit, ne Ioannem reiícere poſſent ut hominem, atq; adeo mendacem. Nam omnis homo mendax: *Scio*, inquit, *quia uerum eſt teſtimonium eius*. Non enim teſtificatus eſt de Chriſto carnali iudicio, ſed ſpirituali, nec ſomnio humano, ſed Patris afflatu. Obſerua hominem tunc uere dicere, cum ex Deo loquitur: Ex ſeipſo autem nihil niſi mendacium loquitur. Cæterum, quid Ioannes de Chriſto

Pſal. 115.

teſtificatus

testificatus sit, supra satis expressum est. Verū, ne Iudæi etiā Ioannem suspectū haberēt, quasi in gratiam Christi ea dixisset, protinus subdit. Supra c. 1. & 3.

Vos misistis ad Ioannem, & ipse, &c.]

Quasi diceret, Vt turpe est suas aliquem uirtutes laudibus ferre, etiamsi uera dicat, sic ultro & non uocatum ad testificandum accedere improbari solet: Ioannes autem non ultro ad uos accessit, sed à uobis interrogatus: *Vos misistis ad eum*, &c. Hoc igitur uerbo admonet eos uerborum, quę Ioannes nuncijs ipsorum responderat, de quibus supra. Ne quis autem putaret, Christum hominis testimonium ambire, id quod faciunt, qui non admodum bonæ famæ sunt, subdit tertio. Sup. c. 1.

Ego autem ab homine testimonium non accipio]

Id est, quantum ad me attinet, ego nullius hominis egeo testimonijs. Scio me esse lucem mundi, uiam, ueritatem, & uitam: Sed quod Ioannis testimonium citem, non mea, sed uestra causa fit, ut uos tandem credatis. Non igitur Ioannis testimonium aspernatur, quomodo enim aspernaretur angelum suum, ad hoc missum ante faciem suam, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum: Nec per hoc prohibet, ne testimonium de ipso feramus, cum alibi dicat: Qui me cōfessus fuerit corā hominibus, confitebor & ego eum, &c. Ideo non dicit, Testimonium hominis uel per homines non accipio, sed: *Testimonium ab homine*. Nam testimonium hominum bonorum & ueracium, non ab ipsis hominibus, sed à Deo est, et per homines quidem perhibetur, sed Dei testimonium est. Ab hominibus autē accipere testimonium, est laudem, quę non ex Deo est profecta, sed ex hominibus nata & conflata, quærere. Sed adhuc possent impij ex hoc uerbo occasionem sumere contemnendi Ioannis testimonium, ut ab homine profectum, ideo quarto subdit. Mal. 3. Ioan. 1. Matth. 10.

Ille erat lucerna ardens & lucens]

Commendat Ioannem, ut testimonium eius cōmendabile reddat. Obserua autem, quomodo & in quibus eum commendat: Primo lucernam nominat, non lucem. Sicut enim lucerna non est lux essentialiter, nec lucet per se, sed per lumen constitutum in ea, & quamuis non luceat per se, tamen aptum est suscipere & continere lumen, ne extinguatur: Sic Ioannes non erat lux per essentiam, nec lucebat per se, sed ex participatione diuinæ lucis, cuius & capax fuit, eamq; conseruauit, ne in se extingueretur. De hac lucerna olim prædictum est: Parauī lucernā Christo meo. Hic Ioānes adūbratus fuit per lucernā, quæ iugiter coram Domino ardebat in tabernaculo. Per hoc igitur, quod Ioannem lucernā dicit, ostendit & conuincit eos, nec Prophetarum dicta, nec legis figuras intelligere, quibus hic Ioannes significatus est & prænunciatus. Supra c. 1. Psal. 131. Leuit. 24.

Non

Non ſimpliciter autem lucernam nominat, ſed ardentem. Arſit
Ioan. 3. enim Ioannes igne diuini amoris: Amicus (inquit) ſponſi gaudet ad
uocem ſponſi, &c. Arſit etiam zelo iuſtitiæ, quo obiurgauit Hero-
Mar. 6. dem: Non, inquit, licet tibi habere uxorem fratris tui. Arſit denique &
flamma dilectionis erga proximos, habuitq; uerba uehemẽter igni-
Matth. 3. ta. Genimina, inquit, uiperarum, quis oſtendit uobis fugere, &c.
Nec ſolum fuit lucerna ardens, ſed etiam lucens, uerbo & exemplo.
Tria igitur in Chriſtiano homine commendantur. Primo, ſi ad per-
ceptionem gratiæ ſe diſponit. Secundo, ſi eam diligenter cuſtodit, &
eadem bene utitur. Tertio, ſi ne dum in corde ardet, ſed et lucet foris
per opera: Ardere enim ſolum parum eſt, lucere ſolum uanum eſt:
ardere & lucere perfectum.

Vos autem uoluiſtis ad horam exultare, &c.]

Hoc uerbo iterum conſcientias eorum tangit, quaſi diceret: Scio
quàm ob cauſam ad Ioannem miſiſtis, nempe, ut ſi Ioannes oblatum
honorem agnoſceret, abuteremini eo ad me perſequendum. Voluiſtis igitur ad horam exultare, &c. hoc eſt, magno gaudio affecti fuiſſetis, ſi ipſe conſenſiſſet uobiſcum contra me.

Obſerua etiam hic, quod Deus corda & intentionem uidet, quantumcunq; bonã ſpeciem prætendimus. Deinde, hoc uerbo eorum arguit inconſtantiam. Quaſi diceret, Etiamſi quid boni guſtaſtis, tamen ea eſt ueſtra inconſtantia, ut facile faſtiditatis. Sic Ioannem in exordio ardenter audiſtis, ſed ad horam tantum manſit ille feruor, paulatim defecit. Hoc ipſum in omnibus cõtingit, in quibus non eſt uiua fides, magno conatu incipiunt, ſed non perſeuerant.

Præterea, hoc uerbo carnales eorum affectus palam oſtendit: Ioannes, inquit, ad æternam gloriam uos inuitauit, uos autem temporalem præſentis regni fœlicitatem præripere uoluiſtis, quod nihil
2. Cor. 4. aliud eſt, quàm ad horam exultare. Quæ enim uidentur, temporalia ſunt, nihil breuius hora, nihil præſenti uita inſtabilius.

Ego habeo teſtimonium maius Ioanne]

Solebant Iudæi etiam ſanctiſsimos homines reijcere, ſi quid con-
Hier. 43. tra ipſos dixiſſent. Sic & Hieremię, qui ex utero ſanctus erat, dicebãt: Mendacium tu loqueris: Non miſit te Dominus, &c. Ne igitur & de Ioanne talia dicerent, Chriſtus ad alia teſtimonia tranſit.

Opera quæ dedit mihi Pater, &c.]

Hoc eſt ſecundum teſtimonium: Maius autem eſt, quàm teſtimonium Ioannis, quia eius teſtimonium eſt ab extra, uirtus autem operum eſt ab intra. Item Ioannes teſtatur uerbo, opus autem probat effectum: Ioannes digito carnali demonſtrauit Chriſtum, opus aũt

eſt

est ipse digitus Dei. Summa, testimonium operum omnia alia uincit. Hinc Christus etiam alibi nos ad opera sua dirigit: Si mihi (inquit) non creditis, operibus credite. Item, Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Opera autem de quibus Christus hic loquitur, sunt, opus incarnationis, natiuitatis, miraculorum, passionis, resurrectionis, ascensionis & missionis Spiritus sancti. Hæc sunt magna illa opera Domini, exquisita in omnes uoluntates eius, quæ & clarissime ipsum probant esse Deum. Signanter autem dicit: *Quæ dedit mihi pater*, ut ostendat iterum, se non esse contrarium Deo. Vbi & illud obseruandum, quod pater filio opera imposuit, ne quis miretur, quod etiam à nobis opera exigit, immo omnibus filijs suis cuiuscunq; status sint, certa opera dat, quemadmodum aperte testatur Paulus: Dei, inquit, factura sumus, creati ad opera bona, quæ præparauit nobis, ut in eis ambulemus. Obseruandum & illud, quod Christus addit: Vt perficiam ea. Non enim satis est scire Dei uoluntatem, nec satis est incipere, sed oportet perficere eius uoluntatem. Attendat igitur quilibet, qualia sibi opera pater dederit perficienda. Luc. 11. Ioan. 10. Ioan. 15. Psal 110 Ephe. 2.

Et qui misit me Pater, &c.]

Tertium testimonium est uox patris: Hic est filius meus dilectus, &c. Vnde et Petrus: Oculis nostris aspeximus illius maiestatem, uoce ad illum delapsa, &c. Misit autem pater filium, non ut esset, qui non erat, sed ut uisibilis fieret, qui erat inuisibilis, corpusq; assumeret, qui erat incorporeus, fieretq; homo, qui erat Deus. Matth. 3. 2. Pet. 1.

Neq; uocem eius audistis unquam.]

Hoc addit, ne putarent eum loqui de Ioseph patre suo putatiuo. Deinde hoc uerbo omnem ipsorum de Deo gloriationem aufert: Gloriabantur Iudæi, se Deum audisse & uidisse, itemq; uerbum eius se habere, Christus autem contrarium asserit. Nunquam uocem eius audistis. Sonum quidem uerborum audierunt, sed non uocem Dei. Sic enim & Moyses eis dixit: Vos uidistis uniuersa magnalia Dei, & non dedit uobis Dominus cor intelligens, & aures quę possent audire usq; in præsentem diem. Sonat quidem uox Dei, uel scriptura in auribus hominum corporeis, tamen sensus uocis non nisi aure cordis percipitur. Obserua, quod qui solam literam audiunt, non Deum, sed creaturam audiunt. Deus enim cum spiritus sit, neq; cernitur, neq; cognoscitur, neq; auditur, nisi spiritu. Deut. 29. Ioan. 4. 1. Cor. 2.

Neq; speciem eius uidistis.]

Vidisse Deum legitur Iacob, & alij quidam, ut Daniel, Isaias, uerum hoc nõ fuit in propria specie, sed aliena, in imaginatione formata, uel ab angelo in persona Dei apperente, uel alio consimili modo. Non igitur unquam quis uidit speciem Dei: Viderunt Israe- Gene. 32.

Exod. 19. litæ fumum, ignem, nubem, ſed illa non Dei ſpecies propria eſt. Vel aliter, ſpeciem eius nunquam uidiſtis, quia nõ pura mente, nec ſyncera fide contemplati eſtis Deum: Qui enim ait ſe noſſe Deum, &
1. Ioan. 2. mandata eius non ſeruat, mendax eſt, &c.

Et uerbum eius non habetis in uobis manens.]

Habebant Iudæi uerbum Dei ſcriptum in libris, proferebant illud ore, ſed non in corde habebant. Primo, quia Chriſtum, qui uerbum Dei eſt, non admittebant ad cordis ſui hoſpitium, ut per fidem
Ioan. 1. habitaret in cordibus eorum. Iuxta illud: Sui eum non receperunt.
Ephe. 3. Secundo, quia uacui erant à uera cognitione, & ſalutari memoria
Pſal. 118. diuinorum uerborum, diſsimiles Dauidi, qui dicebat: In corde meo abſcondi eloquia tua, &c. Quemadmodum enim impij, quantumuis ſubtiles, tamen non dicuntur cognoſcere Deum, quia eum non
Tit. 1. honorant ut Deũ: ſic peruerſi et perfidi, quamuis in ſcripturis promptiſsimi ſint, non tamen dicuntur habere uerbum Dei, quia eo abutuntur. Tertio, quia internã Dei inſpirationem non percipiebant.

Quia quem miſit ille, huic uos non creditis.]

Chriſtus eſt uerbum & uox Dei, ipſe quoq; eſt expreſſa imago
Heb. 1. eius & ſpecies: ipſe deniq; lex uiua eſt, & legis impletio. Proinde, qui non audit Chriſtum, non audit uocem Dei: Qui non uidet Chriſtum, non uidet ſpeciem Dei: Qui non habet Chriſtum per fidem, non habet legem, nõn implet legem, non ſatisfacit legi, ut maxime
Rom. 7. externa opera faciat. Lex enim ſpiritualis eſt, proinde non operibus externis tantum, ſed fide in Chriſtum impletur. Obſerua, quemadmodum Chriſtus hic triplicia teſtimonia pro ſe adduxit, ita Chriſtiano opus eſt triplici teſtimonio. Primo, oportet ut habeat teſti-
Matth. 5. monium ab hominibus: Sic, inquit, luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona, & glorificent patrem in cœlis. Secundo, ut teſtimonium habeat à proprijs operibus. Sic Petrus
2. Pet. 1. uult, ut uocationem noſtram certam faciamus per bona opera. Tertio, ut habeat teſtimonium à Deo, hoc eſt, teſtimonium bonę conſcientiæ, quod niſi aſsit, fruſtranea ſunt priora duo: Gloria no-
2. Cor. 1. ſtra, inquit, hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.

Scrutamini ſcripturas, &c.]

Quartum Chriſti teſtimonium eſt, ſcriptura ſacra. Ponitur autem ultimo loco, quia hoc teſtimonio maxime conuincuntur Iudæi. Priora enim teſtimonia, quantumuis credibilia ſint & certa, tamen tanta erat eorum malitia, & adhuc, ut ea impudenti ore calumnientur. Cita Iudæo teſtimonium Ioannis, dicet eum fuiſſe ſubornatum
Matth. 12. à Chriſto uel Chriſtianis: Allega eis miracula Chriſti, aſcribent ea Diabolo, id quod patres eorum fecerunt; Obijce eis teſtimonium et

uocem

uocem patris, dicent fantaſma & deceptionem fuiſſe. Hoc autē ſcripturæ teſtimonio aperte conuincuntur, ideo ut firmiſsimum contra eos ultimo loco poſuit. Obſerua, quod ignaros ad ſcripturas dirigit, non ad uiſiones & ſomnia, contra eos, qui contemptis ſcripturis nouas reuelationes è cœlo expectant. Obſerua ſecundo, quod non iubet ſcripturas tantum legere, ſed ſcrutari, quo uerbo indicat ſcripturam ſacram non oſcitantem, ſed diligentem requirere lectorem uel auditorem. Hinc Pſalmiſta: Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius, &c. Et Sapiens: Si inueſtigaueris & quæſieris: ſi effoderis uelut argentum, inuenies uerā ſapientiam. Deinde hoc uerbo indicat, multa magnaq; myſteria latere ſub cortice literæ, quæ ſic indignis occultata ſunt, ut tamen à quærentibus inueniantur. Obſerua autē, quod duplex eſt ſcrutatio: Eſt enim ſcrutatio curioſa, pręſumptuoſa, et immoderata, qua quis contemptis neceſſarijs, difficilia, quęq; ultra propriam capacitatem ſunt, nititur diſcutere, inconprehenſibilia capere, ſcripturas proprias proprio ingenio menſurare. Hanc non docet Chriſtus, nec uult nos aliud quippiam ſcrutari, & quærere in ſcripturis, quam Chriſtum, rem ſcilicet maxime neceſſariam. Vnde & cōtra temerarios huiuſmodi ſcrutatores dicitur: Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Item, Altiora te ne ſcrutatus fueris, &c. Ad longum, Alia eſt ſcrutatio diuinorum, bona, diſcreta & ſalutaris, non ex curioſitate, non ex pręſumptione, uel infidelitate procedens, ſed ex auiditate agnoſcendę ueritatis. Sic Theſſalonicenſes quotidie ſcrutabantur ſcripturas, ſi hęc ita ſe haberent. Non abſurde autem ad ſcripturas ſcrutandas Iudæos dirigit. Nam ante eos conuicerat, quod nunquam ad huc uocem Dei audiſſent, nec uerbum eius in ſe haberent. Arguit igitur hoc uerbo primum eorum inſcitiam, ut qui tantum in cortice literę hærerent, nunquam autem ad ſuauitatem ſpiritus & nuclei peruenirent, omniq; Sabbato ſcripturas ſuper cathedram Moyſi legerent, & tamen quæ principaliora in eiſdem ſunt, nec dum uidiſſent. Arguit ſecundo eorum malitiam, ut qui ex ſcriptura tantum ea uenabantur, quæ uel ad quæſtum eorum facerent, uel quæ contra Chriſtum obijcere poſſent. Sic & in hunc uſq; diem, plærique ſcripturis tantum uel ad quæſtum uel ad contentiones utuntur. Obſeru. autem, quod non dicit: In quibus habetis uitā, ſed in quibus putatis uos habere uitam, quomodo enim uitam habere poſſent ex uerbo externo, cum ut ſupra dictum eſt, uerbū Dei in ſe manens non haberent? Scripturam ſacram in libris uel ore uel manu aut ſinu tantū habere, non præſtat uitam, ſed: Qui ſeruauerit, inquit, ſermonem meum, is non guſtabit mortem. Item, Beati non qui audiunt & habent, ſed qui audiunt & cuſtodiunt uerbum Dei.

Pſal. 119. Prouer. 2. Proue. 25. Eccle. 3. Actio. 17. Sup. c. eodem. Ioan. 8. Luc. 11.

Illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.]

Nullum citat locum, ſed in generali loquitur, tum ut ad quęren-

dum incitet, tum ut sciamus, omnem scripturã ad Christum referri,
Acto. 3. quemadmodũ Petrus ait. A Samuele & deinceps omnes, qui locuti
Acto. 10. sunt prænunciauerunt dies hos. Et iterum, Huic omnes Prophetę testimonium perhibent, &c. Tripliciter autem scriptura Christo testimonium perhibet. Primo est quasi uox ipsius uerbi increati, per
Ioan. 1. quod omnia & creata sunt & sustentantur. Sicut enim uox manifestum facit & testatur uerbum, quod in corde latet: sic scriptura ubiq; uerbi diuini uirtutem & potentiã indicat. Secundo, scriptura uarijs, sed obscuris figuris Christũ adumbrat. Sic agnus Paschalis, serpens æneus, sacrificia deniq; legis, Christo perhibebãt testimoniũ, per eius crucem & mortẽ mundum redimendũ. Postremo, scriptura apertis uerbis Christo testimoniũ perhibet. Sic Isaias, ne dum eius aduentum in carnẽ, sed etiam modum conceptionis, expresit: Ecce, inquit,
Isai. 7. Virgo concipiet, &c. Idem et ipsius natiuitatẽ expresit: Puer, inquit,
Isai. 9. natus est nobis, &c. Sic Michæas locum etiam natiuitatis expresit:
Mich. 5. Et tu, inquit, Bethleem, &c. Ex te exibit dux, &c. Iacob aũt Patriar-
Gene. 49. cha etiam tempus expresit: Non auferetur, inquit, sceptrũ de Iuda.
Danie. 9. Idem fecit Daniel, cũ de septuaginta hebdomadibus scribit. Sic Isai-
Isai. 35. as miracula Christi prædixit: Tunc saliet sicut ceruus claudus, &c.
Zach. 9. Sic Zacharias paupertatem Christi expresit: Rex, inquit, tuus ue-
Isai. 53. niet tibi pauper & mansuetus, &c. Apertissime autem Isaias etiã eius passionem expresit, &c.

Et non uultis uenire ad me, ut uitam, &c].

Ostendit hoc uerbo, eos non ex ignorantia, sed ex malitia et proposito peccare. Omnibus autem impijs & peccatoribus, hoc uerbum dictũ esse existimemus. Vbi primo uide, quã mansuete etiam peccatoribus & obstinatis loquatur, ut uerum appareat illud Isaiæ:
Isai. 42. Non clamabit, nec contendet, &c. Agnus enim nũc est, sed in secun-
Amos. 3. do aduentu: ut leo rugiet, & quis non tunc timebit? Immo adeo uoce sua terrebit tunc impios, ut dicturi sint mõtibus, cadite super nos,
Apoc. 6. & abscondite nos ab ira sedentis super thronum & agni. Singula autem uerba emphasim habent. Primo enim non dicit, Non potestis, sed: *Non uultis*, ne habeant impij, quo se excusent. Sic & alibi contra
Matth. 23. Iudæos dicit: Quoties uolui congregare filios tuos, et noluisti. Et generaliter de omnibus: Hęc, inquit, est cõdemnatio mundi, quod lux
Ioan. 3. uenit in mundũ, & dilexerunt homines magis tenebras. Secundo, ostẽdit se nihil arduũ uel difficile imperare, cũ dicit: *Non uultis uenire*. Maxime autem emphaticum quid habet, quod addit: *Non uultis uenire ad me*, quasi diceret. Ego ad uos ueni, insigniterq; admodum me humiliaui etiã usq; ad formam serui, immo etiam usq; ad supplicium crucis. Quid igitur o populę meus tibi feci? quid commerui, quod ad me accedere times, immo dedignaris? Curris ad Magos, sortilegos, itẽ ad externa suffugia, & me, in quo omnia habere posses, contẽnis.

Præterea:

Præterea: *Non uultis uenire, ut uitam habeatis.* Si ad arguendum, maledicendum, uel puniendū ueniſſem, quemadmodū olim ad primos ueſtros parentes, item ad Cain, item ad Sodomitas, etc. excuſari poſſetis: Nunc autem, cū uitam apportem, et dare paratus ſim, quę uobis relicta eſt excuſatio? Immo, quomodo poteſtis dicere, Deum iniuſte facere, cum uel hic punit uel in ęternum damnat? Noluiſtis enim benedictionem, & elongabitur à uobis, &c. Pſal. 108.

Ego claritatem ab hominibus non accipio.]

Plura hactenus uerba, eaq; non uulgaria, ad Iudæos locutus eſt Chriſtus: nihil tamen hactenus audiuimus eos reſpondentes. Nullus eorū Deo gloriā dabat, nullus ſe peccaſſe agnoſcebat, nullus ueniam petebat, denicq; nullus eorū emendationem uitæ proponebat. Ea eſt enim conditio eorū, qui ex malitia et propoſito peccant, quod quantumuis conuincantur & confundantur, non tamen emendantur. Quamuis aūt Chriſtus ſciret, nihil ſe in ipſis profecturum, nō tamen ceſſat ſe ipſum manifeſtare, ad maiorē ſcilicet eorū condēnationem, maxime aūt ad noſtrā utilitatē: Nobis enim per hoc cōſuluit, alioqui tantas margaritas ante illos porcos non iactaſſet. Hoc aūt uerbo iterum ad cogitationes eorū reſpondet. Ipſi erant ambitioſi: nam primos recubitus amabant, & ſalutari ab hominibus Rabbi: Quales autem ipſi erant, talia & de Chriſto ſuſpicabantur (Stultus enim in uia ambulans cū ipſe ſtultus ſit, omnes ſui ſimiles arbitratur) Huic igitur ſuſpitioni obuiat Chriſtus. Dupliciter aūt intelligi poteſt uerbū hoc. Primo ſic: *Ego claritatem, &c.* quaſi diceret. Sicut ſol lumen ſuum in ſe habet, nec accipit claritatē ſuam ab hominibus, etiamſi multa lumina incenderent: ſic ego, cum Deus ſim, in me ipſo habeo lucē, immo ego ipſe ſum lux & ſplendor gloriæ patris, nihil ſplendoris ex hominum laude accipio, ſicut & nihil ſplendoris ex eorū contumelia amitto. Poſſum quidē glorificari in homine, cū ſcilicet opera mea in ipſo oſtendo, ut de Lazaro infra dicitur: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed ut glorificetur filius Dei per eam. Poſſum etiā per homines clarificari uel glorificari, cū ſcilicet nomē meum ab ipſis laudatur, magnificatur, inuocatur, quēadmodū Pſalmiſta ait: Magnificate Dominum mecum, &c. Sed claritatē ab hominibus non accipio, hoc eſt, nihil mihi ex hominum laude uel uituperatione accreſcit, uel decreſcit. Hinc igitur diſcimus, uerū honorē eſſe, qui in nobis eſt: Externus enim honor ab hominū fauore uel odio pendet, internus aūt conſtans eſt, nec amittitur, etiāſi homines uituperent. Hunc igitur uerum honorē quæramus, ac ſtudeamus, ut honorē uerū in nobis habeamus. Aliter, et magis ad ſenſum Chriſti ſic exponitur hoc uerbū: *Ego claritatem ab hominibus non accipio,* quaſi diceret, Scio cogitationes ueſtras, uos ſuſpicamini me ideo tam duriter duritiam cordis ueſtri increpaſſe, quod nō dum me ut regē Chriſtū uoce prędicta declaratis, Matth. 7. Matth. 23. Eccle. 10. Heb. 1. Ioan. 11. Pſal. 33.

rastis, & in solũ Dauidis collocastis. Itẽ existimatis, quod ideo uos ad me alliciã, & ut meo sermoni credatis, admoneã gloriæ captãdę studio aut ambitione: Ego aũt gloriã hanc nõ quęro, nõ capto aurã popularẽ. Si enim omnino glorię studiosus essem, nunquã me in extremam carnis humilitatẽ deiecissem. Qui enim gloriã quærũt, maxime fugiunt & ęgre ferunt sui contemptũ. Christus aũt, cũ esset in forma
Phil. 2. Dei, &c. humiliauit seipsum, &c. & proposito sibi gaudio, sustinuit
Heb. 12. crucẽ cõfusione cõtempta. Hoc uerbo igitur nõ tam ludęorũ, quam nostra dãnatur superbia, cui cũ simus nihil aliud, quã terra & cinis, ad hęc multis peccatis obnoxij, semper tamẽ alta appetimꝰ: uolumus uideri, exaltari, cũ interim uideamus in Christo (qui in femore suo et
Apoc. 19. uestibus scriptũ habet: Rex regũ, & Dñs dominantiũ) tam insigniter expressum humilitatis exemplũ. Si exaltari cupis, per humilitatem Christũ sequere ad gloriã, alioqui nunquã peruenies. Stat enim sen-
Luc. 18. tẽtia: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & econtra. Obserua quãuis Christus gloriã ab hominibꝰ nõ quęsierit, nihil tñ ob id omisit eorũ, quę salutis nostrę erãt: Sic, et quãuis gloriã quęrere nõ debeamus ab hominibus, nõ tamẽ ob id à bonis operibus cessemus. Hinc Christus
Matth. 6. prohibuit quidẽ, ne iustitia, eleemosyna, oratiõe, ieiunio, &c. gloriã hominũ uenemur, nõ tamẽ docuit ob id omittẽda esse huiusmodi bona.

Sed cognoui uos, quod charitatem Dei non, &c.]

Scio, inquit, quid uobis obstet: Incredulitas uestra nõ est ex inopia testiũ (sufficientes enim adduxi testes) sed ex defectu charitatis. Obserua, quod defectꝰ charitatis, causa est nostrę tarditatis ad omne bonũ. Nec mirũ: Sicut enim, si ignis charitatis in corde ardet, fieri nõ potest, quin & foras flamma erũpat in uerbis et operibus, sic econtra eodẽ igne extincto, omnia frigent in homine. Quamuis aũt carnales homines hoc damnũ non magni ęstiment, tamẽ uere ingens dãnum
1. Cor. 13. est, defectus charitatis. Qui enim charitatẽ nõ habet, nihil est, etiamsi
1. Ioan. 3. hominũ & angelorũ linguis loquatur, &c. Qui nõ diligit (inquit Ioannes) manet in morte. Et idem, Deus charitas est, & qui manet in
1. Ioan. 4. charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Hoc igitur uerbo admonemur, ut pluris ęstimemus spiritualia bona, quã externa: Emulamini,
1. Cor. 13. inquit Paulus, Charismata meliora. Obserua, quod Christus omnes cognoscit, ne dum quales sunt ad extra, sed & quales sunt ab intra. Quacunqꝫ igitur larua te obtexeris, non falles Deum. Vide
Gal. 6. itaqꝫ, ne te ipsum decipias, nam Deus non irridetur.

Ego ueni in nomine Patris mei, & non accepistis, &c.]

Venire in nomine Patris, est, à Deo missum esse, gloriã et uoluntatem Dei quęrere, ac publicam in munere suo utilitatẽ non priuatum commodũ spectare: Hæc aũt omnia in Christo uidemus. Hoc igitur uerbo ostẽdit, nihil in se esse, quod causari possint homines, id quod utinam & in omnibus Ecclesiæ ministris uideremus. Deinde hoc

 uerbo

uerbo, ne dū Iudæos tunc præsentes, sed & omnes absentes & futuros ad se allicit. Quis enim nō accurrat ad eū, qui Dei legatione fungitur? Quid nō magnū expectandū est ab eo, qui à Deo uenit, et Dei uices agit, immo deus est? Sed o hominū stupiditatē, Audi quid sequitur: *Et non accipitis me,* Quo uerbo ostendit, eos ne dum contra Deum, sed & cōtra legem Moysi facere. Is enim sic eis prædixit in uerbo Domini: Ecce, inquit Dominus, ego mitto ante uos angelum meum, qui præcedat uos, &c. Obserua & audi eum, nec contēnendum putes, quia nō dimittet cū peccaueris, est enim nomen meum in illo. Exod. 23.

Si alius uenerit in nomine suo, illum accipietis.]

Suo nomine uenit, qui missus à Deo nō est, nec Dei negociū agit, non quęrit gloriā Dei, nec proximorū salutē, sed proprium commodū, & compendiū, & gloriā, uel authoritatē. Exponitur aūt hoc uerbum cōmuniter de Antichristo, quē Iudæi & ardenter expectant, & uenientē obuijs manibus excipient. Potest aūt & generaliter accipi de omnibus, qui proprio nomine ueniunt: Ea est enim mundi impietas, ut quosuis citius recipiat, quā bene consulentes & Dei nuncios. Sic Iudæi olim contemptis ueris Prophetis, falsis adhærebant. Sic tempore Christi turmatim sequebantur Iudam et Theodam assertores, ut uidebantur libertatis, cum tamē reuera essent seditionis authores, interim uix pauci Christum uere libertatis authorē sequebantur. Sic in passione Christi, ipso reiecto & condemnato, Barrabam latronem sibi deposcebant, &c. Sic post ascensionem Christi, profligatis Apostolis, eos secuti sunt duces, qui & in temporale & in perpetuum excidium eos præcipitarunt. Eandem insaniam & apud Christianos est uidere. Sic enim & in exordio Apostolos in nomine Domini uenientes, & gratis Euangelium prędicantes, pauci receperunt, Pseudoapostolos aūt à seipsis uenientes, & falsa prędicantes, & insuper etiam sumptus accipientes, plures audiebant. Sic post decessum Apostolorū maior pars Christianorū, contemptis patribus, magno studio hęreticis adhæsit. Sic plęroscq; hactenus nō nisi somnia sua prędicantes, & ipsissimū quæstum prę se ferētes, tantum nō pro dijs admirati sumus, alijs interim melioribus cōtemptis. Sic & nunc magno studio suscipimus quæcūcq; noua, etiamsi impijssima sint, immo, quo quidquam peruersius est, eo ardentius suscipitur, interim nihil curantur, qui bene docēt. Eandem insaniam & in alijs rebus ostendimus. Quicquid mundo & diabolo, uel propter ipsos dare, agere, aut pati oportet, lętanter exequimur: Sola aūt ea grauia & importabilia sunt, quæ Deo, uel propter Deū, dare, agere, aut pati iubemur. Summa, Ego ueni in nomine patris mei, & nō accipitis me: si alius uenerit suo nomine, et in perniciē uestrā, hūc suscipietis. Sic scurris & morionibus facilius aures prębemus & perseuerātius, quā uerbi Dei prędicatoribus, &c. Hanc aūt nostrā impietatē pulchre punit Deus, & spiritualiter & temporaliter. Matth. 27

Primo enim, quia charitatē ueritatis nō recipimus, permittit, ut in
2. Thes. 2. uarios errores incidamus, utq; credamus mendacio, qui ueritati ac-
quiescere nolumus. Secundo, quia grauatim Christo ministramus,
plęrunq; contingit, ut quod nō tollit Christus, tollat fiscus, quemad-
Aggæi. 1. modū et in Propheta dicitur: Seminastis multū, & intulistis parum,
&c. quia domus mea deserta est, & unusquisq; ad domū suā tantum
festinat. Si igitur has pœnas euadere cupis, sulcipe eū, qui in nomine
patris uenit. Et si enim Christus aliquando dicat quæ carni molesta
sunt, certus tamē es, quod sunt utilia: sic, et si præcipiat, quod uidetur
graue, iuxta hoc tamen ingentia promittit. Quantū igitur eius pręce-
pta terrent, tantum promissiones consolantur.

Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem, &c.]

Supra docuit primā causam Iudaicę obstinationis esse, quod cha-
ritate Dei uacui essent: Nūc addit alterā causam, nempe, ambitionem
& inordinatam dilectionē temporalium. Erant Pharisæi mancipia
Matth. 23. gloriæ & animalia uentris, timebant famę & existimationi suæ, uide-
bant Christū nihil earū rerū discipulis uel promittere uel dare, quas
ipsi toto studio expetebant, timebant se contemnendos, si credidis-
sent Christo: timebant itē, ne cogerentur pompā & superbiā suā ab-
dicare. Et quis nō uidet, etiā inter Christianos huiusmodi homines,
etc. Innuit aūt Christus, quod nō bene conueniunt, nec in una domo
morantur aut morari possunt ambitio & fides. Nam fides humiliat,
2. Cor. 10. ambitio inflat: Fides facit, ut te abneges & captiuū te tradas in obse-
quiū Dei: Item ut paratus sis omnia propter Deum relinquere. Am-
bitio uero sibi soli bene cupit, se magnificat, sibi omnia ascribit. Fide-
Hiere. 9. lis nō gloriatur, nisi in eo quod cognoscit Dei misericordiam et iusti-
tiam, &c. Ambitiosus aūt gloriatur in sapientia, fortitudine et diuitijs
propriis. Proinde, ubi est ambitio, ibi non est uera & uiua fides: &
ecōtra, ubi uera illa et uiua fides est, ibi nō est ambitio, sed humilitas.
Appetitus igitur gloriæ, magnū ad salutē obstaculum est. Hinc Chri-
Lucæ 14. stus dicit: Si quis uenit ad me, & non odit animam suam, non potest
meus esse discipulus. Idem appetitus glorię & temperalium, sunt spi-
Luc. 8. næ illæ, quibus semen uerbi Dei suffocatur. Pulchre aūt eos arguit,
quod gloriam ab inuicem acciperent: quomodo enim potest homo
tam misera creatura, uerum honorem conferre? quod si etiam coram
hominibus glorioſus uidearis, perinde est, ac si unus uermis uel bru-
cus præ alijs sibi placeat, cū non minus ex stercore & natus sit et uiuat
quam alij. Nihil igitur stultius, quam gloriam captare humanam, qua
1. Mach. 2. nihil uilius, uanius, & instabilius: hominis enim gloria stercus & uer-
mis est, hodie extollitur, et cras non inuenietur. Huc pertinent uerba
Isai. 40. illa scripturę: Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius flos fœni: Aruit
Prou. 31. fœnū, et cecidit flos, &c. Item, Fallax gratia, & uana est pulchritudo.
Hinc Herodes, cui populus acclamabat Dei uoces & non hominis,

paulo

paulo post cõsumptus a' uermibus expirauit. Iustissime aũt eos ob id arguit, quod gloriã, quæ à solo Deo est, nõ quererẽt: uere enim reprehensione dignũ est. Gloria aũt à solo Deo ueniens, est testimoniũ bonæ cõscientiæ, quẽadmodum Paulus ait: Gloria nostra, hæc est testimonium cõscientiæ nostræ. Itẽ, Gloria à solo Deo ea est, de qua Paulus: Gloriamur, inquit, in spe gloriæ, filiorum Dei. Hæc enim est uera gloria nostra, quod filij Dei nominamur & sumus. 2. Cor. 1. 1. Ioan. 3.

Nolite putare, quod ego uos accusaturus sim, &c.]

Quasi diceret (secundũ aliquos) uos ubicq; in me obseruatis, unde me accusare possitis, & in hoc acuitis ut gladium linguas uestras, &c. ut sagittetis in occultis immaculatũ, ideo accusante cõscientia uestra, putatis quod uobis talionem redditurus sim: ego aũt dico causam uestrã longe in peius cecidisse: nõ enim mihi, ut accusatori uerba dedistis, nõ à qualicunq; exploratore perspecti estis, sed incidistis in manus iudicis, apud quẽ rei estis maiestatis, incidistis horrende in manus Dei uiuentis. Hic enim filius Dei, cui uos non creditis, ad quẽ uenire nõ uultis, cui pater omne iudiciũ dedit, ecce ad audiendas causas processit. In iudiciũ enim in hunc mundũ uenit, ut principẽ mundi foras eijciat, et omnes eius sequaces in diem malum reseruet, in diem scilicet occisionis: Ecce, inquã, iudex, ad audiendũ processit, uosq; uincti peccatis in cõspectum eius adducti estis. *Nolite igitur putare, quod ego uos accusaturus sim,* sed peiora expectate. Non enim misit me pater accusare, sed iudicare. Vere dura sententia cõtra omnes impios. Cęterum, sunt qui locũ hũc aliter exponunt, sic scilicet. *Nolite putare, quod ego accusaturus uos sim,* supple, solus. Multa quidem habeo de uobis & loqui & iudicare, immo quemadmodũ omnis mea uita, passio, &c. pro credentibus interpellant, sic impios accusant. Certi igitur estote, quod uos accusaturus sim, sed nõ solus: Aderunt & alij plærique accusatores. Impios enim primo accusabit propria cõscientia. Iuxta illud Pauli: Testimonium reddente illis cõscientia ipsorum, &c. Accusabit eos legislator propter transgressionẽ legis & pręceptorũ: accusabunt eos Angeli ad custodiã deputati, quod eis nõ acquieuerũt: accusabũt eos omnes, quorũ doctrinã & correptionẽ non acceperũt: accusabit eos proximus, male ędificatus: accusabũt eos omnes creaturę, quibus abusi sunt. Miserrima igitur erit cõditio impiorũ, quando quidẽ orbis terrarũ pro Deo cõtra eos pugnabit. Potest etiam locus hic intelligi, ut sit cõparatio Christi ad Moysen, Euangelij ad legẽ. Lex iram operatur, quia peccatũ ostendit, accusat, dãnat: Christus aũt operatur gratiã, excusat, remittit peccata, uiuificat. Secundum hunc autem sensum uerbum hoc admodum consolatorium est. Quid enim iucundius est, quam audire quod Christus non uenit iudicare mundum, sed saluare: non accusare, sed obtegere, remittere peccata. Si autem filius nos excusat, quis accusabit aduersus electos Dei, &c. Ioan. 12. Hiere. 12. Ioan. 8. Roma. 1. Sapien. 5. Roma. 8.

Est qui uos accusat Moyses, in quo speratis.] Hoc

Hoc uerbo cõuincit eos, etiã Moysi aduersarios esse, nec opus esse alio accusatore, sed etiã cęteris tacentibus, solũ Moysen et legẽ eius ad cõdemnationẽ eorũ sufficere. Ego, inquit, iudex sum, Moyses accusator est crudelis, et clamosa cõscientia testis unus, sanguis meus quẽ uos persequimini & effundere cupitis, testis alius est: ecõtra aũt defensor nullus. Accusat aũt Moyses omnes impios, quia nullus eorũ legẽ obseruat. Vide igitur, quomodo in diuersum cadat hypocritarũ uana fiducia, putant se legẽ pro se habituros, quę ipsos corã Deo & iudicio eius defẽdat et iustificet. Verũ, quia Christũ cõtemnũt, habebũt Moysen carnificẽ, et legẽ accusatorẽ. Signãter aũt Moses accusabit ludęos, ideo quod cõtemptis principalioribus præceptis, qualia sunt: Diliges Dominũ Deum tuũ, etc. Itẽ, Diliges proximũ, ipsi in solis philacteriis & cæremoniis gloriabantur. Signanter aũt non dicit, Accusabit, sed, *Accusat*, tũ quia iam olim cõtra eos cœlũ & terrã in testes uocauit: tum quia etiã nunc omnes creaturæ cõtra impios clamãt, adeo, ut nisi cito cõuertantur, effugere nequeant Dei iudiciũ. Signãter etiã addit: *In quo uos sperastis*. Hypocritę enim in lege & operibus cõfidunt, sed uane, ut supra dictũ est, nã nihil eos adeo condemnat ut lex. Præterea plurimũ confidunt ludæi in suis patribus: Cũ enim legãt, Moysen in deserto pro populo orasse, & irã Dei ab eis auertisse, immo Deum ui precũ suarũ retinuisse ne percuteret, forte sperãt Moysen etiã in iudicio ipsis affuturũ, sed frustra sperãt. Non enim peccatores & impios Moyses fouere ac tueri cõsueuit, id quod ex eo patet, quod filios Leui instigauit ad occisionẽ impiorũ. Qui igitur sic iratꝰ fuit cõtra eos, qui uitulũ adorauerãt, quãto magis auersabitur eos, qui filiũ Dei cõtemplerunt? *Si enim crederetis Moysi, &c.*]

Matth. 23.

Deut. 31.

Exod. 32.

Vide, quã potẽter eos cõuincat, omnia enim eis aufert & diruit de quibus gloriabãtur. Putabãt se esse filios Abrahæ, dicebãt se ludæos esse, sperabãt in Moyse, gloriabãtur de lege: Omnia aũt hęc Christus ita cõfregit, ut nõ possent stare. Cõuicit enim eos nec Moysi credere, nec ludæos esse, sed Synagogã Sathanę. Quadrupliciter aũt Moyses de Christo scripsit. Primo uerba aliorũ narrãdo, ut cũ scribit prophetiã ipsi Iacob de Christo. Secũdo uariis figuris Christũ adumbrãdo. Tertio apertis uerbis de Christo prophetando, ut cum dicit: Prophetam suscitabit uobis Dominus, &c. Quarto legem dando, quæ ceu pędagogus ducit ad Christum ostendendo peccata.

Apoc. 2.

Gene. 49.

Deut. 18.

Galat. 3.

Quod si literis illius non creditis, &c.]

Hoc est, Si legẽ Moysi scriptã tenẽtes & quotidie legẽtes, tamẽ parui facitis et trãsgredimini, quomodo uerbis meis recte affecti eritis, quæ uix semel audistis & negligẽter, cũ Moysi nõ credatis, quẽ magistrũ professi quotidie legitis. Vel aliter, Si literas Moysi, quæ quasi elemẽta sunt doctrinę meę, nõ suscipitis, & legẽ quæ ad me ducit spernitis, quomodo ad hęc altiora peruenire poteritis? Qui scripturis nõ credit, nec Christo credit.

Caput

CAPVT SEXTVM.

Actenus Ioannes ea commemorauit, quæ Christus primis duobus annis ęgit & docuit, sed breuiter ea complexus est, quia eorum satis multa in alijs Euangelistis habentur. Ab hoc autem capite usq; ad finem libri narrationem incipit eorum, quæ in tertio, hoc est, ultimo anno uitæ suæ temporalis ęgit & docuit. Hinc est, quod statim in exordio huius capitis, iã tertio festi Paschalis meminit: Erat, inquit, proximum Pascha dies festus Iudæorum, atq; hoc est tertium Pascha. Nam supra bis scribitur in eodem festo Hierosolymam ascendisse, in quarto autem Paschate crucifixus est. Quicquid igitur ab hoc capite usq; ad passionem Christi scribitur, contigit infra tertium & quartum Pascha, hoc est, ultimo anno prędicationis Christi. Diffusius autem scribit Ioannes de his, quæ hoc tertio anno contigerunt, quam de primis duobus: tum quia alij Euangelistæ pauca de his scripserunt: tum quia notatu dignissima sunt. Quo enim Christus propius ad passionẽ accessit, eo plus splendoris habent, & efficaciora sunt quæ dixit & fecit. Non sine causa autem Ioannes in exordio huius capituli, prędmittit miraculum: facit enim hoc ad confirmationem eorum, quæ in hoc capite Christus docturus est. Nam miracula uerbo Dei adiuncta sunt quasi sigilla, quibus certi reddimur, Dei uerbum esse, cui hoc sigillum appensum est. Sic daturus legem, adiecit signa, transitum scilicet per mare. Aquam de petra, manna de cœlo, tonitrua fulgura in datione legis, &c. ut omnis, qui postea audiret et doceret legem, certus esset, se Dei legem docere et audire. Sic Christus Euangelium annunciaturus, addidit miracula, ut certi efficerentur homines, eum non docere uana. Sic priori capite docturus se esse Dei patris legatum, et omnem, qui credat sermoni suo, habere uitam æternam, & in condemnationem nõ uenire: præmisit miraculum, sanationem scilicet infirmi, quo miraculo sequentia sua uerba in ueritate sua confirmauit. Sic & in hoc capite, docturus se esse panem uerum & uiuum, non nudam proposuit eam doctrinam, sed prędcedenti miraculo quinq; panum confirmat, ut omnis qui sequentia uerba docet uel audit, certus sit, se uerbum Dei audire & docere, etiamsi ipse miracula non faciat. Ioan. 5.

Quamuis aũt alij Euangelistæ diligenter hoc ipsum miraculũ descripserint, & Euangelistæ nostri propositum sit, tantum ea quæ ab alijs omissa sunt scribere: Vnum tamen hoc miraculum repetit, tum ut addat ea, quę ex occasione huius miraculi acciderunt, quod alij Euangelistæ nõ fecerunt: tum ut ostendat, Christum ne dum corporaliter Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9.

posse

posse cibare, sed etiã spiritualiter: Tum tertio, ut credibiliora fiãt quæ infra describit de animæ cibo, hoc est, corpore & sanguine Domini, ne quis dicere possit, durus uel impossibilis est hic sermo, quis potest eum audire? Atq; utinam exordium huius capitis attenderent, quibus incredibile uidetur, corpus & sanguinem Christi uere in cibum fidelibus dari. Iam quamuis miraculum illud in se pulchrum sit, iucundius tamen efficitur, si consyderemus, quid eo miraculo nobis ostendere uoluerit Christus. Sunt enim miracula Christi, sicut liber quispiam pulchre ornatus & diligenter scriptus, quem si quis literarum ignarus uiderit, laudat quidem & librum & scriptorem, sed quid in se contineant literæ, nescit: Qui autem ne dum uidere, sed etiam legere nouit, is duplici gaudio perfunditur: Primo ex aspectu libri, secundo ex intellectu uerborum. Idem hoc loco usu uenire uidebimus. Docet autem miraculum hoc, etiam cibum corporis esse donũ Dei. Iuxta illud: Benedictio Domini diuites facit. Item, Dante te illis colligent. Item, Dedit tibi manna, ut ostenderet quod nõ in solo pane uiuit homo, &c. Verus igitur usus huius miraculi est, ut qui cibum corporis habent, sciant donum Dei esse, & agant gratias. Qui non habent, cõfidant se de manu Dei accepturos. Atq; ob eam rem, sicut miraculum de sanatione languidi confirmat eos, qui infirmitate corporis laborant: sic hoc miraculum de quinq; panibus confirmat eos, qui de uictu solliciti sunt. Hinc Christus discipulos sollicitos de panibus huius facti, commonefecit: Quid cogitatis, inquit, inter uos modicæ fidei? Non recordamini quinq; panum, &c. Sed iam ad historiam accedamus.

Proue. 10.
Psal. 103.
Deut. 8.
Matta. 16.

Post hæc abijt Iesus trans mare.]

Mare illud Tyberiadis non aliud est, quam quod alibi dicitur mare Galilææ, & stagnum Genezaret: diuersa enim nomina sortitur à circuniacentibus ciuitatibus. Dicitur autem mare iuxta cõsuetudinem Hebræorum, qui quascunq; aquarum congregationes appellant maria. Causa autem huius transitus fuit, ut discipuli, qui à prædicationis labore redierant ad Iesum, paulisper ab hominibus semoti requiescerent, ut Marcus ait: quamuis & alias causas assignare possimus. Primo enim noluit Iudæos ulterius sua præsentia irritare, sed secessit, si forte ira, quam in eum conceperant, resideret, ac facti eos pœniteret. Per hoc autem docuit, ut & nos aduersarijs cedamus, nec plus irritemus eos, qui alias incitati sunt: Opus enim charitatis est, non insurgere in maleuolos, nec uiribus nostris uti, ne impotentia eorũ redarguta maiori odio concitetur: Charitas enim nõ quærit quæ sua sunt. Vbi interim obserua, non iræ, sed gratiæ indicium esse, quod Deus aliquando homini aufert occasiones peccandi: non enim id facit quod nobis quicquam inuideat, sed ne multum peccantes grauius damnare cogatur.

Luc. 5.
Gene. 1.
Marc. 6.
1. Cor. 13.

Ob

Ob eam causam etiam hominis uitam abbreuiauit, ut qui olim noningentos annos uixerunt, nunc uix septuagesimũ annum attingant: Dies, inquit, annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni sunt, &c̃. non quod longam uitam nobis inuideat, sed ne diu uiuentes multum peccemus, atq; adeo grauius damnemur. Sic & alia nonnunquam subtrahit, quæ possent esse occasio ruinæ, ob eandem causam. Sic & hic Iudæis præsentiam suam aufert & conspectum, ne grauius peccent, iam plus satis peccatorum habentes. Sic igitur etiam in ira ostendit misericordiam. Aliàs autem reuera iram præ se fert recessus ille Christi: Ideo enim trans mare abijt, ut re ipsa ostenderet, tam longe se propter impietatem eorum migraturum, ut inaccessibilis ad eum uia sit (Non enim possibile est pedibus hominum, maria transiri) quod & uerbis paulo post minatur: Quæretis, inquit, me, & non inuenietis, & quo ego uado, uos non potestis uenire. Quàm prope enim Dominus adest timentibus se, facilisq; uia salutis ad ipsum, tam longe abest impijs, tamq; inaccessibilis est uia salutis his, qui eum irritant, id quod & in Propheta comminatur impijs: Sepiam uiam tuam spinis, ualle & fossa, ne inuenias semitam eius. Sic igitur Hebræorum populus eum, à quo olim per mare ductus fuit, mare transire coẽgit, ut uere dixisse Moysen uideamus: Generatio praua & adultera, hæccine reddis Domino Deo tuo? &c̃. Cæterum hoc ipso facto, quod Christus mare transijt, nos docuit relinquere mundum. Iuxta illud: Obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, etc̃. Itemq;: Recedite à tabernaculis impiorum, ne inuoluamini in peccatis eorum. Pulchre autem per mare mundus intelligitur: nihil enim magis turbidum, instabile, periculosum, quàm mundus. Multo siquidem plures in mundo pereunt, quàm in mari. Immo omnis impius mari comparatur: Cor enim impij quasi mare feruens. Quod autem in desertum suos ducit, ibiq; eos pascit, indicat eos solos diuinæ gratiæ participes esse, qui turbæ strepitum fugiunt, ac secretum amant. Hinc & Moyses, ad interiora deserti pergens, Deum uidere meruit. Sic & in Osea dicitur: Ducam eam in solitudinem, & illic loquar ad cor eius. Hæc enim est consuetudo Dei, ut eos quos consolari uult, primum in desertum ducat, ut uideantur ab omnibus relicti.

Psal. 89.
Abac. 3.
Ioan. 8.
Osee. 2.
Deut. 32.
Psalm. 44.
Num. 16.
Isa. 57.
Exod. 3.
Osee. 2.

Sequebatur eum multitudo magna.]

Hoc prædixerat Isaias: Erit mons domus Domini in uertice montium, & fluent ad eum omnes Gentes, &c̃. Cæterum hic multitudinis feruor, nostram ignauiam arguit. Illi etiam non uocati, sequebantur Christum, nos toties uocati, non tamen sequimur: Illi ultra mare in desertũ & montes eum sequuntur, nos nec præsentem audire dignamur: Illi turmatim sequuntur, nos uix paucos uidemus

Isa. 2.

sequi. Discamus igitur inertiam nostram excutere: Vere enim dignum & iustum, immo necessarium est, ut eum sequamur. Non
Act. 4. est enim aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri,
Psal. 103. q̃ nomen Iesu. Omnes igitur ab eo expectemus, ut det nobis cibum
Dan. 9. in tempore. Fœlices, qui dicere possunt cum Daniele: Et nunc sequimur te in toto corde, &c̃.

Quia uidebant signa, quæ faciebat, &c.]

Iusta profecto causa, quis enim infirmus non sequeretur talem medicum? Ob eandem causam & nos eum sequimur. Videmus enim signa gratiæ & misericordiæ peccatoribus plærisq; ostensæ, huiusmodi signa nos trahunt, &c̃.

Vide autem quàm dissimiles sint Pharisæis, illi Christum ideo
Ioan. 5. persequebantur, quod signa faciebat in Sabbato: Hi autem non ob aliam causam eum sequuntur.

Subijt igitur in montem Iesus]

Vt locus corresponderet locato. Vbi enim iustius maneret Iesus,
Isa. 2. quàm in monte? Nam ipse quoq; mons in scriptura dicitur. Propter
Dan. 2. sanctissimæ uitæ excellentiam, miraculorum eminentiam, contemplationis celsitudinem, & propter charitatis omniumq; uirtutum incomparabilem sublimitatem. Mons ergo ascendit in montem,
Isa. 40. implens illud Propheticum: Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Syon, &c̃. Abijt in montem, locum scilicet aptum orationi, contemplationi, instructioni, ut nos idem faciamus tempore opportuno. Item in montem ascendit, ut nos suo exemplo doceret terrena contemnere, & quærere cœlestia. Iuxta illud: Quæ
Col. 3. sursum sunt quærite, &c̃. Item omnium quæ retro sunt, oblitus sum,
Phil. 3. &c̃. Præterea in montem ascendit, ut turbam oculis misericordiæ uideret, & discipulos eandem uidere doceret.

Et ibi sedebat cum discipulis suis]

Procul dubio in magna sollennitate contemplationis sedebat, habens coram se opus suum, & religioso corporis habitu exprimens præparationem gloriæ & honoris, quo sedere habebat ad dextram
Ioan. 12. Maiestatis in excelsis, & quod ubi foret ipse, illic essent simul & discipuli sui, & omnes electi. Non solus autem in monte sedet, sed cum discipulis: Vult enim, ut qui gradum prælationis habent, non alibi quàm secum in monte sedeant, hoc est, in eminentia uitæ.

Erat autem proximum Pascha, &c.]

Hoc est, quod supra in exordio capitis diximus, &c̃. Alijs igitur

Hierosolymam properantibus, ipse ad desertum pergit, ut paulatim legem solueret, cuius finis iam aderat: Finis enim legis Christus. Rom.10. Obserua autem, quod qui eum in desertum sequuntur, non minus, immo plus reficiuntur & corpore & mente, quàm hi, qui Hierosolymis erant in Festo. Vbi enim Christus, ibi omnia bona. Ideo Dauid: Si ambulem, inquit, in medio umbrę mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Psal.22. Signanter autem dicitur dies Festus Iudæorum. Christiani enim aliud phase habent: Pascha enim nostrum immolatus est Christus. 1. Cor. 5.

Cum subleuasset ergo Iesus oculos, &c.]

Hactenus & locum, & tempus, & personas descripsit Ioannes, ubi scilicet, quando, & coram quibus factū sit: Nunc modum ipsius miraculi describit. Hic igitur primo uides, uere dictum esse: Ecce oculi Domini super metuentes eum, & super eos, qui sperant super misericordia eius. Psal.32. Obseruandum autem, quod ubicunq; Christus oculos leuare dicitur, semper magnum aliquod opus sequitur. Quid enim sunt oculi eius, nisi fenestræ salutis & patentes misericordiæ ianuæ, per quas gratia & ueritas emittitur, immo subleuatio oculorum Iesu, præsens miserorum compassio est. Sicut econtra Psalmista de his, quorum crudelia sunt uiscera: Oculos, inquit, Psal.16. suos statuerunt declinare in terram.

Oculos igitur, quos usq; ad id tempus iuste in iram depresserat & clauserat, nunc subleuasse dicitur, id quod ingentis gratiæ signum est. Quid enim non bonorum sequitur, ubi Deus hominem aspicit. Hinc Moyses præcepit Leuitis, ut inter alias benedictiones Num.6. ita populo bene precarentur: Conuertat Dominus faciem suam ad te. Econtra nihil non malorum sequitur, ubi Deus faciem auertit. Hinc Dauid ubiq; precatur: Ne auertas faciem tuam à me, &c. Psal.26.

Et uidisset, quod multitudo maxima, &c.]

In Luca legimus, eum præ gaudio spiritus exultasse, cum audiret Apostolis bene cessisse primam eorum prædicationem: Confiteor, Lucæ10. inquit, tibi Pater, &c. Consequens igitur est, ut & hic cum magno cordis gaudio uiderit populum ad se adcurrentem: Neq; id mirum. Supra enim dixit: Cibum suum esse, ut faciat Patris uoluntatem, Ioan.4. hoc est, ut saluet peccatores.

Dixit Philippo, Vnde ememus panes?]

Prius interrogat, ut miraculum conspectius fiat & celebrius. Cum enim prius compertum fuerit discipulis, non nisi quinq; panes fuisse, nemo dubitare potest, quin Dei opus sit, tantam multitudinem satiare. Obserua autem, quod Christus ipse incipit de cibo facere mentionem, discipulis nihil tale cogitantibus, nec turba quicquam

tale expectante, quo declarauit se sua cura præuenire omnem nostram indigentiam, ac plane etiam nobis dormientibus Patremfamiliâs agere. Huc pertinet illud, quod in Isaia dicit: Audite me domus Iacob, qui gestamini ab utero usq; ad senectam ego ipse portabo: Ego feci, ego feram, &c̄. Signanter autem hoc facto ostendit, se curare pro his, qui uocationi suæ inuigilant, ac bonis operibus insistunt. Hinc alibi dicit: Primum quærite regnum Dei, &c̄. Ipse quidem escam dat omni carni, ipse beneficia præstat etiam malis hominibus, sed maxime curat pro se sequentibus.

Isa. 46.

Matth. 14.

Matth. 6.

Ideo autem toties in scripturis ostendit, se pro nobis curare: Indigemus enim copioso uerbo ad confirmandam fidem de uentris uictu. Nam prima hominum cura est de uictu, quæ carni nostræ agnata, tunc erumpit, cum sapere incipimus. Quo enim quisq; prudentior fit, eo magis uictus cura crescit: Ideo & senes, quibus prudentia est maxima, ætate, usu, & uarijs discriminibus collecta, fere curiosiores & de uictu magis solliciti sunt. Non tamen frustra Deus uentre omnia abligurisante nos onerauit. Voluit enim per hoc fidem nostram exercere, ut qui possit Deo uentrem credere in uitam corporalem, possit & animam ei credere in uitam æternam. Qui enim in minimo est fidelis, erit & in magno fidelis. Obserua autem, quod signanter dicit: *Vnde ememus panes?* non loquitur de cibis delicatioribus. Hi enim magis ad uoluptatem, quàm ad necessitatem quæruntur. Voluit igitur docere, ut cibum non ad uoluptatem, sed ad necessitatem sumamus. Hinc & Paulus: Habentes uictum & quibus tegamur, his contenti simus. Et Sapiens: Initium hominis panis & aqua, domus & uestis.

Lucæ 16.

1. Tim. 6.

Eccle. 29.

Hoc autem dicebat, temptans eum, &c.]

Tentat & Diabolus hominem, ideo in scripturis tentator appellatur. Insidiando enim circumuolat, promittendo decipit, suadendo blanditur, opprimendo rapit, minando terret, desperando frangit: Contra hunc oramus, Ne nos inducas in tentationem. Hoc modo non tentat Deus ut perdat: Deus enim intentator malorum est.

Matth. 4.

Iacob. 1.

Deus autem tentat, ut probet. Sic Sapiens: Deus tentauit iustos, & inuenit illos dignos se.

Sap. 3.

Item tentat Deus, ut homo uel sibi, uel alijs innotescat. Sic tentauit Abraham, ut eius fides & obedientia omnibus innotesceret.

Sic tentauit Israëlitas, ut manifesta fierent, quæ in corde habebant. Hinc Moyses: Adduxit te Deus per desertum, ut tentaret, etc̄.

Deut. 8.

Sic tentatur & Philippus, ut fides eius exploretur, num credat Christum posse in necessitate subuenire.

Sic cum tibi ob oculos ponitur numerosa proles, & promptua-

rium

rium pane uacuum, dicitur etiam tibi: *Vnde ememus panes? &c.* Hoc autem Deus ad te dicit, non ut te perdat, sed ut probet fidem tuam, num uelis ipsum pro Patrefamiliâs suspicere & uenerari. Esuries enim, & panis defectus non sunt perditionis, sed duntaxat tentationis officina.

Ipse sciebat, quid esset facturus]

Hoc addit Ioannes, ne quis putet etiam Christum de seipso dubitasse, item ut ostenderet Christum nedum scire necessitatem nostram, sed & uelle & posse succurrere.

Ducentorum denariorum panes, &c.]

Manifeste prodit suam incredulitatem. Pulchre autem in hac responsione uidemus, quid faciat & cogitet ratio siue prudentia carnis. Non enim longius prospicit, quàm in præsentia & carnalia & consueta media, in cibum scilicet & nummos, quæ si defecerint, desperat, nescia quo se uertat. Fides autem spirituales oculos habens, non hæret in uisibilibus, non confidit in temporalibus si absint, nec desperat si desint: sed prospicit in res inuisibiles, in alterum seculum. Si enim nihil in hoc mundo uidet præsto adesse, quod ad uictum pertinet, aciem oculorum suorum in alterum mundum dirigit, in quo inuenit Deum omnia bona promittentem, omnibus bonis abundantem, & benigniter nobis necessaria ministrantem. Qui autem Deum inuenit, quid ei deesse poterit? Obserua quàm arduum sit, in necessitate bene sperare. Hic enim etiam sancti nonnunquam uacillant: Nescit homo quàm infirmam fidem habeat, donec tentatio adueniat.

Est puer unus hic, &c. Sed quid sunt hæc? &c.]

Quod Andræas non rogatus panes ostendit, ac offerre paratus est, charitatem indicat, simulq; arguit nostram tenacitatem. Ecce Apostoli panes, quos ad necessarium uictum portabant, parati erant esurienti turbæ cõmunicare, nec quicquam aliud causantur, quàm quod uerentur ne nõ sufficiant: Nos autem nec superflua alijs damus, etc. Valde igitur rarum est hoc exemplum Apostolicum inter nos. Deinde, quod signanter dicit, Panes illos hordeaceos fuisse & paucos, palam ostendit, discipulos parum sollicitos fuisse pro corpore, plurimum autem pro anima: palamq; damnat nostram gulam, qui tantum delicata & superflua quærimus, ac uoluptatem amamus: Væ qui comeditis agnum de grege, &c. & nihil patimini super contritione Ioseph. Amos 6. Quod autem Andræas in fine subdit: *Quid hæc inter tantos?* etiam ipse incredulitatem suam ostendit. Cæterum ideo Ioannes tam diligenter Apostolorum infirmam fidem describit, ut sciamus, etiam eos fuisse homines. Deinde, ne desperemus, si tale quid

& nobis contingat. Postremo, ut uidentes, quàm ardua res sit fides,
Lucæ 17. nunquam non clamemus: Domine adauge nobis fidem. Pulchrè igitur ex hoc loco ostensum est, quàm non sufficiat sibi homo. Nam etiamsi in unum omnes uires conferant omnes homines, tamen nę minimū quidem malum auertere possunt à seipsis. Sic in hoc loco ex quinq; milibus ne unus quidem aderat, qui in præsenti necessitate succurrere posset, immo ne Apostoli quidem habebant, quod agerent
Nahum. 3. in tali casu: solus Christus eos sustentat. Congrue igitur Nahum omnes humanas uires brucho & locustę comparat. Bruchus, inquit, expansus est, auolauit: hoc est, quantumcunq; se expandat bruchus ac uolare conetur, tamen facile deficitur, sic & homo. Et quantumcunq; congregentur locustæ, uolitentq; splendente sole, tamen modico frigore superueniente cadunt, & inter sepes hærent: Sic homo etiam in modica temptatione sentit uirium suarum infirmitatem. Discamus igitur hic, non in nobis nec nostra uirtute, sed in Deo confidere. Discamus deinde in aduersis non attendere tantum externum defectum & nostram infirmitatē, sed Dei uirtutem. Hinc cum Moyses miraretur, quomodo Dominus sexcenta millia hominum carnibus saturare posset, id quod promiserat, audiuit à Deo: Num-
Num. 11. quid manus mea inualida est?

Facite homines discumbere]

Non amplius differt Christus miraculum, quia iam nedum aderat necessitas, sed etiam manifestum erat panem sufficientem deesse, ipsiq; discipuli palam confessi erant, humanarum uirium non esse, ut populo succurreretur. Solet enim Deus auxilium suum differre usq; ad extremam necessitatem, ut tunc maxime cognobilis fiat, cum om-
Ioan. 2. nia desperata uideantur. Sic supra non fecit ex aqua uinum, donec omnes scirent uinum deesse: Sic & hic facit, immo & frequenter in hunc modum operatur, neq; id sine causa. Si enim statim in principio negocij cuiuspiam adiuuaret, nec expectaret necessitatem, non fieret manifesta eius potentia aut præsentia. Obserua autem, quod non arguit Apostolos, cum iuste dicere potuisset: O uos exigua fide præditi, quid tantum attenditis defectum pecuniæ & panum paucitatem? Cur non me aspicitis? Non uidistis plura à me miracula? Nescitis meum munus esse, populi salutem quærere? quid à uobis
Matth. 14. populum ieiunum repellitis (hoc enim Matthæus de ipsis scribit) uestrum erat pro populo supplicare, ut dignarer eis subuenire, &c. Sic, inquam, poterat eos arguere, sed nihil eorum facit, quin potius manifesto miraculo eorum incredulitatem arguit. Sic plærunq; nostram incredulitatem & impietatem, non uerbis aut flagellis punit, sed beneficijs arguit. Quoties enim bona aliqua dat, toties nobis dicit: Vide miser, quàm impius sis in me, non rogatus hæc tibi confero,

confero. Cur igitur mihi non confidis? ubi unquam me infidelem & mendacem expertus es, &c. Item tanta quotidie uobis præsto, ut iam dudum dixisse debueritis: Metuamus Dominum, qui dat nobis pluuiam serotinam, &c. Hier. 5. Obserua item, quàm potenter Christus hic loquatur. Nondum uiderat paries, & iam iubet homines accumbere, ac si omnia parata essent, quemadmodum & uere parata erant. Apud Deum enim omni tempore parata sunt, quæ nobis necessaria sunt: Longitudo dierum in dextra eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria, ait Sapiens. Prouerb. 3. Signanter autem iubet homines discumbere: In mensa enim Dei non debent animales esse, nam animalis homo non percipit quæ Dei sunt, multo minus bestiales admittit. 1. Cor. 2. Homines autem sunt, qui non secundum concupiscentiam, sed secundum rationem uiuunt. Item, qui non tantum corporis cibum quærunt sicut bestiæ, sed etiam animæ cibum. Item, qui agnoscunt & recogitant quanta quotidie à Deo accipiant: Bestiæ autem non homines sunt, quorum Deus uenter est. Phil. 3. Exigit autem à nobis, ut discumbamus, hoc est, ut uocationi nostræ insistamus, ac paratos nos præbeamus ad eius dona suscipienda, in silentio & animi tranquillitate. Idipsum autem nobis ubiq; per Apostolos mandat. Sic Ephes. 4. per Paulum præcipit, ut ambulemus digne uocationi nostræ, &c.

Erat autem fœnum multum in loco]

In Marco legimus eos discubuisse super uiride fœnum. Mar. 6.

Discubuerunt ergo uiri quasi quinq; milia]

Quamuis Apostoli supra ingenue confessi sint, humanis uiribus impossibile esse, tantum populum cibare: hic tamen iubente Domino non respondent, aut dicunt: Quid opus est discubitu, cum nihil sit, quod apponatur. Nam quod habemus, uix nobis sufficerit, sed simpliciter obediunt. Hic igitur discamus, in præceptis Dei non quærere quare hoc uel hoc præceperit, sed simpliciter obedire. Sic & in uerbis & promissionibus Dei discamus non disputare, quomodo fieri possit quod promittit, sed simpliciter credamus.

Non est uera obedientia, quæ iubenti respondet, cur talia præcipiat. Nec est uera fides, quæ disputat, num possibile sit, quod Deus promittit. Deinde etiam populi simplex erat fiducia parentis Apostolorum uocibus, cum nullum uideret apparatum. Vbi autem tales se præstant homines, illic Deus sua opera libenter exequitur. Nec aliud in causa est, quod Deus non tanta in nobis & circa nos operatur, quanta olim fecit, quàm quod eum impedimus: Clamat ut discumbamus, sed nemo est qui obediat. Quia itaq; nolumus discumbere, nec ipse dignatur nos cibare.

Numerum autem discumbentium, ponit ad maiorem miraculi claritatem. Viros tamen solos numerat, quos & scriptura tantum numerat. Num.1. Tacet autem de pueris & mulieribus, quia odit in Christianis pueriles & muliebres mores, sed uirilem exigit animum, constantiam, opus, &c̄.

Accepit ergo Iesus panes]

Poterat è nihilo cibos creare, sed noluit. Propositum enim eius erat multis modis potentiam suam ostendere, palamq; declarare, se non uno tantum modo, sed pluribus necessitati nostræ subuenire posse, ad confirmationem nostram.

Consuetus quidem modus, quo nos cibat, est quod fructus terræ dat: Verum potest etiam alijs modis succurrere. Primo enim potest seruare sine cibo, id quod ostendit in Moyse & Helia, qui Exod. 16. quadraginta diebus sine cibo corporali permanserunt.

Secundo potest nouos panes creare, id quod per quadraginta annos ostendit in deserto pluens manna, &c̄. Tertio potest quod modicum est multiplicare, id quod hic fecit. Idem ostendit 3.Reg. 17. etiam in hydria farinæ, & lechyto olei uiduæ Sarepthanæ. Non est igitur quod desperet fidelis, etiamsi unus modus defecerit: Potest enim Deus alijs modis iuuare. Non abs re autem panes accepit in manus, alioqui quomodo tam pauci panes, tam multos homines satiare potuissent, nisi Christus eos sumpsisset in manus? Per hoc autem docuit, ut & nos, si nimis pauci uidentur panes quos habemus, eos in manum Domini ponamus, quod tunc fit, cum promissioni eius credimus: Dominus autem panes suæ fidei creditos benedicet, ac mirabiliter multiplicabit. Est enim Dominus fidelis, & promissi 2. Tim.2. seruans. Denicq; seipsum negare non potest, si modo tu promissionem eius fide arripueris. Prouer.10. Hue pertinet quod Salomon ait: Non Psal. 36. perdit Dominus fame animam iusti. Et Dauid: Iunior fui, & non uidi iustum derelictum, &c̄.

Et cum gratias ægisset]

Gratias ægit. Primo ut suo exemplo nos prædoceret, & de perceptis, & de percipiendis Dei donis gratias agere. Secundo, ut ostenderet se non esse Deo contrarium, quemadmodum plurimi suspicabantur.

Hinc igitur est, quod coram multitudine miracula faciens, gra- Ioan.11. tias agit: Sic enim & in suscitatione Lazari fecisse legitur. Aliqui Euangelistę habent, quod benedixerit panes, quo uerbo ostenditur, Prouer.10. quibus rebus panes multiplicati sunt, nempe benedictione Domini, quæ sola diuites facit. Panis enim è sua natura non habet ut cibet, sed e uerbo Dei: Non, inquit, in solo pane uiuit homo, sed in omni uer- Deut.8. bo, quod procedit de ore Dei. Hinc nonnunquam Deus pani uirtu- Leuit.26. tem cibandi subtrahit, iuxta illud: Comedetis & non saturabimini.

Discipulos

Discipulos autem apponere iubet, ne quid fraudis suspicari posset, si per seipsum apposuisset. Vbiq; enim hoc ægit, ut confirmaretur fides nostra.

Vt autem impleti sunt]

Vide quam diligenter omnia describit Euangelista. Ostendit enim eos ad satietatem usq; comedisse, ne quis postea audiens tantum fragmentorum sublatum fuisse, suspicetur eos nihil comedisse.

Colligite fragmenta, ne pereant]

Plus tribuit quàm opus habebant, ut conspectius fieret miraculum. Sed & nobis plus dat, quàm opus habemus. Primo, ut eo magis accendamur ad amorem & laudem Dei, ac omni tempore benedicamus Dominum. Secundo, ut sit quo charitatem erga proximum exercere ualeamus. Errant igitur, qui putant se bona externa pro sua libidine posse consumere, &c̄. Psal. 33.

Iubet autem fragmenta colligere, ne putaretur fuisse fantasma quod fecerat. Secundo, ut nos doceret non abuti donis Dei, nec quicquam sinamus perire, quod proximis usui esse potest.

Discipulis autem hoc præcipit, non turbæ: quoniam hos magis eruditi uolebat, qui totius orbis magistri erant futuri. Multitudo enim parum emolumenti inde consecutura erat, id quod ex sequentibus patebit.

Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim, &c.]

Hic primo uidemus miram Dei uirtutem & omnipotentiam: adeo, ut uel solum nos in fide confirmare posset. Deinde, hoc facto declarauit quantum præmium mereatur liberalitas. Apostoli siquidem quinq; panes liberaliter populo communicauerant: nunc autem econtra duodecim cophinos receperunt. Sic enim eleemosyna semper excrescit hic & in futuro, & quanto plura das, tanto plura accipis. Qui enim miseretur proximo, fœneratur Deo. Et qui in benedictionibus seminat, de benedictionibus & metet. Hæc pulchre indicat Psalmista, cum dicit: iucundus homo, qui miseretur & commodat, &c̄. usq; ad finem Psalmi. Prouer. 19. 2. Cor. 9. Psal. 111.

Hic est uere Propheta, qui uenturus est]

Hoc est plebis & uulgi ingenium, citius sentiunt beneficium uentris quàm mentis, uiderāt maiora miracula, nec tamen unq; tam magnificum elogium Christo tribuerunt, sola autem saturitas hanc uocem extorquere potuit: quæ tamen, quia non ex fide uera processit,

etiam

etiam non diu permansit, ideo eum, quem nunc Prophetam dicunt, postea præcipienti, quæ Cæsaris essent, Cæsari danda, adulatorem dicunt, & cum crucem ferret, seductorem populi acclamant.

Sic enim quocunq; se externarum rerum fortuna inclinat, eo mobilis uulgi iudicium fertur. Nostrum autem est, ex uero corde hoc elogium Christo acclamare, non tantum cum beneficia præstat & promittit, sed etiam cum præcipit quæ carni grauia & aduersa uidentur.

Iesus ergo, cum cognouisset, quod uenturi essent]

Hic alia incipit historia, aliudq; miraculum, quod in mari fecit Christus: Hoc autem non absurde Ioannes præcedenti miraculo coniungit. Voluit enim per hoc plene indicare, Christum Dominum esse uniuersorum. Tota siquidem uisibilis istius mundi machina, in illis tribus consistit: Cœlo, terra, & mari. Christus autem in quinto capite pluribus & manifestis uerbis se ostendit Dominum cœli, & in miraculo panum, se ostendit Dominum terræ, & in manu sua habere omnia temporalia. In sequenti autem miraculo ostendit, etiam maris dominium se habere, ut fidelis quisq; in quacunq; necessitate tuto confidere audeat in ipsum.

Obserua autem, quod superius miraculum coram pluribus fecit, immo nulli miraculo tam multi interfuerũt. Quod ideo factum est, quia omnes homines cuiuscunq; sexus, status, ætatis, conditionis, sollicitat cura uentris. Sequens autem miraculum coram solis Apostolis fecit. Oportebat enim ipsos altius initiari, quibus committenda erat cura orbis terrarum. Sicut igitur sæpe priuatim eos docuit,
Matth. 13. sic & priuatim coram eis miracula fecit: Vobis, inquit, datum est
Matth. 17. nosse mysteria regni, &c̃. Sic & priuatim transfigurationem
Ioan. 21. eius in monte, & miranda post eius resurrectionem uiderunt.

Venturi (inquit) erant, ut raperent eum, &c.]

Videntur quidem hæc uerba sonare, ac si ingentem ad Christum feruorem & desiderium haberent Iudæi. Verum ut supra dixi, hoc eorum studium nihil aliud erat, quam animi mobilitas & instabilitas: quam prompte enim nunc eum regem constituere uolunt, tam prompte postea eum crucifigunt. Instabilis enim quisq;, ut facile mouetur ad dilectionem, sic facile mouetur ad odium. Deinde, hic eorum conatus nihil aliud erat, q̃ crassa quædam incogitantia. Primo enim regem constituere uolunt & facere, qui prius rex erat: Nusq̃ enim scriptura prodit, Messiam ab hominibusbus in regem eligendum, sed à Deo ab æterno constitutũ esse in regem, anteq̃ ad
Psal. 2. homines ueniret: Ego, inquit, constitutus sum rex ab eo, scilicet Domino

mino Deo, &c. Hinc & Zacharias: Ecce Rex tuus uenit tibi, prius rex est anteqũ ueniat. Sed ipsi hoc non cogitabant. Secundo etiam hoc incogitantiæ est, quod uolebant tempus præuenire. Non erat ipsorum, ut Messiæ tempus præfigerent, quando scilicet potentiam & regnum suum manifestare deberet, sed patienter expectare & orare: Adueniat regnum tuum. Eandem incogitantiam produnt etiam duo illi discipuli, qui dicebant: Nos sperabamus quod ipse redempturus esset Israël. Itemq; Apostoli: Domine, inquiunt, si in tempore hoc restitues regnum Israël? Præuenire, inquam, uolebant tempus, uerum noli festinare. Rex est Christus, regnumq; eius omnibus manifestabitur, immo rex eris & tu, sed non iam: Noli, inquam, uelle præripere honorem, sed expecta. Zach. 9. Luc. 24. Act. 1.

Tertio nec hoc cogitabat turba illa, quantum periculum eis immineret à Romanis, si alium regem constituerent. Excæcauerat eos uenter: Nam & iuxta Prouerbium, uenter caret oculis. Quorum enim Deus uenter est, non præuident futura, sed hoc tantum curant, ut habeant quibus uentrem impleant. Sic Eua tantum intuebatur pulchritudinem & suauitatem fructus uetiti, non autem quanta mala eam secutura essent. Idem contigit ipsi Esau, qui propter unam escam primogenita uendidit. Sic propter uentrem plura facimus, quorum postea nos pœnitet. Phil. 3. Gen. 3. Gene. 25.

Postremo hic populus Christum in regem constituere uolens, quamuis uideri possit hoc fecisse ex amore & studio erga Christum, re uera tamen nihil aliud quàm seipsos in hoc quæsierunt: Alioqui cur nihil tale cogitarunt, cum tam magnifica doceret, aliaq; miracula faceret? Solum hic cum eos corporaliter satiasset, de rege instituendo cogitant. Quis autem ex hoc non uidet, solum carnalia eos quæsisse, ut scilicet cibum habere possent abundanter & sine labore. Omnia hæc uidebat & cognoscebat Iesus, ideo non eis consentit.

Longe aliter faciunt, qui bonum Dei uerbum gustauerunt, cibum scilicet illum, quem Christus se daturum infra pollicetur, & qui gustauerunt uirtutes uenturi sæculi, longe etiam alio sensu dicunt: Hic est uere Propheta, &c. Denicq; & aliter post Deum currunt, longeq; alio desiderio festinant ad regnum eius, insuper alio modo regno Dei uim faciunt, ac per uiolentiam diripiunt, quotidie dicentes: Adueniat regnum tuum. Heb. 6. Matth. 11. Matth. 6.

Circa hunc igitur locum primo uidemus, quàm carnaliter uulgus Iudæorum promissiones Dei intellexerit. Nisi carnaliter intellexissent, nunquam terrenum regem & regnum quæsissent.

Deinde declarat hoc factum, quid caro in Christo quærat, nempe sua cognata, hoc est, carnalia & humana.

Propositus est nobis Christus, ut in ipso quæramus peccatorum remissionem, iustitiam, uitam æternam. At carnalis homo nihil in

ipso

in ipso quærit nisi licentiam, carnalemq; libertatem, & uentris saturitatem: Qui enim de terra est, de terra loquitur & cogitat. Immo
Ioan. 3. ea est carnis natura, ut omnibus Dei donis abutatur, ac longe alia in his quærat, quàm Deus uelit.

Sic carnalis homo in creaturis, quæ ad usum nostrum datæ sunt, & ad id, ut Deus cognoscatur & timeatur, nihil aliud quærit, quàm uoluptatem: Et cum per eas in creatorem duci deberet, in ipsis hæret, ipsasq; adorat. Sic in lege, quæ ad cognitionē peccati tantum data erat à Deo, carnales Iudæi iustitiam quærebant. Sic carnales quiq; etiam nunc in potestate gladij, non id quod Deus uult quærunt, sed tantum ambitionem, superbiam, &c. immo & in his, quæ ad spirituale regimen pertinent, carnales illi pastores tantum quærunt honorem, diuitias, ocium, delitias, cum Christus eos con-
Eph. 4. stituerit in doctores, rectores, Apostolos, &c. non ob aliud, quàm ad ædificationem corporis sui, &c. Sic igitur ubiq; inuenimus quosdam, qui tantum propter uentrem Christum quærunt.

Fugit iterum in montem solus]

Fugit Christus, quia non ab hominibus accipit, sed hominibus
Ioan. 18. dat regnum. Fugit, quia regnum eius non est de hoc mundo, non est carnale, non cōsistit in externis diuitijs, potētia, pompa, etc. Immo ideo uenit, ut doceret hæc contemnere. Regnum autem eius, est regnum ueritatis, iustitiæ, pacis, ac uitæ æternæ. Quanquam enim in toto orbe dominetur, non tamen dominatur pro mundi huius ratione, nec affectat tale regnum.

Fugit igitur, non quod super fideles regnare nolit, sed quod re-
Matth. 20. gnandi expressiora signa in futurum differt. Fugit, quia uenerat ministrare, non ut sibi ministraretur. Fugit, non enim uenerat reges occidere, sed regibus iuste regnandi scientiam prædicare, non regna terrarum tributis & uectigalibus premere, sed quod deerat tam Regibus quàm populis de thesauro regni cœlorum, uitæ æternæ donaria proferre. Longe alium hostem debellaturus erat, quàm Tiberium Cæsarem, aliamq; capturus erat bestiam, quàm Romam, tunc temporis Iudæorum dominam. Fugit præterea regnum, ne populo seditionis contra Cæsarem, atq; adeo peccati & perditionis occasionem præstaret. Qui enim seditionem contra potesta-
Matth. 26. tem mouet, peccat, & iuste ob id perit, id quod Christus ipse dixit: Qui gladium accipit, gladio peribit. Demum fugit, ne aduersarijs calumniandi occasionem præstaret: qui enim etiam sine hoc eum ut seditiosum persequebantur, quanto magis eum persecuti fuissent, si regnum à populo oblatum acceptasset. Sic in hunc usq; diem fugit ab his, qui tantum carnalia in ipso quærunt: quia nulla illos donorum suorum spiritualium parte respicit, & circa uiles sarcinulas occupatos,

occupatos, scilicet uentri & turpitudini deditos despiciens, solis illis se impendit, qui spiritualia in ipso quærunt, quicq; dicere possunt: Nostra conuersatio in cœlis est. Non sine causa igitur Christus hic ad regnum quæsitus fugit, quæsitus ad mortem, sponte occurrit. Phil. 2. Ioan. 19.

Primo enim per hoc damnauit superbiam, auaritiam, & ambitionem nostrã et molliciem. Secundo docuit gloriam mundi contemnere, qua nihil uanius: nec timere mundi aduersa, quibus nihil breuius. Tertio per hoc re ipsa docuit parua esse, quæ in hoc mundo uidentur maxima. Putabant illi se rem magnam Christo offerre, at ipse eam ut paruam contempsit. Longe aliter nos iudicamus. Fugit autem Christus ad montem: is enim locus, ut supra dixi, illi congruebat. Deinde post factum miraculum ascendit in montem, gratias acturus Deo, itemq; oraturus pro populo. Solus autem ascẽdit, tum ut secretius oraret: tum ut uideret populus, eum cum discipulis non ingressum in nauim, sicq; fides sequenti miraculo fieret.

Vespere autem facto, descenderunt ad mare]

Historiam hanc in Matthæo plenius tractaui, ideo hic breuiter transire uolo. Est autem miraculum hoc tanto maius, quãto grauius est periculum maris quàm alia pericula. In maris enim periculo nec effugium est, nec auxilium: In alijs periculis aliquando effugere, uel ab hominibus adiuuari possumus. Docet igitur miraculum hoc, etiam in maximis periculis non esse desperandum. Quod autem hic dicitur, discipulos descendisse ad mare, Matthæus expressius dicit: Coëgit discipulos ad nauim, &c. ut uideas eos ægre à Christo auulsos, quamuis in deserto essent: Nec mirum. Vbi enim male potest cum illo? & ubi bene esse potest cum illo? Matth. 14.

Quam dissimiles Apostolis nos sumus, qui tam facile à Christo auellimur & fugimus. Ideo autem solos reliquit discipulos, ut maius eis sui desiderium faceret. Deinde, ut ipso facto discerent, quàm graue sit solum relinqui. Postremo, ut miraculo locũ daret, ac potẽtiam suam clarius ostenderet. Non autem caret mysterio, quod Christus cum Apostolis mare transijt, sed postea montem conscendens, ipsos denuo ad naues compulit. Postquam enim semel fluctus nostrę mortalitatis transijt, & aquæ mortis introierunt usq; ad animam eius, iam ad ipsas passionis aquas non reuertitur: Resurgens quippe à mortuis, iam non moritur. At uero nos, qui illum trãseuntem aquas secuti sumus, baptizati scilicet in morte eius, tamen multas adhuc aquas & longum mare transire habemus, idest, tempestates tribulationum & etiam uitiorum. Interim Christus in monte est, ad dexteram scilicet Patris interpellans pro nobis: non genu flexione, ut hic fecit, sed naturæ nostræ in semetipso repræsentatione, nec unquam reuersurus est ad aquas, nisi per omnipotentiam suam. Psal. 68. Rom. 6. Rom. 8.

Venerunt Capharnaum]

Anticipatio est uel recapitulatio. Prius enim ostenditur, quod trans mare Capharnaum uenerint, deinde narratur qualiter uenerint. Sicut in Genesi per anticipationem dicitur: Creauit Deus hominem, &c. masculum & fœminam creauit eos. Postea autem narratur, quomodo id factum sit, &c.

Genes. 2.

Et tenebræ iam factæ erant, &c.]

Magnitudinem periculi describit ex tribus. Primo, *Tenebræ*, inquit, *erant*. Nox ex seipsa horrorem habet, etiamsi nihil aliud accedat, multo magis cum alij terrores superueniunt. Quod si adeo terrent corporales illæ tenebræ, quantum terrere debent tenebræ spirituales, itemq; tenebræ exteriores & sempiternæ, in quas impij conijcientur. Secundo, Non uenerat ad eos Iesus. Fuerant quidem etiam prius in periculo maris, sed tunc Christum secum habebant, quem & dormientem excitabant: Hic autem soli erant. Quantumuis autem grauis sit tentatio, aliquo tamen modo leuior fit, si ex altera parte uideamus Christum, hoc est, si in alijs rebus Dei sentiamus consolationem. Vix enim unquam tribulationem immittit Deus, ut non iuxta hoc etiam bonum aliquod ostendat. Grauissima autem tentatio est, cum etiam Deus se omnino abscondit, id quod ipse Christus in cruce expertus est, cum diceret: Deus meus ut quid me dereliquisti? Tertio, Mare exurgebat, nec simpliciter, sed magno uento. Mare etiam si placidum sit, tamen plenum est periculis, quo ad hominem terrestrem, quanto magis cum tempestuosum est? Ostendit igitur ex omni parte territos fuisse Apostolos: Erat nox, aberat Christus, exurgebat mare. Non autem casu aliquo aut fortuna hæc tempestas coorta est, sed prudenti Christi dispensatione, quo ardentius ipsius præsentia desideraretur, & discerent quàm necessarius illis esset in aduersis. Ob has causas etiam adhuc omnes pij homines tentantur. Obserua, quod ubi tenebræ sunt & Christus abest, statim mare exurgit. Ignorantia n. & gratiæ defectus sunt causa, quod uẽti tentationũ & uitiorum in nobis exurgũt. Obserua item, quod nocte imminente turbatur mare, quo præsignatum est, quod præsente fine mundi, crescent errores, terrores, iniquitas, infidelitas. Luce enim (quæ charitas est) deficiente, crescunt iræ, inuidiæ, &c. luxta illud: Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

Genes. 2. Matth. 13. Matth. 8. Matth. 27. 1. Ioan. 2 Matth. 24.

Signanter autem tempestas illa tanto miraculo sedata, sæculi turbines significat, quos tunc saluator calcat & mitigat, cum clamanti ad se Ecclesiæ pacem et quietem reformat tempore opportuno. Ventus igitur magnus et urens Diabolus est, qui tũ habẽs iram magnã, uehementius flauit, & corda malorum amplius suo furore turbauit, quando

quando nauiculam discipulorum Christi, id est, sanctam eius Ecclesiam uidit agi per mare huius sæculi.

Cumq; remigassent stadia, &c.]

Hic primo indicat magnitudinem periculi, quod scilicet in tantis terroribus non prope littus, sed longe aberant, immo ut Marcus ait in medio mari. Secundo pertinet etiam ad magnitudinem miraculi, quod Christus tanto spacio super mare ambulauit, nempe ad minus 25. stadia. Tertio docet hoc uerbum, ut exemplo Apostolorum non statim oborta tempestate, remos abijciamus ac desperemus, id quod mali faciunt, sed eo fortius laboremus, & confidamus & oremus. Postremo sicut hic quantumcunq; mare sæuiebat, tamen nauis interim semper procedebat: sic quantascunq; Ecclesia passa est tempestates, semper tamen processit, &c. Mar. 6.

Vident Iesum supra mare ambulantem]

Vel hic uidemus, uerum esse illud Psalmi: Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Sicut enim triplicem terrorem in Apostolis uidimus, sic hic uidemus triplicem consolationem. Primo enim contra terrorem tenebrarum & noctis, uident Iesum. Quid autem officere possent tenebræ, præsente Iesu? Secundo contra terrorẽ, quẽ cõceperant de absentia Christi, iam uident eũ naui proximũ fieri. Tertio cõtra terrorem fluctuũ & maris, uident Iesum ambulantẽ, et calcantem fluctus. Psalm. 93.

Per hoc autem primo ostendit, se Dominum esse maris. Secundo ostendit, se facile posse supprimere & calcare & mitigare omnes fluctus sæculi. Hinc Hester ait: Si tantum decreueris, confestim saluabimur. Hic igitur uidemus, uere dixisse Paulum: Non patitur Deus uos tentari supra id, quod potestis, &c. Item Isaiam: Noli timere Iacob, meus es tu: Si transieris per aquam, flumina nõ operient te, &c. Item, Cum ipso sum in tribulatione. Obserua autem, quod discipuli uespere quidẽ nauim ingrediuntur, sed mane saluantur: q̃ diu enim mundus hic & dies præsens durat, non cessant tentationes, sed mane futuri sæculi illucescente perfecte liberabimur. Ad uesperum demorabitur fletus, ad matutinum lætitia ait Dauid. Tunc enim absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, &c. Hester 13. 1. Cor. 10. Isai. 43. Psalm. 90. Psalm. 29. Apoc. 21.

Obserua, quod Christus non ab exordio tempestatis eos liberauit, sed cum eam tota ferme nocte toleraſſent, ac proxima esset desperatio, tunc affuit. Non enim sine causa dicitur: Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Obserua item, quod Christus nocte uenit ad liberandos suos: quia mundo non sperante, aderit dies iudicij, quo liberabuntur pij. Hinc Paulus: Dies Domini, inquit, sicut fur in nocte ita ueniet. Psalm. 9. 1. Thes. 5.

Et timuerunt]

Non ſuſpicantes Chriſtum, ſed ſpectrum eſſe. Abſente autem Chriſto, terret etiam ſonus foliꝝ uolantis. Hinc uides, quam exiguam fidem habuerunt. Si etenim Chriſtum auxiliatorem eſſe uere credidiſſent, ſpectrum aut totam Sathanæ cohortem non formidaſſent. Sathan uictus eſt, Chriſtus uictor: quid igitur times, ſi Chriſtum per fidem poſsides? Sicut autem Apoſtoli timuerunt Chriſto fluctus calcante, ſic ueri Chriſtiani timent, cum uident deprimi altitudinem ſæculi, ac admirantur dicentes: Iuſtus & uerus es Domine, &c.

Leuit. 26. Deut. 28.

Apoc. 16.

Ego ſum, nolite timere]

Hæc eſt illa conſolatoria uox, quæ omnes tempeſtates ſedat, omnes terrores expellit, plenamq; pacem & gaudium pijs præſtat. Hanc uocem niſi audiamus, hoc eſt, niſi credamus Chriſtum eſſe in tribulatione nobiſcum, ſemper trepidamus. Obſerua autem, quod hæc uox: *Ego ſum*, longe aliter ſonat in auribus impiorum, id quod infra uidebimus. Obſerua item, quod Chriſtus non omnem prohibet timorem. Eſt enim bonus timor, quo timemus peccare, Deum offendere, gratiam perdere: Hunc non prohibet Chriſtus, immo exigit. Qui enim non timet, uel ſine timore eſt, non iuſtificabitur. Item, Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Solum autem eum timorem prohibet, qui adiunctam habet infidelitatem.

Ioan. 18.

Proue. 28.

Voluerunt ergo eum accipere in nauim]

Conſcientia territa, uix conſolari poteſt. Non ſatis illi eſt uidere & audire Chriſtum, niſi & apprehendat teneatq; eum. Ob id etiam Chriſtus nedum uideri ſe permiſit & audiri, ſed etiam teneri in Sacramento, ſcilicet altaris, ut ſcilicet certi ſimus de eius præſentia.

Et ſtatim nauis fuit ad terram, &c.]

Quatuor miracula in hac hiſtoria continentur. Primum, quod Chriſtus ambulauit ſuper aquas. Secūdum, quod eius uirtute Petrus ſimiliter fecit, de quo Matthæus. Tertio, quod tempeſtatem tam ſubito fecit quieſcere. Quarto, quod nauim tam repente fecit ad littus pertingere. Eadem in hunc uſq; diem ſpiritualiter operatur in mundo, &c. Calcat enim altitudinem ſæculi, dat uirtutem calcandi etiam pijs hominibus, ſedat tribulationes, & facit nos pertingere ad metam. In eum modum et Dauid quatuor neceſsitates hominum, quatuorq; miſerationes Domini deſcribit. Prima neceſsitas fuit, antecq; ad fidem conuerſi fuimus. De hac Dauid: Errauerunt, inquit, in ſolitudine, &c. Ex hac neceſsitate clamantes liberati ſunt: Deduxit, inquit, eos in uiam rectam, &c. Secunda neceſsitas, poſt Baptiſmum, cum ſcilicet relabimur in peccata. De hac dicit Dauid: Exacerbauerūt eloquia Dei, &c. ſed ex hac quoq; liberat Deus, cum uincula noſtra per potentiam dirumpit, & uectes ferreos confringit, &c. Tertia neceſsitas,

Matth. 14.

Pſal. 106.

necessitas, quod in pœnitentia statim desides & pigri efficimur. De hac iterum Dauid prosequitur: Omnem, inquit, escam abominata est anima eorum. Sed contra hanc: Misit Deus uerbum suum, & sanauit eos. Quarta necessitas, est externa tribulatio. De hac Dauid: Ascendunt usq; ad cœlos, & descendunt usq; ad abyssos, &c. Dominus autem etiam hic statuit procellam in auram, ut sileant huiusmodi fluctus. Moraliter: Nauis hæc pœnitentia est, tum quia ad modum nauis & in principio & in fine angusta est. Pauci enim pœnitentiam arripiunt, multo pauciores perseuerãt: Tum quod pœnitens ad modum nauis nunc in altum subleuatur, hoc est, tantis consolationibus perfunditur, ut sibi uideat tangere cœlum: Nunc aũt in tantũ deprimitur, tristitia scilicet et desperatione, ut quasi Inferno appropinquare uideatur. Huius exemplum habemus in Dauide, Psalmo 29. per totum. Præterea etiam ideo naui comparatur pœnitentia, quia sine hac naui nedum ad patriam nõ peruenimus, sed & in mari perimus. Iuxta illud: Nisi pœnitentiam ẽgeritis, omnes simul peribitis. Secundo, quia ex hac naui desiliens, certo perit, non minus, quàm qui ex materiali naui in flumen se præcipitat. Hinc Ezechiel: Si auerterit (inquit) se iustus à iustitia sua, &c. omnes iustitiæ eius non recordabuntur. Tertio, quia pœnitentia certo ducit ad uitam. Iuxta illud: Si auerterit se impius ab impietate sua, &c. uita uiuet, & non morietur, &c. Hæc nauis pluribus periculis & uentis obnoxia est, quo fit, ut pauci ingrediantur, & plærique ingressi retrocedant. Alium enim uel impedit uel reuocat superbia, aliũ auaritia, alium uoluptas, alium spes longioris uitæ, alium desperatio, alium præsumptio misericordiæ, &c. Summa, nemo hanc nauim ingreditur, nec in ea semel ingressus permanet, nisi Christus adsit, & consoletur adiuuetq;. Lucæ 13. Ezech. 18. Ibidem.

Altera die turba, quæ stabat trans, &c.

Hactenus Ioannes in hoc capite breuiter repetĩt ea, quæ ab alijs quoq; scripta sunt: Nunc autem progreditur ad describendum sermonẽ de spirituali cibo, qui nõ est aliud, quàm ipse Christus, ipsiusq; corpus & sanguis. Primo autem occasionẽ eius sermonis ponit, quæ non alia fuit, quàm quod carnalis ille populus tantopere quærebat, & mirabatur cibum corporis. Vide autem, quanta insania laborabat populus ille. Sentiebant Christum auersari regnum mundanum, uidebant eum fugisse, uidebant Apostolos redijsse, uidebant noctem appetere, & cibum deesse: adhuc tamen in alteram usq; diem permanent. Tanta insania laborant, quorum Deus uenter est, & qui seditiones amant. Interim Christus ab eis fugit, discipulos sequitur, & apud eos solos manet. Dedignatur enim eos, qui tantum carnalia quærunt, uel qui malum aliquid machinantur. Amisso autem Iesu è manibus, turba miratur: Stabat, inquam, & uidebat.

Mirabantur, immo ęgre ferebant, consilia sua de Iesu in regem eligendo tam infœliciter cessisse. Impij enim non tantum mala proponunt, sed & indignantur, si ea perficere non possunt, cum pro hoc potius gratias agere deberent. Deinde mirabantur, ubi nam Iesus esset: Non eum inueniebant, nec uiderant eum, cum discipulis nauim conscendisse: quid igitur aliud suspicari poterant, quàm eum aut pedibus super mare ambulasse, aut à spiritu Domini trãs mare raptum
Dan. 14. esse: quemadmodum Abacuck ab Angelo legitur portatus usq; in
4. Reg. 2. Babylonem: Et Helias sæpe à spiritu Domini de loco ad locum translatus. Sic his, qui stant & consyderant Dei opera, semper noua occurrunt miracula, quibus ad amorem & laudem Dei incitentur.

Venerunt autem & aliæ naues, &c.]

Hoc necessario addit, alioqui posset quis cogitare, quomodo turba traijcere potuit, cum prius dictum sit, nullam aliam nauim affuisse pręter eam, in qua Apostoli redierant. Quod autem amisso Christo, non diutius manẽt in eo loco, sed redeunt, sequuntur, quærunt eum: laudabile quidem esset, nisi tam aperte textus proderet insyncerum eorum animum & intentionem. Veri autem Christiani in hunc usq; diem ex bono corde agunt, quod Iudæi illi ficto animo gesserũt: Qui enim uere pius est, non manet ubi Christus nõ est. Deinde, semel amissum Christum non cessat quærere, donec inueniat: Tibi,
Psalm. 26. inquit, dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, &c.

Magister, quando huc uenisti?]

Non dicũt, Quare tam cito huc ueniſti? quare nos reliquisti? Nã non tutũ erat in ciuitatibus prodere consilium, quod in deserto habuerant de constituendo rege. Nondum enim confirmati, nec consensu eius animati erant, ut negocium tantæ rei postulabat. Admodum autem puerile erat, quod hic quærunt quando uenerit. Quod enim hac interrogatione poterant assequi emolumentum? Non oportebat quicquam uanum aut inutile ab illo quærere, cuius diuinas uirtutes uidebãt, cũ sapienter sapiẽtes interrogandi sunt. Vnde Paulus iubet:
Coloss. 4. Sermonem nostrum sale condiendum esse: Imperito enim sermone,
Eccle. 5. præstantior est taciturnitas. Hinc Sapiens: Si sermo cum intelligentia tibi est ò fili respondе: sin uero non est, manus tua sit in ore tuo.

Amen amen dico uobis]

Non respondet ad quæstionem eorum, tum quia indigni erant: tum ne uideretur ostentare uirtutem suam, cum idipsum ex discipulis cognoscere possent. Deinde arguit eos: Ignaui enim non semper
2. Tim. 4. clementer tractandi sunt. Hinc Paulus: Argue (inquit) obsecra, in-
1. Tim. 5. crepa. Et iterum: Peccantes coram omnibus argue. Deinde arguit

eos,

eos, quod prauitatem animorum sub suauitate uerborum celabant, quasi eum decipere possent blandis uerbis, id quod insanum est sic sentire. Tertio arguit eos, quod cum maiora uidissent miracula, diuinam uirtutem arguentia: tamen magis illos commouerit saturitas unius conuiuij, quàm æternæ salutis desiderium.

Quarto etiam ideo eos arguit, quod de se tam crasse sentirent, ut existimarent ipsum in hoc edere miracula, ut mundanum regnum reciperet à tumultuaria turba, cum in hoc tantum seruiret infirmis, ut facilius doctrinam eius arripere possent.

Quæritis me, non quia uidistis signa, &c.]

Quasi diceret, Apellatis me magistrum, non quod auidi sitis meæ doctrinæ, sed quod humana commoda uenamini. *Quæritis me*, non ob signa quæ uos ad sublimiora prouocare debuerant, sed hesterna saturitas uos magis commouet, quàm diuinæ uirtutis admiratio: *Quæritis me*, non ut glorificetis Deum ex operibus suis, non ut fidem uestram cõfirmetis, non ut iustificemini, sed ut saturemini coporaliter. Arguitur igitur hoc uerbo profũdissimus ille carnis affectus, quo semper sua commoda quærit, nedum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus. Non quidem malũ est etiam temporalia à Deo quærere. Nam Psalmista dicit: Oculi omniũ in te sperant Domine. Item, Omnia à te expectant, ut des illis cibũ, &c. Immo Christus ipse iubet à Deo petere panem quotidianũ, &c. Si enim non etiã hęc essent expectanda à Deo, cur iuberemur fidere, & prohiberemur esse solliciti? Verũ ea quærẽda sunt affectu gloriæ Dei, nõ cõmodi proprij gratia, Item opinione misericordiæ Dei celebrandæ, non carnis desiderio. Psal. 144. Psalm. 103. Lucæ 11. Matth. 6.

Sic Iacob pro temporalibus orans: Si, inquit, dederit mihi Dominus panem ad manducandũ, erit mihi Dominus in Deũ, non dicit, secure & gaudenter uiuam, sed erit mihi Dominus in Deum, hoc est, habebo occasionem laudandi Deum, propter hoc quærebat temporalia. Sic & Salomon carnalia quærit, cum dicit: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, sed uictui meo necessaria. Verum non quærit ea carnali affectu, ideo subdit: Ne ubi satur fuero, mẽtiar, ac dicam, Quis est Deus? neue per inopiam furtũ cõmittam, & polluã nomen Dei. Non aũt dicit, da mihi necessaria ne laborare cogar, uel, ut in delitijs uiuam: Hic enim esset carnalis affectus. Sic etiam Moyses carnalia petit, cũ orat, ne Deus populum perdat. Petit autem hoc spirituali affectu: Ne, inquit, dicãt Ægyptij, non potuit eos inducere in terram, etc. Sic Iudith petebat, & se et populum suũ liberari ab hostibus: Non ut securi uiuamus, inquit, sed ut sciant omnes Gẽtes, quod tu es Deus. Immo etiam spiritualia non nostri cõmodi gratia, sed affectu gloriæ Dei quærenda sunt. Sic Dauid remissionem peccatorũ petens, nihil aliud allegat, quàm: Vt iustificeris, inquit, tu in sermonibus tuis. Genes. 28. Prouer. 30. Exod. 32. Iudith 9. Psalm. 50.

Sic pius quisq; non ob aliud iustitiam, salutem, beatitudinem quærit,
Psal. 117. quàm ut misericordia et gloria Dei in ipso manifestetur: Aperite, inquit, mihi portas iustitiæ, non ut ego bene habeam, sed ut confiteri possim Domino. Immo uere pius adeo non affectat suũ cõmodum, ut iuxta ponat, siue saluetur, siue damnetur, dummodo ea res cedat in gloriam Dei. Hunc affectum fuisse uidemus in Moyse, cum diceret:
Exod. 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo. Itẽq; in Paulo,
Rom. 9. qui optat esse Anathema pro fratribus suis, &c. Hunc affectum lex
Deut. 6. exigit, cum dicit: Diliges Dominum Deum ex toto corde, &c. Caro autem quicquid à Deo quærit, siue carnale sit, siue spirituale, sordidata opinione & carnali affectu quærit. Quærit diuitias, non ut possit eleemosynas dare, &c. sed ut possit delitiose uiuere.

Quærit filios, non ut Deus in eis glorificetur, sed ut hæredem habeat. Orat pro sanitate, non ut melius Deo seruire possit, sed sui commodi gratia, &c. Immo etiam in ipsis spiritualibus tantum suum commodum spectat: Orat pro iustitia, pro uita æterna, pro gloria cœlesti, non ut Deus glorificetur, sed ut ipsa bene habeat. Quod si sciret, Deum non habere cœlum, non elargiri gaudium, non puniturum peccata, ne tantillum quidem in nominis eius gloriam ageret. Hoc affectu Hypocritę Deo seruiunt, orant & uenerantur eum, &c. Videmus autem hic, hunc affectum Christo admodum ingratũ esse: *Quæritis*, inquit, *me, non quia uidistis signa, sed quia manducastis, etc.*

Docet autem non ueram esse pietatem, deuotionem, dilectionem, ubi Deus non propter se, sed propter sua dona amatur, quæritur, & ueneratur. Quemadmodum in externis non est uera amicitia & constans, quæ tantum beneficia quærit: Est amicus (inquit sa-
Eccles. 6. piens) mensæ, non permanebit. Et alius: Multi colunt personam po-
Prouer. 19. tentis, & amici sunt munera tribuentis.

Pſal. 72. Econtra ait Dauid: Quid, inquit, mihi est in cœlo, & à te quid uolui super terram? Deus pars mea in æternum. Quasi diceret, Non quæro tua, sed te: Mihi, inquit, adhærere Deo bonum est, &c. Tangit igitur hoc uerbum omnes, qui Deum propter aliud quàm propter ipsum quærunt & sequuntur. Item, eos, qui etiam in spiritualibus uel officijs, uel statibus, uel operibus, nihil aliud quàm temporalia
Matth. 5. quærunt: Non esuriunt nec sitiunt iustitiam, sed solam carnis curam
Rom. 13. facere cupiunt in concupiscentijs. Videat igitur quisq;, qua mente ad Deum accedat, &c.

Operamini non cibum, qui perit, &c.

Omnis Christi actio, nostra est instructio. Quos enim paulo ante fugerat, nunc rursus instruit, in utroq; autem aliquid significare uoluit. Quod enim prius eos fugit, ostendit sibi displicere carnalem eorum affectum.

Quod

Quod autem nunc denuo se eis reddit, ostendit non statim à Deo abijci eos, qui imperfectionis adhuc aliquid habent. Obserua item, quid cum eis agat, arguit & instruit, prius tamen arguit. Arguit, inquam, quia reprehensibiles erant: Instruit autem, quia non uenit, ut nobiscum contendat & clamet, calamūq; quassatum confringat, &c. Isa. 42. sed ut erigat, consoletur, alioqui nihil plus præstaret, quàm Moyses. Prius tamen arguit quàm docet, quia carnalis homo nūquam attendit quæ dicuntur, nisi prius concutiatur. Pulcherrimam autem doctrinam unum hoc uerbum habet, immo plures. Nam singula uerba nonnihil docent. Primo enim cum dicit: *Operamini*, falsam eorum opinionem reijcit, qua putabant se sine labore habituros cibum corporis, si tantū Christum sequerentur, id quod & plærique nostrum in spiritualibus sentiunt, nēpe, quod conuersis ad Christū, non opus sit aliquo labore aut opere, hoc aūt reijcit Christus in uerbo, *Operamini*. Per hoc enim, quod populum semel sine eorum labore cibauit, non sustulit cōmunia illa media, per quæ Deus nos pascit, ut sunt labores manuum. Nec per hoc, quod promisit spiritualia bona, nos ab omni opere & labore absoluit. Idem enim qui dixit: Dabo, etiam dicit: *Operamini*, immo prius dicit: *Operamini*. Nisi enim quęsieris, et quod tuum est feceris, nihil plane accipies, quantumcūq; promiserit Deus. Habet quidē Deus utranq; manū plenā: In dextera longiturnitatem dierū, in sinistra diuitias & gloriam, semperq; dare paratus est, non Proue. 3. tamen ociosis, sed orantibus, pulsantibus, quærentibus. Nec simpli- Lucæ 11. citer dicit: Quærite non cibum, qui perit, &c. sed Operamini, ut scias magnam à nobis requiri diligentiam, feruorē, studium incessabile, qualia uidemus in his, qui summo studio temporalia quærunt, procq; his cōsequendis, nihil omittūt, nullum laborē fugiunt. Vides igitur, uitam Christianam, non esse uitam ociosam. Sed quid nam illud tam magnificum est, quod tanto studio quærere debemus? Num temporalia? Nequaq;. His enim plus satis inhiamus, etiam iniusi, ut magis freno hic opus habeamus, quam stimulo. Vnde Christus: *Operamini*, inquit, *non cibum qui perit*. Non prohibet laborare pro cibo corporis, immo hoc omnibus præceptū est: In sudore, inquit, uultus tui, uesceris Genes. 3. pane tuo. Et Dauid: Labores manuū manducabis, beatus es, &c. Et Psal. 127. Paulus: Qui non laboret, non manducet. Et iterum: Qui furabatur, 2. Thess. 3. non amplius furetur, sed laboret manibus suis, &c. Solos aūt eos re- Ephes. 4. trahit Christus, qui omnem sollicitudinē & studium diuitijs comparandis impendunt. Cōtra quos & alibi dixit: Nolite solliciti esse, &c. Matth. 6. Hęc enim Gentes inquirūt. Signanter aūt dicit: *Cibum, qui perit*, quo nomine nedum cibū corporis, sed omnia tēporalia intelligit, quę cibant quidem ac reficiunt corpus, sed non permanent. Quodcunq; enim in mundo magnum & delectabile uidetur, cibus est, qui perit. Hinc Christus monet: Nolite thesaurizare super terram, ubi erugo Matth. 6. demolitur,

1.Ioan. 2. demolitur, &c. Et Ioannes: Nolite diligere mundum, nec quæ in
Galat. 6. mundo sunt. Transit enim mundus & concupiscentia eius. Et Pau-
lus: Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Et Isaias:
Isa. 55. Quare appenditis argentum & non in panibus, &c. Vis autem, ut
non pereat cibus tuus corporalis, fac secundum consilium Sapientis:
Eccles. 11. Mitte panem tuum super aquas, & post tempora multa inuenies
eum. Non enim perit, quod in pauperes erogatur.

Sed qui permanet in uitam æternam]

Quia adhuc generaliter loquitur, possumus per hunc cibum intelligere quicquid ad uitam animæ pertinet, ut est gratia, iustitia, &c. Hæc enim non pereunt, immo etiam pereunte corpore, adhuc per-
Isa. 33. manent spiritualia bona. Hinc de iusto dicitur: Panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, &c. Huc igitur Christiani studia sua & la-
Matth. 6. bores conuertere debent. Hinc Christus: Primum quærite regnum Dei, &c. Huc pertinet, quod ante & post panem quotidianum, nos iussit petere spiritualia. Atq; utinam uel dimidiam curarum partem, ad iustitiam comparandam collocaremus, quas ad uictum acquirendum impendimus. Fieri enim non posset, ut non iustiores euaderemus.

Quem Filius hominis dabit uobis]

Operari & quærere nos iubet, se autem daturum promittit, ut discamus non laboribus nostris ascribere bona quæ habemus, sed gratuitæ eius bonitati. Signanter autem dicit: *Filius hominis dabit uobis*, cum potuisset dicere, Filius Dei dabit. Est enim humanitas Christi, quasi instrumentum diuinitatis, quo exequitur & executus est quæ salutis nostræ sunt. Item filius hominis dabit, quia in humanitate sua nobis ea bona meruit. Tertio ideo sic loquitur, ut sciamus etiam humanitatem Christi nobis utilem contra eos, qui ad Christū trahunt,
Ioan. 6. id quod infra dicitur: Caro non prodest quicquam.

Hunc enim signauit Pater Deus]

Psal. 35. Sumus & nos filij hominum. Iuxta illud: Filij hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, sed hunc præ alijs signauit Pater.
Primo enim signauit eum sua ipsius imagine: Est enim Christus
Heb. 1. secundum naturā diuinam, expressa imago Patris, splendor gloriæ & figura substantiæ eius. Secundo signauit eum nomine suo. Iuxta
Exod. 32. illud: Erit nomen meum in illo. Excepto enim quod ille Pater Christus filius dicitur, quodcunq; aliud nomen Deus habet, etiā in Christo est. Nam æque ut ille uocatur Dominus, Deus, omnipotens, increatus, immensus, æternus, &c. Tertio signauit eum Spiritu sancto;
Psalm. 44. Vnctus enim est Christus hoc oleo lætitiæ præ participibus suis.

Nam

Nam se totum Deus Pater, una cum omnibus bonis suis, in Christum effudit: In hunc omnes sapientiæ & scientiæ thesauros recondidit: Ipse thesaurus omnium sæculorum est: Et de plenitudine eius omnes & acceperunt & accipiunt. Quarto signauit eum magnis miraculis, quibus palam ostendit, ipsum esse, per quem uelit nobis succurri. Quinto signauit eum proprio testimonio, & propria uoce ostendit: Hic, inquit, est filius meus dilectus, &c. Nullus autem hominum sic à Deo signatus est. Quis enim natura Deus est? quis sic nomen Dei habet? quis in tanta plenitudine spiritum accepit? quis tanta miracula ex seipso facere potuit? quis tam euidens testimonium à Patre susceptit? quis propria uirtute potuit aut potest à morte resurgere, in cœlum ascendere, aut spiritum sanctum impartire? Hunc igitur Pater signauit: Non quicunq; Pater, sed Deus. Sed ad quid eum signauit? ut sciamus ubi salus quærenda sit, & certi simus, quod per Christum salutem consequi possumus. Col. 2. Ioan. 1. Matth. 3.

Omnia enim hæc ad confirmationem fidei nostræ dicuntur. Hinc Paulus: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, &c. Hunc enim posuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, &c. Nec est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat saluos fieri credentes, quàm nomen Iesu. Heb. 4. Rom. 3. Act. 4.

Quid faciemus, ut operemur opera Dei?

Si ex animo hæc dixissent, commendandi essent. Quid enim laudabilius homo facere potest, quàm semper quærere & inuestigare Dei uoluntatem. Sic Dauid: Vias, inquit, tuas Domine demonstra mihi. Et iterum: Doce me facere uoluntatem tuam. Verum non erat cor huius populi rectum cũ Domino. Potest aũt sic accipi, ut quasi irrisorie hæc dixerint: Quasi diceret, Magna promittis, si hæc præstare posses, commendandus esses. Age igitur & nos doce, quomodo ad hoc pertingamus. In hunc modum etiam mulier Samaritana irridet Christi promissionem: Domine, inquit, puteus altus est, & non habes in quo haurias: Vnde ergo habes aquam uiuam? Sic igitur sapientia Dei, stultitia uidetur hominibus, sicut econtra sapientia mundi, uere stultitia est apud Deum. Pfal. 24. Pfal. 124. Ioan. 4. 1. Cor. 3.

Vel uerbum hoc sic potest accipi, quod ex contemptu ac fastidio quodam ac præsumptione dictum sit, quasi iam ante satis è lege eruditi essent, quę opera Deus ad parandam iustitiam efflagitaret: Ac si dicere uellent. Non opus est, ut nos doceas, cum legem habeamus à Deo datam: Nec opus est, ut nos moneas, cum iam dudum uideris nos studiose legem obseruasse. Sic nimirum Pharisæi & Hypocritæ putant se omnia scire, itemq; se legem & præcepta egregie impleſſe, ac magna meruisse. Sic adolescens ille ex eadem superba persuasione dicebat: Hæc omnia seruaui à iuuentute mea. Sic alius quidam Pharisæus Matth. 19.

Luc. 18. sæus adeo mirabatur sua opera, ut uel hinc etiam coram Deo gloriaretur. Contra pius homo semper agnoscit & confitetur, se plura ignorare, immo, plane ignarum in rebus diuinis, ideo semper petit illuminari, doceri, dirigi, etc. Item pius homo ingenue fatetur, se non Rom. 7. satisfacere legi, semperq; cum Paulo dicit: Lex spiritualis est, ego Phil. 3. autem carnalis. Item, Non inuenio in me bonum. Item, Nondum arbitror me apprehendisse. Item, Nihil mihi conscius sum, sed non in 1. Cor. 4. hoc iustificatus sum.

Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, &c.]

Quamuis sæpe legamus Christum non respondisse ficte interIoan. 15. rogantibus, hic tamen ipsis respondet ad maiorem damnationem eorum. Iuxta illud: Si non uenissem, & locutus eis fuissem, &c. Sensus autem uerbi est, quasi diceret. Scio præsumptionem uestram, qua uobis de lege ac operibus uestris placetis, operibus uestris tribuitis iustitiam, non autem gratiæ & misericordiæ Dei: Ego autem dico gratissimum & acceptissimum opus esse, credere ac confidere in Dei misericordiam, quam mundo iam offert per me filium suum. Con-
Rom. 7. uincit igitur eos hoc uerbo, quod non intelligant legem. Non enim data est lex, ut iustificet, sed ut ostendat peccatum. Secundo docet, ad iustitiam parandam nullum opus satis esse, nisi adsit fides in Iesum Christum. Tertio eos, qui in operibus confidunt, dirigit ad fidem,
Hiere. 7. sicut in Hieremia dicit: Holocausta addite uictimis uestris, &c. Non
Lucæ 17. sum locutus de uerbo holocaustorũ, sed hoc dixi, Audite uocẽ meã, &c. Sic Christus: Si feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite, Serui inutiles sumus, hoc est, etiãsi magna feceritis, nõ tamen in ipsa opera confidere debetis, sed in misericordiam Dei.

Quarto eos, qui tantum mirantur externa opera, hoc uerbo dirigit ad interna, quæ sunt fides, spes, charitas, ostendens ea longe præstare externis. Sic & in Isaia gloriantes de externis, ad interna mittit:
Isa. 1. Ne, inquit, offeratis sacrificium frustra, &c. sed: Lauamini, mundi
Matth. 19. estote, &c. Idem facit Isaiæ 58. Sic Christus adolescentem de operibus gloriantem, dirigit ad abnegationem sui ipsius: Vnum, inquit,
Matth. 23. tibi deest, Vade uende omnia, etc. Sic & in alio loco, Pharisæe, inquit, cæce, munda prius quod intus est. Vide autem & Emphasim uerborum. Iudæi de operibus loquuntur in plurali: Quid faciemus, ut operemur opera Dei. Christus autem in singulari: Hoc est opus Dei, subindicans hoc unum omnibus alijs præponderare, immo omnia
Lucæ 10. alia sine hoc nihil esse. Sic ad Martham dicit: Sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium: non quidem prohibet aut damnat plura illa, sed præfert unum hoc, id est, fidem in misericordiam Dei. Fidem autem nominat opus, quia est radix & origo operum bonorum.

Verum

Verum non qualecunq; opus, ſed opus Dei. Dicitur autem fides opus Dei: Primo, quia Deus omnium maxime eam efflagitat, & exigit. Hanc enim etiam à primo homine exegit, ideo ſtatim in initio uerbum ſuum dedit ei. Secundo dicitur opus Dei, quia Deo ſumme placet. Sic in Geneſi dicitur: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Et Paulus: Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Tertio dicitur opus Dei, quia eſt donum Dei non uiribus noſtris parabile, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Quarto fidem dicit opus Dei uel diuinum, ut indicet, cultū fidei tanto meliorem cultu legali, quanto diuina præſtant humanis. Sic & in Pſalmo cultum fidei alijs ſacrificijs præfert Deus: Non, inquit, in ſacrificijs arguam te, &c. ſed inuoca me in die tribulationis, &c. Signanter autem dicit: *Vt credatis in eum.* Aliud eſt enim credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. Priora duo poſſunt etiam impij, ultimum autem ſoli pij homines. Credere enim in Chriſtum, non eſt res geſtas eius noſſe: Hoc enim et Sathan nouit, nec eſt meminiſſe aut ſecū cogitare, Chriſtum paſſum eſſe & reſurrexiſſe. Nam & impij harum rerum meminerunt, & de his cogitant, in nullo tamen meliores effecti. Sed eſt certa, firma, & ſtabili fiducia, Chriſtum omniaq; eius bona complecti, eiſq; toto corde, tota anima, totiſq; uiribus inhærere. Sic enim Paulus ait: Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, &c. Hoc igitur opus à nobis exigit Deus. Hinc Ioannes: Hoc eſt præceptum Dei, ut credamus nomini filij eius.

Gene. 2.
Gene. 15.
Heb. 11.
1. Cor. 10.
Pſal. 49.
Heb. 11.
1. Ioan. 3.

Quod ergo tu facis ſignum, ut uideamus, &c.

Vide inconſtantiam uulgi, cui prius acclamauerant: Hic eſt uere Propheta, &c. eum nunc indignum iudicant, cui ſine nouo ſigno credant. Sic impij quiq; in proſperis confitentur Deum, cum eis benefecerit, in aduerſis autem uel palam blaſphemant, uel ſaltem occulte cogitant: Quis eſt Dominus, ut ſeruiamus ei, &c. Pius autem quiſq; conſtanter Deum glorificat, nedū in proſperis, ſed & in aduerſis. Sic Iob: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus. Et iterum: Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c. Sit nomen Domini benedictum. Deinde produnt Iudæi hoc uerbo, ſe eſſe imitatores patrum ſuorum, quibus nulla ſufficiebant ſigna, cum tamen nulla gens tot tantaq; ſigna uidiſſet. Vnde & olim Dominus commotus dixit: Vſq; quo non credet mihi populus iſte? Tentauerunt me iam per decem uices. Sic hi, quamuis paulo ante ſignum uiderant, nunc tamen aliud requirunt. Sed generatio praua, ſignum quidem quærit, ſed non datur ei ſignum. Sic impius nihil ſatis eſt, ſemper maiora quærunt, ſemper incredulitatem ſuam aut excuſant, aut in Deum reijcere conantur: Cur, inquiunt, non facit ſigna, ſicut ab antiquo? Si Chriſtus ipſe adeſſet, crederē: Si quis ex mortuis reſurgeret, crederem?

Pſal. 48.
Iob. 21.
Iob. 1. et 2.
Num. 14.
Matth. 12.

Luc. 16. sed erras. Si Moysen & Prophetas nõ audis, neq; Christum audires. Satis superq; uidisti & audisti, si credere uelles. Abunde enim Deus quod suum est fecit, nulla tibi remanet excusatio. Obserua quod qui in signa tantum respiciunt, his nihil sufficit, nisi semper signa uideant: Qui autem in uerbum & ueritatem Dei respiciunt, hi constantes sunt, nec alia querunt. Sciunt enim uerbum Dei fallere non posse, dicuntq; cum Iob: Etiamsi occiderit me, sperabo in eum.

Iob. 13.

Quid operaris?]

Nedum inconstantes & incredulos, sed etiam ingratos se ostendunt, dum benefacta Christi attenuant: *Quid*, inquiunt, *operaris?* etc. Magna enim ingratitudo est, Dei opera, quæ in se magna sunt (Magna enim opera Domini) & ad utilitatem nostram consolationemq; fiunt, attenuare. Sed hic est fructus incredulitatis, sicut econtra qui uere credit, is semper & in omnibus gratus est, quantumuis etiam paruis rebus.

Psal. 110.

Patres nostri manducauerunt manna.]

Peccatum peccato addunt. Sic enim iniquitas eorum, qui oderunt Deum, ascendit semper. Peccauerant in eo, quod uerbo Dei credere noluerunt, nisi uiso signo. Secundo, quod insignia illa Dei opera, quæ per Christum fiebant, attenuabant: Nunc autem alia peccata addunt. Primo, quod non quoduis signum recipiunt, sed ceu præeuntes illi præscribunt, cuius generis signum sibi uelint edi. Quæ aũt maior proteruia, quã Deum uelle cogere, eiq; leges præscribere? cum hoc non sit hominis, sed humiliter dicere: Fiat uoluntas tua. Secundo, quod ex tam multis signis, quæ ueteri illi populo exhibita sunt, illud potissimum eligunt, quod ad pastum facit. Quo uerbo plane produnt, se de nulla alia re, quam de uentre sollicitos, ac manifeste ostendunt, se tantum ob id Moysen obseruare, aliãs nec illi creditu ros. Vide autem, quam magnifice de manna loquantur: *Patres*, inquiunt, *nostri manducauerunt*, non quemcunq; carnalem cibum aut uulgarem, sed manna. Addunt: In deserto, ut signum hoc extollant. Præterea citant scripturam, quę dicit eum panem è cœlo uenisse. Omnia hæc sic exaggerant, ut miraculum à Christo factum extenuarent. Iam, uerum quidem erat, quod patres eorum manna manducauerant. Hoc enim aperte scriptura tradit. Nec malum erat, quod tam magnifice opus Dei prædicabant: Nam opera Dei confiteri, honorificum est. Malum autem erat, quod solum illud commendabant, quod pro ipsorum uentre erat, non autem alia, in quibus non minus mirabilis apparuit Dei omnipotentia. Deinde malum erat, quod miraculum illud de manna non propter gloriam Dei extollebant, sed ad extenuationem operum Christi.

Mauh. 6.

Exod. 16.

Thob. 12.

Sensus

Sensus enim uerbi est, quasi dicerent, Quod semel cibasti quinq; milia hominum, ualde parum est ad hoc, ut tibi credamus: Maius fuit, quod patres nostri manducauerunt manna, non panem de terra creatum, sed è cœlo datum: non quinq; milia hominum, sed exceptis mulieribus & paruulis, sexcenta milia pugnatorũ satiantẽ, non semel aut bis, sed totis 40. annis, Quid tu tale operaris? &c. Hoc modo tentantes, putabant se posse extorquere quicquid ille facere poterat, quasi continere se non ualens, & festinans ad gloriam, mox talia facturus esset signa, quæ superba eorum cupiditas ambiebat. Poterat quidem Christus etiam nunc pluere super illos, sicut puluerem, carnes, & sicut arenam maris, uolatilia pennata. Verum sicut patres ipsorum non poterant satiari miraculis, nisi sola morte sua, tentantes et murmurantes tam diu, donec desertum implerent cadaueribus suis: sic & illi non potuerunt satiari signis, nisi solo signo Ionæ Prophetæ, quo ita contriti & destructi sint, cum templi & sacerdotij sui ueteribus umbris, quomodo cucurbita, quæ obumbrabat capiti eiusdem Ionæ, sub uno solis ictu exaruit. Psal. 77. Matth. 12. Ionæ 4.

Non Moyses dedit uobis panem de cœlo.]

Vide modestiam Christi. Indigni erant, quibus ultra responderet, tamen quia authoritate scripturæ niti uidebantur, & ipse in tanta turba etiam haberet suos electos discipulos, de quibus profectus aliqua spes erat, benigniter respondit. Deinde poterat eos arguere, immo ex ipsa scriptura, quam citauerant, eorum ingratitudinem, & contra Deum murmurationes iam inde ab exordio in eos retorquere: sed uicit bonitas eius malitiam eorum. Præterea poterat uere dicere, se maius signum feciſſe, quam unquam fecerit Moyses. Nam Moyses nihil in Manna operatus est, alia autem signa per uirgam & precibus effecit: Christus autem nec uirga nec precibus, sed propria uirtute signa fecerat. Verum nihil horum hic eis obijcit, sed tantum ad eorum obiecta respondet, eaq; pulchre diluit. Primo refellit, quod signum illud Mannæ non Deo, sed Moysi tribuebant: Non, inquit, Moyses dedit uobis panem de cœlo, &c. quasi diceret, Nolite Moysen præferre Deo, Moyses minister fuit, non autor: Nolite propter Moysen Deum fraudare gloria sua. Docemur hic etiam ea bona, quę per sanctos accipimus, Deo ascribenda esse. Honorandi quidem sunt sancti, sed non ęquandi Deo. Mirari eos possimus, ita tamen, ut semper dicamus: Quis similis Deo in filijs Dei? Deinde hoc uerbo docet insufficientiam Moysi & legis: Moyses, inquit, non dedit uobis panem de cœlo, hoc est, lex non iustificat. Multi enim legem audierunt, qui nihilo meliores effecti sunt, immo non ob id data est lex ut iusticaret, sed ut peccatum ostenderet. Nolite igitur gloriari de Moyse aut de lege: E cœlo uos oportet habere Psal. 88. Roma. 7.

auxilium, si uultis iustificari. Secundo refellit id, quod dixerant, manna è cœlo profectum: Non, inquit, uere è cœlo profectum est, sed in aere creatum, dicitur tamen panis cœli, sicut dicimus aues cœli.

Ostendit igitur nec manna eos iustificare potuisse: multi enim illud comederunt, qui tamen iustiores ob id non euaserunt. Nec adhuc posset eos iustificare, etiam si de nouo manna ipsis dedisset. Frustra igitur gloriabantur de manna, quod tantum corpus cibabat, non iustitiam conferebat.

Sed Pater meus dat uobis panem, &c.]

Non dicit, Ego dabo, ne eos irritaret, si uideretur se Moysi præferre, ideo omnia ad patrem refert. Multis autem modis ostendit spiritualem hunc cibum, quem ipse promittit, longe præstantiorem esse, quam fuerit manna, siue authorem, siue ipsum munus attendamus. Primo, Pater, inquit, meus hunc dat panem. Si igitur uos mouet author, pro Moyse Deum habetis authorem: pro famulo Dei, filium habetis Dei. Vter præstantior est? nonne filius? Signanter autē dicit: *Dat*, non dedit aut dabit, sed in præsenti, hoc est, paratus est cibus, iam uobis offertur, nihil restat, nisi ut eum accipiatis. Tertio, *Dat uobis*. Vobis, inquam, primo offert panem uitæ, uobis misit filium. Quarto, *Dat uobis panem de cœlo*. Manna enim non de cœlo, sed de nubibus uenit. Quinto addit: *Verum*, Non quod manna non fuerit uerus cibus, sed quia fuit figura spiritualis cibi. Christum igitur eiusq; bona contemplantes, iustius admiramur & dicimus: Manhu, quam ludęi uidentes manna illud uetus. Quid enim nō admirandum in Christo.

Exod. 16.

Panis enim Dei est, qui descendit, &c.]

Ad huc persistit in commendatione spiritualis cibi: Manna, inquit, panis Angelorum dictus est, non quod Angeli eo cibo utantur, sed quod non aliunde uiuunt, quam ex eo, qui per manna designatus est, cibo: nempe uerbo Dei, & filio. Hic autem panis, panis Dei est & dicitur. Non enim est donum hominum uel Angelorum, sed Dei donum, & tam Angelis quam hominibus datur, non pro ipsorum meritis, sed pro gratia Dei.

Psal. 77.

Deinde hic cibus sua sponte descendit de cœlo, quo Moyses ascendere non potuit, ut inde illum deferret huc. Præterea, manna uetus non dabat uitam: neq; enim quenquam mortuum potuit uiuificare, immo nec uitam conseruare poterat, nisi ad tempus. Insuper ne unum quidem hominem conseruare potuit, ut non periret. Hic autem panis etiam mortuis dat uitam, deinde eandem conseruat, denicq; non uni homini tantum, sed mundo dat uitam, hoc est, omnibus, qui ipso utuntur, immo & Angelis & hominibus, ut uiuentes

Angeli

Angeli comedant & nunquam moriantur morte, qua mortuus est Diabolus: comedant mortui homines, & à duplici morte corporis & animæ liberentur. Hęc autem tam insignis commendatio spiritualis cibi, eo tendit, ut tanto diligentius eum quęramus, id quod et Christus etiam alibi uult, cum iubet nos petere panem supersubstantialem. Deinde, ut uideamus nos non minora, sed longe maiora habere, quam Iudæi habuerunt. Matth. 6.

Domine semper da nobis hunc panem.]

Pie quidem uidentur sonare hæc uerba. Primo enim Dominum uocant. Secundo non petunt eum panem, quem in deserto comederant, sed, *Hunc*, inquiũt, de quo modo dixisti, adduntq; semper. Nec quicquam melius posset petere Christianus. Verum textus palam indicat, eos non syncere hæc petiisse. Volunt igitur aliqui, quod irrisorie hæc dixerint, audientes Christũ tanta promittere, qui nec horreum, nec frumentum habebat. Alij uolunt, quod hoc uerbo tentauerint Christum, Num posset præstare, quæ promiserat, quemadmodum & patres eorum Deum tentauerant, dicentes: Nunquid & panem dare potest, & parare mensam in deserto? Verum quicquid sit de hoc, certum est, quod carnaliter intellexerunt hunc panem, & carnali intentione eum petebant: Videlicet, ne amplius esuriem paterentur, ne laborare cogerentur aut mori. Atqui Christus non de corporali, sed spirituali cibo loquitur. Nec eius intentio est, quod qui spiritualem cibum habet, non amplius sentiat corporalem famem, laborem, mortem. Non enim uenit hæc externa, sed tantum spiritualia mala auferre: nam externa hęc mala nihil obsunt his, qui interne renouati sunt, immo prosunt, quia probãt. Verum carnalis hominis ingenium est, quod omnia carnaliter intelligit, etiam spiritualissima. Item, quod omnia carnali intentione quærit, uidelicet, ut ipse bene habeat, &c. Pius autem homo scit, quod uerba Dei, spiritus & uita sunt, hoc est, ad animam et spiritualia pertinent: ideo ea spiritualiter intelligit. Deinde omnia spirituali intentione quærit, ut et supra dictum est. Psal. 77. Ioan. 6.

Ego sum panis uitæ.]

Hactenus in generali de cibo spirituali locutus est: Nunc explicat, quis ille sit. Videntur autem hæc uerba reprehensionem habere, quasi diceret, O insensati homines, quam diu in his carnalibus cogitationibus consistetis, non cogitatis uos etiam animam habere, quæ non minus cibo suo ęget quam corpus: non erubescitis, quod tantum carnalem cibum somniatis, cum audieritis, quod cibus ille, de quo loquor, à Deo datur, & è cœlo. Denicq; & talis est, ut possit dare uitam mundo? Nonne his uerbis ad altiora uos ducere uolui. Si Deus dat, eximium aliquid sit oportet: si è cœlo uenit, alius certe panis est, quam qui de terra procreatur. Si uitam mundo dat, efficacior

cior esse cõuincitur, quam manna: *Ego sum panis uitæ*. Verbum igitur hoc Christi, summe consolatorium est. Quid enim homo moriturus dulcius audire posset, quam Christum dicentem: *Ego sum panis uitæ*, me accipe, & securus eris. Hoc autem uerbo omnes nos ad se inuitat.
Matth. 11. Idem enim est cum eo, quod alibi dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. ego reficiam uos. Quod autem dicit: *Ego sum panis uitæ*, euidenter ostendit, se se totum, quantus quantus est, cum diuinitate, anima, corpore & sanguine, hominis cibum esse, eaq; omnia se homi-
Exod. 12. ni communicaturum, quemadmodum olim agnus Paschalis totus edebatur, cum capite, pedibus, & intestinis. Hoc autem militat contra eos, qui Christum diuidunt, ac solum eum secundum diuinitatem esse cibum dicunt. Carnem uero eius & corpus, ne dum non cibum nostrum esse, sed etiã nihil omnino prodesse, adducentes illud, quod
Ioan. 6. infra dicitur: Caro nihil prodest. Verum ut hic audis, Christus non uult ita diuidi. Non enim diuisim, sed coniunctim dicitur: *Ego sum panis uitæ*. Quod autem se panem dicit, occasionem præbuerunt hi, qui tantopere quærebant cibum corporis, & tantum admirabantur manna: Vt igitur eos ab huiusmodi cogitationibus in se conuerteret, panem se dixit. Congrue autem Christus panis uel cibus dicitur (nam panis in scriptura omnem cibum significat) quia conditiones panis, pulchre in ipso uidemus expressas. Primo enim ipse Christus non minus necessarius est animæ, quam cibus externus corpori. Hinc dicit:
Ioan. 15. Ioan. 14. Sine me nihil potestis facere. Item: Nemo uenit ad patrẽ, nisi per me, &c. Secundo famem & esuriem satiat, & corporis & animæ. Homo enim semper esurit. Numquam enim cor hominis satiatur, sed semper maiora quærit, Christus autẽ uere appetitum satiat. Hinc Petrus:
Ioan. 6. Matth. 17. Ad quem ibimus? uerba uitæ habes. Et idem: Domine bonum est, nos hic esse, &c. Tertio, quemadmodum externus cibus restaurat deperditum, ita & quod in primo parente perdidimus, in Christo recipimus. Quarto, Christus continuat uitam, ut infra dicit: Qui
Ioan. 11. credit in me, non morietur in æternum. Signanter autem se dicit: *Panem uitæ*, ad differentiam corporalis cibi. Christus enim non est panis corpus reficiens, sed animam uiuificans à peccato, cruce, morte, & in Inferno.

Qui uenit ad me, non esuriet, &c.

Ostendit usum huius cibi, sed tantum spiritualem ponit hoc loco, qui fit per fidem. Nam de corporali usu, qui fit in Sacramento, in nouissima cœna locutus est. Spiritualem autem manducationem prius ponit: sine ea enim corporalis nihil prodest, immo obest. Iuxta illud:
1. Cor. 11. Qui manducat corpus Domini indigne, iudicium sibi manducat & bibit, &c. Venire autem ad Christum, non est pedibus accedere, sed fide & fiducia. Sic accessit peccatrix illa: propius enim aderat Chri-

sto per

sto per fidem, quam corporis præsentia, ideo satiata fuit: Remittuntur, inquit, tibi peccata. Sic accessit & latro, tametsi enim cruci affixus esset, tamen corde & fide accedere potuit, ideo non esurijt in morte. Sic accessit Centurio, Chananæa, Emorroissa, &c. & omnes benedictionem reportarunt. Qui enim in Christum credit, nō esurit in peccatis, quia Christi iustitiam possidet: Non esurit in afflictionibus, quia per crucem uidet liberationem: Non sitit in morte, quia uitam habet. Hinc Isaias: Non esurient, &c. Nec percutiet eos sol, quia miserator eorū teget eos, &c. Breuiter, omnia habet, qui Christum fide habet: Est enim Christus omniū bonorū thesaurus. Econtra nihil habet, etiā si omnes huius mundi opes habeat, qui Christum per fidē non habet. Luc. 7. Lucæ 23. Matth. 8. & 9. Isai. 49.

Sed dixi uobis, quia uidistis me, & non creditis.]

Hoc addit, ut omnibus modis eos impellat ad fidem: Ideo ostendit se scire, & quales nūc sint, & quales futuri sint. Simulq; subindicat puniendos esse, qui tales sunt, quales ipsi erant. Viderant aūt Christum, quia per miraculum eum agnouerant: Nam ob hanc causam Messiæ honorem ei deferebant. Verū non credebant uerbis eius: Hoc autem certus interitus est, uidere & tamen non credere. Ostendit igitur hoc uerbo, eos sua culpa perituros, quandoquidem Christus abunde quod suum erat fecit, ac se manifestauit. Sup. eo. c.

Omne quod dat mihi Pater, ad me, &c.]

Causas ponit, cur Iudæi etiam tot signis uisis non crederent: Quia, inquit, speciali gratia indiget homo, ut sequi possit uocantem. Soli enim illi ad Christū ueniunt, quos pater dat, et trahit. Semper igitur, quantūcunq; uideamus & audiamus, orare debemus: Trahe me post te, &c. Itemq; illud Augustini: Domine da quod iubes, & iube quod uis. Deinde ideo, inquit, Non creditis, tametsi uideritis, quia non pater uos ad me traxit, sed uenter, Deus scilicet uester. Non enim inter se conueniunt fides & cura uentris. Fides ad spiritualia dirigit, uenter ad carnalia. Ideo autem causas incredulitatis eorum manifestat, ut eo citius & facilius ab ea resiliant. Præterea hoc uerbo indicat, solius diuinæ naturæ esse, ignorantiæ tenebris inuolutos illuminare, ac obstinatos conuertere: Ego, inquit, auferam à uobis cor lapideum, &c. Ego scribam legem meam in cordibus uestris. Cant. 1. Ezech. 36. Hiere. 31.

Demum etiam hoc uerbo Christus subindicat, non periturum panem illum spiritualem, etiamsi Iudæi eum reijcerent: nec defuturos, qui ad eum currerent, etiamsi ipsi uenire recusarent. Potest enim Deus uel è lapidibus suscitare filios Abrahæ, degenerantibus naturalibus filijs. Potest etiam uel è mendicis, cęcis, & claudis, cœnam suam & nuptias implere, si inuitati nolint uenire. Id quod in parabola cœnæ magnæ, & nuptiarum filij regis prędixit Christus, & postmodum in uocatione Gentium adimpleuit. Matth. 3. Luc. 14. Matth. 22.

Non autem dicit: Omnis quem dedit mihi pater, ne Iudæi putarent, se solos saluandos. Sed dicit: Omne, ut ostendat ex uarijs Gentibus uenturos ad eum: Omne quod dat, siue mundum siue immundum, siue bonum siue malum, siue circuncisio siue præputium, siue mas siue fœmina, siue liber siue seruus. Ex omnibus enim Gentibus, populis, linguis, ex omni sexu & conditione, aliquos elegit, ideo
Apoc. 5. clamant: Redemisti nos Deo ex omnibus populis, etc. Innuit hoc uerbū, quod Deus ab ęterno aliquos elegerit, ac seposuerit uel prędestinauerit ad beatitudinē, ut suo quemq; tēpore ad Christum adducat.
Ioan. 17. Sic Christus de Apostolis ait: Tui erant, & mihi eos dedisti. Et Pater:
Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatē tuam, &c. Vbi interim uides ineffabilem Dei erga nos dignationem, qua ne dum ab ęterno præuidit hominis casum, sed et statim prędordinauit remedium, quod quia uidebat nos omnes recepturos, saltem aliquos præseruauit ac se
Psal. 8. posuit, ne in totum periret genus hominum. Merito igitur Dauid exclamat: Quid est homo, quod memor es eius? &c. Itemq; Paulus:
Ephe. 1. Benedictus Deus, inquit, &c. qui elegit nos in Christo ante constitutionem mundi, &c. Iuxta hoc autem uidemus inscrutabilia Dei iu-
Roma. 9. dicia, quod ex eadē massa aliud quidem uas facit ad honorem, aliud autem ad ignominiam. Quam iucundum igitur est, quod aliquibus utitur ad ostensionem gratiæ & misericordiæ suæ: tam terribile est, quod aliquibus non ad aliud utitur, quam ad ostensionem iræ &
Exod. 9. iudicij sui, quemadmodum de Pharaone dicit: In hoc ipsum excitaui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, &c. Timeant igitur, qui obstinato animo peccant, ne ipsis cōtingat, quod Pharaoni contigit.

Et eum qui uenit ad me, non eijciam.]

Vide bonitatem Christi. Poterat etiam pius quispiam hac prædestinationis sententia turbari, ac timere, ne forte & ipse reprobatus sit,
Psal. 30. quemadmodum Dauid: Ego (inquit) dixi in excessu meo, proiectus sum à facie oculorum tuorum, sic enim cogitat perturbata conscientia. Addit igitur consolationem. *Eum* (inquit) *qui uenit ad me.* Et hic quoq; indistincte loquitur, nullum excipit, undecunq; ueniat, qualiscunq; ueniat, licet catellus ueniat, sub mensa colligere micas, dummodo ueniat: *Non eijciam*, inquit, nec quasi uas futile repellam, quē-
Hiere. 22. admodum contra Iechoniam loquitur Hieremias, &c. sed qui ad me uenit, non abdicabitur, nec ut inglorius eijcietur, nec erit expers meæ benignitatis, sed recondetur in horreum, & in cœlestes mansiones diuertet, ingredieturq; quo mens humana nequaquam cogitauit: Ocu-
Isai. 64, lus enim non uidit, nec auris audiuit, &c. quæ præparauit Deus di-
Matth. 8. ligentibus se. Nec eijciam foras in iudicium & tenebras exteriores, quo impij eijcientur. In hunc modum & in Apocalypsi dicit: Si quis
Isai. 56. aperuerit mihi, cœnabo cum eo, &c. Et in Isaia: Ne dicat Eunuchus,

Ecce

Ecce ego lignum aridum, &c. nec alienigena dicat, Abiecit me Dominus, &c.

Si igitur uerbum hoc eos consolatur, qui de prædestinatione sollíciti sunt. Itaq; si audis Christum dicentem: Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet, audi & eundem dicentem: *Eum qui uenit ad me, non eijciam.* Si inuestigare non potes diuini illius iudicij secretum, curre ad Christum, ibi non eijcieris, immo adhærens Christo, certus es de prædestinatione tua. In Christo enim reuelata est prædestinationis sententia. Si filius, cui omne iudicium datum est, te non eijcit, nec pater eijciet: Si filius te liberauerit, uere liber eris: Si filius Dei pro nobis, quis contra nos? quis accusabit aduersum nos. Ioan. 5. Ioan. 8. Roma. 8.

Temeritatis igitur est, uelle peruestigare diuini consilij arcanum: Hoc faciendum est, quod præcipit Deus, non quod uetuit. Præcepit autem credi in Christum: Hic, inquit, est filius meus dilectus, Hunc audite. Matth. 17.

Prædestinationem autem non uoluit sciri. Hinc Paulus: Dominus, inquit, nouit qui sunt eius. 2. Thim. 2.

Quilibet igitur in hoc casu faciat, iuxta quod scriptum est: Esto uir fortis, & pugnemus pro populo: Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu suo. Noli negligere uel omittere, quod tibi præcipitur, & certo experieris, quod Deus non tibi deerit. 2. Reg. 10.

Quia descendi de cœlo, &c.

Non ita intelligas, quod alia sit patris, alia filij uoluntas, nec quod Christus ideo minor patre sit, quod se dicit ideo uenisse, ut patris uoluntatẽ & obedientiam exequeretur, quemadmodum impius Arrius dicit, qui ex tam consolatorio uerbo, nihil nisi uenenum suxit.

Sed ita loquitur Christus, ut ostendat omnino eandem esse suam & patris uoluntatem.

Deinde, ut auocet nos à curiosa prædestinationis sollicitudine: Ne enim quis existimaret Christum fingere erga nos beneuolentiam, patre interim manente in sua seueritate (semper enim sæua præsumit perturbata conscientia) respondet Christus: *Ego* (inquit) *descendi de cœlo,* ideo nihil non certum reuelare possum de uoluntate patris, & qui sint prædestinati.

Deinde: Non ueni ut faciam uoluntatem meam, &c. Hoc est, non aliud uolo quam pater, nec aliud uult pater quam ego. Cum igitur audis, me non eiecturum eos, qui ad me ueniunt, certus sis, etiam patris uoluntatem hoc idem uelle.

Vides quantam consolationem hoc uerbum nobis præbet. Quid igitur sollicitus es de prædestinatione? Audis Christum de cœlo uenisse. Item, patrem nihil aliud uelle, quam quod Christus docet. Vides denique, Christum nullum reijcere ad se uenientem.

Omitte

Omitte igitur uanam illam de prædestinatione curam, ac ad Chri-
Psal. 79. stum curre, dicens cum Dauide: Non discedimus à te, tu uiuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Alioqui nunquam ad conscientiæ quietem peruenire poteris. Deus enim in cœlo, tu in terra: De-
1. Thim. 2. us est summa iustitia, tu summa iniustitia. Proinde oportet, ut accedas ad Christum, qui est mediator Dei & hominum, &c. Præterea ex hocuerbo etiam discere possumus, quod ad Christianam uitam attinet. Primo enim uides, quæ sit uera uia ad gloriam, nempe ea, per quam Christus ipse incessit, ut scilicet prius descendas per humili-
Luc. 17. tatem, ac per eam deinde ascendas: Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, & econtra. Deinde exemplo Christi disce, & tu propria uoluntate abnegata, Dei uoluntatem facere. Sic enim et Christus do-
Matth. 16. cet: Qui uult uenire post me, abneget seipsum, &c. Et Isaias: Si glori-
Isai. 58. ficaueris Dominum, dum non inuenitur uoluntas tua, tunc delectaberis super Domino, & sustollam te, &c.

Hæc est autem uoluntas Patris mei, &c.]

Christus nobis reuelauit sententiam prædestinationis, nec aliunde discere potes, quid Deus ab æterno decreuerit. Quantumcunq; enim rationem tuam in consilium adhibueris, tandem tamen cum
Roma. 11. Paulo exclamare cogeris: O altitudo diuitiarum, sapientię & scientiæ Dei, quam inconprehensibilia sunt iudicia eius, &c. Quod si plus quo hæc perscrutare uolueris, ac rationem singulorum exquirere, au-
Roma. 9. dies à Paulo tibi dici: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Duo autem quædam Christus nobis reuelauit de prædestinatione. Primum, quid Deus de electis decreuerit. Secundum, qui sint illi electi: Hæc per ordinem docebit. Decretum autem Dei super electos est,
Matth. 16. ut non pereant, nec perire possint. Nihil enim contra eos prœualere
Ioan. 10. possunt, uel portę Inferorum. Hinc Christus: Oues meæ me sequuntur, &c. & non peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de ma-
Lucæ 21. nu mea. Et iterum: Capillus de capite uestro non peribit. Ideo autem non pereunt, quia uoluntas Dei est. Quomodo enim perire potest, quem Deus decreuerit saluare? Si tantum decreueris nos liberare, con-
Hester. 13. tinuo liberabimur, ait quidam pius homo. Deinde ideo non pereunt, quia Christo dati sunt, & commendati: Alioqui quomodo persistere possent. Miserator, inquit, eorum teget eos, &c. Et iterum: Fi-
Isai 49. Psal. 35. lij hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Et iterum: Si ceci-
Psal. 36. derit (inquit) non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.
Psal. 117. Et iterum: Impulsus euersus sum ut caderem, & Dominus suscepit me. Ex hoc ergo discamus, bonam erga nos esse Dei uoluntatem.
Ezech. 18. Non enim uoluntatis eius est mors impij, sed ut conuertatur & uiuat: Hanc bonam suam erga nos uoluntatē, ne dum uerbis, sed & re ipsa ostendit, hominem ad pœnitentiam inuitans & gratiam promittens.

Diabolo

Diabolo autem nō item, qui tamen dignior creatura fuit quā homo. Confiteantur igitur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius super filios hominum: Vere enim Miserationes eius super omnia opera eius. Deinde uidemus hic, bonam esse Dei uoluntatem etiam cum arguit, minatur, flagellat. Non enim ut nos perdat, sed ut saluet hæc omnia facit: Cogitationes, inquit, meæ, cogitationes pacis sunt, non afflictionis, ut uel hinc discamus patienter ferre bonam Dei manum. Præterea uidemus hoc uerbo, quantam Deus electorū curam agat. Non solum enim eorum miseretur, sed & eligit, & filio dat, ne dum redimendos & instruendos, sed & custodiendos, ut uerum appareat illud Psalmi: Ecce non dormitabit, qui custodit Israel. Item, Qui tangit uos, tangit pupillam oculi mei. Vnde & Petrus fidenter ait: Ipsi cura est de nobis. Psal. 106. Psal. 144. Hiere. 29. Psal. 120. Zach. 2. 1. Pet. 5.

Quarto, ex hoc uerbo palam uidemus, Christum esse uerum illum pastorem, de quo in Ezechiele dicitur: Suscitabo eis pastorem unum. Vide ibidem ad longum. Atq; hinc discant & alij pastores, uoluntatis Dei esse, ut quod ipsis commisit, non perdant ex eis, utq; in iudicio secure dicere possint cum Christo: Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Demum etiam hic uides, quæ sit electorum spes & gloria. Primo enim non pereunt: Fundati enim sunt super firmam petram. Non timent in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, &c. Impij disperibunt simul & reliquiæ eorum: salus autem iustorum à Domino, &c. Deinde etiam in nouissimo die resuscitabuntur, non ad iudicium, sed ad gloriam. Mors enim ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor: Inimica enim destruetur mors. Hinc Christus ad eos: Ego (inquit) uiuo, & uos uiuetis. Ezech. 34. Ioan. 17. Matth. 7. Psal. 36. Apoc. 21. 1. Cor. 15. Ioan. 14.

Qui hæc attenderet, profecto cum Dauide oraret: Memento nostri Domine in beneplacito populi tui. Psal. 105.

Hæc est enim uoluntas eius, qui misit, &c.]

Hoc uerbo palam indicat, qui nam illi sint, quos Deus elegit & filio dedit non perdendos. Non unius gentis, sexus, conditionis, temporis, aut regionis sunt electi.

Sed omnis (inquit) sine discrimine personarum. Qui uidet filium, non de corporali uisu loquitur (Plures enim eum uiderunt corporaliter, qui tamen non saluati sunt, econtra autem etiam plures eum corporaliter non uiderunt, qui tamen nihilominus saluantur, id quod Christus ipse affirmat: Beati qui non uiderunt, & crediderunt) Sed loquitur de spirituali uisu, quo eum Petrus uidit, cum diceret: Tu es Christus filius Dei uiui. Verum nec hoc sufficit: Multi enim agnoscunt Christum esse filium Dei, & uident eum spiritualiter, tamen non credunt. Ioan. 20. Matth. 16.

Subdit

Subdit igitur: Et credit in eum. Non dicit, Qui credit filio, uel qui credit filium, scilicet Dei esse, sed qui credit in filium, ut uideas non de qualibet fide eum loqui, sed de uera & firma fiducia in Christum, id quod & supra annotatum est: Is (inquit) habet uitam æternam. Imo uoluntas Dei est, ut eam habeat, & resuscitetur in nouissimo die, quod quid aliud est, quam ac si diceret, Is prædestinatus est. Noli igitur disputare num prædestinatus sis, sed ad Christum curre, ipsum attende, in ipsum crede, & certus eris te esse prædestinatum. Prædestinati igitur sunt, qui Christum agnoscunt, & fide complectuntur: Reprobati autem, qui secus faciunt. Sic igitur Christus nobis reuelauit sententiam prædestinationis. Atq; hic primo uides, eos errare qui dicunt. Si prædestinatus sum, saluabor, siue bonum siue malum fecero: Erras, o homo, quos enim Deus prædestinauit, hos uult ut ad filium currant, eū audiant, in eum credant, ut hic audis. Sic & Paulus:
Roma. 8. Quos prædestinauit, eos uult ut conformes fiant imagini filij sui.
Ephe. 2. Item, quos prædestinauit, his & bona opera præparauit, ut in eis ambulent. Deinde uides hic, quæ sint opera electorum: Venire scilicet ad Christum, audire, cognoscere, credere, adhærere, sequi, &c. Præterea uides hic ordinem, quo Deus suam prædestinationem aperit. Primo elegit aliquos. Secundo dedit eos filio redimendos & custodiendos. Tertio filius descendit. Quarto annunciat Dei patris bonam uoluntatem. Quinto filium audiunt, qui aures audiendi habent. Postremo credunt fidemq; uita & opere exprimunt, sicq; habent uitam æternam.
Roma. 8. Eundem ordinem & Paulus ponit: Quos, inquit, præsciuit, hos & prædestinauit: & quos prædestinauit, hos & uocauit, &c.
Roma. 10. Item cum dicit: Omnes qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt, &c. Sensus est, Dominus Deus elegit quosdem pro suo proposito in Christo filio suo. Eam autem electionem, tali ordine manifestat. Primo mittit filium & Apostolos: missi prædicant & uocant: Prædicatores audiuntur: Ex auditu uenit fides: Fides iustificat credentes: Iustificati inuocant nomen Dei: Inuocantes saluantur. Per Christum igitur certi facti sumus, omnem uere credentem esse prædestinatum, &c.

Murmurabant ergo Iudæi, &c.

En hunc fructum retulerunt è tam insigni sermone Christi. Verum, ut infra audietis, non in hoc consistunt, sed ad peiora progrediuntur, donec tandem omnino à Christo desciscunt. Sic olim & prophetis contigit, ut triginta modij sementis, hoc est, omnis generis exhortationes,
Isai. 5. uix facerent tres modios, hoc est, uix paucissimos ex illo populo conuerterent: ut uerum appareat, quod merito populus duræ ceruicis nominetur.

Vides

Vides igitur hic, uere dictum esse: Præcordia fatui tanquam rota carri. Qui enim charitatem ueritatis non habet, semper inuenit aliquid, de quo contra Deum murmuret. Econtra autem sapiens & disciplinatus non murmurabit, sed quæ intelligere non potest, inquirit humiliter, & quæ comprehendere non ualet, credit: huiusmodi discipulos quærit Christus. Hi autem Iudæi nihil horum faciunt, non credunt, nec interrogant, sed tantum murmurant. Eccle. 33.

Atq; hoc est illud peccatum eorum, de quo non habent excusationem. Nam nescire quod descenderit, & quomodo descenderit de cœlo, non adeo mirum erat: præsertim, cum uulgata opinione putaretur filius esse Ioseph, sed de illo murmurare, & non cum illo agere, uel ab illo quærere, ut scire mererentur, hoc peccatum erat, per quod merebantur uiam ueritatis nunquam inuenire. Idem de nobis quoq; dici potest, &c. Vides igitur eos uere imitatores patrum fuisse. Non quidem ipsius Abraham, qui quantumuis ardua audiret, tamen credidit Deo: sed eorum, qui in deserto Deum tentauerunt, & frequenter contra eum murmurauerunt. Potuisset igitur Christus dicere: Implete mensuram patrum uestrorum, &c. Postremo, pulchre hic uides uulgi mutabile iudicium, & carnis naturam. Quam diu enim temporalia ab ipso accipiebant & expectabant, eum magnificabant: Nunc, cum uident se spe sua fraudari, & eum ad spiritualia eos inuitare, murmurant. Sic caro tantisper Euangelium sequitur, dum spes lucri affulgeat. Cæterum spe lucri adempta, recedit: tantisper Deum sequitur, dum dat, sed cum etiam à nobis aliquid exigit, eum relinquit. Tantisper Christum audit, dum quæ arridentdocet: si autem quæ affectibus contraria sunt præcipit, nihil curat uel Christum uel uerbum eius. Gen. 15. Matth. 23.

Quia dixisset, Ego sum panis, qui de cœlo, &c.]

Duo hæc uerba ex longa illa Christi contione obseruauerant, nempe quod dixisset, Se esse panem, & se descendisse de cœlo.

Sunt autem uerba hæc & utiliora & difficiliora inter omnia illa, quæ Christus docuit hoc loco. Vtilissima quidem sunt, quia si uel sola cordi inscriberentur, hominem ad omnia bona extimularent. Qui enim uere credit, Christum panem esse uitæ, is semper pro eo pane habendo laborat & orat. Et qui uere credit, Christum de cœlo descendisse, studiose accurrit: non enim dubitat eum magnum aliquid ex tam fœlici regione attulisse. Difficilia autem sunt uerba hæc, quia nihil minus caro intelligere potest. Iam, meliora & difficiliora ex scripturis obseruare, commendabile quidem est, si bona intentione fiat, hoc est, ut diligentius & cõseruentur, & uerus eorum intellectus inuestigetur. Hi autem & meliora & difficiliora extrahunt, non in aliud, quàm ut Christũ mendacij arguant, & omnia

alia eius dicta contemnenda ostendant. Hoc autem non alius,
1 Ioan. 3. quam eorum pater Diabolus ipsis inspirauit. Is enim iam inde ab initio semper id egit, ut meliora & magis necessaria nobis auferat, aut inficiat: Id quod uidemus factum in Sacramento Baptismi & cœnæ Domini, & in optimis quibusq; sacræ scripturæ dictis.

Idem & carnalibus plerunq; inspirat & inculcat difficiliora scripturæ, & quæ inuestigare non debemus, ut facilius eos in errorem ducat, & interim à necessarijs abducat.

2. Cor. 2. Cum itaq; non ignoremus cogitationes eius, eo cautius ambulare debemus.

[Nonne hic est Iesus, filius Ioseph?]

Vide, quibus argumentis Christi uerba impugnent: Oportebat eos ab ipsis signis & miraculis à Christo patratis, rimari, utrum mentiretur, dicendo se panem, & de cœlo descendisse. Sic enim recto iudicio ad inuentionem ueritatis uenire potuissent: immo si ipsa signa diuinamq; in eis uirtutem attendissent, non eos offendissent uerba Christi, sed plane dixissent: Scimus quia omnia tibi possibilia sunt. Deinde, scripturas consulere debuissent de futuro Messia, illic plane inuenissent eum non solum hominem, sed & Deum futurum, & ex consequenti uidissent, Christum & de cœlo potuisse descendere secundum diuinitatem, & in terra parentes habere posse, secundum humanitatem.

Verum ipsi nihil horum faciunt, sed tantum externam Christi speciem externosq; parentes attendunt, eaq; conferunt ad Christi uerba, quæ cum secundum rationis iudicium concordare minime uiderentur, plane pronunciant uerba Christi uera non esse.

Eisdem argumentis utuntur, qui dicunt: Nonne aqua hæc corporalis est, quomodo igitur potest animam abluere? Item, Nonne panis hic ex terra ortus est, & in fornace coctus, quomodo ergo potest esse corpus Christi? &c. Sed audi impie, Cur tantum externa illa respicis, & non simul etiam uirtutem & uerbum Dei illis rebus annexum? Num ideo Deus mentitur, quia tua ratio hæc comprehendere & uidere non potest? Si ratio iudicare debet in uerbo Dei, iam Deus ubiq; mendax inuenietur: quia ferme omnia Dei uerba rationi contraria sunt. Discamus igitur hic, uerba Dei non ra-
2. Cor. 10. tione, sed fide expendere, immo rationem & intellectum captiuare
Rom. 3. in obsequium Christi, ac Deo hanc gloriã dare, quod solus ipse uerax sit, omnis aũt homo mendax. Deinde docet nos hic locus, ne homines sanctos secundum externam humilitatem æstimemus. Fieri enim potest, ut contemptibilis aliquis homo ingentia Dei dona habeat, quibus econtra caret, qui maxime conspicuus uidetur. Discamus

mus autem precipue hic, ne Christum propter humilitatem eius contemnamus, quemadmodum Iudæi faciunt, immo eo precioſior nobis debet eſſe Chriſtus, quod propter nos in tantum ſe humiliauit.

Nolite murmurare inuicem]

Non excuſat, quod dixerant eum filium fabri, non enim poterant capere myſterium hoc. Sed nec indicat, quomodo deſcenderit de cœlo, multo enim minus poterant capere diuinam eius generationem: ſed monet eos, & quidem manſuetiſsime.

Nolite murmurare, inquit. Hoc uerbo primo indicat, ſe non latere cogitationes eorum. Secundo ad memoriam eis reuocat exempla patrum, qui ob crebras murmurationes grauiter puniti ſunt. Tertio docet, quales ſe exhibere debeant erga uerbum Dei.

Senſus igitur eſt: *Nolite murmurare*, quia Deus uidet cogitationes ueſtras. Iuxta illud: Hoc quod continet omnia, ſcientiam habet uocis. Auris enim zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur, &c̄. Sap. 1.

Secundo, *Nolite murmurare*, quia impunitos non relinquit Deus murmuratores, id quod uidetis in patribus ueſtris. Num. 21.

Tertio, *Nolite murmurare*, quia non murmuratio, ſed obedientia pertinet ad ſcholam Dei. Iuxta illud: Cuſtodi pedem tuum, intrans in domum Dei, & appropinqua ut audias. Plus enim Deo placet obedientia, quàm ſtultorum uictimæ. Eccleſ. 4.

Vult Deus, ut eum audiamus & credamus, non ut diſputemus cum ipſo. Verbum Dei non ideo falſum eſt, ſi ratione illud intelligere non potes. Nec Deus ob tuas murmurationes ſuum uerbum reuocabit, ſed quod ſemel dixit, dictum manebit: Non enim eſt Deus ut homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Hæc etiam nos obſeruemus, nam & inter nos non deſunt huiuſmodi murmuratores. Hinc Paulus: Neq; murmuraueritis, ſicut quidam illorum, &c̄. Et Sapiens: Sentite de Domino in bonitate, &c̄. Et infra: Cuſtodite igitur uos à murmuratione. Qui enim loquitur iniqua, non poteſt latere, &c̄. Num. 23. 1. Cor. 10. Sap. 1.

Nemo uenit ad me, niſi Pater traxerit]

Venire ad Chriſtum, eſt credere in ipſum. Sicut ſupra dixit: Qui uenit ad me, non eſuriet. Et ſtatim ſubdit: Qui credit in me, &c̄. ſup. eod. c.

Nemo autem poteſt credere, niſi fidem & Spiritum ſanctum à Deo accipiat: Fides enim Dei donum eſt. Indicat igitur, ipſis uerba ſua incredibilia & impoſsibilia uideri, quia non ex fide & Spiritu ſancto, hoc eſt, non à Patre tracti, ſed ob ſaturandum uentrem uenirent. Deinde docet hoc uerbo, nedum fidem, hoc eſt, principium ſalutis noſtræ, ſed & profectum & perſeuerantiam à Deo

pendere. Homo enim creatura terrena, atq; idcirco grauis est, iuxta
Sap. 9. illud: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Deinde etiam
2. Cor. 3. infirmus est, iuxta illud: Non sumus sufficientes cogitare aliquid
Roma. 7. ex nobis. Itemq; Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.
Denique & uia ad patriam longa, & ardua, & arta est. Iuxta illud:
Matth. 7. Angusta est porta, & arta uia, quæ ducit ad uitam. Ideo homo
Ezech. 36. opus habet, ut trahatur. Solus autem Deus perfecte trahere potest
& efficaciter, quia solus potest spiritū dare, & cor lapideum auferre.
Potuit quidem Moyses externe docere & monere, potuit & suis
Num. 11. Spiritum sanctum optare & precari: Quis, inquit, det, ut omnis
populus prophetet, &c. sed spiritum eis dare non potuit. Sic possunt
1. Cor. 3. Apostoli plantare & rigare, solus autem Deus incrementum dat.
Monemur igitur hoc uerbo, ut semper oremus, & nunquam de-
Ioan. 15. ficiamus, quia sine Deo nihil possumus facere. Sic Apostoli: Domi-
Lucæ 17. ne (inquiunt) adauge nobis fidem. Et Sponsa: Trahe me post te.
Cant. 1. Et Dauid: Deduc me in uia tua, &c. Summa, Deus est qui opera-
Psal. 85. tur in nobis uelle & perficere. Vide autem, ne ex hoc uerbo
Phil. 2. occandi ansam sumas, atq; ideo cessare uelis, quod Christus dixit, te
nihil posse ex te ipso facere. Non enim hoc ideo dixit, quasi nihil om-
nino agere debeas, sed excitare uoluit ad quærendam gratiam.
Nec tollit hominis conatum bonum, sed indicat opus esse gra-
tia. Nulla igitur excusatio est, si gratiam non habeas, cum Chri-
stus ostenderit, ubi ea certo inuenienda sit. Obserua item, quod
Christus non dicit: Nemo uenit ad me, nisi Pater meus eum cogat.
Non est uiolenta attractio, nec quenquam cogit Deus, neq; ad
bonum, neq; ad malum. Non igitur est, quod expectes, quando
Deus te ui cogat, & trahat ad Christum: Interim tamen nemo di-
cere potest, quod à Deo non trahatur. Sicut enim medicus aut
doctor aliquis insignis, homines ad se trahit non ui, sed scientia sua.
Item, sicut ouem attrahis ramo uiridi, canem pane, puerum nuce: &
generaliter, sicut trahit sua quenq; uoluptas. Sic Deus trahit benefi-
cijs, promissis, manifestatione ueritatis, immo etiam flagellis, quam-
uis potius flagellis cogat nos. Maxime autem trahit Pater ad
Filium, in eo, quod ipsum nobis manifestat. Non igitur est, quod
in cœlum suspicias, & expectes uiolentam tractionem. Satis nos
trahit Deus, sed nos non sequimur.

Est scriptum in Prophetis: Erunt omnes]

Confirmat scripturis quod dixerat, ne iterum uideretur noua
& impossibilia dicere. In plurali autem loquitur, quia in plærisq;
Isa. 54. Prophetis hæc inueniuntur. Sic enim in Isaia dicit: Dabo omnes fi-
Hier. 31. lios tuos doctos à Domino. Et in Hieremia: Dabo legem meam in
uisceribus eorum, & non docebit ultra uir proximum suum. Omnes
enim

enim me cognoscent. Sic Iohel: In nouissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem, &c. Iohel. 2. His & similibus scripturæ uerbis nihil aliud uult Spiritus sanctus, quàm quod fideles donantur à Deo fide & Spiritu sancto, qui docet eos omnem ueritatem. Ioan. 16. Fides enim donum Dei est, non hominis natura aut artificium. Hoc autem uerbo abutuntur hi, qui uocalem prædicationem & externum uerbum uel scripturam contemnunt, sibiq; quasdam cœlestes uoces & Spiritus sancti illapsus fingunt. Sed errant, immo hoc plane Diaboli commentum est, ut facilius decipere possit, si scripturam in contemptum perduxerit. Certum quidem est, quod Deus docet, immo nisi ipse doceat interne, frustra fit omnis externa prædicatio. Certum item est, quod Deus potest docere sine mediis: Sic enim docuit Prophetas & Apostolos in die Penthecostes. Sed tamen ut plurimum docet per media: Donat Spiritum suum, sed per uerbum Euangelij: Dat incrementum, sed per plantationem Pauli & rigationem Appollo. Hinc Paulus: Quos elegit (inquit) hos & uocat. Et uox Patris: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite. Et Christus: Scrutamini scripturas, &c. Summa, Deus docet, homo ministrat: Fides accipit doctrinam, Deus largitur spiritum: Apostolus ministrat uerbum, credens accipit, atq; adeo quæ authore Deo fiunt, Apostolorum ministerio distribuuntur. 1. Cor. 3. Rom. 8. Matth. 17. Ioan. 5.

Omnis ergo, qui audiuit, & didicit]

Infert intentum suum ex præmissis. Qui Patrem habet præceptorem, is ad me uenit & credit: Qui Patris discipulus est, is mihi confidit. Obserua, quod hæc duo coniungit, Audiuit & didicit. Non enim satis est audire, nisi & discamus. Sic Patrem audiuit, & ab eo didicit Petrus, cum diceret: Tu es Christus Filius Dei. Hoc enim ei caro & sanguis non reuelauit, sed Pater cœlestis. Matth. 16.

Non quod Patrem quis uiderit, &c.]

Respondet tacite quæstioni, ne quis putaret Deum oculis corporalibus uisibilem, eumq; externo & corporali modo docere. Non (inquit) uidetur Pater, nec ad aures loquitur, sed ad cor. Viderunt quidem patres Deum, ut Iacob, Moyses, Isaias, &c. Verum hæc non erat species Dei, sed tantum imaginaria uisio. Sic & Israëlitæ audierunt corporalem uocem in monte Sinai, hæc tamen non erat uera uox Dei. Vox Dei ab anima sola auditur: Audiam (inquit) quid loquatur in me Dominus. Quod autem addit, Nisi is qui ex Deo est, &c. iterum tacitæ quæstioni respondet. Posset enim quis dicere, Si Deum nemo uidit nec uidere potest, quomodo discipuli eius possumus fieri? Respondet, Si uis agnoscere Patrem præceptorem, audi Filium, ipsumq; attende. Ipse enim est imago Dei & nuncius Patris, qui manifeste nobis omnem Patris uoluntatẽ ostendit, Exod. 19. Psal. 84. Heb. 2.

alioqui nullo conatu, nulla sapientia cognobilem. Hinc & alibi dicit:
Matth. 11. Nemo nouit Filium, nisi Pater, & econtra.

Qui credit in me, habet uitam æternam]

Hoc iterum repetit, ut uel tandem redeat unde digressus est. Sæpius autem nominat uitam æternam, & resuscitationem futuram, tum ad consolationem piorum, ut certi sint, se bene habituros, etiamsi in hac uita uarijs molestijs obnoxij sint: Tum ad terrorem malorum, ut sciant & audiant post hanc uitam, aliam futuram esse, ubi omnia æterna erunt. Verunq; autem Christus se posse ostendit, & resuscitare, & uitam æternam dare, ut sciamus, quid ab eo expectandum sit.

Ego sum panis uitæ]

Hic redit Christus ad institutum, ac planius explicat spiritualem illum cibum. Omnibus autem uelaminibus remotis, aperte seipsum ostendit, quantumuis ipsi nihil horum quærerent, ut uel hic uideas, uere dictū in Propheta: Palam apparui non quærentibus me; Tota
Is. 65. die expandi manus meas ad populum non credentem, &c̄.

Obserua autem, quod ab hoc loco uarie exponitur hoc caput. Aliqui enim totum caput intelligunt de spirituali manducatione, quæ fit per fidem. His igitur, panis (de quo Christus hic loquitur) nihil aliud est, quàm incarnatio, passio & meritum Christi, atq; adeo Christus ipse cum omnibus quæ habet, quæ fecit, & quæ passus est. Manducare autem, nihil aliud est quàm credere pro nobis hæc facta esse. Alij totum hoc caput exponunt de Sacramentali comestione. His igitur, panis (de quo fit sermo) est Sacramentum corporis Christi: Manducare est corpus sumere.

Alij exponunt caput hoc ab exordio de spirituali manducatione. Ab eo autem loco, quo dicit: Panis quem ego dabo, caro mea est, exponunt de Sacramento. Alij omnia quæ hic dicuntur, referunt ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia. His igitur
1. Cor. 10. panis est Ecclesia. Iuxta illud: Vnus panis & unum corpus multi sumus, &c̄. Manducare autem est Ecclesiæ, atq; adeo corpori Christi incorporari. Verum cum certum sit, quod spiritualis manducatio
Ioan. 3. maxime necessaria sit: Qui enim non credit, iam iudicatus est, immo nisi credas in Christum (quod est spiritualiter manducare
1. Cor. 11. ipsum) frustra accipis Sacramentum, frustra etiam in Ecclesia es. Addam & hoc, cum certum sit, quod etiam in Sacramentali manducatione exigatur fides ad dignam sumptionem (non enim tantum externum Sacramentum, sed etiam uerbum Dei proponitur, quod non ore, sed fide suscipitur) Necesse est, ut caput hoc potissimum de spirituali manducatione intelligamus, ideo & Christus supra in
Ioan. 6. principio dixit, quomodo manducari uelit: Qui credit, inquit, in me, non sitiet, &c̄. Quia autem iuxta hoc scimus, quod paulo

post

post etiam in Sacramento corpus suum manducandum discipulis dederit, dubitare non possumus, quin & illuc respexerit: Neutram igitur manducationem negligam. Matth. 27.

Ego sum panis uiuus]

Sex autem per ordinem dicit diligenter obseruanda. Primum, quæ sit uis huius panis: *Ego*, inquit, *sum panis*, non qualiscunq; sed panis uitæ, quod idem cum eo est, quod alibi dicit: Ego sum uiuens, & habeo potestatem mortis, & Inferni. Vide aũt Emphasim uerborum. Primo non dicit, Deitas mea est panis, ne quis putet humanitatem eius nihil utilem esse, id quod quidam temere ex hoc dicto colligunt: Caro non prodest quicquam. Nec dicit simpliciter: Corpus meum est panis uitæ. Humanitas enim sine diuinitate nihil nobis profuisset. Vtrunq; igitur coniungit: Ego, inquit. Quicquid enim in Christo est, bonum & salutiferum est: Hinc & corporis eius tactus sanabat ægrotos. Vita quidem & omnia bona principaliter à diuina Christi natura sunt, quemadmodum supra dicitur. In ipso (scilicet uerbo Dei) uita erat. Et in Psalmo: Apud te est fons uitæ. Apoc. 1. Mar. 6. Ioan. 1. Psal. 35.

Quia tamen duæ illæ naturæ in Christo ita coniunctæ sunt & unitæ, ut una persona sint, ac diuinitas in humanitate Christi, non ut in alijs creaturis, sed etiam corporaliter sit & inhabitet: propter quod fieri non potest, quin & ipsa caro Christi prosit. Subdit: Ego sum panis, quia nedum uitam in se habet, sed uitam etiam alijs communicat. Sicut enim panis ideo conficitur, ut sumptus confortet: sic Christus ideo missus est, ideo incarnatus est, ut per ipsum uiuamus. Non incongrue igitur panem se nominat. Non tamen qualemcunq; panem, sed panem uitæ: Ipse enim uerbum Dei est, omnia uiuificans & conseruans, ideo & uitam præstare & conseruare potest. Coloss. 1. Ioan. 1.

Vides igitur, quæ sit uis & efficacia huius panis, Christi scilicet.

Patres uestri manducauerunt manna]

Secundum est, quod inter se confert cibum corporalem & spiritualem. Corporis cibus quantumcunq; precious sit, tamen non in perpetuum potest conseruare uitam, quod probat per manna. Nullus unq; cibus tantæ efficaciæ fuit, ut manna: de ipso enim scribitur, quod deseruiebat uniuscuiusq; uoluntati, omneq; in se delectamentum habebat, nec sic tamen potuit comestores suos à morte præseruare: Mortui, inquit, sunt. Quanto minus alĩ cibi hoc præstare possunt. Discamus item ex hoc loco differentiam umbræ & ueritatis, ueteris & noui Testamenti. Ipsi habuerũt umbras & figuras. Omnia enim in figura illis contingebant: nos res ipsas, & ueritatem. Sap. 16.

Non igitur opus est, ut manna flagitemus, aliaq; patribus quondam ostensa, cum longe maiora nunc habeamus.

Obserua & hic Emphasim uerborum: *Patres* (inquit) *uestri*, ad confusionem eorum hoc dicit, ut ostendat eos imitatores esse patrum

Num. 1. trium suorum, qui contra manna murmurauerunt. Deinde pro-
prio nomine cibum illum nominat, quasi diceret: Quantumcunq;
Psal. 77. celebre nomen habeat. Dicitur enim manna, dicitur panis cœli &
panis Angelorum: non tamen uere de cœlo descendit. Addit: In
deserto, subindicans, breui tempore eum panem, ipsorum patribus
Iosue. 5. datum, nempe quamdiu fuerunt in deserto, ingressi aũt terram pro-
missam, eo priuati sunt. Hic autem uerus panis semper manet: Apud
Psal. 35. Christum enim est fons perennis uitæ. Postremo addit: Et mortui
sunt, quod intelligi potest primo de morte corporali, qua & boni &
mali mortui sunt: nemo enim eorum permansit, qui manna come-
derunt. Secundo de spirituali morte, qua impij mortui sunt, quan-
tumuis haberent manna. Indicat igitur manna ipsum ex se nec
uiuificare corporaliter, nec iustificare potuisse, quorũ tamen utrunq;
potest Christus. Obserua, quod sicut manna cum fide sum-
ptum, animæ quidem proderat, etiamsi à morte corporis liberare
non posset: sine fide autem sumptum, nihil proderat animæ, immo
oberat, propter hoc enim eo grauius à Deo puniti sunt. Sic Sa-
cramentum nostrum cum fide sumptum, ingentem præstat thesau-
rum gratiæ & consolationis. Sine fide autem sumptum, certissima
1. Cor. 11. damnatio est: Qui enim indigne manducat, iudicium sibi man-
ducat, &c̃.

Hic est panis de cœlo descendens]

Hic ponitur tertium, nempe, Vnde sit ea uis panis istius: De cœlo, inquit, descendit, non ex humanitate nuda, sed ex diuinitate.
Monet igitur, ne eum ut hominem tantum respiciamus, sed ut Deum etiam. Solus enim & purus homo hæc præstare non posset, sed Deus homo omnia potest: Ideo tam crebro repetit, Descendi
sup. c. 1. de cœlo. Ob eam causam & supra tam diligenter descripsit Christi diuinitatem.

Ego sum panis uiuus]

Repetit nunc quod iam tertio dixit, ut fortius imprimat. Sic
Phil. 3. Paulus: Eadem (inquit) ad uos scribere & mihi molestum non est, & uobis tutum. Sicut enim cruditati uulnerum non unum, sed uaria remedia adhibentur, nec semel, sed frequenter: sic duro animo uaria & frequens accommodanda est doctrina, ut si prima parum profecerit, saltem secunda uel tertia permulcere possit.

Si quis manducauerit ex hoc pane]

Hic habes quartum, nempe usum huius panis: uult enim man-
ducari. Manducare autem, est trajci cibum in omnes corporis
partes, qui non assuatur, sed adnascatur. Nihil prodest panis, si
tantum uideas uel habeas, nisi in te trajcias.

Ita hic manducare panem cœleſtem, eſt traĥci eum intra cor, & fieri uitam cordis. Cernere, tractare manibus, non eſt manducare: Ita Chriſtum uidere, externe tangere, cogitare ſimulatis intentionibus, imitari opera non ſatis eſt, niſi in te ipſum traĥcias, ac intus eum habeas. Videre Chriſtum crucifixum, nihil prodeſt, niſi eum ſic crucifixum in te ſumas, hoc eſt, credas propter te crucifixum.

Sic Sacramentum non datum eſt, ut tantum uideamus, ſed ut manducemus: Accipite (inquit) & manducate. Dupliciter autem manducatur Chriſtus in uerbo per fidem, in Sacramento pariter per fidem & corporalem manducationem. Matth. 26.

Quod autem dicit: *Si quis manducauerit ex hoc pane*, non intelligas quaſi Chriſtus fruſtulatim diſcerpatur, quemadmodum panis corporalis. Quilibet enim fidelis fide totum Chriſtum habet, & in Sacramento totum Chriſtum ſimiliter.

Sed ideo hoc dicit, ut oſtendat, quod panis hic eſt inconſumptibilis, & nunquam deficiens.

Viuat inæternum]

Hic habes quintum, nempe fructum huius cibi. Vide autem quàm inſignem fructum affert. Sic enim hactenus dictum eſt: Qui uenit ad me, non eſuriet: Qui credit in me, non ſitiet. Item: Hic eſt panis, ut ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Nunc addit, *Et uiuat inæternum.*

An non inſignes fructus, non eſurire, non ſitire, non mori, ſed inæternum uiuere? Atq; hæc omnia præſtat cibus iſte, per hæc igitur Chriſtus nos allicere uoluit.

Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt]

Hic habes ſextum, nempe modum, quomodo ſcilicet panis ille nobis communicatur. Dabo, inquit, carnem & corpus meum in mortem & ad crucem, illic coquetur panis iſte, illic promerebor uobis uitam, non uni homini, ſed toti mundo, quo ad ſufficientiam.

Deinde, ſicut in cruce carnem meam dabo pro mundi uita, ſic eandem dabo in Sacramento, nec ſolam carnem, ſed & uitam ſimul. Quod enim Chriſtus in paſsione meruit, hoc in Sacramento diſtribuit. Carnem autem exprimit, ne quis humanitatem Chriſti nihil prodeſſe exiſtimet. Deinde ideo carnem nominat, nimirum ſentiens id, quod Paulus ait: Quia mundus non cognouit per ſapientiam Deum, placuit ei per ſtultitiam crucis, ſaluos facere credentes. 1. Cor. 1. Ab hoc autem loco quidam caput hoc exponunt de Sacramento, moti ex eo, quod Chriſtus dicit: *Dabo.* Et quidem uerum eſt, quod in Sacramento uere caro Chriſti eſt, oportet tamen omnium maxime attendere ad ſpiritualem manducationem.

Eſt

Est igitur sensus uerbi, Dabo corpus meum pro uobis in mortem, Si quis hoc crediderit, edet panem uiuificū, dantem uitam æternam.

Litigabant ergo Iudei ad inuicem]

Vt semper sui similes sunt. Verissime igitur dictum est, Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Atq; adeo non immerito eis Matth. 12. Ioan. 18. dicere potuisset etiam nunc, Vos quæ apud patrem uestrum uidistis, facitis, &c̄. Prius murmurauerant, nunc litigant, nusquam edocti, duram ceruicem flectere, & uel tantum se humiliare ut quærerent, sed consilium sapientiæ non ab sapientia, sed tantum murmurando & litigando ab inuicem quærunt, & quo plus Christum audiunt, eo peiores fiunt. Hæc est enim prima uirtus eorum, qui carnalia in Chri- 2. Tim. 3. sto quærunt. Sic Paulus: Impij semper proficiunt in peius. &c̄. Deinde huiusmodi homines uerba Christi non in alium usum assumunt, quam ad lites & contentiones. Sic & nunc plærique tantum ad hoc legunt scripturas, ut possint aduersarios uincere, non ut ipsi ex hoc emendentur. Omnes ad contentiones parati sumus, nemo autem ad emendationem uitę. Hoc autem ipsissimum Diaboli inuentum est: quia enim superbiam cordis humani scit, & quod in contentionibus omnium aliorum obliuiscamur, ideo semper ad hoc inuigilat, ut contentiones excitet, tum ut nos uero fructu scripturæ priuet: tum ut precioſi huius temporis fructu fraudemur. Ideo Paulus 2. Tim. 2. ait: Noli contendere uerbis, &c̄. Item, Seruum Dei non oportet liti- Iacob. 3. gare, sed docilem esse, &c̄. Et Iacobus: Cum mansuetudine suscipite insitū uerbū, quod potest saluare animas uestras. Nihil tibi prodest, ut scias fidem tuam defendere, nisi & fidei conformiter uiuas. Nec à te in iudicio exigetur, num bonus disputator, sed an bonus Christianus fueris.

Quomodo potest hic nobis carnem suam dare?]

Vere Iudaicum uerbum, quod à Christianis quàm longissime abesse debet. Quando enim subit quæstio, quomodo aliquid fiat, simul subit incredulitas, id quod & supra in Nicodemo uidimus, Ioan. 3. qui semel atq; iterum dicebat: Quomodo potest homo renasci? Item: Quomodo possunt hæc fieri? Hoc autem uerbum partim ex contemptu dixerunt. Videntes enim spe sua se fraudatos, nec Christum uelle dare cibos corporis, sed de cibo spirituali eos admonere, ex contemptu dicunt: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam*, quasi diceret, Qualis cibus est caro humana? Quomodo hoc potest esse? &c̄. In eundem modum etiam patres eorum olim Num. 21. dicebant: Anima, inquiunt, nostra nauseat super cibo isto leuissimo.

Partim autem hæc dixerunt, carnali ratione & imaginatione permoti.

Sed

Sed audi Iudæe, Si hoc hic inquiris, cur non idem in quinq; panum miraculo dixisti? Sed res ipsa tunc docuit (inquies) Respondeo: Ergo ex eo etiam hæc credere oportuit ei facilia esse, immo propterea id prius fecit miraculum, ut per illud non essent amplius incredduli his, quæ postmodum diceret. Verum fatuis etiam quæ facillima sunt, obscura uidentur. Non mirum autem est, quod infideles ita de uerbis Christi iudicant, hoc autem miserandum est, quod etiam nos plus rationi & imaginationi carnali credimus, quàm apertissimo uerbo Dei. Prouer. 3.

An non carnali imaginatione decipiuntur, qui ex eo, quod Christus dicitur cœlos conscendisse, & sedere ad dexteram Dei, colligunt, corpus Christi non posse in Sacramento esse. Vident enim cœlum sursum, terram esse deorsum. Atqui ex eo uel maxime certi sumus, corpus Christi esse posse in Sacramento, quod scimus ipsum esse ad dexteram Dei: Dextera enim Dei, eius omnipotentia est. Iuxta illud: Fecit potentiam in brachio suo. Item: Dextera Domini fecit uirtutem, &c. Potentia autem Dei, non uni loco affixa est, sed ubiq; operatur in omnibus creaturis: Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Lucæ 1. Psal. 117. Rom. 11.

Si igitur Christus est ad dextram Dei, claret illum esse omnipotentem: Si potentia Dei non uni loco affixa est, nec corpus Christi sic in cœlo alligatum est, ut alibi esse non possit.

Deinde, an non carnali imaginatione decipiuntur, qui dicunt, Quomodo potest unum corpus esse in diuersis locis? Huiusmodi enim homines corpus Christi nihilo plus æstimant, quàm aliud corpus, cum tamen certum sit, corpus Christi unitum esse diuinitati.

Deinde, Christum diuidunt, humanitatem in cœlo collocant, Diuinitatem autem etiam in terra esse dicunt: Atqui non licet sic Christum diuidere. Deitas & humanitas ita in unam coiere personam, ut prorsus separari non possint aut uelint.

Cogita igitur, corpus Christi maius aliquid & singulare quiddam habere præ alijs. Item, quod deitas & humanitas una sint persona, & nihil te mouebit carnalis illa imaginatio. Præterea etiam hos decipit imaginatio, qui dicunt: Quomodo corpus Christi potest esse in Sacramento, cum non occupet locum, nec habeat dimensiones? quasi res non possit esse alicubi, nisi localiter & secundum dimensionem. Cum econtra certi sumus, quod Christi corpus transierit per lapidem sepulchri, & per clausam ianuam, ubi nec lapis extensus est, nec corpus Christi attenuatum fuit.

Contemnendæ igitur sunt huiusmodi imaginationes, captiuandusq; est intellectus, ac fide apprehendenda sunt uerba Christi: alioqui plane impij in Deũ sumus, si manifestis uerbis eius nolumus credere, nisi quantũ ratione cõsequi possumus. Quod si sic liceret agere,

tam

tam omnem scripturam, omnia Dei mirabilia, omnes articulos fidei nostræ, quis negare posset? Semper enim posset illud prætendere: Quomodo potest hoc fieri? Sed absit hæc impietas à cordibus Christianorum, faciat hoc uerbum (Quomodo potest) ex auribus & ore Christianorum. Nescis quomodo uiuas, uideas, audias, immo nescis, quomodo os aperias, linguam moueas, & temere inuestigare uis, quomodo corpus Christi sit in Sacramento?

Litigent igitur quantum uelint & murmurent hæretici, nos scimus nos habere uerbum Christi expressum. Deinde etiam aduersarij fatentur, nos hoc uerbum simplicissime, & ut uerba sonant intelligere. Præterea ipsorum dissensiones arguunt eos non habere certum textum, sed sequi imaginationes proprij capitis. Hinc enim est, quod tam uarie exponunt, immo discerpunt uerba Christi, &c. Omnia igitur hæc ad confirmationem fidei nostræ faciunt.

Nisi manducaueritis carnem Filij, &c.]

Quod ipsi impossibile iudicabant, Christus nedum possibile, sed & necessarium esse dicit, et adeo necessarium, ut perendum omnibus sit, nisi carne & sanguine Christi sustententur. Cæterum nihil respondet ad ipsorum quæstionem, Quomodo id fieri possit;
Isa. 7. quia nullam in ipsis uidebat fidem. Scriptum autem est: Nisi crediderit is, non intelligetis. Sensus autem uerbi est, quasi diceret: Quoniam uideo nullam in uobis esuriem spiritualis cibi, immo ne in cœlum quidem suspicitis, unde hic panis descendit, ut reuelet uobis Pa-
Matth. 16. ter, quod caro & sanguis reuelare non potest, sed tantum litigatis, ideo hoc tantum dico uobis: *Nisi manducaueritis, &c.* Quis autem
Matth. 7. sit modus manducationis, uobis non ostendo. Sanctum enim hoc est, quod litigiosis canibus dari non debet: Margaritæ non sunt proijciendæ porcis, ne conculcentur. Nondum saltem serui estis, ut
Ioan. 15. reuerentem aurem Domino præbeatis: tantum abest, ut amici sitis, quibus solis mysteria Patris nota facio. Atqui, uere ardua sunt, quæ Christus hic dicit, nempe, nedum possibile, sed & necessarium esse, ut manducemus carnem eius. Hoc autem uerbum palam arguit Christum in hoc capite, de spirituali manducatione loqui. Fides enim in Christum pro nobis mortuum, adeo necessaria est, ut sine ipsa nec; salus, nec; uita cuiquam contingere possit: Qui enim non cre-
Ioan. 3. dit, iam iudicatus est. Dicere autem, quod sine corporali perceptione Sacramenti, nulli possit contingere uita, admodum durum, immo temerarium & falsum est. Hinc enim sequeretur, quod patres ueteris Testamenti, immo & Ioannes Baptista, non haberent uitam. Deinde sequeretur, quod pueri etiam baptizati, ante annos discretionis morientes, non possent saluari, eo quod non accepissent Sacramentum. Sequeretur item, quod pueris etiam dandum esset

hoc

hoc Sacramentum, alioqui non uicturis: quemadmodum & quidam faciunt contra expressum Pauli uerbum, qui uult ut sumpturus Sacramentum, prius probet seipsum, quod pueri non possunt. 1. Cor. 11.

Præterea sequeretur, quod qui articulo temporis uel alia quadam necessitate constringuntur (sicut nonnulli confessores, quos nec baptizari aqua, persecutionis & mortis instantia permisit) non possent saluari, quantumuis Sacramentū desiderarent. Demum, si Christus hic de sumptione Sacramenti loqueretur, sequeretur, quod omnes, qui Sacramentū sumunt, saluarentur, cum Christus expresse dicat: Qui manducat meam carnem, &c. habet uitam æternam.

Atqui, etiam Iudas Sacramentum sumpsit, nec tamen uitam habuit. Immo Paulus manifeste dicit, aliquos Sacramentum hoc sumere in iudicium & condemnationem. Ibidem. Vnde clarum est, quod Christus de spirituali manducatione, quæ fit per fidem, non de Sacramentali loquitur. Qui autem contendunt Christum hic loqui de Sacramentali uel corporali manducatione corporis Christi, ita respondent ad obiectiones uel inconuenientia, quæ supra posuimus. Ad illud quod de patribus dicitur: Concedunt quod non manducauerunt corpus Christi corporaliter, sed addunt, Ideo eos etiam non potuisse intrare ad uitam, donec corpus Christi in terram reconderetur, ubi & ipsorum corpora requiescebant, ut uel sic aliquo modo corporaliter participarent corpus Christi. Immo ideo Christus uoluit sepeliri, ut corpus suum corporibus sanctorum adiungeretur ipsisq; uitam præstaret. Ad illud quod de pueris & necessitate aliqua constrictis, obiectum est, respondent. Non iudicatur apud Deum non manducasse, nisi qui manducare noluit, qui non curauit, qui neglexit. De sensibus enim & uoluntatibus iudicat Deus, quæ in infantibus malæ esse non possunt. In his autem, qui necessitate aliqua præpediuntur, cum bonæ sint, non fraudantur effectu. Ad illud autem, quod de indigne sumentibus obijcitur, respondent, Se non separare Sacramentalem manducationem à spirituali, cum in Sacramento nedum externa species, sed & uerbum Dei proponatur, quorum utrunq; sumendum est: hoc quidem ore, illud autem fide. De solis igitur his se loqui fatentur, qui quod ore sumunt, etiã fide sumũt: hi enim certissime uitã acquirũt. Porro Augustinus & quidam alij, aliam adferunt huius loci intelligentiam: Non enim de Sacramento, sed de re Sacramenti hoc uerbum exponunt.

Res autem, quam hoc Sacramentum designat, est corpus Christi mysticum, hoc est, Ecclesia fidelium. Hæc enim nedum ex multis in unum corpus consurgit, sicut panis ex multis granis, & uinum ex multis racemis: sed etiam multa & diuersa membra habet, sicut uerum Christi corpus.

Est igitur sensus uerbi, Nisi mihi incorporemini & ego uobis,

adeo, ut unum corpus, una substantia, una uoluntas, & cor efficiamini & mecum & cum omnibus membris meis: Item, nisi me ut caput uestrum agnoscatis, & omnes pios ut membra uestra: Item, nisi mecum & cum omnibus membris meis, omnia & bona & mala cõmunicaueritis, ac in hac unitate Ecclesiæ perpetuo maneatis, non habebitis uitam in uobis. Ideo autem Augustinus hunc in modum uerba Christi exposuit, tum ut hæreticos sui temporis absterreret, ne se ab Ecclesia separarent, in qua sola uita est, & cui soli Christus & se & sua dedit: Tum ut pios extimularet, ut non tantum Sacramentum sumerent, sed & rem Sacramenti cogitarent, immo exercerent, nempe charitatem & unitatem, &c. Vere igitur extimescenda sententia: Nulli contingere uitam, qui Christum non ut caput suum agnoscit & ueneratur. Item, qui non omnes Christianos ut sua membra foueat & diligat. Item, qui ab Ecclesia Dei se separat. Potissimum autem & principaliter locus hic, immo totum caput, de spirituali manducatione intelligendum est. Secundum hoc igitur, quatuor per ordinem in hoc uerbo notantur. Primo enim manifeste indicat, nos uitam à nobisipsis nec habere, nec habere posse. Ex nobisipsis enim plane mortui sumus in anima, morituri propediem etiam corpore, immo æternæ morti iamiam sumus adiudicati, nisi aliunde nobis subueniatur. Deinde manifeste indicat, se unum & solum esse, qui uitam nobis largiri possit, quod ut sciamus, non ioco, sed serio dictum esse, adiecit iuramentum: Amen amen dico uobis, &c. Quod autem Christus secundum diuinitatem sit uita, nedum uiuens, sed & uiuificans alios, supra dictum
Ioan. 1. est: In ipso (inquit) uita erat, &c. Præterea, ut certi essemus, eum & posse & uelle etiam nobis dare uitam, plane ostendit, quibus rebus nobis parauerit uitam, nempe per hoc, quod filius hominis effectus sit, ac carnem & sanguinem suum tradiderit pro mundi uita: Ideo signanter & carnem & sanguinem nominat.

Demum indicat eius uitam in nos deriuari non posse, nisi unum cum ipso efficiamur, ac plane carnem suam & sanguinem, quibus nobis uitam meruit, in nos trajiciamus: neq; enim aliud in nobis uitam operari & conseruare potest, quàm id quo uita nobis coempta est. Quia autem Christum pro nobis carnem & sanguinem dedisse non uidimus, nec uidere possumus, sed tantum audimus in uerbo Euangelij: ideo eandem carnem & sanguinem non manu, sed fide apprehendere oportet. Qui igitur credit, Christum corpus suum pro nobis tradidisse, & sanguinem effudisse in remissionem peccatorum, ac per hoc omnem suam spem & fiduciam in Christo crucifixo collocat: is uere manducat carnem & sanguinem Christi. Ex eo enim, ut summo & suauissimo cibo, ineffabilem uoluptatem capit. Hoc igitur est, quod Christus hic uult dicere:

Plane

Plane affirmo, inquit, omnes uos perituros, nisi in me uitam quæratis, nec hoc solum, sed ut in corpus meum sanguinemq; pro uobis traditum oculos figatis, eaq; firma fide apprehendatis, & in uos trañciatis. Discamus igitur ex hoc uerbo, quàm miseri simus ex nobisipsis. Secundo, ubi salus & uita quærenda sit.

Tertio attendamus passionem Christi ceu precium, quo nobis omnia bona comparata sunt. Quarto consyderemus ineffabilem Christi erga nos dilectionem, qua totum seipsum nobis impendit. Quinto consyderemus, quàm necessaria nobis sit fides in Christum, &c̄.

Qui manducat meam carnem, &c.]

Tales fere esse solemus, quales sunt cibi, quibus uescimur. Si uescamur cibo paulo duriori, duri & intractabiles efficimur: si humidiori, humidi: si sicciori, sicci. Sic qui carnem Christi manducat, uitam æternam habet, eo quod Christus sit Filius Dei æternus.

Tripliciter autem corpus Christi manducatur. Primo, cum credimus ipsum corpus pro nobis traditum, ipsum sanguinem pro nobis effusum, unicamq; & solam & totam fiduciam consolationemq; nostram putamus, quod Christus pro nobis mortuus est.

Hæc manducatio summe necessaria est. Sine tali enim fide in Christum, nemo Deo placere potest. Immo, nisi hoc modo etiam patres ueteris Testamenti edissent carnem Christi, & bibissent sanguinem (Hoc est) nisi in Christum credidissent, nunquam fuissent iustificati, nec immortales facti. Ob eam causam semper ab exordio humani lapsus, Christus promissus fuit, ut qui eum fide apprehenderent, non perirent. Adæ & Patriarchis usq; ad Abraham distributus est Christus per hoc uerbum: Semen mulieris conteret caput tuum. Abrahamo & posteris eius exhibitus est per hanc promissionem: In semine tuo benedicentur omnes Gentes terræ. Moysi & posteris eius usq; ad Dauid, datus est per hoc uerbum: Prophetam suscitabit uobis Dominus, &c̄. Dauidi & posteris eius exhibitus est per illud uerbum: Suscitabo semen tuum post te, ipse ædificabit domum nomini meo. Christus seipsum exhibuit Apostolis. Apostoli eum exhibuerunt Gentibus per Euangelium, & Euangelij Sacramenta. Et his mediis exhibetur credentibus, usq; ad consummationem mundi. Oportet itaq; omnes, quotquot saluari uolunt, edere carnem, & bibere sanguinem Christi, hoc est, credere in Iesum Christum, qui est sanctificatio, salus, & redemptio nostra. Secundo manducatur corpus Christi in Sacramento. Heb. 11. Gen. 3. Gen. 22. Deut. 18. 1. Paral. 17. 1. Cor. 1.

Et hæc quidem manducatio non simpliciter necessaria est, ut prior. Plures enim etiam sine hac saluati sunt & saluantur: Sed tamen ita necessaria est, ut non contemnatur aut negligatur suo tem-

pore. In institutione enim huius Sacramenti, Christus imperatiue loquitur: Accipite, Comedite, Hoc facite. Non igitur liberum est, uti uel non uti Sacramento. Immo si Christianus esse uis, oportet ut aliquando utaris. Sicut enim peritus medicus secundum morbi naturam quam nouit, antidotum temperat, & dicit ægrotanti, Quia tale uenenum bibisti, oportet ut tale remedium accipias. Sic author uitæ, remedium opposuit contrarium ueneno, quod imbibimus: ut qua uia peccatum, & mors intrauerat in mundum, eadem uia rediret iustitia, & uita. Quis autem nescit, externum illum cibum uetiti ligni, hominiscp facilem, immo insanam credulitatem, præbuisse occasionem mortis. Huic igitur malo medicaturus Christus, etiam ipse externum cibum non minoribus promissis homini porrigit, ac plane hoc exigit, ut quàm auide de ligno uetito comedit, tam obedienter etiam de hoc cibo comedat: & quantum credidit mendacio, tantum credat ueritati: quantum credidit deceptori superba præsumptione, tantum credat redemptori humili subiectione: tanta fide comedat panem, & bibat calicem Christi, quanta infidelitate comedit fructum uetitæ arboris, ut de isto credat plus quàm uidere possit, qui de illo plus quam uidebat, & omnino plus & aliud quàm esse poterat, nulla ratione adductus credidit.

Credidit Adam Diabolo mendaciter dicenti: Eritis sicut dñi. Credat econtra Christianus Christo, ueraciter dicenti: Hoc est corpus meum. Tertio manducatur corpus Christi, cum ipsi ut capiti, omnibuscp fidelibus, ut membris eius incorporamur.

Atcp hæc manducatio etiam summe necessaria est: Alioqui quicunq extra Ecclesiam & corpus Christi inuenitur, perit.

Sed ad textum reuertamur: *Qui manducat, &c.* Sæpius in hoc loco Christus mentionem facit de uita: scit enim, quod eius uel maxime trahimur cupiditate, & quod nihil nobis suauius sit, quàm non mori. Ideo enim & in ueteri Testamento plærunq; longa uita & dies multi promittebantur. Sic & Christus uitam promittit, non semel, sed frequenter, ut nos alliciat: Nec qualemcunq uitam promittit, sed æternam. Qui manducat, inquit, carnem meam, habet uitam: hoc est, meipsum, qui sum uita. Item habet uitam gratiæ: nam per me consecutus est remissionem peccatorum. Præterea etiam
Rom. 5. uitam gloriæ habet in spe, quæ spes eum non confundet. Non
Gen. 3. igitur est, quod suspires & doleas, hominem è Paradyso eiectum, ne sumeret de ligno uitæ, & uiueret in æternum. Nam ecce iam habes panem uerum, de quo si manducaueris, uiues in æternum. Immo est, unde gaudeas, quod Adam prænaricator, non est permissus edere de ligno uitæ, & uiuere in æternum. Si enim tunc, cum esset prænaricator, comedisset, sic uiueret in æternum, quomodo ille uiuit, cuius suasu comedit, hoc est, misere & culpabiliter damnabiliterq;. Econtra

autem

autem tu sic nunc uiues in æternum, quomodo ego uiuo, hoc est, beatifice, &c.

Et ego resuscitabo eum in nouissimo]

Alius fructus digne manducationis, resuscitatio scilicet corporis, non quidem simpliciter (nam & impij resuscitabuntur) sed ad uitam & beatitudinem. Sicut autem mors animæ prior inuasit hominem, quando scilicet in peccatum cecidit, posterius autem secuta est mors corporis: sic Christus prius promittit uitam, postea autem & resurrectionem & resuscitationem. Signanter autem dicit: *Ego resuscitabo.* Sicut enim Deitas latens in corpore ipsius, ipsum excitauit à mortuis, sic & nos uirtute latentis in nos Christi, denuo excitabimur. Hinc & Christus dicitur uita nostra. Deinde, hoc uerbo plane Col. 3.
indicat fidelium mortem, nihil aliud esse, quàm somnum. Non abstulit Christus mortem corporis, sed effecit, ut credentibus non mors, sed somnus sit. Hinc pij dicuntur obdormire in Domino, quemadmodum Stephanus, &c. Act. 7.

Caro mea uere est cibus, &c.]

Non semel tantum, sed iterum atq; tertio hic exprimit carnem & sanguinem suum. Primo, ut alte nobis infigeret passionem suam sanguinisq; effusionem, ceu unum illud refugium nostrum, in quo omnis consolatio & meritum nostrum consistit. Secundo, ut alte nobis infigeret dilectionẽ erga nos suam, qua quicquid à nobis assumpsit, totum pro nobis impendit: neq; id solum, sed etiam nobis ea impendit in cibũ. Quasi diceret: Parentes alij sæpe numero filios suos alijs alendos dederunt, ego autem mea carne uos alo, me uobis exhibeo, omnibus optimam de futuris spem præbeo, uester ego frater esse uolui, communicaui carnem propter uos & sanguinem, & per quæ uobis coniunctus sum, ea rursus uobis exhibui. Qui autem in hac uita ita se nobis totum exhibet, quid faciet in futura?

Tertio ideo toties carnem & sanguinem suum exprimit, ut sciamus etiam carnem eius uiuificare, non quidem ex se, sed ex eo, quod coniuncta est diuinitati. Sicut enim ferrum in igne positum, tametsi ferrum maneat, tamen longe aliam operationem habet, quàm ante: Immo, non minus urit, quàm ignis. Sic corpus Christi diuinitati intimæ coniunctum, uerum quidem corpus manet, sed tamen uiuificandi uim à diuinitate suscipit. Impij igitur sunt, qui garriunt carnem Christi nihil prodesse. Est autem caro Christi cibus, tum quia comedi uult, ut possit prodesse: tum quia idem spiritualiter in nobis operatur, quod cibus externus corporaliter. Reficit enim, confortat, restaurat, uoluptatem affert, uitam continuat, immo quod in alijs cibis quærimus, nempe, ut non esuriamus, uel ut non

moriatur, uel ut uoluptatem assequatur, hoc solum & perfecte præstat corpus & sanguis Christi. Ideo signanter addit: *Vere est cibus.* Primo ad differentiam corporalis cibi, quem siue manduces siue non, morieris. Hic autem tantum moritur, qui non manducat: In æternum autem uiuet, qui manducat. Secundo, corpus Christi uerus cibus est, ad distinctionẽ eius cibi, quem Diabolus pollicebatur. Cibus enim ille cibus fuit mendacij, quia falsum
Gen. 3. fuit, & falsum est, quod in cibo illo Diabolus pollicebatur, itaq; & cum uana promissione datus fuit cibus ille, & uana spe diuinæ similitudinis consequendæ manducatus est. Caro autem Christi uerus cibus est: quia uerum est, quod Christus in eo pollicetur, ueraq; spes est, qua manducatur. Sic & de sanguine dicendum.

Qui manducat, &c. in me manet]

Alius fructus huius manducationis, in Christo manere, & Christum in se manentem habere, immo cum Christo sic unum esse, ut nunquam ab eo separeris. Quod, quantum bonum sit, uel ex nona-
Psal. 90. gesimo Psalmo discere possumus, in quo Dauid non satis exprimere potest, q̃ securus sit, qui sub umbra & adiutorio Dei sedet. Quanto igitur securior & fœlicior est, qui Christum in se habet, & in Christo est? Atq; hinc uidere licet, unde sit tanta Christianorum fortitudo & uictoria contra peccatum, mortem, Diabolum, & mundum: Nimirum, quia in Christo manent, & Christum in se manentem habent. Sicut enim Christus, quamuis totius mundi peccata in se susceperisset, morsq;, & mundus, & Diabolus cum totis uiribus inuasissent, tamen opprimi non potuit. Sic nec opprimi potest, qui in Christo manet, &c. Breuiter, quod Diabolus mendaciter pollicebatur homini, hoc Christus hic uere pollicetur & præstat. Quid enim nobis hoc dicto pollicitus est Dei Filius, quàm ac si aperte dicat, Si
Psal. 81. manducaueritis carnem meam, &c. dij eritis, & filij excelsi omnes. Non tamen usus est uel uti debuit uerbis deceptoris illius antiqui, promittentis Dei æqualitatem. Quis enim est uel esse potest, sicut Deus? Ille nanq; nullius eget, nullius ope uel gratia Deus est. Sed quis ita præter illum, naturæ suæ sufficientia Deus esse potest? Sic
Psal. 48. Angelus uoluit esse Deus, & factus est Diabolus. Sic Deitatẽ appetere persuasit homini, & hominẽ hominis honore spoliauit. Sicq; tam hic q̃ ille, cũ uoluit esse sicut Deus, uoluit sine gratia & adiutorio melioris esse Deus, & hac uoluntate uterq; se à Deo diuisit. Econtra consortiũ uel gratia Dei deos efficit, & filios excelsi. Christus igitur non æqualitatem Dei sicut Diabolus, sed gratiam & communicationem Dei nobis promittit, cum dicit: *In me manet, & ego in eo.* Quia enim Christus Deus est, ergo is, in quo Christus manet, diuinitatem in se transfusam habens, Deus factus est, filius excelsi renatus est.

Sicut misit me uiuens Pater, &c.]

Hoc

Hoc uerbo indicat, unde uita omnis originẽ habeat, & quomodo in nos deriuetur. In Deo est fons uitæ, ut Dauid ait: Vnde & Chri- Psal. 35.
stus hic Patrem nominat uiuentem. Ipse enim solus immortalitatem habet. Vnde & in Apocalypsi: Dabant, inquit, gloriam uiuenti in Apoc. 4.
sæcula sæculorum. Hanc autem uitam perfecte impressit Filio, ut & ipse nedum uiuat, sed & ipsa uita sit, & uitam præstare possit. Vnde Christus subdit: Et ego uiuo propter Patrem, hoc est, propterea & ego Deus uiuens & author uitæ sum, quia talem Patrem habeo, quia talis Pater me misit & genuit. Hanc autem uitam Deus per Filium etiam nobis communicare uoluit, ideo dicit: Pater me misit. Eandem Christus non ut inuidens quispiam soli sibi reseruauit, sed credentibus cõmunicauit, ideo cibum se dicit, ac omnibus se manducandum proposuit. Sic igitur implet, quod subdit: Qui mãducat me, uiuet propter me, hoc est, ex eo, q̃ me habet, etiã uitã meã participabit.

Hic est panis, qui de cœlo descendit]

Breui Epilogo colligit atq; enumerat, quibus de rebus hactenus uerba fecerit. Primo enim se ostendit uerum esse panem uitæ, ob eam uel maxime causam, quod de cœlo descenderit, atq; hoc etiam hic primo repetit. Secundo ostendit manna, de quo ipsi gloriabantur, nequaquam comparandum esse huic cibo. Ideo subdit.

Non sicut manducauerunt patres uestri, &c.]

Sæpius aũt mannæ meminit, non tantum ut ipsum distinguat ab hoc cibo, sed etiam ut per hoc ad fidem eos alliciat. Nam si possibile fuit Deo, tantũ populum quadraginta annis pascere è cœlo: potest & hęc præstare, quæ Christus hic promisit. Vere autem dicit, mortui sunt. E tanto enim numero, ne unus quidem remansit, immo plærique etiam, quo ad animam, mortui fuerunt. Postremo, etiam breuiter repetit, quod de fructu huius cibi supra differuit, cum subdit.

Qui manducat hunc panem, uiuet, &c.]

Hic enim est fructus ligni uitæ, quod hoc tempore Deus in me- Gen. 2.
dio Ecclesiæ plantauit. Hinc in Apocalypsi dicit: Dabo ei edere de Apoc. 2.
ligno uitæ, &c. Christus enim uere est lignũ uitæ his, qui apprehenderint eum, & ideo qui tenuerit eum, beatus erit, & est. Docet Prouer. 3.
autem nos hic Epilogus, quatuor in Christo consyderare. Primo quod de cœlo descenderit, & Deus sit: alioqui impossibilia uidebuntur, quæ hactenus dixit. Secundo, quod panis effectus est, hoc est, quod bona sua nobis communicare uult, immo seipsum, ac plane nobis commisceri & uniri. Tertio, quod multo maiora iam in hoc sæculo nobis præstitit, quàm patres habuerunt in ueteri Testamento. Quarto, quod in futuro summa & maxima dabit, hoc est, ipsam beatitudinem, & uitam non iam in spe, sed in re.

Hæc dixit in Synagoga docens &c.]

Locum nominat, ut certi sint pij, Christum veraciter hæc uerba dixisse, atq; adeo secure in ipsis confidant. Deinde hoc uerbo & Iudæis & multis Christianis, omnem excusationem adimit. Non in occulto hæc dixit, sed in propatulo, in loco celebri, ubi plures conuenerant: immo hæc eadem postea per Apostolos in omnem terram promulgauit. Vere igitur dicere potest: Si non uenissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent.

Pſal. 18.
Ioan. 15.

Multi ergo ex Discipulis eius audientes, &c.]

Hactenus Iudæos murmurasse & litigasse audiuimus: Nunc etiam inter discipulos inueniuntur murmuratores. Sic enim Christus positus est in ruinam & in signum, cui contradicitur. Immo, qui hic discipuli eius dicuntur, deterius murmurant, quàm alij Iudæi, magis quippe diffidentiam suam exprimunt, quàm illi: Immo alijs tantũ quærentibus, Quomodo hoc fieri posset, ipsi plane sententiam pronunciant, ac sermonem Christi damnant. Sic enim Christus semper apud suos contemptior est, quàm apud extraneos. Sic in passione sua Iudæos, qui populus eius erant, crudeliores erga se inuenit, quàm Gentiles. Sic uerbum Dei & scripturæ multo peius à Christianis discerptum est, quàm à Iudæis uel Gentibus. Et generaliter nusquam Christus magis blasphematur, quàm apud Christianos. Signanter autem Ioannes addit: *Multi ex Discipulis*, non omnes, ne crederentur omnes hoc fecisse. Nihil præiudicat Apostolis quorundam incredulitas, sicut nec nobis, &c̃.

Lucæ 2.

Durus est hic sermo, quis potest eum, &c.]

Non suam tarditatem, sed Domini sermonẽ inculpabant, quasi solis uitium sit, si lippus non clare uidet, & non magis oculorum ipsius. Sic plærunq; & nos, si quid non intelligimus, statim scripturæ obscuritatem increpamus, non nostram cæcitatem. Et generaliter quicquid non placet, Deum in ius uocamus, ac eum culpamus. Obserua, quod increduli longe aliter sentiunt & iudicant de uerbo Dei, quàm pij. Pius homo dicit, Lex Domini immaculata conuertens animas: Testimonium Domini fidele, &c̃. Iustitiæ Domini rectę, &c̃. Præceptum Domini lucidum, &c̃. Desiderabilia super aurum, &c̃. Econtra autem incredulus dicit: *Durus est hic sermo.*

Pſal. 18.

Pius homo gustata uerbi dulcedine, etiam alios aduocat, dicens: Gustate & uidete, quod suauis est Dominus. Incredulus autem etiam alios auocat à uerbo Dei, dicens: *Quis potest eum audire.*

Pſal. 33.

Quod autem hi sermonem Christi durum iudicabant, carnalis imagi-

lis imaginatio in causa erat. Primum enim secundum carnem, quam solam sapiebant, sic intelligebant manducari oportere carnem Christi, quemadmodum pecorum carnes conciduntur & manducantur, & quemadmodum consueuerant concidere & manducare carnes agni Paschalis: Et bibendum esse sanguinem Christi, quomodo nec animalis cuiusquam sanguinem gustare lex permittit. Hoc autem rationi eorum omnino uidebatur inhumanum, immo horrendum & execrandum facinus, denique & diuinæ legi contrarium, quæ uetat carnem cum sanguine edi. Gen. 9. Leuit. 17. Leuit. 3.

Deinde iudicabant hoc ipsum non modo non ualere ad uitam, sed etiam eidem uitæ omnino contrarium & repugnans esse.

Præterea hoc quoque cogitabant, etiamsi aliquo modo fas esset, sic illum concidi & manducari, tamen ipsius corpus & sanguinem uix paucis sufficere posse, ut modicum quis acciperet: atque ideo uix centum homines ad uitam pertingere posse, cum copiosa multitudo hominum ad salutem pertinentium, nulli nisi soli Deo numerabilis sit. Denique, ratione sua comprehendere non poterant, quomodo eius humanæ carnis, ad salutem necessarius esse posset.

Postremo, nec id consequi poterant, quomodo caro Christi melior esse posset, quàm manna, cum scriptura tam magnifice loquatur de manna, immo Deus idipsum reseruari præceperit, ut esset perpetuum memoriale diuini beneficij. Exod. 16.

Quocunque igitur se uertebat ratio eorum, non poterat conuenire cum uerbis Christi, ideo plane pronunciant sententiam: *Durus est hic sermo.*

Sic & ratio nostra omnino conuenire non potest cum eo, quod Christus in cœna dixit: Hoc est corpus meum. Nunc enim uidetur esse contra articulum fidei de Christi ascensione: nunc uidetur cum alijs scripturis pugnare: nunc iudicatur Christo inglorium esse, ut corpus eius manducetur: nunc etiam non necessarium putatur, cum uerbo & fide manducari possit, ideo ratio plane pronunciat: *Durus est hic sermo, &c.* Ac certe mirum, quod hæc uerba Christi non eradant ex Euangelio. Si enim iuxta eorum sententiam, in cœna nihil est, nisi panis & uinum, quæ in memoriam Christi accipi debent, plane superflua sunt uerba. Satis enim esset dixisse: Accipite, & manducate: frangite panem, & hoc facite ad mei memoriam. Nec opus fuisset addere: Hoc est corpus meum. Sed murmuret qui uelit, qui sordet sordescat adhuc, nobis peccatoribus iucundissime sapit uerbum hoc Christi, ac pro summo thesauro ducimus, quod Christi corpus etiam reuera in nos sumere possumus, ac laudamus Deum, quod medium tale inuenerit, quo ita uerum Christi corpus habere possumus, ut tamen non sit nec inhumanum, nec durum, multo minus non contra Deum. Matth. 26. Apoc. 22.

Sciens

Sciens autem Iesus apud semetipsum]

Heb. 4. Ipse enim (ut Paulus ait) est discretor cogitationum: Et ipse fin-
Psalm. 32. xit singulatim corda eorum, intelligitq; omnia opera eorum.

Signanter aũt dicit: *Apud semetipsum*, nullo enim egebat indice. Nec tunc primum sciuit, cum iam murmurarent, sed antequam diceret mysterium hoc, sciebat ut Deus, qui discipulorum dociles essent uel non. Attamen pro exprimenda indignitatis magnitudine, quasi nunc primum comperta illorum infidelitate, quasi admirans dicit,

Hoc uos scandalizat?]

Singula uerba Emphasim quandam habent: Hoc, inquit, hoc quod uel maxime uos consolari debuerat: hoc, quod uel maxime amorem meum in uos ostendit, hoc uos scandalizat? Deinde: Vos (inquit) qui tanta uidistis, tanta audistis, qui discipulos uos profitemini meos, uos ne in hoc scandalizamini? An non admiratione dignum? Præterea, non simpliciter dicit, Hoc uos impedit uel inquietat, sed scandalizat, hoc est, taliter offendit, ut à proposito bono retrorsum cadatis. An non mirum, quod panis qui alijs uitam præbet, uobis mors est? Item, quod alijs panis est & cibus, uobis est lapis offensionis.

Sic & nunc plane dignum est admiratione, quod etiam Christiani in uerbis Christi offenduntur. Magis autem mirum, quod in ea potissimum impingunt, quæ uel maxime consolatoria sunt. Super omnia autem admirandum, immo miserandum est, quod non leuiter offendunt, sed ita, ut omnino à bono proposito resiliant: Atqui hæc omnia quotidie uidemus fieri, &c. nec tamen extimescimus, aut oramus.

Si ergo uideritis filium hominis ascendentem]

Abrupte loquitur, nec perfectum sensum exprimit. Volunt autem quidam eum sic locutum, ut ostenderet, se non æquo animo ferre ipsorum scandalum, referuntq; hoc uerbum ad iudicium futurum: Quasi diceret, Cum uideritis filium hominis ascendisse ad cœlos, tunc intelligetis, quàm male nunc de me sentiatis.

Non quidem uidebitis me ascendere, quia retrorsum abituri
Act. 1. estis, solicq; perseuerantes uidebunt hoc: Attamen ascendisse me uidebitis, quando uenientem cum nubibus, cum tota carne sua hunc filium hominis uidebit omnis oculus, tunc uidebitis, quàm iniuste hunc sermonem meum duriciei coargueritis, quàm male senseritis, & quod peius est, non expectata magistri doctrina, nimis cito retrorsum scandalizati abieritis.

Alij hunc textum interrogatiue legunt, uel admiratiue, Quasi diceret,

ceret, Si nunc scandalizamini, quid facietis, cum uideritis me ascendere, uel audieritis me ascendisse in cœlum? Si nunc non creditis, multo minus post ascensionem meam credetis. Si nunc me præsente uerba mea falso intelligitis, quid fiet post abscessum meum? Secundum hoc igitur Christus hic præuidit, & prædixit quosdam ideo non credituros, se corpus Christi posse manducare, quod sciant eum ascendisse ad cœlos. Simpliciſsime autem intelliguntur hæc uerba, ut sint quasi confirmatio eorum, quæ hactenus dixit, Quasi diceret, Loquor nunc nudis uerbis, sed hanc locutionem efficacibus factis exequar. Nam resurrectione, ascensione, & Spiritus sancti missione, declarabo carnem meam esse uerum panem, manifestabo me esse ueram uitam, reuelabo me esse lucem & iustitiam mundi, immo ostendam me plane omnia posse. Qui igitur in Christi uerbis adhuc dubitant, hos Christus mittit ad consyderandam suam resurrectionem, ascensionem, & Spiritus sancti missionem: quæ qui attendit, facile credet uerbis Christi, quantumcunq; dura & impossibilia uideantur. Signanter autem ad ascensionem nos dirigit consyderandam. In ea enim manifeste ostenditur Christi dignitas, potestas, & conformitas ad diuinam uoluntatem. Filium hominis autem dicit ascensurum, ut sciant carnem suam non consumptibiliter manducandam à fidelibus: Alioqui quomodo ascenderet, si ab hominibus conscissa & consumpta esset? Addit autem: Vbi erat prius, quod non sic intelligendum, quasi Christus carnem è cœlo secum portauerit, sed ad ostendendam unitatem personæ, in se uno & Deo & homine. Propter hanc enim unitatem personæ, & quæ Dei sunt homini attribuuntur, ut hic: Et quæ hominis sunt, Deo attribuuntur, ut cum dicitur: Filius Dei pro nobis mortuus est, cum tamen sola natura humana mortua sit. Iam, quod Sacramentarij ex hoc uerbo, immo ex articulo ascensionis Domini contendunt, quod corpus Christi non possit esse in Sacramento, cum unum corpus non habeat, nisi unum locum, superius iam confutatum est. Ascensio enim Domini, nedum non tollit corpus Christi è Sacramento, sed uel maxime cõfirmat, quod ibi esse possit, cum articulus habeat, Christum sedere ad dexteram Dei, quæ cum nihil aliud sit, quàm Dei omnipotentia, eaq; non possit uni loco alligari, plane constat, quod nec corpus Christi uni loco alligatum est, immo ubicunq; est dextera Dei, ibi est corpus Christi, quamuis in solo Sacramento à nobis inueniri & sumi uelit corporaliter.

Deinde constat, quod corpus Christi tripliciter potest esse in loco. Primo circumscriptiue, ut scilicet occupet locum, quemadmodum cum in terra ambularet. Hoc modo discipulis post resurrectionem se sæpius exhibuit: hoc modo & in iudicio se exhibebit omnibus conspicuũ; hoc modo & nunc se potest exhibere ubicunq; uult.

Secundo

Secundo, quia corpus habet glorioſum, poteſt eſſe in loco diffinitiue, hoc eſt, præſentialiter quidem, ſed tamen ut non occupet locum, quemadmodum Angeli ſunt in loco. Hoc modo Chriſtus fuit in lapide ſepulchri, & in clauſa ianua. Præſentialiter enim & corporaliter per ea tranſiuit, ita tamen, quod nec lapis extenderetur, nec ianua, nec corpus ipſius conſtringeretur. Hoc modo poteſt & in Sacramento eſſe. Sic etiam erunt corpora noſtra poſt reſurrectionem: habebunt enim dotem ſubtilitatis. Tertio, quia corpus Chriſti una & indiſſolubilis perſona eſt cum Deo, fateri cogimur, ipſum eſſe poſſe ubicunq; Deus eſt, ergo & in Sacramento. Hoc igitur decipit Sacramentarios, quod putant uel imaginantur corpus Chriſti non niſi naturali modo, localiter & circumſcriptiue, poſſe eſſe in loco.

Spiritus eſt, qui uiuificat: Caro non, &c.]

Etiam hoc uerbum Sacramentarij pro ſua opinione adducunt, immo hic plane triumphant. Quemadmodum enim, qui per uitrum depictum uident, putant omnia alia eum colorem habere, quem habet uitrum, cum tamen non ita ſit: ſic hi, quia ſemel imbiberunt carnalem illam imaginationem, putant omnia alia ſuæ imaginationi conſentire. Sed uide, q̃ frigide argumententur. Spiritus, inquiunt, eſt, qui uiuificat, ergo corpus Chriſti non eſt in Sacramento: Vel, ergo nihil niſi ſpiritus eſt in Sacramento. Quis non rideat hanc argumentationem? Idem enim eſt, ac ſi dicam, Anima uiuificat hominem, ergo homo nihil niſi anima eſt, non habet corpus. Deinde, neſciunt quid ſpiritus dicatur in ſcriptura, neq; quid ſit caro. Carnem dicunt id, quod poteſt uideri, tangi, quod eſt corpus, habet oſſa, neruos: Spiritum autem, quod his caret. Atqui ſcriptura longe aliter loquitur de ſpiritu & carne, maxime cum ea inter ſe confert. Caro in ſcriptura dicitur, quicquid ex carne procedit, quicquid caro agit, cogitat, poteſt, loquitur, quantumcunq; internum & inuiſibile ſit. Sic
Gal. 5. Paulus iram & inuidiam, &c. inter opera carnis numerat.

Econtra ſpiritus eſt & dicitur, quicquid è Spiritu ſancto procedit, quicquid ex Spiritu ſancto agimus, loquimur, cogitamus, quantumcunq; ſit externum & corporeum. Sic omnis uere Chriſtianus,
Ioan. 3. quantumuis adhuc corpus habeat, tamen ſpiritualis dicitur: Quod enim natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.

Si igitur Chriſtianus quiſq; non ideo corpus non habet, quia iam per ſpiritum ſpiritualis effectus eſt, cur in ſolo Chriſto corpus aufers, quaſi ſolum ipſius corpus ſpiritui repugnet, cum tamen articulus fidei noſtræ habeat corpus Chriſti è Spiritu ſancto cõceptum,
Lucæ 1. dicente ſcriptura: Quod in ea natũ eſt, è Spiritu ſancto eſt. Item, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Si ſpiritus in te patitur corpus eſſe, quod tamen ſubinde peccat, quomodo non pateretur corpus Chriſti

ſanctiſsimum

sanctissimum & purissimum. Immo corpus Christi uere pertinet ad illud dictum: Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non igitur hoc uerbo auferre potes Christi corpus è Sacramento. Præterea, non sequitur, si aliqua re spiritualiter utamur, quod illa res necessario spiritus sit, & non corpus. Nam beata uirgo uere spiritualiter etiam concepit Christū in corde, nō tamen ob id sequitur, quod Christus non habuerit corpus. Sic manducatur quidē corpus Christi spiritualiter, non tamen ob id sequitur, quod non possit etiam corporaliter sumi.

Habebat Simeon Christum in ulnis corporaliter, interim tamen non minus eum in corde gerebat per fidem. Postremo, id sibi persuaserunt, Deum in scripturis tantum tradere spiritualia, adeo toti spirituales sunt & spiritum crepant, cum interim uideant, quod Deus ubicq; carnalia & externa adiunxerit suo uerbo.

Caro non prodest quicquam]

Et hoc dictum crebro iactant, sicq; carnem Christi à spiritu & diuinitate separant. Nos autem nec carnem à spiritu, nec corporalem manducationē à spirituali diuidimus. Scimus enim, quod ubicunq; est caro Christi, illic est & diuinitas & spiritus uiuificans: Et econtra, quia indiuisibilis persona est. Deinde, scimus in Sacramento non tantum nobis offerri panem, sed simul uerbum Dei. Hęc autem non diuidimus, nec diuidi ab inuicem patimur, ut quis dicere uelit, Spiritus quidē prodest, non aūt caro. Secundo, Non concedimus, quod hoc uerbum ad carnem Christi referendum sit, tum quia supra, ubi de sua carne loquutus est, semper addidit: Mea, uel Filij hominis. Hic autem non addit: Mea, sed indefinite: *Caro*, inquit, *non prodest*. Tū, quia hic carnē opponit spiritui, unde patet, quod de ea tantū carne loquit̄, quæ contrariatur spiritui: Hoc aūt in Christo non est. Eius enim caro non aduersatur spiritui, sicut in nobis, sed uere spiritualis caro est. Tertio omnino negamus, carnem Christi nihil prodesse, immo hæc dicere, blasphemiam arbitramur esse quàm maximam. Quomodo enim non prodesse posset ea caro, quæ uerbum Dei secum habet? immo, si tantum bubula caro esset, tamen propter adiunctum uerbum prodesset, quemadmodum & Baptismi aqua, cum sit externa res, tamen propter adiunctū uerbum prodest. Item, quomodo prodesse non posset caro Christi, cum in Euangelio legamus, tactu carnis suæ, plærisq; sanitatem restitutam esse? Omnes, inquit, quotquot tangebant eum, salui fiebant. Mar. 6.

Præterea, quomodo prodesse non posset caro, quæ Deo iuncta est, Deo plena est? Nihil aliud fallit Schuuermeros illos, quàm quod non distinguunt carnem Christi ab alia carne, cum longe excellentior sit caro Christi, adeo, ut uere dici possit Dei caro, uel diuina aut deificata caro. Quarto, etiam si certum esset, Christum hic de carne

ſua loqui, eamq; plane nihil prodeſſe, quod tamen impoſsibile eſt, non tamen ideo ſequeretur, quod non eſſet in Sacramento. Qualis enim conſequentia, Caro Chriſti non prodeſt, ideo non hic eſt: Sic enim & ego colligam, Trũcus hic nihil prodeſt, ergo non iacet hic, cuius contrarium uideo. Item, Deus impijs nihil prodeſt, ergo Deus non eſt apud ipſos. Item, Chriſtus in cruce pendens, nihil proderat impijs Iudæis, ergo non pendebat in cruce, &c. Ridentur à pueris huiuſmodi argumenta. Omiſsis igitur huiuſmodi nugis immo mendacijs, uerum ſenſum uerborum Chriſti quæramus.

Primo igitur cum dicit: Spiritus eſt qui uiuificat, &c. carnalem Iudæorum intellectum redarguit, quaſi diceret, Ego de fide loquor, uos de uentre cogitatis. Manifeſte docui, fide oportere & me & omnia mea ſuſcipi & manducari: Vos aũt tantũ de carne cogitatis, quomodo in macello uenditur, in culina coquitur, & dentibus dilaceratur. Arqui non hoc agebam, non ita dabo carnẽ meam, ſicut carnes animalium comeduntur: nec enim quicq; hoc prodeſſet. Spiritus eſt qui uiuificat, hoc eſt, ſpiritualiter intelligi oportet quod dixi, non tã craſſe, ſpirituali & inuiſibili modo carnem meam dabo. Caro, hoc eſt, craſſus ille & carnalis ueſter intellectus, nihil prodeſt: Verba quæ loquor, ſpiritus & uita ſunt: Hoc eſt, Doctrina mea ſpiritualis eſt, ideo non uult habere tam craſſos auditores. Nihil proficietis quàm diu huiuſmodi carnales cogitationes in uobis ſunt. Vides igitur, uerbũ hoc non pugnare contra ueritatẽ corporis Chriſti in Sacramento. Immo tantum oſtendit, eandem carnem ſuam non uiſibiliter, ſed inuiſibili quodam & ſpirituali modo manducari in Sacramento.

Deinde, uerbum hoc ſic intelligere poſſumus, ut ſit generalis quædam collatio inter carnem & ſpiritum, quemadmodum ſæpe fieri ſolet in ſcriptura. Spiritus, inquit, prodeſt non caro, hoc eſt, niſi ſpiritus efficiamini & carnem exuatis, uiuere non poteſtis. Sic ſupra docuit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, &c. Quod enim natum eſt ex carne, caro eſt. Præterea, etiam ex hoc uerbo accipimus differentiam inter externa & interna. Per carnem externa, per ſpiritum interna intellige. Nihil igitur prodeſt caro, hoc eſt, quæcunq; externa, ſi non aſsit ſpiritus. Nihil prodeſt externa ablutio, niſi aſsit uerbum Dei & ſpiritus.

Nihil prodeſt proximo miniſtrare, bona externe facere, niſi & ex corde, hoc eſt, ſpiritu & fide feceris.

Nihil prodeſt externe uerbum Dei audire, legere, portare, niſi in corde & ſpiritu habeas. Sic & hic nihil prodeſt etiam externa corporis Chriſti manducatio, niſi & fide quoq; manducetur.

Vides igitur, quod etiamſi uerba hæc ad Sacramentum proprie referantur, non tamen plus inde ſequitur, quàm quod externa Sacramenti manducatio ſola, non proſit. Arqui hoc nos quoq; ingenue fatemur,

fatemur, immo maius aliquid dicimus, nempe, externam manducationem etiam obesse, si non adsit interna: Qui enim indigne manducat, iudicium sibi manducat, &c. Hoc, inquam, fatemur, non tamen ob id negamus corpus Christi adesse in Scramento. 1. Cor. 11.

Verba quæ loquor, spiritus & uita sunt]

Non hoc uult, quod in Sacramento nihil sit nisi spiritus, sed docet qualiter uerba sua sint acceptãda. *Verba*, inquit, *mea sunt spiritus*. Iam cum spiritus uiuificet, proinde necessarium erit, ut ante omnia fide accipiatis uerba mea: Dixi carnem meam esse uere cibum. Hæc uerba si credideritis, iam erunt uobis spiritus uiuificans. Nam sicut per uerbum omnia creaui, ita & per uerbum iustifico credentes. Obserua uerba Christi, non unum aut alterum, sed indifferenter præstare spiritum & uitam, si fide arripiantur. Quod si hæc uerba ad Sacramentũ referre uolumus, non tollunt nobis ueritatem corporis Christi, sed magis cõfirmant. Si enim in uerbis Christi spiritus & uita est, quis dubitat, eum posse præstare, quod dicit aut promittit? Summa, quantumcunq; Sacramentarij iactent uerba illa, Spiritus est qui uiuificat. Item, Verba mea sunt spiritus & uita, nondum tamen consequitur, nihil in Sacramento esse, nisi spiritum, non autem corpus Christi: alioqui eadem ratione colligere possem. Anima est, que uiuificat hominẽ, ergo homo nihil est quàm anima. Quis autem ferret talem argutatorem? Deinde quantumcunq; iactent dictum illud: Caro non prodest quicquam, ac exempla ludę & aliorum adducant, quibus corpus Christi non profuit, non tamen adhuc probauerũt, quod corpus Christi in se nihil prosit: Immo scimus, corpus Christi multis profuisse. Iuxta illud: Quotquot eum tangebant, salui fiebant. Ad hęc non sequitur, corpus Christi nõ prodest impijs, ergo in se non prodest. Eadem enim ratione sequeretur, quod nec scientia, nec diuitiæ, nec Euangelium, nec passio Christi, immo nec Deus ipse quicquam prodesset, quia nihil horum prodest impijs: Immundis enim omnia immunda. Præterea quantumcunq; clament Christum ad cœlos ascendisse, nondum tamen probauerunt, eum ita in cœlo alligatum, ut tantum in uno loco sit, nec alibi esse possit. Denicq; quantascunq; scripturas corradant, ubi de transitu Christi dicitur. Vt: Vado parare uobis locum. Item, Relinquo mundum. Item, Me non semper habebitis, &c. nihil tamen amplius ex his conuincere possunt, quàm Christum non amplius uisibiliter in mundo esse. Iuxta hoc tamen ingenue & audenter confitemur, Christum cum electis suis etiamsi non uisibiliter, tamen uere corporaliter & spiritualiter & esse & permansurum, usq; ad consummationẽ sæculi, quemadmodum promisit. Quia igitur hactenus non probare potuerunt ex scripturis, quod corpus Christi per Dei potẽtiam alibi esse non possit, quàm in cœlo. Mar. 6. Tit. 1. Ioan. 14. Ioan. 13. Matth. 28.

Item, quod caro Christi in se nihil prosit. Manemus nos cum simpli-
Matth. 26. ci illo uerbo Christi: Accipite, Manducate, Hoc est corpus meum. Immo gratias agimus diuinæ bonitati, quod etiam corpori nostro spem futuræ uitæ & resurrectionis dat, per participationem sui corporis. Sed nunc ad textum reuertamur. *Verba quæ locutus sum, spiritus & uita sunt.* Hanc sententiam congrue subiungit prę habito sermoni, ut discamus, magnam esse differentiam inter uerba Christi, & uerba nostra. *Verba mea* (inquit) *spiritus sunt.* Primo, quia nō caro,
Heb. 4. non uana, non inefficacia, sed uiua & efficacia. Est enim sermo Dei uiuus & efficax. Secundo, Verba quæ loquor spiritus sunt, quia non è ratione humana, sed ex Spiritu sancto sunt. Tertio, Spiritus sunt, quia spiritualia & diuina docent. Quarto, Verba quę loquor, non inanis uox uel sonus, sed spiritus sunt, ideo non tantū exigunt aures corporis, sed etiam, immo potissimum aures mentis. Quinto spiritus sunt, quia spiritum secum adferunt. Iuxta illud: Spiritū accepistis non
Galat. 3. ex lege, sed ex auditu fidei. Hinc Christus: Qui diligit me, sermonem
Ioan. 14. meum seruabit, &c. & mansionem apud eum faciemus. Deinde uerba quę loquor, etiam uita sunt. Primo, quia sunt riui de fonte uitę, hoc est è uerbo ineffabili et diuino profluentes. Secūdo, quia consolationem adferunt: Nam sæpe uita pro consolatione accipitur. Tertio, quia uitam animæ conferunt. Quarto, quia uitam instruunt, ac bene uiuere docent. Quinto, quia ad beatam uitam ducunt. Vide quantus thesaurus sit etiam externum uerbum Dei. Non enim de interno hic loquitur, sed de externo, ideo non dicit, uerbum quod ego sum, sed: *Verba quæ loquor, spiritus & uita sunt.*

Temerarij igitur sunt, qui uocale uerbum & scripturam inutilem esse dicunt. Stulti autem, qui tantum thesaurum sibi acquirere negligunt. Vide autem uerborum ordinem. Primo: *Verba*, inquit, *quæ lo-*
Rom. 10. *quor.* Verbum enim præcedere debet: Fides siquidem ex auditu. Deinde ponit spiritum, per uerbum enim, ut per medium, datur Spiritus sanctus. Sic loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes,
Act. 10. qui audiebant uerbum. Postremo ponit uitam. Vbi enim Spiritus Dei est, illic & uita sequitur. Si igitur uis habere uitam, quære prius spiritum: si spiritum habere uis, audi uerbum Dei, & crede.

Sed sunt quidam, qui non credunt

Sensus est: Non quia durus est meus sermo, idcirco quosdam uestrū scandalizat. Sed quia uestrū aliqui infidelitate obdurauerūt corda sua, idcirco sermoni meo uidetur inesse duritia. Et non ideo non creditis, quia non intelligitis. Sed ideo nō intelligitis, quia non credi-
Isa. 7. tis: Si enim non crediderit is, non intelligetis. Vides hic iterū, quàm necessaria sit fides audire uolentibus uerbum Dei. Deinde, uides iterum, non in Deo, sed in nobis culpam esse nostræ perditionis.
Osee 13. Iuxta illud: Perditio tua ex te Israël, &c.

Sciebat

Sciebat enim ab initio qui essent, &c.]

Plane hoc sciebat ut Deus, non ex euentu aliquo aut casu, siue coniecturæ humanæ momento, sed ab initio, id est, ab æterno. Nam ante mundi constitutionem præsciuit & prædestinauit eos, qui uocandi erant sancti & immaculati in conspectu eius. Signanter autem dicit: *Sciebat qui essent credentes*, ad consolationem fidelium: Nihil enim iucundius quàm à Deo agnosci, ideo scriptura tam sæpe hoc inculcat: Nouit Dominus uiam iustorum. Item, Nouit Dominus dies immaculatorum. Item, Nouit Dominus qui sunt eius. Item, Ipse numerat multitudinem stellarũ, & omnibus eis nomina uocat. Item, Ego cognosco oues meas. Addit autem: Et quis eum esset traditurus. Vt sciant impij, se suaq; mala non latere Deum: Omnia enim nuda & aperta sunt oculis Dei. Hinc ad quendam dicit: Scio opera tua, quia nomen habes quod uiuas, & mortuus es, &c. Item, Qui loquitur inique non potest latere. Obserua quod Christus, quamuis sciebat aliquos non credituros, non tamen propter aliquorũ ingratitudinem, pios suis bonis priuat: Incredulitas hominũ fidem Dei non euacuat. Sic in externis, non ideo pijs subtrahit temporalia, quod impij eis abutantur: Immo propter pios etiam impijs benefacit, eosq; tolerat, ne simul bonum semen euellat. Obserua quod Christus, quamuis sciret ludam malum, tamen eum tam diu tolerat, ut discamus & nos, malos tolerare.

Ephes. 3. Psal. 1. Psal. 26. 2. Thim. 2. Psal. 146. Ioan. 10. Heb. 4. Apoc. 3. Sap. 1. Roma. 3. Matth. 13.

Propterea dixi uobis, Nemo potest, &c.]

Repetit quod supra dixerat, ut sciamus, fidem esse donum Dei, atq; ex hoc feruentius oremus, quæramus, & pulsemus, donec aperiatur nobis. Non enim satis est ad Christum currere, inter discipulos eius esse, eum audire, nisi gratia è supernis donemur, qua possimus ueraciter ei inhærere, uereq; discipuli eius fieri & esse. Ne quis autem hoc uerbo se excusare uelit, addit: A Patre meo. Ostendens, scilicet eũ paternũ habere affectum, ac omnibus dare paratum, qui accipere uolunt. Hinc Iacobus: Dat omnibus affluenter, &c. Et Christus ipse: Si uos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, etc. quanto magis Pater meus dabit spiritum bonum petentibus se.

Iacob. 1. Lucæ 11.

Ex hoc multi discipulorum eius abierunt]

Vides humanam naturam, quæ tantisper Christum sequitur, dum aliqua spes sui compendij affulgeat, cæterũ spe sua frustrata, abit relicto Christo. Singula autem uerba exaggerant impietatem illorum, qui à Christo defecerũt. Primo enim mirũ est, quod ex eo offendantur, ex quo alij summe consolantur. Deinde uere deplorandũ, quod nõ unus aut alter, sed multi desciscunt. Semper enim maior numerus est impiorum, quam piorum.

Præterea, horrendum est, quod etiam ex discipulis eius quidam deficiunt, quis non hic timeat: cum uideat etiam eos, qui Christo proximi sunt, cadere. Si iustus uix saluabitur, peccator et impius ubi manebunt: Illud autem uel maxime miserandum est, quod retro abeunt, cum scriptum sit: Nemo mittens manum suam ad aratrum, aptus est regno Dei: Illi igitur nedū non proficiunt, sed etiā quod habent perdunt, & qui iam salutem quasi in manibus habebant, eā sponte abiiciunt. Sic olim Israëlitæ, cum prope iam terram promissam pedibus attingerent, uerbis exploratorum territi, in Ægyptum reuerti uolebant, immo à Deo cogebantur retrocedere, omnesq; in deserto perire. Obserua igitur, quod à Christo recedere, est retro ire. Nemo enim uersus cœlum procedere potest, nisi Christum habeat ducem. Hinc Christus: Qui non colligit mecum, dispergit.

1.Pet.4.

Luc.9.

Num.14.

Luc.11.

Immo à Christo recedere, nihil aliud est, quàm perire. Nec mirum quod perit, qui à Deo recedit: & quod moritur, qui uitam fugit. Illud aūt infœliciss imū est, ac desperati cordis signū, quod non solum recedunt, sed nec amplius uolunt cum ipso ambulare. Sic impius cum ceciderit, non adiiciet ut resurgat: Et cum in profundum uenerit, contemnit. Hæc itaq; nos terrere debent. Vnde Paulus: Videte (inquit) ne in aliquo uestrum sit cor incredulum discedendi à Deo uiuo, &c. ne contingat & nobis, sicut illis, quibus iurauit in ira sua, quod non intraturi essent in requiem eius.

Prouer.18.

Heb.3.

Psal.94.

Nunquid & uos uultis abire?]

Obserua quod Christus nihil loquitur ad eos, qui retrocedunt: quia enim sponte Christū contemnunt, merito & iuste gratia Dei priuantur. Secūdo non laborat, ut remaneant, ne quod cęteri solent, uideatur egere comitatu eorū. Tertio nec conuitiatur abeuntibus, ne suam gloriam quæsisse uideatur magis, quàm ipsorū salutem. Quarto nec indigne fert, se ab ipsis contemptū, ut discerent & Apostoli non indigne ferre, si ab ipsorum doctrina aliqui desciscerent. Quinto nec mala eis imprecatur. Satis enim malorum est, à Deo alienum esse: hoc enim omnia mala secum habet, quę etsi non statim sentiantur, tamen suo tempore sentiētur. Hinc Hieremias, cum populo suo iam immineret excidium; Vides, inquit, iam uel ex malis præsentibus, quàm amarum sit, quod reliqueris Deum. Sola igitur hac uindicta, contentus est Christus, contra defectores, quod eis uerbum suum subtrahit ac in propria uoluntate abire permittit, uere horrendum iudicium. Omissis igitur his, ad Apostolos conuertitur, tum ut ostenderet priores illos suo uitio offensos abire: tum ut ostenderet, sermonem suum fructu non caiturum, etiam si aliqui per incredulitatem se indignos redderent dono Dei. Obserua autem, quàm uere Prophetæ paucitatem credentium Christo prædixerint. In exordio enim capitis, audis quinque milia hominū Christum sequi: Hic autem in fine tantum

Hiere.2.

tantum duodecim uides permanere. Hoc est quod in Isaia prædictum est: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in portentum, &c. Item, Domine quis credidit auditui nostro, etc. Et in Zacharia: Conuertam manum meam ad paruulos: Duæ partes dispergentur, etc. Immo hic uides, quod uix quarta pars boni illius seminis permanet. Vere igitur dictum est: Multi uocati, pauci electi. Obserua item, quod Apostolos non à se abigit, nec iubet abscedere. Nullum enim eiicit, qui ad eum uenit, eiq; adhæret uero corde. Isa. 8. Isai. 53. Zach. 13. Matth. 13. Matth. 20. Ioan. 6.

Nec blanditijs eos retinet, ueluti suum agens negocium, potius quàm illorum. Nec minis aut iurgijs territat, ne coacti magis quàm persuasi Iesum sequi uiderentur. Deus enim sicut nullum inuitum à se abigit, sic nullum inuitum ad salutem cogit: Hilarem enim datorem diligit. 2. Cor. 9.

Solum igitur interrogat, num & ipsi abire uelint: Nimirum plane indicans, se nec eorũ opera indigere nihilq; sibi decidere, etiamsi omnes eum relinquerent: Bonorũ enim nostrorũ non indiget. Non igitur ipsius, sed nostra refert, num manere uelimus uel non. Vult igitur hac quæstione, ut apud se perpendant, utros sequantur, Christum uel alios. Sic nobis proponit ignem & aquam, uitam & mortem, etc. Deinde etiam ideo eos interrogat, ut confessionem necessariam alijs diffitentibus extorqueat. Sicut enim corde creditur ad iustitiam, sic ore fit confessio ad salutem. Hæc autem confessio tum uel maxime necessaria est, cum alij deficiunt. Psal. 15. Eccles. 15. Rom. 10.

Domine, ad quem ibimus?]

Petrus pro omnibus respondet, quia cæteris feruentior, & inter Apostolos primus erat. Alij autem discipuli per unum respondẽt, ne simul omnes & confuse responderent, quo facto exemplum nobis modestiæ exhibuerunt: Decet enim, ut inter Christianos nihil confuse, sed omnia ordinate fiant. Non tamen per aliũ respondẽt, quàm per eũ, qui primus inter ipsos erat, ut discamus & nos illis cedere, qui consilio & ordine nobis prælati sunt. Vere autem pia & optima est ista responsio Petri. Primo enim ingentem amorem erga Christum ostendit: Nam hoc uerbo Christũ omnibus rebus prefert. Secundo, ostendit Christum solum eum esse, quem optimo iure & secure omnes sequi debeant. Ipse enim uere est columna illa nubis & ignis, quæ nos per desertum præcedit, ac ad patriam ducere potest. Tertio ostendit hoc uerbo, quod qui à Christo recedunt, nõ habent amplius quo confugiant. Quamuis autem Petrus non uideret corda aliorum, tamen ex se ipso omnes suos confratres eadem sentire credebat. Sic enim, charitas non suspicatur malum de proximo, sed omnia credit, omnia sperat. 1. Cor. 14. Num. 9. 1. Cor. 13.

Verba uitæ æternæ habes

Hoc est, uerba tua iustificant, uiuificant, recreant, & consolantur. Hic igitur uides, uere dixisse Paulum: Sermo crucis pereuntibus quidem
1.Cor.1. stultitia est, nobis autem potentia Dei.

Deinde uides hic, non uerba Christi, sed auditorum temeritatem, scandalum illud peperisse. Postremo uides, Petrum non oscitanter uerba Christi audisse, sed insignem quandam dulcedinem inde percepisse.

Et nos credimus, & cognouimus, &c.]

Quo plures desciscunt, eo ardentius Apostoli fidem suam confitentur. Sic Ecclesia semper fecit in persecutionibus & hæresibus.
Matth.16. Sic & nos nunc faciamus. Eandem autem confessionem, Petrus in persona omnium Apostolorum, immo totius Ecclesiæ etiam in alio loco protulit interrogatus à Christo, quid de ipso sentiret.

Tria autem confitetur de Christo, eum scilicet & Regem esse, & Sacerdotem, & Filium Dei: & tamen nihil horum uidebat, ut uideas
Heb.11 uerum esse, quod fides sit argumentum rerum non apparentium.

Obserua autem, quod prius dicit: *Credimus*, quàm: *Cognouimus*. Primum enim oportet credere, deinde sequitur cognitio, & sensus ueritatis. Ratio humana uult præire, non sequi: Vult principio cog-
Isa.7. noscere, postea credere, sed fallitur. Nisi enim credideritis, non intelligetis.

Nonne ego uos duodecim elegi?]

Matth.16. In Matthæo Petrum confitentem magnifice collaudat, Hic autem eos confitentes nedum non laudat, sed & terret: Ideo autem non admiratur eorum confessionem, ne uideretur laudibus hominum capi. Deinde, nec conueniebat illos hoc loco laudari, ne in superbiam inciderent, quod ipsi alijs retrocedentibus permansissent.

Nullius siquidem peccati mortificatione sic indiget humana infirmitas quàm illius, ubi cæciderunt qui operantur iniquitatē, superbiæ scilicet. Vbi enim uenerit pes ille superbiæ (qui uticq; uenire solet ex ni-
Psalm.35. mia securitate, & præsumptione iustitiæ) statim homo uanus & improuidus efficitur. Vt igitur filij hominum in tegmine alarum Domini sperent, & de semetipsis humiliter sentiant, opportune in casu aliorum sollicito timore deprimuntur Apostoli, noscq; omnes erudimur, ut cum paries proximus ardet, de nostro timeamus, id est, dum cadunt qui nobiscum stare uidebantur, nos qui adhuc stare uidemur, similem casum nobis euenire posse humiliter consyderemus & timeamus.

Vnus ex uobis Diabolus est]

Hoc uerbo occulte premonet Iudam: Non enim cessat Deus etiam impios

impios monere. Deinde, hoc uerbo præmunit Apostolos aduersus futurum scandalũ, de proditione Iudæ. Est enim ingens imbecillium offendiculum, si illi qui uidebantur electissimi cadunt, & produnt Christum: existimantes aut eum nugacem esse, à quo deficiunt sanctissimi, aut impotentem, qui non possit sibi acceptissimos ab interitu uindicare. Proinde prædicit longe ante, Iudam defecturum, ut fidem suam confirment, neq; ob alterius defectionem suspectam habeant doctrinam Christi. Præterea hoc uerbo nos docet, ut solo uerbo Domini confidamus, ne si à larua personarum pendeamus, cum ipsis uel aberrantibus, uel pereuntibus pereamus.

Obserua autem prudentiam Christi in uerbo hoc. Primo in generali loquitur: *Vnus*, inquit, *ex uobis*, ut omnes sollicitos faceret. Deinde, Iudam nec aperte manifestauit, nec omnino eum latere uoluit: Illud, ne impudentius cõtenderet, hoc aũt, ne latere se arbitratus, licentius auderet. Ideo autem Diabolum eum nominat, ut magis terreret. Secundo, ut significaret, eum atrocissimum ac plane non humanum, sed Diabolicum flagitium commissurum. Diaboli enim iam inde ab *initio* opus & conatus fuit, Christum Filium Dei opprimere. Tertio Diabolum nominat: significatum enim huius nominis plane expressit Iudas. Diabolus enim calumniator interpretatur, uel deorsum fluens, utrunq; autem Iudas impleuit. Quarto Diabolum nominat, ut ostendat omnes impios membra esse Diaboli, quemadmodum qui adhæret Deo, unus spiritus cum ipso est.

Hoc autem dicebat de Iuda, &c.]

Quantumcunq; Petrus bene de omnibus sentiebat, Christus tamen eos melius nouerat: Ipse enim scit, quid est in homine. Ioan. 2.

Obserua hic Dei benignitatẽ, qui impium illum tam diu patitur. Obserua Diaboli malitiam & potentiam, qui etiam ausus sit Apostolos aggredi, & unum ex eis seduxerit, ne igitur tu securitatem tibi pollicearis. Obserua & hic periculum nostrum, non omnes electi sunt, qui uidentur electi: nec omnes persistent, qui uidentur stare. Si ex tam sancto choro Iudas cecidit, quis non contremiscat: Si non pepercit Deus ramis naturalibus, uide ne & tibi non parcat. Rom. 11. Docet igitur locus hic timorem Dei, ideo Ioannes quasi admirans ait: Cum esset unus ex duodecim: Beatus igitur homo, qui semper est pauidus. Proue. 28.

CAPVT

ANNOTATIONES
CAPVT SEPTIMVM

POst hæc ambulabat Ieſus, &c.]

In hoc capite inter plæraq; alia pulchre nobis ob oculos ponitur ingenium mundi, quid cogitet, quærat, operetur, qualem ſe exhibeat erga proximum, erga Deum, eiuſq; uerbum, quæ omnia adhoc nobis utilia eſſe poſsunt, ut eo citius é mundo fugiamus, id quod Ioannes monet: Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt. Et Propheta: Fugite de Babylone, &c. Et in Apocalypſi: Exite de ea populus meus, nec participes ſitis delictorum eius, &c. Deinde, etiam ad hoc prodeſſe nobis poteſt, ut nos ipſos miſeriamq; noſtram plenius cognoſcamus. Quicquid enim mali in impijs uidemus, hoc in nobis quoq; latet, aut enim ſimilia fecimus aut cogitauimus, aut adhuc faciemus, uel facere poſſumus habita occaſione. Sed ad textum exponendum accingamur.

1. Ioan. 2. Zach. 2. Apoc. 18.

Poſt hæc ambulabat Ieſus, &c.]

Clauſula hæc (Poſt hæc) non refertur ad id, quod proxime præcedit in ſexto capite. Illa enim, de quibus in præcedenti capitulo ſcripſit, circa feſtum Paſchæ facta ſunt. Sic enim ibidem dictum eſt: Erat proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum. Hæc autem, de quibus nunc agitur, facta ſunt circa feſtum Tabernaculorum, quod ad minus quinq; menſibus diſtat à feſto Paſchæ. Nam Paſchæ feſtum primo menſe celebrabatur, hoc autem in ſeptimo, &c. Quicquid igitur Chriſtus infra hęc duo feſta fecit, omiſit Ioannes, tũ quia tantum Paralipomena, hoc eſt, ab alijs omiſſa ſcribit: tum quia tantum ea curauit ſcribere, quæ maxime probant diuinitatẽ Chriſti, contra Ebionem et Cherintum. Ideo in fine totius Euangelij dicit: Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, &c. hęc ſcripta ſunt ut uos credatis, etc. Obſerua autem, quod Ioannes multa miracula & uerba Domini tranſcurrens, quę facere poſſent ad gloriam Chriſti: hic narrare incipit fratrum incredulitatem, & ea quę Chriſto opprobrabãt. Adeo enim ueritatem loquũtur Euangeliſtę, ut etiam ea referant, quæ uidentur Chriſto ignominiam adferre, immo adeo contemnunt mundum, ut humilitatem & crucem Chriſti gloriam eius putent, ſicut & uere gloria eius eſt. Vnde iturus ad paſsionem: Nunc, inquit, clarificabitur filius hominis.

Ioan. 6. Leuit. 23. Ioan. 20. Ioan. 14.

Signanter aũt dicit, Ieſum ambulaſſe in Galilæa, ut ſcias eũ non ocio deditum fuiſſe, ſed ſemper ſalutem hominũ promouiſſe. Hinc infra dicet: Me oportet operari, dũ dies eſt. Ob eandem etiam cauſam ſe

Ioan. 9.

paſtori

pastori comparat, qui errantem ouem non cessat sequi, & quærere donec inueniat. Cæterum hæc ipsa Christi in Galilæa ambulatio indicium erat, paulo post Christum à Iudæis ad Gentes transiturum, id quod & postea factum est. Denicq; per hoc etiam ostendit, se auersari eos, qui humana sapientia, potentia, iustitia pręsumebant, quales erãt Hierosolymitæ. Cum illis autem se libenter morari, qui propriam & ignorantiam & impotentiam & iniustitiam agnoscunt & confitentur, quales erant Galilæi. Lucæ 15.

Quia quærebant eum Iudæi interficere]

Partim, quod Sabbatum soluisset, ut ipsi putabant: Partim quod se Deo æqualem fecisset, ut supra dictum est. Non quod arderent zelo diuinæ iustitiæ & gloriæ, sed quod inuidia soleat quascunq; causas prętexere, ut suã libidinẽ expleat. Noluit aũt Christus in Iudęa uersari, non timore mortis (ut enim eam ferret, pro nobis de cœlo descendit) sed consilio & prudentia spiritus. Primo enim ideo non semper uoluit diuina uirtute uti, et supernaturali modo procedere, ne incarnatio eius putaretur phantastica, quemadmodũ & alias quidã hæretici dixerunt, eum non uerum hominem fuisse: Deinde, ideo interdum dissimulauit potentiam suam, ut nobis similiter tentatis, spem faceret. Si enim potenti manu ferociam aduersariorum mox repressisset, qui possemus nos in fide perdurare, si non eadem potentia hostium nostrorum iram sedaremus? Prætera, si Christus semper arduam illam & artam perfectionis uiam ambulasset, nec in aliquo infirmitati nostræ condescendisset, quæ nobis spes esset, qui etiamnũ tantas imperfectiones in nobis sentimus? Supra c. 5.

Postremo hoc ipso facto suo docuit, in aduersis omnia tentanda esse, ne Deus tentetur. Scriptum est enim: Non tentabis Dominum Deum tuũ. Dupliciter autem tentatur Deus. Primo à dexteris, quando propositis iustis & æquis mediis, ad effugienda pericula non utimur, ut si quis pontem habens propositum, conetur ponte relicto super aquas ambulare. Is non ex fide, sed temeritate carnis operaretur. Secũdo tentatur Deus à sinistris, quando ad finem bonum propositũ contendero impijs mediis, et iniquis artibus, ut si quis proponat se familiam nutriturum, sed conetur adhoc sycophantijs, non pio labore, periurijs, non æquitate, quemadmodum Caiphas conabatur Pontificalem dignitatem diutius retinere, sed malis artibus, nempe, inuidia & homicidio Christi. Deut. 6. Ioan. 11.

Prope autem erat dies festus, &c.]

Hoc est, festum Tabernaculorum, à σκῆνος tabernaculum, & πήγνυω figo. De hoc festo lege Leuiticum. Erat unum ex tribus festis, in quibus omnes Iudæi conuenire tenebantur ex lege. Quanquam enim Leuit. 23.

omnia

omnia Dei beneficia meditari oporteat, tria tamen illa potissimum Iudæis inculcare uoluit. Primum, Eductio ex Ægypto per sanguinem agni, cui respondet festum Paschæ. Secundum, Datio legis, cui respondet festũ Pentecostes. Tertium, Conseruatio eorum in deserto per 40. annos, cui correspondet Scenophegia.

Sic & tria hæc potissimum in memoria habere oportet, exitum scilicet nostrum è peccatis per sanguinem Christi. Secundo, ingressum nostrũ in Ecclesiam, terram promissam. Tertio, resurrectionem futuram, in qua tabernacula nostra in morte destructa, reædificabuntur. Qui primum considerat & gratias agit, uere Pascha celebrat. Qui secundum, Pentecosten: Qui tertium, Scenophegia celebrat. Huius autem festi meminit Ioannes non tam propter historiæ certitudinem, quàm ut causam assignet, cur Christus noluerit in Iudæam ambulare, quasi diceret. Non mori metuens, sed tempus aliud mortis suę pręfixũ habẽs, noluit aduersarijs suis locũ furoris dare. Nõ enim erat festum Paschæ (quod solum ad immolationem ueri illius agni destinatũ erat) sed festum Tabernaculorũ. Quærebant quidem Iudęi eũ interficere quocũcq; modo, quocũcq; tempore, ut cęco furori suo satisfacerẽt: Ideo nunc lapidare, nũc præcipitare eũ uolebant, hoc solum cogitantes, & dicentes: Quando morietur & peribit nomen eius? At Christus noluit alio tempore nec alio modo mori, quàm in Prophetis prædictum erat. Ideo noluit ambulare in Iudæam.

Ioan. 9. Lucæ 4. Psal. 40.

Dixerunt ad eum fratres eius

Isti fratres Iesu, non ut Heluidius ait, post Christum è Maria progeniti fuerunt, sunt, nec filij Ioseph ex alia uxore, ut quidam somniant, sed propinqui, uel secundum carnem consanguinei eius. Scriptura enim, consanguineos nominat fratres. Immo quatuor genera fratrum in scriptura inuenimus. Sunt fratres utero, ut Iacob et Esau. sunt fratres sanguine, ut Abraham & Loth. Sunt fratres genere, ut Iudæi omnes dicuntur fratres. Sunt fratres professione, ut Christiani, de quibus dicitur: Omnes uos fratres estis.

Matth. 23.

Transi hinc, & uade in Iudæam]

Verba hæc possunt accipi ut contemptim dicta, quasi dicerent, Quid tantum apud nos idiotas gloriaris? Ascende ad doctos, & uide quid possis. Si illis persuaseris, te è cœlo uenisse, facile & nos credemus, si illi doctrinam tuam susceperint, & nos suscipiemus.

Huiusmodi homines etiam nunc inuenias, qui credunt quod magnates credunt, siue bonum sit, siue malum, etiam si aliud ipsis persuadeat conscientia. Item, qui conuersionem suam differunt, donec docti uel potentes etiam conuertantur.

Atqui huiusmodi homines in harenam ædificant. Quid enim si

illi

illi nunquam conuertentur? Nunquid una cum ipsis peribis? Vnus quisq; (ait Paulus) pro se rationem reddet. Et iterum: Vnusquisq; onus suum portabit. Et item, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Deinde, nulla est excusatio, si dicas: Etiam hic uel ille similia facit. Scriptum est enim: Seruus sciens uoluntatem Domini, & non faciens, uapulabit plagis multis. Secundo possunt hæc uerba intelligi ut prudenter, sed tamen carnaliter consulta. Cum enim immineret festum Tabernaculorum, quo maxima multitudo ex legis instituto conueniebat Hierosolymam, contulerunt cognati Christi inter se sua consilia, ut quando Christus uidebatur timidius & imprudentius suis rebus consulere, adhortarentur ipsum cognationis iure, ne suam famam imprudenter negligeret, sed una cum ipsis ascenderet, sicq; & priores discipulos confirmaret, & nouos acquireret, & insuper coram doctis etiam & magnatibus glorioſus fieret. Hoc igitur prudens uidebatur esse consilium, sed tamen carnale erat. Sicut enim caro nihil aliud quærit, quam externa: sic & nihil aliud consulere potest, quam externa. Ea enim sola magni facit. Deinde, nec hoc tantum gloriæ Christi, uerum etiam suæ famæ studio consulta runt, è gloria cognati sui propriam gloriam uenantes. Sic enim caro, etiam dum alijs uidetur consulere, sua tamen quærit, tametsi dissimulet, quemadmodum hi fratres: Vt discipuli (inquiunt) tui uideant opera tua, quasi dicerent, Non propter nos hæc dicimus, sed in bonum aliorum. Verus autem Christianus nihil horum facit. Non enim ad temporalia, sed ad spiritualia quærenda proximum hortatur, & in huiusmodi nihil aliud quam proximi salutem quærit.

Roma 14. Galat. 6. Ezech. 18. Luc. 12.

Nemo quippe in occulto quicquam facit, &c.]

Vera quidem sententia est, neminem ratione utentem adeo sibimetipsi dissidere. Nam reuera manifeste repugnantia sunt, uelle hominibus innotescere, & tamen nobilia facta celare, quemadmodum si quis uelit & in nocte esse & solem habere, siue lucernam domi clare ardere, & lumen eius uideri à nemine. Sed hæc ipsa sententia non suo tempore dicta est. Nam Christus nec in occulto quicquam faciebat, quod occultum esse uellet: nec eo modo, quo illi arbitrabantur, in palam esse quærebat, quia non ab hominibus claritatem accipere, sed hominibus claritatem dare, nec hominibus placere, sed homines ad placendum Deo erudire, uenerat. Immo hæc ipsa sententia nihil aliud est, quam manifesta in Christū calumnia. Primo enim hoc uerbo calumniantur Dei sapientiam, quod imprudenter ageret. Secundo Dei fortitudinem, quod timidius quam oportet, se gereret. Tertio unicum illum diuinæ gloriæ uindicem, quod in operibus suis propriam tantum gloriam quæreret.

Ioan. 5.

Quod si Christus in suis operibus tam temere à mundo iudicatus est, ne egre feras tu, si idem patiaris. Ideo enim Christus hæc primo sustinuit, ut nos maiori cum patientia eadem toleremus.

Si hæc facis, manifesta teipsum.]

Hoc uerbo indicant, se adhuc dubitare, utrum Christus quæ fecerat, uirtute Dei uel Magicis artibus fecisset. *Si hæc facis* (inquiunt) Quasi dicerent, Si uera sunt & non fucata. Monent autem, ut se manifestet mundo, quo uerbo satis ostendunt, quid ipsi facturi fuissent, si tale quid possent, quale Christus: statim enim prorupissent in lucē, & iam dudum gloriam & diuitias acquisiuissent. Sic enim mundus etiam in Dei donis nihil aliud quærit, quam sua. Ob hanc causam
Acto. 8. etiam Simon Magus pecunia comparare uoluit donum Dei, ut scilicet alijs idipsum reuenderet, &c.

Nec enim fratres eius credebant in eum.]

Congrue hoc addit. Si enim credidissent, nihil tale fecissent. Fides enim non dicit Christo, transi hinc, sed: Mane nobiscum Domi-
Lucæ 24. ne, &c. Nec Christum imprudentiæ arguit, sed plane confitetur: Be-
Marc. 7. ne omnia fecit.

Nec Christum docere conatur, sed ab ipso consilium quærit, ac
Ioan. 6. dicit: Domine ad quem ibimus: uerba uitæ habes. Nec gloriam humanam quærit, sed solius Dei & à solo Deo.

Signanter autem cognatorum Christi duritiam arguit Ioannes, cum dicit: *Nec enim fratres eius credebant in eum*, qui tamen primo
Ioan. 4. omnium credere debuerant. Verum non est Propheta acceptus in patria sua.

Tempus meum nondum aduenit, &c.]

Non dure ut merebantur, sed mansuetissime respondet: *Tempus meum nondum uenit, &c.* Hoc est, non est mihi tutum, nec integrum, nec opportunum, ut uobiscum ascendam propter causam superius dictam. Vel sic, quasi diceret, Res magnæ non omni tempore agi possunt, sed paruæ. Magnum autem est quod molior, nempe hominem redimere ac pro ipso mori: Huic igitur negocio suum tempus deputatum est. Hoc autem tempus, non est festum Tabernaculorum, sed festum Paschæ, quo solo agnus uerus immolandus est, ut ueritas respondeat figuræ.

Vel: *Tempus meum nondum aduenit.* Nondum tempus est, ut mundo, hoc est, Gentibus manifester, tum quia nondum peracta sunt mysteria humanæ salutis: tum quia Iudæi nondum totaliter resilierunt. Vel aliter: Nondum est tempus meæ exaltationis & glo-
Phil. 2. riæ, sed prius humiliari me oportet usq; ad mortem crucis, ut sic ad

exaltationem

exaltationem & nomen magnificum perueniam. Sic & Christianus cogitet, tempus suæ glorificationis nondum esse, ideoq; patienter ferat crucem, & per eandem perrumpat ad gloriam. Vel aliter, Non est nunc tempus festiuitatis & lætitiæ, cum uideam in plenitudine Iudæorum omnem uigere malitiam. Luctus quidem & lamenti tempus est, cum ueritati obsistitur, & uoluntas diuina non seruatur.

Tempus autem uestrum semper est paratum.]

Quasi diceret, uobis semper tutum est in Iudæam ire, quia eiusdem impietatis estis cum Iudæis.

Vel aliter, Vos non discernitis tempora, sed semper ad gloriam & gaudium festinatis, cum tamen scriptum sit: Tempus flendi et tempus ridendi, & prius ponatur tempus flendi. Eccle. 3.

Oportet enim prius lugere, quam gaudere, alioqui uerificabitur illud: Væ uobis, qui ridetis, quia flebitis. Luc. 6.

Vel aliter: *Tempus uestrum semper est paratum.* Hoc est, uos semper etiam cum uideritis mala inerebrescere, Deum blasphemari, ueritatem conculcari, &c. tamen ridetis, nihil curatis, hoc enim est ingenium mundi, &c. Vel aliter: *Tempus uestrum semper est paratum.* Hoc est, quod in uobis latet, nempe peccatum semper facitis. Interim autem tempus meum, hoc est, tempus gratiæ, quod ego uobis præstare ueni, non curatis, &c.

Non potest mundus odisse uos.]

Mundus hic significat omnes impios, immo amatores mundi: Maxime autem eos, qui mundana sapientia, potentia, & iustitia prædicti sunt. Vide autem, quam prudenter Christus loquitur, potuisset hic addere causam, immo potuisset hic inuehere in eos, utpote mundi amatores, potentiũ adulatores, mendacibus per omnia similes, uerum nihil horum facit, sed tantum: *Non potest* (inquit) *mundus odisse uos.* Quanquam in eo, quod nõ simpliciter dicit, Mundus non odit uos, sed: Mundus non potest uos odire, plane indicat, eos sibi per omnia dissimiles.

Me autem odit, quia testimonium, &c.]

O impietas & ingratitudo, quem summe amare debuerat mundus, hunc nedum non amat, sed odit. Sed quam ob causam: Num ob malefacta: Non. Sed, quia testimonium perhibeo, &c. quasi diceret, Non solum non consentio impietati eorum, sed etiam arguo, non unum aliquod opus eorum, sed omnia, nedum manifesta flagitia, sed etiam ipsorum fictam iustitiam, prudentiam, & sanctitatem.

Possent quidem ferre, si damnarem externa flagitia, quod autem

eos arguo, quod dilatant phylacteria, cum tamen præcepta Dei in corde non habeant. Item, quod decimant mentam cyminum, &c. Matth. 23. cum tamen maiora negligant. Item, quod speciosa quidem opera faciunt, cum tamen nihil nisi gloriam hominum quærant. Item, quod externe quidem nitent, interne autem sunt sepulchra plena cadaueribus. Item, quod eos cum alijs peccatoribus ad pœnitentiam inuito. Item, quod plane doceo, omnem legis iustitiam impuram esse coram Deo, nec quenq; iustificare, nisi accesserit fides in me: Hæc, inquam, ferre non possunt. At qui hæc nō est iusta causa odij. Quid aliud potest lux, quam manifestare quid pulchrum, quid deforme sit? Sibi imputet, quem lux deformen deprehendit ac manifestat. Deinde, quod uitia arguo, non ut eos traducā uel diffamen facio, sed ut agnito peccato, ad misericordiam Dei confugiant. Nec ideo damno externam legis iustitiam, quasi externa opera mala sint, sed ut ueram cordis iustitiam ante omnia quærant, nec tantū placere hominibus, sed ante omnia Deo studeant. Et reuera quidem omnia hæc non merebantur odium, sed dilectionem, laudem & gratitudinem. Ve- Psal. 69. rū hic impletur, quod in Psalmo dicitur: Odio habuerunt me gratis. Psal. 108. Item, Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi. Hic igitur uides, quid mundus sit. Primo enim in se malus est: Mundus in maligno 1. Ioan. 5. positus est, ait Ioannes. Secundo, solos malos & sibi similes amat & prouehit, &c. Tertio, pios sibi dissimiles odit. Quarto non uult corrigi. Quinto, omnem qui corripit, odit. Hęc autem talia sunt, ut semper posterius prioribus grauius sit. Inter omnia tamen grauissimum est, quod non uult argui, ne à Deo quidem, nec quenquam reprehensorem ferre possit, cum interim toleret, immo amet etiam facinorosissimos. Veritas enim odium parit. Hinc Sapiens: Vir pestilens Proue. 15. (inquit) odit bene monentem. Et Amos: Odio habuerunt corripi- Amos. 5. entem in porta. Atq; hoc est uere diabolicum, non humanum peccatum, quod omnium maxime uos damnat. Quod autem Christo contigit, omnibus pijs contingit. Tantisper enim mundus eos amat, quam diu tacent, dissimulāt, conniuent ad eorum uitia, statim autem ut arguere incipiunt, odium incurrunt.

Vos ascendite ad diem festum hunc.]

Agite, celebrate festa quantum uultis, sequimini uana mundi gaudia, ueniet tempus, cum festa uestra conuertentur in luctum.

Ego non ascendam, &c.]

Tripliciter intelligitur. Primo non ascendam manifeste, sicut uos. Secundo non ascendam ob eam causam, quam uos suadetis, nempe ad quærendam hominum gloriam. Tertio non ascendam ad principium festi.

Hoc

Hoc autem uerbo ostendit, in rebus salutis nostræ se non obsecundaturum cognatorum affectibus, sed uoluntati patris, sicut & alibi matre interpellante: Quid mihi (inquit) & tibi est mulier? Item, Quid est quod me quærebatis, nesciebatis quod in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Item, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Deinde, indicat se alia uia peruenturum ad gloriam, nempe per crucem & ignominiam. Postremo indicat, festa Iudaica cessare debere, ac deinceps festum istud Tabernaculorum non externe, sed spiritualiter celebrandum esse. Spiritualiter autem hoc festum celebrat, qui agnoscit se non habere hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirit, qui agnoscit se hic aduenam et peregrinum, qui denique ardenter suspirat ad illud, quod Paulus ait: Scimus quoniam si terrestris domus nostra dissoluitur, ædificationem habemus in cœlis, domum non manufactam.

Ioan. 2. Luc. 2. Matth. 12. Heb. 13. 1. Pet. 2. 2. Cor. 5.

Ipse quidem mansit in Galilæa.]

Hoc facto indicauit, se diutius inter Gentes mansurum, nec immerito, cum Gentes tam ardentes eum amplexati sint, à quo fornicatrix illa Synagoga tam frequenter se auertit, ac adultero adhæsit, id quod omnes Prophetæ de ipsa clamant.

Tunc & ipse ascendit.]

Non facit contraria dictis suis suprapositis. Primo enim nõ ascendit diem festũ acturus, sed docturus. Secundo non ascendit cũ hilaritate, sicut solent qui ad festa pergunt, sed clam & occulte. Tertio nec ad primum diem festi, sed mediante iam festo ascendit.

Immo hoc ipso facto ineffabilem eius uidemus erga pios dilectionem, quos relinquere inconsolatos noluit, quamuis impij iam dudum commeruissent, ut nunquam ad eos rediret. Sic olim Deus propter impietatem populi, Moysi dicebat: Vade duc populum tuum, &c. Ego non pergam uobiscum, &c. Postea autem rogatus à Moyse, & admonitus promissionum patribus factarum: Et hoc (inquit) uerbum quod locutus es, faciam.

Exod. 32.

Non manifeste, sed quasi in occulto.]

Ideo in occulto ascendit, quia nondum uenerat tempus eius. Eo autem tempore impleto, manifeste ascendit, ita, ut turbæ clamarent: Osanna filio Dauid, &c. Tunc utique impletum erat tempus eius, quia collecto Concilio, Pontifices & Pharisæi dixerant, quod expediret, ut unus homo moreretur pro populo, et ab illo die cogitabant eum interficere, quasi cum legitimo iudicio, & ea morte, qua uolebat ipse, scilicet crucis patibulo statuebant eum interficere. Nam antea quæsierant quidem eum interficere, sed non ita, ut implerentur scripturæ. Ideo tunc nolebat. Secundo ideo occulte ascendit, ut nos

Matth. 21. Ioan. 11.

doceret, si quando eiusmodi periculis comprehendamur, fide quidem ualida, sed interim Dominum non tentante mandatum Domini exequi. Sic igitur, quod Christus ad festum proficiscitur, obedientia est paterni mandati. Nam à patre ei demandatum erat ut doceret, deinde etiam legis præceptum erat, ut ter in anno omne masculinum appareret coram Domino. Leuit. 23. Quod autem occulte ascendit, prudentia fidei est. Sic Christianum oportet simplici obedientia mandatum Domini exequi, & interim prudenti consilio Dominum non tentare. Nam temeritas cum in alijs, tum potissimum in rebus diuinis maxima incommoda adfert.

Iudæi ergo quærebant eum.]

Non discendi studio quærunt, alioqui se ipsum manifestasset, sicut in Isaia dicit: Palam apparui his, qui de me non interrogabant, &c. Isai. 65. Sed quærebant eum occidere.

Vbi primo uides, Christum non frustra occulte ascendisse, ne principio festi priusquam desideratus ac cognitus esset ab alijs, insidijs circumueniretur.

Secundo, uides hic impietatem Iudæorũ, qua nec festo parcunt, ut non immerito dictum sit ab Isaia: Odi solennitates uestras, quoniam manus uestrę sanguine plenæ sunt, iniqui sunt cœtus uestri, &c. Isai. 1.

Non sic quęrendus est Iesus, sed eo modo, quo Isaias docet: Quęrite Dominum, dum inueniri potest, &c. Derelinquat impius uiam suam, &c. Isai. 55.

Vbi est ille?]

Vide nunc, quanto ueneni præcordialis ardore sæuiant hæc gemmina uiperarum, dum Iesum nec nominare uolunt præ odio. Atqui indigni erant, qui hoc nomen Iesus nominarent. Nobis summe consolatorium est, quod hoc nomen habet.

Quidam dicebant bonus est.]

Hi nimirum sunt, qui gustauerunt bonum ipsius uerbum. Quid enim huiusmodi homo aliud dicere potest, quam: Gustate et uidete, quoniam suauis est Dominus, &c. Psal. 33. Alij dicebant: Non, sed seducit turbam. Hi nimirum sunt, de quibus Isaias prædixit: Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum, &c. Isai. 5. Et Osee: Væ (inquit) eis, quia resilierunt à me, redemi eos, ipsi autem aduersus me falsa locuti sunt. Osee. 7.

Vide igitur hic summam Christi Domini nostri abiectionem, uide insigne exemplum humilitatis & patientiæ. Ipse à Deo constitutus erat iudex uiuorum & mortuorum, ipsique pater omne iudicium dederat, hac tamen potestate dissimulata permittit, se à uulgo iudicari. Sicut igitur Christus patienter tulit aliorum de se iudicia, eaq; peruersissima: sic credentes oportet ferre mundi iudicium. Act. 10. Ioan. 5.

Sunt

Sunt quidem & ipsi iudices, nam cum Christo nedum homines, sed & Angelos iudicabunt, uerum exemplo Christi eam potestatem hic non debent exercere, sed iniqui iudicati, Domino Deo uindictam permittere: Mihi (inquit) uindicta, &c. 1.Cor. 6. Deut. 32.

Hoc autem quamuis carni admodum amarum sit, fidei tamen est dulcissimum, propterea, quod ex uerbo Domini intelligat quid futurum sit, nempe, quod Isaias prædixit: Erunt capientes, qui se ceperant, & subijcient exactores suos. Isai. 14.

Nemo tamen palam de ipso loquebatur.]

Propter metum, inquit, Iudæorum. Iam enim conspirauerant, ut qui eum confiteretur, extra Synagogam fieret. Quamuis autem Scribæ, Pharisæi & Pontifices, hoc homicidium molirentur, hic tamen non nominat eos sacerdotes, sed Iudæos tantum. Indigni enim erant, ut sacerdotes dicerentur, aut seniores populi, cum eum non agnoscerent à quo potestatem & sacerdotium acceperant. Ioan. 9.

Iam autem festo mediante ascendit.]

Hic uides, quam uere dixerit Iob: Apud Dominum est sapientia & fortitudo. Nam solius sapientiæ diuinæ est, quod tempus mortis suæ nouit nondum aduenisse, & idcirco non uult in Iudæam ambulare, mortisq; ministris opportunitatem sceleris permittere. Iob. 12.

Fortitudinis autem est, quod in medium inimicorum suorum procedit, non in angulum aliquem ciuitatis, sed in templum, non in priuata die, sed in media solennitate, non clauso ore & sub silentio, sed splendida doctrinæ authoritate conspicuus.

Hoc autem facto mortem, quę iam super eum aperuerat os, quasi confestim eum deuoratura, potenter reppulit. Sicut etiam alias Herodi quærenti eum occidere, mandauit: Ite, dicite uulpi illi. Ecce dæmonia ejicio hodie, & cras & tertia die consumor. Sic per hoc factum quodammodo dicebat morti importunæ: Ecce inseruio doctrinæ hoc scenophegiæ festo, & postmodum in futuro festo enceniorum, & in tertio Paschæ festo tecum o mors in agone contendam. Luc. 13.

Deinde hoc facto docuit, non timiditatis aut impotentiæ fuisse, quod prius latere uoluit, sed dignationis & exempli.

Præterea hoc facto docuit pastores, ne in tempore necessitatis uerbum subtrahant sibi commissis: Bonus enim pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Ioan. 10.

Sic Christus quanquam sciebat periculum suum, itemq; plærosq; efferaciores futuros ex his, quæ dicturus uel gesturus esset, noluit tamen uel suæ securitati, uel Iudæorum peruersitati tantum tribuere, ut simplicibus Euangelica doctrina subtraheretur.

Demum hoc facto ostendere uoluit, ad consolationem nostram quod nec mali homines, nec dæmones ipsi, quicquã cõtra ipsum aut quoslibet pios possent, nisi quantum eis à Deo permittitur, quemadmodum in alio loco uerbis etiam hoc docet: Nonne, inquit, duo
Matth. 10. passeres asse ueneunt? & nullus eorũ cadit in terrã sine patre uestro, &c. Quod autem Christũ dicit, non simpliciter intrasse, sed ascendisse in templum, significat arduam rem esse loca sancta ingredi, & docendi munus recte suscipere. Congrue autem in medio festi, hoc est, quarta die seipsum manifestauit Christus, sol iustitiæ: nam & sol ille externus, quarta die creatus est.

Et mirabantur Iudæi.]

Patet ex hoc uerbo, Christum iterum insigne aliquid docuisse. Sicut igitur supra, eos, qui eum timiditatis arguerant non uerbis, sed factis conuicit, manifeste et intrepide in templum ascendendo: sic hic, eos qui eum imprudentiæ arguerant, ita reipsa conuincit, ut omnes eius sapientiam admirentur. Hoc igitur modo et nos non uerbis, sed factis aduersariorum conuitia refellere debemus, ac benefactis obstruere ora eorum, qui nobis detractant, ut Petrus docet.
1. Pet. 2.

Quomodo hic scit literas, cum non didicerit?]

Hoc uerbo uides, quod eorum admiratio nedum rudis fuit, sed & inutilis & reprehensibilis. Cum enim uidissent eum plura signa feciisse, quam omnes Prophetæ in unum collati, debuissent attendere, quod qui Prophetas docere potuit per inspirationem, potuerit et Christum instruere.

Deinde etiam reprehendendi erant, quod non ipsam doctrinam mirantur, sed ubi eam didicerit. Sic & desides Christiani, non attendunt doctrinam, sed tantum personam docentis. Quæ si contempta est, etiam doctrinam contemnunt, cum tamen non quis, sed quid dicatur attendendum sit.

Mea doctrina non est mea, &c.]

Tria per ordinem facit. Primo, palam indicat, unde sit doctrina eius. Secundo, quomodo cognoscenda sit. Tertio, generalem canonem ponit, ad quem quæuis doctrina aut opus exigi potest.

Vide autem primo, quam uere dictum sit: Spiritus Domini re-
Sapien. 1. pleuit orbem terrarũ. Et, Auris zeli audit omnia. Vnde & Psalmista contra eos, qui putant posse quicquam dici, quod Deum lateat, clamat: Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.
Psal. 93. Qui finxit aurem nõ audiet? &c. Videntur autẽ contraria esse, quod doctrina & sua & non sua sit. Sua quidem erat, quia eam ipse pronunciabat. Non sua autem, quia non ex puro homine aut ex proprio capite uel inuento, sed [illegible] Deo erat.

Suam

Suam igitur doctrinam etiam patris esse dicit, ut ostendat, sibi cum patre omnia communia. Sicut enim una est essentia amborũ, sic una sapientia, potentia. Secundo patri doctrinam ascribit, ut mirari desinant, eum non humanitus eam didicisse, cum Deus suam sapientiam etiam sine humanis mediis dare possit, id quod in Amos & Dauide, aliisq; Prophetis ostendit. Tertio, ideo doctrinam suam patri ascribit, ut eam plus ponderarent ac contemnere timerent. Quarto per hoc confirmauit fidem nostram, ut sciamus quæ à Christo audimus, non hominis, sed Dei uerba esse, ac ideo secure eis innitamur. Quinto per hoc docuit omnes prædicatores, ut à se ipsis non loquantur, sed ea tantum doceant, quæ sciant certa esse, ut semper dicere possint: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me, Dei. Alioqui, qui hæc dicere non potest, & seipsum & alios seducit.

Arqui Arrius aliiq; hæretici hoc dicere non potuerunt. Ipsis enim aquæ furtiuæ dulciores fuerunt illis fontibus uel aquis, quas emittit Dominus, & quę inter medium montium pertranseunt, hoc est, singulis illis magis placet propria, quam illa quæ omnium sanctorum communis est Catholica, atq; Apostolicæ fidei doctrina. Prouer. 9. Psal. 103.

Si quis uoluerit uoluntatem Dei facere.]

Occupatio est. Possent enim Iudæi dicere, dicis quidem doctrinam tuam esse Dei doctrinam, sed nondum probasti, quis nos certos reddet te uera dicere? Ideo docet Christus, quomodo doctrina sua cognoscenda sit. Stude, inquit, Dei uoluntatem perficere, & uidebis, quod doctrina mea à Deo est. Dei uoluntas est, ut conuertatur impius & uiuat. Item, Dei uoluntas est, ut uerbum eius audiamus et scrutemur. Item, Dei uoluntas est, sanctificatio nostra, ut non iniustitię & peccatis seruiamus, sed iustitię. Item, Dei uoluntas est, ipsi credere, in ipso sperare, ipsi omnia accepta ferre, & ab ipso accipere. Iam qui hanc Dei uoluntatem perficere studet, is statim uidet, quod doctrina Christi à Deo est. Nam ubiq; diuinæ uoluntati conformis est, ac omnia supradicta ubiq; docet. Qui autem uoluntatem Dei non consyderat, aut perficere studet, is de doctrina Christi uix recte iudicabit. Innuit igitur etiam hoc uerbo, doctrinam suam tales expetere auditores, qui Dei uoluntatem facere cupiant. Ezech. 18. 1. Thes. 4.

Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.]

Hic generalem ponit canonem, ad quem exigi debet doctrina & opus.

Qui a semetipso, inquit, *loquitur*, hoc est, quę ipse finxit uel somniauit, is tantum seipsum quærit, non curat an Deus glorificetur uel proximus inde ędificetur, sed tantum ut ipse bene habeat. Christus autem ubiq; nihil aliud quæsiuit, quam hominis salutem & Dei gloriam: Constat igitur, eum non ex semetipso locutum.

Videa

Vides igitur hic, quod ea doctrina, quæ hominem ad seipsum dirigit, uel ut sua commoda & carnis appetibilia quærat: uel ut in seipso confidat, suã uirtutem, iustitiam magnificet, non est à Deo. Qui enim gloriam suã quærit, à semetipso loquitur. Ea autẽ doctrina, quæ hominẽ nedum ab his quę carni delectabilia sunt, sed etiam à fiducia sui abducit ad Deum, Deiq; gloriã promouet et prædicat, hęc à Deo est. Qui enim quærit gloriam eius, qui misit illum, hic uerax est. Sic & ea opera, quibus tantum nostra quærimus, qualia sunt opera hypocritarum, non sunt à Deo. Ea autem, quæ ad gloriam Dei fiunt & proximi salutem, ex Deo sunt.

Signanter autem dicit: Qui quærit gloriam Dei, hic uerax est, & iniustitia non est in illo. Verax est, quia non suæ rationi, sed Dei uerbo confidit, & non sua somnia, sed Dei decreta annunciat.

Nec est in eo iniustitia: non enim quæ Dei sunt sibi ascribit. Sic qui in operibus quærit Dei gloriam, uerax est: quia quod externe profitetur, interne habet. Nec iniustus est, quia non rapit alienam gloriam.

Econtra autem, qui sua quærit in docendo, mendax est, quia simulatione legis auditori suam uoluntatem proponit, denicq; & iniustus est, quia Dei gloriam rapit.

Nonne Moyses dedit uobis legem? &c.

Supra ad ipsorum uerba respondit: Nunc ad cogitationes respon
Acto. 1. det, quo facto & seipsum probauit Deum, cuius solius est uidere & intueri corda hominum, insuper et ostendit etiã cogitationes in iudicio Dei examinandas, contra eos, qui putant cogitationibus non posse peccari. Duo autem cogitauerant Iudæi. Primo, Christum soluisse Sabbatum, & legis transgressorem esse. Secundo, cogitauerant eum occidere. Vtrunq; manifestat & reprimit Christus hoc uerbo. Sensus autem huius uerbi est, quasi diceret. Video quid cogitetis, nempe me legem transgressum esse, peccatorem me culpatis: Verum si sic agendum est, possum & ego peccata uestra in medium adducere. Ac primo admoneo uos legis uestræ. Nonne legem accepistis? Nonne Moyses diligenter eam docuit? Nonne spopondistis omnia uos facturos, quæ præcepit Dominus? Iam attendite facta uestra, Nemo ex uobis seruat legem. Non dico de uno aut altero præcepto, sed generaliter, Ne unum quidem seruatis. Quis igitur magis transgressus est legem, Ego an uos? Ego in uno tantum legem solui uestro iudicio, quanquam re uera non soluerim: Vos autem omnia præcepta transgredimini. Si ob unum ego morte dignus iudicor, quid uos meremini propter tam innumera: Si unum in me uidere potestis, qui fit, ut tot tamq; nefanda uitia in uobis non uideatis?

Vide

Vide igitur, quam mirabilem illis talionem reddit. Mirantibus eis, quomodo literas sciret, cum non didicisset, miratur ipse, quomodo nemo ex eis legem faceret, cum legem accepissent. Quod in eo mirabantur illi, laudanda erat potentia diuinitatis, quod miratur ipse in illis, detestanda erat audacia præuaricationis. Deinde uides hic, quid lucretur qui coram Deo iustificare seipsum uult, nempe, quod Deus ipse cogitur ei peccata sua ab oculos ponere.

Vbi autem Deus peccata reuelat, ibi tanta occurrunt, ut homo clamare cogatur. Non intres in iudicium cum seruo tuo, &c. Item, Si iniquitates obseruaueris Domine, &c. Sic Iob: Si repente, inquit, locutus fuerit, non respondebo unum pro mille. Psal. 142. Psal. 129. Iob. 9.

Summa, nisi tu confessus fueris peccata tua, lata est sententia: Arguam te, et statuam contra faciem tuam. Vere igitur beati sunt, quorum remissę sunt iniquitates, &c. Psal. 49. Psal. 31.

Ex hoc autem uerbo primo colligimus, quod lex nos omnes conuincit esse peccatores, atq; adeo omnes damnat. Nemo enim est, qui legi satisfaciat. Ideo omnes sancti pro remissione peccatorum orant. Pro hac (inquit) orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Ac nisi haberemus egregias illas Christi promissiones: Ego sum uita, qui credit in me non iudicatur, &c. plane nobis desperandum esset. Psal. 31.

Secundo, cum Christus strenuis illis legis zelatoribus dicat: Nemo ex uobis facit legem, plane ostendit, legem operibus non impleri, sed fide. Lex enim non tantum exigit uel prohibet manum, sed cor & mentem. Sic nondum seruasti hoc præceptū: Non occides, etiam si neminem manu occidas. Apud Deū enim etiā homicida est, qui fratrē odit: Et qui irascitur fratri suo, reus est iudicij. Sic de alijs quoq;. Matth. 5.

Tertio hoc uerbo indicat, eos minime idoneos ut alios arguant, qui ipsi omnibus uitijs abundant. Qui enim alium arguere uult, carere debet eo uitio quod in alio arguit, alioqui audiet: Eijce primum trabem de oculo tuo, &c. Luc. 6.

Quarto indicat, quod qui alium temere iudicat & damnat, hoc ipso facto seipsum quoq; condemnat, cum & ipse sit peccator, sicut econtra: Si nos ipsos iudicaremus, non utiq; iudicaremur. 1. Cor. 11.

Quid me quæritis interficere?]

Respondet hic ad aliam ipsorum cogitationem, qua intendebant eum interficere. Sensus autem est, quasi diceret, Video & aliud in uobis, nempe uos conspirasse in mortem meam, quo uel solo uos proditis legem non seruare. Lex enim prohibet homicidium, & execratur eum, qui fundit sanguinem innoxium, nec permittit occidendi ius, nisi in maleficos, nec in hos quidem, nisi legitime conuictos & damnatos. Quæro igitur, quam ob causam me quæritis interficere? Exod. 20. Deut. 27.

Nunquid

Deut. 13. & 18. Nunquid maleficum me inueniſtis? Nunquid me arrogantia depra-uatum inueniſtis, loquentem in nomine Domini, quod Dominus non præceperit? Nunquid in nomine Domini prædixi uerbū, quod non euenit? Nunquid alicui male feci, & non potius omnibus bene-feci? Cur ergo me interficere quæritis? Vides hic, quam clare Deus uideat cogitationes cordium, immo ubi nos putamus nullum eſſe peccatum, ibi ipſe & plura et grauia inuenit, ut non in merito Dauid oret: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.

Pſal. 18.

Dæmonium habes, Quis te quærit, &c.]

Vide peruerſitatem huius populi, ne dum non agnoſcunt et con-fitentur peccata, ſed impudentiſsime negant, immo Chriſtum men-dacij arguunt, & inſuper ſumme eum blaſphemant. Quæ enim ma-ior contumelia, quam Dei filium dæmone obſeſſum dicere? Ideo autem tam atrociter reſpondēt, quia uerbum Chriſti dupliciter per-turbauerat eorum animos. Primum, quod animaduerterent clancu-larias licet, machinationes ſuas non latere conſcientiam ipſius, quem credebant facilius è medio tolli potuiſſe, ſi quod moliebantur fefel-liſſet. Deinde quod illos, qui ſe uideri uolebant legis obſeruantiſsi-mos, legis uiolatæ reos ageret apud populum. Non uerebantur Dei conſcientiam, inſidiantes innoxio ſanguini, ſed populi conſcien-tiam metuebant. Itaq; ut apud multitudinem tam impij facinoris conſcientiā confidentia diſsimulent, ad manifeſta conuitia confugi-unt, qui mos eſt improbis in maleficio deprehenſis, quod excuſari non poſsit. Hic igitur uides naturam hominis. Primo, quod etiam deprehenſus, non tamen uult confiteri, immo conſtanter negat & excuſat, quemadmodum Adam fecit & Cain, &c. Secundo in-ſanit, & iraſcitur in corripientem. Atqui nihil efficies coram Deo, etiamſi conſtanter negaueris, etiamſi ſupra modum iraſcaris. Stat ſen-tentia: Oportet ut uel hic in ſpe gratiæ confitearis peccata tua, uel in futuro poenis addictus ſine ſpe remiſsionis. Deinde fixa ſtat ſenten-tia: Arguet Deus peccata tua, uel hic ſolis uerbis ad ſalutem, uel illic magnis poenis in æternā confuſionem. Vide igitur, ut tu præue-nias faciem Dei in confeſsione: Cura item, ut non negligas diſcipli-nam Domini, neq; iraſcaris cum ab eo argueris.

Gene. 3. & 4.

Pſal. 94. Prouer. 3.

Vnum opus feci, & omnes miramini.]

Nihil reſpondet Chriſtus ad tam atrocē calumniam, ſed patienter fert, nobis in exemplum, ut & nos diſcamus non malum pro malo reddere, ſed malum in bono uincere. Hinc Dauid: Poſui oris meo cu-ſtodiam, dum conſiſteret peccator aduerſum me. Et Salomon: Ne dicas reddam malum pro malo, expecta Dominum & liberabit te. Item, Ne dicas ſicut fecit mihi, ſic faciam, &c. Item, Noli reſpondere ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, &c. Chriſtus igitur omiſſa ac neg-lecta

Roma. 12. Pſal. 38. Prou. 20. Prou. 24. Prou. 26.

glecta ea calumnia, ad rem ipsam accedit, ac primo hoc uerbo ostendit, se scire odij causam, quæ nulla alia fuit, quàm quod infirmum sanauit in Sabbato. Emphasim autem habet quod dicit. Vnum opus feci, etc. quasi diceret. Ex tot tãtisq; operibus meis unũ hoc arripuisti, non ad ædificationem, sed quia uidebatur calumniari posse. Cur non ea attenditis, quæ omni suspitione carent? Item, cur non in eo opere Dei uirtutem, uel ipsum opus cõsyderatis potius, quàm circumstantiam temporis? Sed inuidorum ea est natura, quod non attendunt ea quæ bona sunt in eo quem odiunt, sed tantum mala; et si opus aliquod in se calumniare non possunt, saltem ex circunstantia uel accidente aliquo calumniam quærunt. Supra c. 5.

Propterea Moyses dedit uobis circuncisionem]

Sicut supra se exemplo patris excusauit, ac plane conuicit, se non soluisse Sabbatum, sic hic exemplo Moysi idem ostendit. Indicat aũt, non tantam esse Sabbati religionem, quin cedere debeat rebus maioribus. Ad hoc adducit exemplum circuncisionis, et confert inter se præceptum de Sabbato, & præceptum circuncisionis, quorum utrunq; Moyses præcepit. Constat autem, quod lex de Sabbati ocio cedere cogebatur legi de circuncisione. Non enim excipitur Sabbatũ, sed plane dicitur: Octaua die circuncidetur infans. Ex hoc igitur colligit Christus, etiam hic cedere debuisse Sabbati ocium charitati proximi. Proximo enim miserabili salutem corporis & animæ conferre, nedum in se maius & sanctius bonũ est, quàm circuncidere hominẽ, sed etiam magis necessarium. Erant enim homines chari Deo, priusq; esset circuncisio præputij, ut Abel, Enoch, Noe, & futurum erat, ut Deus auersaretur carne circuncisos, mente incircuncisos. Proximo autem seruire perpetuo bonum est, ante legem, sub lege, & post legem. Declarat igitur Christus hoc uerbo, non esse opus seruile, nec Sabbatum frangere, si fiat quod Deus præcepit, qualis fuit circuncisio. Secundo nec opus esse seruile aut Sabbatum frangere, si proximo in necessitate subueniatur. Ioan. 5. Genes. 5.

Sic alibi docet non solui Sabbatum, si necessitas aliud suadeat, ut si bos uel asinus in puteum cadat. Item non solui Sabbatum, si quid ad honorem Dei fiat, quemadmodum sacerdotes sacrificantes non soluebant Sabbatum. Igitur ex sententia Christi cedere debet Sabbati ocium, præceptis Dei, cultui Dei, necessitati, & charitati: Non enim homo propter Sabbatum, sed econtra. Luc. 14. Matth. 12. Ibid.

Cur mihi indignamini, quod totum hominem]

Indicat eos non habere occasionem indignandi, sed gratias agendi. Item indicat, se plus præstare, quàm circuncisio præstare potuerit. Ea quidem animã redimebat, ne deleretur ex populo Dei, sed corpus Genes. 17.

uulnerabat, Christus autem, & animam & corpus sanat. Patet ex hoc uerbo, quod Christus quos corpore sanauit, etiam anima sanauit spi-
Deut.32. ritualiter. Dei enim perfecta sunt opera, Christus magna opera fecit, & ex propria uirtute fecit, & insuper etiam inter ne sanauit. Primum, hoc est, magna facere, etiam sanctis concessit, sed alia duo sibi solt reseruauit.

Nolite secundum faciem iudicare, &c.]

Quasi diceret. Sit uobis Moyses ut est uir eximius. Sim ego qualis uobis uideor humilis & contemptus, tamen si rem spectare uultis, aut uterq; uobis damnandus est, aut absoluendus uterq;. Hoc igitur
Leuit.19. uerbo eos ad legem ipsam dirigit, quæ præcipit, non consyderandam esse in iudicio personam pauperis, nec honorandum uultum potentis, sed: Iuste (inquit) iudica proximo tuo. Et quidem Christus
Isa.53. uir despectus & nouissimus uirorum uidebatur, immo non erat
Exod.34. aspectus in eo, Moyses uero uir magnus & spectandæ memoriæ, uir antiquus, & primus populi Dei dux, cuius facies ex collocutione Dei splendida facta fuerat. Congrue igitur eos monet, ut recte iudicent.
Iob.15. Ad iudicium autem rectum plura pertinent. Primo, ut procedat ex lumine rationis, non ex impetu passionis. Sic in Iob dicitur: Nunquid sapiens respondebit, quasi in uentum loquens, & replebit ardore stomachū, &c. Secundo, ut sit sine acceptione personarū. Hinc Moy-
Deut.1. ses: Quod iustum est iudicate, siue sit peregrinus, siue indigena, &c.
Exod.23. Tertio, ut clamori uel fauori plurium non cedatur. Iuxta illud: Ne sequaris turbam, &c. Quarto, ut causa ignota debite inquiratur.
Iob.29. Sic Iob: Causam quam ignorabam, inuestigabam. Quinto, ne propter timorem æquitas deseratur. Hinc dicitur: Noli fieri iu-
Eccles.7. dex, nisi ualeas ui perrumpere iniquitatem. Sexto, ne in iudicando plus quam oportet alicui compatiatur: Non misereberis, inquit, pauperi, &c. Septimo, ne dona accipiant, Exod. 23. Octauo, ut altera quoq; pars audiatur, & quilibet æquanimiter causam suam propone-
Act.25. re permittatur. Sic in Actis: Non est mos Romanis damnare hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, &c. Nono, ut iudicium ordinetur in bonum eius, qui iudicatur.

Nunquid hic est, quem quærebant interficere?]

Frequenter hactenus audiuimus, Iudæos admiratos fuisse de doctrina Christi: Nihil tamen adhuc uel paru ædificationis in ipsis uidemus, immo hoc uerbo plane indicat Ioannes, eos deteriores subinde fieri, itidem et nos facimus. Atqui nihil prodest admirari, laudare doctrinam, nisi sequatur emendatio. Sic hi Hierosolymitæ (nam ipsi rem propius consyderabant, ut qui melius scire poterāt odium Pharisæorum contra Christum, quam alij) hi, inquam, admirantur, quod Christus tam intrepide loquitur aduersarijs, ipsis econtra tacentibus.

Et

Et uere admiratione dignum est. Insigne enim diuinæ in ipso uirtutis signum est, quod in medio quidem eorum stat, & in loco, ubi ipsi potestatē habebant, insuper eos arguit. Ita tamen eos retinet sua potestate, ut non solum manus, sed nec linguas contra ipsum mouere possent. Hoc Hierosolymitæ illi pulchre quidem perpendūt, sed non perseueranter. Vide enim uerba eorū: Nonne, inquiunt, hic est unus scilicet homo, quem quærebant: non unus, sed plures & potentissimi. Et ecce hic unus & solus audenter loquitur. Illi autem & plures & potentes nihil ei dicunt, tantum abest, ut mali aliquid ei facere possint: Deinde colligunt. Nunquid cognouerunt quod hic est Christus?

Pulchre profecto singula perpendunt, sed non perseueranter: Si in ea consyderatione processissent, statim uidissent diuinæ uirtutis opus esse, quod faciebat Christus. Deinde uidissent, quàm nihil potest omnis humana potentia contra Deum: Omnes Gentes coram eo sicut stilla situlæ. Ex hoc admoniti fuissent, quàm impie Christo rebellassent hactenus: immo persuasi fuissent ipsius potentiæ se potius committere, quàm mundanæ. Sed ut infra patebit, nihil horum fecerūt. Iam quod Christus in medio stat hostium suorum, nec tamen eis permittit, ut eum lædere possent: indicat, quàm secure sedeant pij sub umbra Dei. Qui enim habitat in adiutorio altissimi, &c. per totum. Deinde hoc factum arguit eos, qui peccata sua Deo imputare uolunt, quasi ab eo cogantur: Hic enim uides, quod Deus nedum non cogit hominem ad peccandum, sed frequenter eum impedit subtrahendo ei occasiones. Sic præcipitare & lapidare eum uolentibus se subtraxit: sic se capere uolentibus non permisit, ut admoniti ab impio facto abstinerent. Isa. 4. Psal. 90. Luc. 4.

Sic olim Ariolum Balaam sæpius impediuit à malo proposito maledicendi Israëlitas. Sic adhuc facit: Magna igitur gratia est, cum Deus à peccando impedit. E contra magnæ iræ indicium est, cum Deus per omnia hominem sibi ipsi relinquit. Verum quamuis Deus sæpe impediat hominem à peccatis, tamen si perseueret in malo proposito, tandē & ipse cessat impedire, hoc uidemus in Iudæis & Balaā. Num 22.

Sed hunc scimus unde sit]

Hic uides eos retrocedere. Hæc est enim hominis conditio, quod etiamsi bonum aliquod propositum eis inspiret Deus, tamen non perseuerat, sicq; impletur in ipsis illud Euangelicum: Qui mittit manum suam ad aratrum, & aspicit retro, non est aptus regno Dei. Lucæ 9.

Nihil aliud hos Hierosolymitas offendit, quàm humilitas Christi, & quod nossent humilitatem cognatorum ipsius.

Sic in libris Regum, quantumcunq; Deus eligisset Saulem in regem, ipsiusq; statura regio nomini digna esset, tamen quidam attendentes cognationis eius humilitatem, dicebant: Nunquid iste 1. Reg. 10.

liberare nos poterit: Sic adhuc plerique offenduntur humilitate Christi, ut non audeant se ei committere.

Atqui non oportet tantum humanitatem eius attendere, sed diuinam uirtutem. Ob eam causam, ne quis eius humilitate offenderetur, scriptura sacra prius homines præmonuit. Sic enim Zacharias:
Zach. 9. Rex, inquit, tuus ueniet tibi pauper, &c. Et Isaias: Non est ei species,
Isa. 53. neque decor, &c. Et iterum: Non clamabit, nec audietur in plateis uox
Isa. 42. eius, quibus omnibus clare præmonuit Deus, Messiam non uenturum pro consuetudine Regum huius mundi, sed pauperem, et quod longe alius futurus esset propius intuenti, quàm summo habitu uideretur. Iam quàmuis Iudæi hi contemptim dixerint: *Hunc scimus unde sit*, Paulus tamen admodum serio hanc nobis Christi humil-
2. Cor. 8. tatem indicat: Scitis, inquit, gratiam Dei, quod cum esset diues, pro-
Phil. 2. pter nos egenus factus est. Et iterum: Exinaniuit se formam serui accipiens, &c. Summã enim consolationem nobis affert, quod Christus in tantum se humiliauit, quàmuis hæc ipsius crux Iudæis quidem sit scandalum, Gentibus autẽ stultitia, nobis tamen uere est Dei
1. Cor. 1. uirtus & sapientia.

Christus autem cum uenerit, nemo sciet, &c.]

Vide quàm nihil uel legerint uel intellexerint in scripturis. Aperte enim scripturæ produnt, unde Christus etiam secundum utranq; naturam habiturus esset originem. Secundum diuinam quidem,
Psalm. 2. quod à Patre prodierit, testatur uox ipsius in Psalmo: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, &c. quod manifeste de Christo Domini in principio Psalmi expresso, intelligendum designatur.

Secundum humanam uero naturam, Isaias plane expressit, quod ex semine Dauid sumpturus esset originem: Egredietur, in-
Isa. 11. quit, uirga de radice Iesse, &c. Idem expressit eum de uirgine nascitu-
Isai. 7. rum: Ecce, inquit, uirgo concipiet, &c.
Mich. 5. Michæas etiam locum natiuitatis nominat: Et tu, inquit, Bethleem
Matth. 2. minima es, &c. Immo qui nunc dicunt: Christus cum uenerit nemo sciet unde sit, iidem Herodi ad necem eum quærenti, locum natiuitatis ostendunt. Sic impij non uident in scripturis, quæ ipsis contraria sunt etiamsi apertissima sint.

Opinionem tamen eam, quod nemo sciturus esset unde Christus
Isa. 53. ueniret, fortasis ex eo sumpserunt, quod Isaias dicit: Generationem
Malach. 3. eius quis enarrabit? Item, Quis poterit cogitare aduentus eius diem: & quis poterit stare ad uidendum eum, &c.

Atqui, ob huiusmodi scripturæ uerba, uel in se obscura, uel falso intellecta, non oportet à manifestis uerbis discedere.

Clamabat ergo Iesus, docens in templo]

Hic

Hic uides uere dictum esse: Auris zeli audit omnia. Sic et frequenter in lege dicitur Deus audiisse murmurationes Israëlitarum. Clamat autem Iesus, tum quia persuadere cupiebat: tum quia ipsi longe aberant, non corpore, sed corde, quemadmodum Isaias dicit: Populus hic labiis mihi appropinquat, cor autem eorum longe est à me. Sap. 1. Isa. 29.

Et me scitis, & unde sim scitis]

Vult dicere, Ex ore tuo te iudico seruę nequam. Nulla uobis excusatio relicta est. Nam etiamsi abiecto habitu, contempta specie, & uili genere, nihil prædari præ me feram, non tamen potestis non conijcere, à quo missus sim, & unde uenerim, ex testimonio Ioānis, itemq; ex tot miraculis. In hunc modum & alibi loquitur: Si non uenissem (inquit) peccatum non haberent. Hinc & ad Pilatum dicit: Qui me tibi tradidit, maius peccatum habet. Hoc uerbum uere nobis dicitur. Nos enim uere scimus Christum, et unde uenerit, quare maior erit damnatio nostra Luc. 19. Ioan. 15. Ioan. 19.

A me ipso non ueni]

Non tantū arguit, sed & docet, ac despicientes infirmitatem eius, paulatim erigit ad cœlestia & diuina. Hoc aūt primo uerbo monet eos, ne tantū eum ut hominem attenderent, nec uerba eius aut opera, ut hominū uerba uel opera reputarent, sed scirent se ab alio missum, nec suū agere negocium, sed eius à quo missus erat. Obserua, de quo Christus glorietur, nempe, quod à seipso non uenerit, & quod non suum negocium agat.

Sed uerax est qui me misit]

Hoc uerbo latenter indicat, se non ab homine, sed à Deo missum: quandoquidem nullus homo absolute uerax & uerus dicitur, nisi solus Deus. Sicut nec quisquam in se bonus est, nisi solus Deus. Hinc Paulus ait: Est aūt Deus uerax, omnis autem homo mēdax. Deinde hoc uerbo admonet eos promissionis, quę ad Patres facta est, de qua Michæas ait: Dabis ueritatem Iacob, misericordias Abraham, quæ iurasti patribus, &c. Hoc est, recordaberis misericordiæ & ueritatis suæ, & dabis Messiam promissum. Innuit igitur Christus, eam promissionē nūc impletam. Hinc enim apparuit, quod Deus est uerax. Præterea hoc uerbo etiā eos terret, ut sciant se certo puniendos fore, si Christum reiiciant, quandoquidem Deus, qui uerax est, expresse dixerit: Qui Prophetam hunc non audierit, ego ultor existam. Mar. 10. Rom. 3. Mich. 7. Deut. 18.

Quem uos nescitis]

Vere nesciebant Deum, quantumuis in lege gloriarentur, & de Deo loquerentur. Deum enim cognoscere, non est legem habere aut legem scire, aut de Deo loqui, & gloriari, sed cognoscere Christum per fidem, hoc demum est uere nosse Deum.

Nam Christus est facies, forma, imago, uerbum, & consilium Patris: qui igitur Christū non nouit, quomodo Deū cognoscere posset?

Ego aut̃ eum scio eum]

Ioan. 1. Nemo enim Deum uidit præter Filium, qui est in sinu Patris, & qui nobis annũciauit. Hinc alibi dicit: Nemo nouit Patrẽ, nisi Filius, Matth. 11. & cui uoluerit Filius reuelare. Per Christū igitur oportet nos ad Patrem penetrare. Gentes scrutatæ sunt Deū ratione humana, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Iudæi Deum quærebant legis operibus, sed sectando legem iustitiæ, ad iustitiam non peruenerunt. Rom. 1. Aduerte quanto periculo Christū hæc concio constiterit, qua omnes Iudæos sanctitatis & cognitionis Dei nomine gloriantes, ignorantiæ cæcitatisq; arguit, ac sese omnibus prætulit. Profecto enim non impune hoc tulisset, nisi nondum uenisset hora eius.

Et si dixero, Quia nescio eum, similis ero uobis]

Merito eos mendaces dicit, quia iactabant se Christum nosse & unde esset, cum tamen nescirent, sicut sequenti capite dicunt: Hunc Ioan. 9. nescimus unde sit. Ideo et Christus eis infra dicet: Neq; me scitis, neq; Patrem.

Sed scio eum, quia ab ipso ueni, & ipse misit me]

Sæpius inculcat auribus Iudæorum, se à Deo missum, ut ob eam, quam Deo debent, reuerentiam, eum recipiant, quem Deus misit salutis nuncium, ne ipsum, qui à Deo missus est, contemnentes, cõuincantur & Deū aspernari. Hinc alibi dicit: Qui me spernit, spernit eū, Lucæ 10. qui me misit. Qui legatum regis inhonorat, regiam quoq; maiestatẽ ea lędit iniuria. Quemadmodum Anon, Rex filiorum Ammon, ser- 2. Reg. 10. uos Dauidis ludibrio exponens, et ipsum Dauid regem ad indignationem commouit & uindictam, à quo tandem post multas clades 2. Reg. 12. & regno exutus est, & uita priuatus. Idem contigit Iudæis.

Quærebant ergo eum apprehendere]

Nec minis, nec doctrinis à malo proposito auerti poterant: Im- Prouer. 18. pius enim cum in profundum uenerit, contemnit. Hinc Salomon: Quem Deus despexerit, hunc nemo corriget.

Impij etiam bonis irritantur ad mala facienda. Addit tamen: Eccles. 7. Nemo misit in eum manum. Dominus enim dissipat cogitationes Iob. 5. prauorum, ne possint implere quod cœperant.

Quia nondum uenerat hora eius]

Hoc est, quia nondum ipse uolebat. Quando enim uoluit captus Isa. 53. est, non ante: Oblatus est, quia ipse uoluit.

Sæpe autem hoc uerbum repetit ad consolationem piorum. Aut enim

enim pijs non accidit calamitas ante tempus, aut si acciderit, tempus est, & beneplacitum Patris. Non enim cadit capillus de capite eorum, Matth. 10.
sine uoluntate Patris.

Qui hoc alta mente reponit & fide, orta afflictione non maledicet, non indignabitur, non desperabit, non ad uana auxilia confugiet, nihil mali tentabit, sed sustinebit patienter manum Domini, expectans auxilium ab alto.

Quod autem in Christum nihil poterant impij, antequam ueniret hora eius, etiam in nobis completur. Sic Dauid sæpenumero à Saule fere comprehensus erat, semper tamen aduersarij insidias effugit, quia nondum uenerat hora eius. Sic Helizæus in manibus ho- 1. Reg. 23. 4. Reg. 6.
stium erat, nec tamen capi poterat, quia nondum uenerat hora eius.

De turba autem multi crediderunt in eum]

Hic uides uerũ esse, quod in Isaia dicitur: Verbum meũ non reuertetur ad me uacuũ, &c. Semen enim illud uerbi Dei, etiãsi ab aliquibus Isa. 55. Luc. 8.
non suscipiatur, in alijs exaresçat, in alijs autem suffocetur, interim tamen semper etiam bonam terram inuenit, in qua fructificet. Sic hic quamuis primates quærant Christum occidere, alij autem offendantur, non desunt tamen, qui credant in eum. Signanter autem dicit *De turba*, scilicet quæ ad festum uenerat. Hi enim quo remotiores erant à Pharisæorum conuersatione, eo minus igne inuidiæ, quo illi ardebant, corripiebantur.

Christus cum uenerit, nunquid maiora faciet, &c.]

Vides unde fidem hauserint, nempe ex miraculis. Sciebant ex Isaia, Isa. 35.
Messiam miracula facturum: Videbant Christũ talia fecisse, ut maiora fieri nequeãt. Quę enim Christus faciebat signa, in se magna erant, sed maius erat, quod non prece aut aliena uirtute, quin potius imperio & propria uirtute, ea faciebat. Nec minus magnũ erat, quod nedum externe sanabat, sed & interne: Nam totum hominem sanauit. Supra c. 7.
Pulchre igitur & ex signis, & ex modo faciendi, denicp & ex uarietate, colligunt eum esse Christũ. Obserua igitur, quod maiora nemo præstare potest, quam Christus præstitit. Frustra igitur Iudæi alium expectant.

Audierunt Pharisæi turbam murmurantem]

Pastoris est fidem infirmorum non extinguere, sed confirmare, 1. Thes. 5.
iuxta illud: Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos. Illi autem fidem plane extirpare moliuntur, similes Herodi, qui Christum re- Matth. 2.
cens natum extinguere conabatur.

Miserunt ministros, ut apprehenderent, &c.]

Superbia eorũ qui te oderũt, ascendit semper. Hactenus occulte eum interficere quærebãt, nunc cũ uiderent se gloriam perdere, quocunc; Psal. 73.

modo eum interimere ſtudent. Nullam tamen cauſam adducit Ioannes, quàm quod audiebant turbam murmurantem. Inuidia enim non poteſt audire laudes eius, quem odit. Deinde uidebantur iam habere cauſam accuſandi eū coram Romano præſide, quia populus propter ipſum concitaretur. Obſerua autem, quod non ipſi uadunt ad capiendum Chriſtum, ſed ſeruos mittunt, non pudore aut pietate uicti, ſed timore, ne populus in ſeditionem uerteretur. Malunt enim ſeruos exponere periculo, quàm ſeipſos. Sic impij ſemper ſeipſos quærunt in omnibus, nec his fidelis ſunt, qui propter ipſos impie agunt. Obſerua autem inſignem eorum obſtinationem. Sæpius experti erant, ſe fruſtra Chriſto laqueos tendere, nihilq; contra eum poſſe nec tamen ceſſant. Sic impius Pharao, quamuis uideret Deum ſibi reſiſtere, non tamen ceſſauit à malo propoſito, donec periret. Idē uidemus in Balaam, qui cum populo Iſraël ſe maledicere non poſſe, ſemel atq; iterū, immo & tertio expertus eſſet, tamen conſilium contra populum dedit, quo eum in irā Dei conijceret per mulieres Madianitas, &c. Obſerua item, quod Phariſæi nunquam leguntur miniſtros ſuos ad cōciones Chriſti miſiſſe, hic aūt eos mittunt ad Chriſtū cōprehendendum. Sic impij Patresfamilias, nedū familiā non ad bona inducunt, ſed inſuper mala facere cogūt, ſicq; dupliciter peccant.

Exod. 14.

Num. 25.

Ad huc modicum tempus uobiſcum ſum]

Miſsi erant miniſtri ad eum comprehendendum. Ipſe autem eis ſalutaria uerba miniſtrat, ſic ſemper malum bono uincere debemus.

Rom. 12.

Deinde quamuis ſciret, quàm ob cauſam aduenisſent, non tamen eos palam traducit coram populo, ſed occulte monet. Eſt aūt uerbū hoc primo diuinæ uirtutis indicium, quaſi diceret: Vos admodum feſtinatis me occidere, ſed fruſtra, ſuſtinebitis & expectabitis paulisper, donec opus meum compleam, interim uelitis nolitis, uiuens uobiſcū ero, & inter uos ambulabo. Secundo hoc uerbū indicū eſt inſignis charitatis, quaſi diceret. Iā toties uos ingratos ac palam impios expertus ſum, non tamen cōmittam, ut quicq; in me deſideretis, & quantumuis ingrati ſitis, tamen uobiſcum ad tempus manebo, benefaciam, & loquar quę ad ſalutem ueſtrā conducunt. Tertio, uerbum hoc cōminatio eſt, quaſi diceret. Non eſt quod tanta ſollicitudine inſidias uitę meę tēdatis, ne diutius apud uos maneam. Nam cū grauis ſim uobis ad uidendū, ac plane nihil aliud ſim uobis, quàm fumus oculis & ſpina pedibus, ego ipſe non diutius uobiſcū manebo. Vere magna cōminatio, quādo Dominus cōminatur ſe relicturum hominē. Monemur hoc uerbo, ut ardēter Chriſtū amplectamur, & eo ardentius, quo breuius et incertius eſt tēpus uitę noſtrę. Vere enim dicere nobis poteſt: Adhuc modicū tempus uobiſcū ſum in hac uita.

Sap. 1.

Et uado ad eum, qui me miſit]

Et

Et hoc uerbo indicat potentiam & charitatem suam. Potentiam; quasi dicat: Ego ipse uado, ego potestatem habeo ponendi animam meam, &c. Nemo eam à me tollit, sed ego ipse eam pono. Charitatem autem, quasi diceret. Nolite timere, ne effugiam manus uestras, sponte mea morti me offeram. Ideo enim ueni in mundum, uoluntarie crucem subibo propter hominem. Signanter autem non dicit, uado ad mortem, sed: *Ad Patrem*, quasi diceret. Mors quam mihi intenditis, nõ me perdet aut deprimet, sed glorificabit ac, ad Patrem & gloriam perducet. Ideo enim me exaltabit Pater, & dabit mihi nomen super omne nomen, etc. Hoc autem est consolatio nostra, quod mors Christiani hominis nihil aliud est, quàm transitus ad Patrem, quare non timenda, sed summis uotis amplectenda est. Postremo hoc uerbo etiam aduersarios terret, quasi diceret: Cum uoluntatem uestram in me perfeceritis, nolite gaudere, nolite exultare. Vado enim ad Patrem, & multa habeo de uobis loqui & iudicare, &c. Ioan. 10. Phil. 2. Ioan. 8.

Quæritis me, & non inuenietis.]

Potest exponi de his, qui post passionẽ Christi ex Iudæis crediderũt, præsertim in die Penthecostes prædicante Petro. Hi enim quæsierũt Christum, cum dicerent: Quid faciemus uiri fratres? Sed non inuenerunt Christum in uisibili forma, licet eum inuisibiliter inuenerint. Aliter exponitur, quasi diceret, Nolite putare, quod inuidia uestra, propter quam me nunc quæritis, cessare debeat post mortem meam. Immo tunc multo magis ego uos ad æmulationem adducam, in non Gentem. Si enim inuidia uos torquet, quod pauci admodum nunc in me credunt, quanto magis torquebit, cum me laudabunt omnes Gentes omnesq; populi, cum implebitur quod scriptum est: Dominabitur à mari usq; ad mare, &c. Tunc utiq; maiori cum inuidia quæretis me extinguere nomenq; meum, sed frustra. Act. 2. Deut. 32. Psalm. 71.

Melius autem accipitur, ut sit comminatio, & prædictio futurorum malorum, quasi diceret. Imminent uobis ingentia mala: peribitis corpore & anima. Tunc autem desiderio Messiæ manus ad cœlum leuabitis, clamabitis, & non exaudiet uos, eò, quod nunc me ad uos missum persequamini. Sic in Isaia dicit: Cum clamaueritis, non exaudiam: manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Et Sapientia: Vocaui et renuistis, &c. Ego quoq; in interitu uestro ridebo, &c. Hæc est enim consuetudo Dei, ut primo offerat gratiam, quam si fide admiserimus, liberamur à iudicio. Sin autem reiecerimus, nihil postea proderunt nec uota, nec preces, nec clamores nostri ad Deum. Isa. 1. Sapien. 1.

Quærunt & nunc Iudæi aduentum Messiæ, sed frustra. Docemur hic, ut quæramus Dominum, dum inueniri potest, & inuocemus eum, dum prope est. Isa. 55.

Et ubi ego sum, uos non potestis uenire.]

Non

Non dicit, Vbi ero, sed: *Vbi sum*, ut ostenderet, se etiam tunc in cœlo
Ioan. 3. apud Patrem esse, quemadmodum supra dixit: Nemo ascendit, &c.
Ioan. 1. nisi filius hominis, qui est in cœlo. Et iterum: Filius unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Ita enim assumpsit naturâ humanam, ac uenit in mundum, ut non reliquerit Patrem. Christus igitur apud Patrẽ & in gloria est, sed eo peruenire non possunt impij: quia Christum cõtemnunt, qui est ostium & uia ad Patrem, & gloriam.
Ioan. 14. Nemo enim uenit ad Patrem, nisi per eum. Deinde Christus est iusti-
1. Cor. 1. tia & sanctificatio. Ad hanc autem Iudæi peruenire non potuerunt, quia ex operibus, & non ex fide quærebant iustitiam. Terribilis igitur comminatio est, quod hic dicit. Qui enim nec ad Patrem, nec ad gloriam, nec ad iustitiam peruenire potest, necesse est, ut in æterna sit miseria, ignominia, damnatione. Immo hoc uerbo plane cõminatur, totum se ab eis migraturum: adeo, ut bonorũ eius nunquam participes esse possint, quo quid terribilius dicere potuisset?

Num in dispersionem Gentium iturus est?]

Irrident comminationes eius, quasi dicerẽt: Quid enim etiamsi abscesseris à nobis? Num sine te uiuere non possumus? &c. Sic impij semper contemnunt Dei comminationes, interim tamen quantumuis contẽnant, tamẽ uere implentur. Id quod uidemus in Iudæis: quę enim Christus hic prædixit, iam in eis implentur. Noli irridere Dei comminationes, sed time & stude ut effugias. Sic olim Iudæi impie et
Hiere. 17. irrisorie dicebant: Vbi est uerbum Domini, ueniat, & tamen postea perierunt. Hoc ipso autem uerbo Iudæi ignari, contra se prophetant, quod Gentes incircũcisæ eligendę essent, Iudæis abiectis. Vere enim Christus in dispersionem Gentium abijt, non in persona sua, sed in
Mar. 16. Apostolis. Sic enim dicitur: Egressi prædicauerunt ubiq; Domino cooperante, &c. Vides Dominum in et cum Apostolis ad Gentes
Psal. 17. transisse. Tunc igitur impletum est, quod in Psalmo dicitur: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, &c. Obserua quod sicut Iudæi hic
Ioan. 11. ignari, contra se ipsos prophetant: Sic & Caiphas ignarus prophetauit de morte Christi, & fructu eius.

Nouissimo autem Die magno, &c.]

Dies ille magnus est octauus dies festi Tabernaculorum, quem Moyses nominat celeberrimum atq; sanctissimum, &c. Magnus
Leuit. 23. autem dicitur haud dubie propter significationem, quia octauus dies significat reuelationem gloriæ filiorum Dei.

Stabat Iesus]

Quanq; nihil referat, siue sedens siue stans locutus sit Christus, tamen uisum est Spiritui sancto signanter addere, quod stando hęc dixerit,

nimirum,

nimirum, ut uerba sequentia maius pondus habeant, ac diligentius attendamus, non dubij, quin magnum aliquid sequatur, cum audiamus Christum & stetisse & clamasse. Stabat igitur Iesus, quia se à rectitudine nunquam deflectebat. Stabat, qui se exemplum rectitudinis omnibus exhibebat. Stabat, qui semper ad cœlum se totum extendebat. Stabat, qui rectitudine sua omnes ad terram inclinatos arguebat. Stabat, qui se in auxiliū & obsequiū paratū omnibus exhibebat. Stabat, qui se uita & uerbo excelsum longe stantibus ostendebat.

Et clamabat]

Partim, ut magis audiretur: partim, ut libertatem suam in dicendo manifestaret. Itemq;, ut ostenderet, se nullum auersari. Obserua autem, quod nec in principio festi, nec in medio hæc dixit, sed in nouissimo. Primus enim dies sollennitatis, paucos adhuc habebat præsentes exteros, & infrequens auditorium.

Medij dies festi, uoluptatibus & mundi negocijs potius quam Dei cultui adhibebantur. Nouissimus autem dies, & maiorem habuit auditorum numerum, & delitijs finem imposuerat, cum iam de reditu foret cogitandum. Itaq; eo die tanquam alijs commodiore, ipse fons uitæ exuberantissimus omnes ueram doctrinam sitientes dulciter ad se inuitat. Significat autem clamor hic, eum clamorem, quem Christus facturus erat in sequutura sollennitate Paschali. Ea enim uere ultima fuit festiuitas ueteris Testamenti, & prima noui. Nam post illam uesperam, qua Christus agnum typicum cum discipulis manducauit, quicquid Iudæi celebrarunt, non iam festiuitas, sed stercus sollennitatum debet nominari. In illa igitur nouissima festiuitate magna, stetit Iesus in conspectu Patris, preces supplicationesq; offerens cum clamore ualido, &c. Tunc enim de semetipso effudit nobis quod biberemus. Primum aquam, qua ablueremur, & sanguinem suum, quo potaremur. Deinde in sufflando Spiritum sanctum Apostolis dans, et iuxta aliū Euangelistam aperiens illis sensum, ut intelligerent scripturas. Deinceps perstitit, clamans uehementer cunctis Gentibus, & quodammodo dicens. Si quis sitit, ueniat ad me, &c. dum receptus in cœlum dato Spiritu sancto cœlos commouit, qui enarrarent gloriam Dei.

Mal. 2.

Heb. 5. Ioan. 10. Ioan. 20. Lucæ 24.

Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat]

Vere Euangelicum uerbum, & omni acceptione dignissimum. Singula autem uerba emphasim habent. Primo: *Si quis*, inquit, hoc uerbo uides, quod Deus neminem cogit. Secundo etiam subindicat paucitatem credentium, quasi diceret. Cū multa sit miseria hominum, pauci tamen quærunt remedium. Igitur si quisquam est, uel unus in tanto numero, &c. ueniat. Signanter autē dicit: *Si quis sitit*. His enim solum utilis est Christus, qui sitiunt.

Est

Est autem scire, cum quis uel corporis ægritudines, paupertatem, direptionem bonorum, infamiam, aliasq; afflictiones patiens, ardenter desiderat liberationem: Vel, cũ quis animo confusus propter peccata, ac desperationi proximus, uel morte conclusus, desiderat remissionem, uitam, & consolationem. Quis autem nesciat, plærosq; sic sitire, non tamen omnes sciunt, quo restinguenda sit hæc sitis. Clamat igitur Christus: *Si quis sitit.* Vide autem, quàm prompte se ipsum suaq; offert, nihil graue exigit, tantum ut uenias & bibas. Sic
Isa. 55. & in Isaia dicitur: Omnes sitientes uenite ad aquas, etiam qui non habetis precium, &c. Sic in Apocalypsi: Qui sitit ueniat, & bibat
Apoc. 22. aquam uitæ gratis.

Qui credit in me, sicut dicit scriptura]

Hic declarat, quid sit uenire & bibere. Non enim pedibus uenitur ad eum, nec ore bibitur hæc aqua, sed fide. Christus enim est uerbum Dei, non igitur potest manibus apprehendi, sed fide. Qui igitur in eum credit, etiam in maxima siti reficitur.

Igitur, si afflictio aliqua te premit, bibe de hoc fonte: Cũ ipso, inquit,
Psal. 90. sum in tribulatione, apprehende hoc uerbum fide, & recipies consolationem etiam in media tribulatione, ac dices: Si Deus mecum est, nocere non potest tribulatio, &c. Si paupertas premit, bibe ex hoc
Matth. 6. fonticulo: Ego sum Dominus Deus tuus. Itẽ, Pater uester scit, quod his indigetis. Si mors te terret, bibe ex hoc uerbo: Ego sum uita, &
Ioan. 11. resurrectio, &c. Si conscientia te angit, bibe ex hoc uerbo: Eũ qui uenit
Ioan. 6. ad me, non ejiciam foras.
Ioan. 5. Si iudicium Dei te terret, apprehende hoc uerbum: Qui credit in filium, non iudicatur, & consolationem recipies. Sic de alijs quoq;. Hoc autem uerbo (*Qui credit in me*) æquat Iudæos & Græcos. Deinde damnat superbientes de propria iustitia. Postremo consolatur peccatores. Obserua, quod aliqui hoc uerbum (*Sicut dicit scriptura*) referunt ad id, quod præcedit, ut sit sensus. Qui credit in me, non simpliciter, nec qualicunq; fide, sed ea fide, quam scriptura commendat. Alij autem referunt ad sequentia, ut sit sensus. Qui credit in me, abunde accipiet Spiritum sanctum, quemadmodum in scripturis prædictum est.

Flumina de uentre eius fluent, &c.]

Non eisdem uerbis hæc dicuntur in scriptura, sed tamen in plærisq; locis indicatur, Spiritum sanctum copiose effundendum. Hinc
Isa. 44. in Isaia dicit: Effundam aquas super aridam, &c. Effundam spiritum meum super semen tuum, &c. Hoc igitur uerbo Christus non unam stillam aut haustum, sed totum flumen, immo non flumen, sed flumina, nec ut tuam tantum restinguant sitim, sed ut etiam ad alios pro-

fluere

fluere possint, pollicetur. Vere ingens promissio, quam tamen Euangelista clarius exponit, cum subdit.

Hoc autem dicebat de spiritu, quam acceptum, &c.]

Spiritus sanctus igitur est aqua illa, quæ & sitim & ardorem uitiorum extinguit, sordes omnes peccatorū abluit, animam recreat, eamq; infundit, & germinare facit, ac plane appetitum satiat. Signanter autem dicitur aqua uitæ, quia credentem uiuificat. Dicitur & flumen in se, immo flumina, quo ad diuersa dona Spiritus sancti. Hoc igitur uerbo Christus promittit Spiritum sanctum, is satiat hominem. Spiritum autem dat Christus: Accipitur autem fide. Spiritus semel acceptus crescit in flumen: augentur enim dona Spiritus sancti, adeo, ut etiam ad alios profluant. Sic gratia Spiritus sancti in Petro, Acto. 2. in tantum flumen excreuit, ut uno die conuerteret tria milia hominum. Sic in Paulo in tantum flumen excreuit, ut omnem terram inundaret à Hierosolymis usq; ad Illyricum. Idem contigit & in alijs. Roma. 15.

Nondum enim erat spiritus datus.]

Habuerunt etiam Prophetæ Spiritum sanctum, itemq; Apostoli uirtute Spiritus sancti eiiciebant dæmonia, etiam ante Christi glorificationem. Superuenerat Spiritus sanctus in Mariam, idemq; Spiritus sanctus in sene Simeone erat. Lucæ 1. Lucæ 2. Ideo autem hic dicitur: *Spiritus sanctus nondum erat datus*, quia non dum publice effusus erat, quem admodum postea contigit in festo Pentecostes. Secundo, quamuis Acto. 2. etiam patres priores habuerint Spiritum sanctum & dona eius, non dum tamen de illis fluebāt tanquam flumina in Gentes, sed in sola Iudæa manebant. Tertio, quia tempore Prophetarum, potissimum opus Spiritus sancti, quod est remissio peccatorum, non publice inter omnes Gentes prædicabatur. Hoc igitur modo nondum erat Spiritus sanctus datus.

Quia Iesus nondum erat glorificatus.]

Oportebat primo Christum pati, ac sanguine suo nos patri reconciliare. Roma. 5. Oportebat, ut prius amici efficeremur Dei, antequam dono eius tam insigni donaremur. Deinde oportebat Christum prius exaltari & glorificari, ut omnibus manifestum fieret, ipsum posse nobis Spiritum dare. Sic & in ueteri Testamento oportebat prius ut Exod. 17. uirga percuteretur petra, antequam effunderet aquas.

Ex illa ergo turba quidam cum audissent.]

Hactenus quid Christus egerit in festo Tabernaculorum audiuimus: Nunc quis fructus in populo secutus sit, describit Ioannes. Nominantur autem hic quatuor genera hominum: Aliqui imperfecte adhuc sentiunt de Christo, nominantes eum Prophetam. Alij

perfectius, nominantes eum Christum. Alij offensi eius humilitate, reclamabant. Alij omnino peruersi, eum capere uolebant. Sic & nunc fit, &c. Sic in Ecclesia uaria sunt hominum genera. Aliqui neque Christum, neq; Deum curant, optarent ut Deus ipsis permitteret temporalia, sibiq; retineret sua æterna, immo plane nolunt etiam à Deo corripi: homines multis modis miseri. Primo, quod tantum externa quærunt. Secundo, quod Deum ipsum non curant. Tertio, quod putant Deum non puniturum uitia eorum, quasi Deus naturam suam mutare possit. Aliqui prioribus omnino contrarie agunt, quo ad externam speciem. Quantum enim illi scripturam negligunt, tantum hi scripturis incumbunt, ut uideantur omnino spirituales, cum tamen aliud quærant & intendant. Aliqui propius accedunt, & Christum quidem audiunt, sed nõ aliter, quàm alios Prophetas uel Prædicatores. Legunt Euangelium, sed non aliter quam historias alias, aut scita Philosophorum. Verum non satis est, Christum tantum ut Prophetam accipere. Si enim aliud nihil esset, quomodo nos saluare posset? Aliqui parati quidem essent in Christum credere, sed obstant aliqua dicta scripturæ, uel non intellecta, uel falsè intellecta, sicq; uix pauci remanent, qui confidenter ipsum confiteri audeant esse Christum.

Venerunt ministri ad Pontifices, &c.]

Vide quam faciliter Deus confundat præsumentes de sua uirtute. Quis credidisset Christum unum & solum tam multis posse resistere? Et tamẽ Christus nec manu se defendit, nec multitudinis opem implorat, sed solis uerbis eos repellit, & capere se uolentes capit. Vides igitur, quam nihil sit homo & humana potentia contra Deum? Impij tanquam puluis, quem proijcit uentus à facie terræ. Per hoc autem iterum admonuit Pharisæos, ut uidentes se toties frustra conari contra Deum, tandem resipiscerent & cessarent.

Psal. 1.

Quare non adduxistis eum?]

Ne dum non resipiscunt, sed nec agnoscunt conatus suos à Deo impediri, quin potius seruorum ignauiam increpant. Sic Pharao, sæpe à Domino prohibitus ac punitus, tandẽ in Moysen & Aaron excanduit: tantum aberat, ut agnosceret se à Deo impediri. Sic Balaam, cum à Deo impediretur, in asinam transtulit culpam. Sic nos à Deo admoniti per uerbum, in Prædicatores excandescimus. Sic externe à Deo puniti, non Deo, sed alijs ea imputamus, cum tamen Paulus dicat: Cum iudicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Ex hoc autem uerbo Pharisæorum, uidemus eos ardenter expectasse, quando adduceretur Christus, ac iam quasi prædę inhiasse.

Exod. 10.

Num. 22.

1. Cor. 11.

Nunquam sic locutus est homo, sicut hic.]

Vides

Vides quam fortis sit ueritas, quæ etiam ab inimicis testimonium habet. Deinde, quod quamuis ueritate nihil manifestius & simplicius, tamen malignantibus nihil difficilius est. Sic ueritatem agnoscunt & uident imperita multitudo, Galilæi, populus rudis, Samaritani, Ethnici, denique etiam milites: genus hominum admodum immite, & ad omne facinus mercenarium: soli Pharisæi, Scribæ, & Pontifices cæci sunt præ inuidia. Verissime autem dictum est: *Nunquam sic locutus est homo.* De ipso enim prædictum est: Diffusa est gratia in labijs tuis. Itemque, Vox tua dulcis, & facies tua decora. Omnes alij quicunque sapientiæ uel scientiæ sermonem habuerunt, de plenitudine eius omnes acceperunt. Verum eo magis inexcusabiles sunt, qui tantam sapientiam audierunt & audiunt, & non obaudierunt, qui talem hominem & uiderunt & inuiderunt. Obserua igitur, quod ministri illi in multis meliores fuerunt dominis suis. Primo enim tametsi ideo exijssent, ut Christum apprehenderent, tamen audito Christo, non obtemperant mala præcipientibus, dissimiles ualde adulatoribus his, qui dominos suos etiam cessantes, ad odium aliaque flagitia extimulant. Noli propter quenquam hominum, impius esse in Deum, & peccare in conscientiam tuam. Sic serui Saulis noluerunt ei obedire, præcipienti ut occiderent sacerdotes Domini. Deinde ministri illi non excusant metum multitudinis, non alia quæ comminisci poterant, causantur, sed ingenue fatentur, se quidem hoc animo adijsse Iesum, ut eum captum adducerent, sed breui sermone, uerum efficaci, sic eos immutatos, ut quod decreuerant, reluctantibus animis perficere non potuerint. Præterea nihil ueriti Pharisæorum potentiam uel minas, palam Christum laudant, ac omnibus hominibus etiam ipsis Pharisæis præferunt: *Nunquam*, inquiunt, *sic locutus est homo.* Quod autem testimonium ferri potuit in Synagoga, quod magis grauaret ac traduceret Pharisæorum obstinatam malitiam? Sicque quicquid ipsi moliebantur, in ipsorum caput recidebat, et ad gloriam Iesu proficiebat. Postremo ad commendationem illorum seruorum facit, quod nullis uisis miraculis, tantum pauca loquentem audientes ab impijs cœptis desistunt, quo facto ne dum Pharisæos, sed & nos damnant, &c. Videmus autem ex hoc loco uere dictum esse: Cor regis in manu Domini, quocunque uoluerit inclinabit illud, neque quicquam aliud posse efficere homines, quã quod Deus uoluerit. Sic ministris illis in medio conatu frangitur comprehendendi animus, immo quẽ comprehendere uenerant ut seductorem, nunc summe collaudant. Sic Laban fremebundo animo persecutus ipsum Iacob fugientem, audiuit Dominum dicentem: Caue, ne quicquam aspere loquaris contra Iacob. Sic Esau properabat hostili animo contra Iacob, sed in medio conatu mutatur cor eius, ut omnium simultatum oblitus, in oscula eius

Pſal. 44.
Cant. 2.
Ioan. 1.
1. Reg. 22.
Prouer. 21.
Gene. 31.
Gene. 33.

Acto. 9. rueret. Sic Saulus spirans minas & cædes in Christianos, in ipso conatu conuertitur. Hæc sciens Hester, precabatur, ut Dominus Hester 14. cor regis uerteret in mansuetudinem. Huiusmodi historiæ sunt fidei nostræ pabula, ut perduremus in afflictionibus, certi nos Deo 1.Cor. 10. curæ esse, qui non sinit nos tentari ultra id, quod possumus.

Nunquid & uos seducti estis?]

Ne dum non resipiscunt, sed insuper irascuntur & insaniunt in seruos, ut uideas eos omnino ad malum obstirmasse cor. Vere igi- Hiere. 5. tur de ipsis prædixit Hieremias: Optimates plus quam populus fregerunt iugum, ruperunt uincula, &c.

Nunquid ex principibus quisquam credidit?]

Quasi dicerent, Si uerax esset, an non existimatis uiros eximios doctrina simul & authoritate præstantes, illius sermones approbaturos fuisse? Atqui uidetis, ne unum quidem ex optimatum numero, penes quos est religionis authoritas, aut ex Phariseis, penes quos est exacta legis peritia, sermonibus eius fuisse persuasum. Vide obstinatam eorum malitiam. Primo mentiuntur nullum ex ipsis credidisse: Nam & Nicodemus & Nathanael crediderunt. Et infra di- Ioan. 12. citur, Multi ex principibus credidisse. Deinde, impie colligunt uerba Christi ideo uera non esse, quod pauci, uel nullus ex optimatibus ea suscipiat. Sic enim omnis scriptura falsa esset, quia paucissimi potentium ac diuitum eam sequuntur. Præterea quasi gloriantur neminem ex ipsis Christo credere, cum id summe in ipsis reprehensibile esset. Sic impij excæcati: Lætantur cum malefecerint. Ad hæc, Prouer. 2. admodum ridicule colligunt, ideo alios non debere credere, quod nemo principum crederet. Quid enim si Principes nunquam crederent? Num cum ipsis pereundum esset? Num Principes nos excusabunt in iudicio? Num pro nobis gehennam subibunt: Nequa- Galat. 6. quam. Vnusquisq; enim iudicium suum portabit, & unusquisq; pro Roma. 14. se rationem reddet. Nulla ergo excusatio est, Principes non credunt, nec legem obseruant, ergo nec ego credam, quemadmodum & nulla excusatio est: Principes hæc mala faciunt, ergo & ego faciam. Potestati quidem obtemperandum est, sed non ita, ut salutis nostræ obliuiscamur, nec ut propter ipsos mala faciamus, nec ut mala eorum imitemur: Secundum opera, inquit, eorum nolite facere. Matth. 23.

Sed turba, quæ non nouit legem, &c.]

Etiam hic uides eorum malitiam. Primo, quod tam contemptim loquuntur de his, qui credunt in Christum. *Turba*, inquiunt, quasi dicerent, Abiectissimus quisq; nec scientia nec genere clarus, quasi homo ob generis uel conditionis humilitatem Deo minus acceptus Acto. 10. sit, cum scriptura manifeste dicat: Non est acceptor personarum Deus,

Deus, sed in omni gente quicunq; eum timet, acceptus est illi. Longe aliter iudicat Deus, quam homines, ideo Christus: Abscondisti, inquit, hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Et Paulus: Quæ stulta sunt & infirma mundi, elegit Deus. Et Sapiens: Cum simplicibus (inquit) est sermocinatio eius. Secundo turbæ uitio dant, quod ignorent legem, cum ob id ipsi Pharisæi & sacerdotes magis culpandi essent, quod populum quæ legis erant, non docerent. Præterea etiam maledictos eos nominant, cum lex non ignorantes legem, sed transgredientes legem maledicat. Hoc autem uerbo populum plane excusant, quod ex ignorantia: se ipsos autem accusant, quod ex certa malitia & scientes peccarent. Grauius est autem scientem, quam ignorantem peccare: Seruus enim sciens uoluntatem Domini, & non faciens, uapulabit multis. Sic impij seipsos damnant etiam antequam ad iudicium Dei perueniant.

Matth. 11.
1. Cor. 1.
Prouer. 3.
Deut. 27.
Lucæ 12.

Dicit ad eos Nicodemus, qui uenerat ad, &c.]

Nicodemi mentionem facit, ne putemus omnes Pharisæos & Pontifices malos fuisse. Immo ideo scriptura aliquando indicat aliquos diuites, doctos, potentes, Deo placuisse, ne quis putet nemi-nem illorum Deo placere posse. Deus enim sicut nullum homi-num statum, populum, sexum, conditionem, in totum elegit: sic nul-lum in totum damnauit, & reiecit. Verum quidem est, quod stulta mundi elegit, ut confundat fortia: non tamen ob id alios reiecit, etiam si ad Apostolatum eos minime elegit. Quanquam hoc admodum durum sit, quod unus tantum ex tanto numero Pharisæorum & Principum impietati restiterit. Per hoc enim manifeste indicatur, quod diuitiæ, honores, scientia, potestas secularis, &c. plerosq; à salute impediunt, non quod hæc externa in se mala sint, sed quod homines plus debito ipsis inhæreant. Vnde Abacuk diuitias nominat densum lutum. Et Paulus: Qui diuites (inquit) uolunt fieri, incidunt in laqueum, &c. Ob eandem causam idem Paulus nos hortatur, ut habentes uictum & uestitum, his contenti simus.

1. Cor. 1.
Abac. 2.
1. Thim. 6.

Signanter autem addit Euangelista: *Qui uenerat ad Iesum nocte.* Vult enim ostendere, quod Christi colloquium non omnino infructuosum in Nicodemo fuerit. Quanquam enim non omnia intelligeret, tamen ex eo colloquio maiorem dilectionem ergo Christum concepit. Quod autem subdit: Qui erat unus ex ipsis, opponitur ei, quod supra de Iuda traditore dictum est, quod fuit unus ex duodecim. Sicut enim ibi in sanctissima illa congregatione, tamen inuentus est impius ille Iudas, sic econtra hic in peruersissimo consilio inuenitur unus iustus. Et sicut Iudæ non profuit societas bonorum, sic Nicodemo nihil nocuit, conuersatio inter impios. Quanquam alias securius sit conuersari inter pios, quam inter impios: Sæpe enim

Sup. c. 6.

1. Cor. 15. corrumpunt bonos mores colloquia praua, cum econtra exemplo bonorum etiam impij nonnunquam ad bonum conuertantur.

Nunquid lex nostra iudicat hominem.]

In Nicodemo uides, timorem pariter & prudentiam. Timoris erat, quod impiorum conatibus non aperta fidei confessione restitit. Nec mirum est, quod in Nicodemo aliquid imperfectionis uidemus, cum & Apostolos uideamus timore mortis, à Christo aufugisse. Quanquam quod Nicodemo hic deest, & in quo hic deficit, abunde postea suppleuit, quando omnibus alijs à Christo deficientibus, solus ipse cum Ioseph Christum sepeliuit, manifeste scilicet indicans fidem suam in Christum, omni timore postposito. Prudentiæ autem est, quod eos quos sciebat nullis uere fidei rationibus ab impio conatu recessuros, immo ne audituros quidem, sua ipsorum lege ab impietate deterret. Docemur autem hic, quid facere debeamus, cum uidemus iustitiam opprimi & iniusta fieri, nempe, ut exemplo Nicodemi si prohibere non possumus, saltem uerbo uel facto testemur non placere nobis quod fit. Sic fecit hic Nicodemus, idem fecit etiam post passionem Christi, ut iam dictum est. Ideo autem propriæ legis eos admonet, tum quia lex apertissime mandat, ut priusquam sententia feratur, iudices ita paruum ut magnum audiant, nec cuiusquam personam agnoscant: Tum quia uidebat eos omnino contraria legi agere. Tripliciter siquidem peruertitur iudicium. Primo, animo, cum scilicet uel odio, uel fauore, uel auaritia, sententiã quis profert. Secundo, causa, dum non inspicit causam diligenter. Tertio, ordine, dum non secundum ordinem iuris iudicatur. Pharisæi autem hic solum ex inuidia iudicare uolebant, nec causam inuestigabant, nec ordinem iuris seruabant: Congrue igitur ad legem eos remittit.

Ioan. 19.

Deut. 1.

Num & tu Galilæus es?]

Vides hoc loco uere in eos competere posse illud Dauidicum: Dixit iniustus, ut delinquat in semetipso. Itemq; noluit intelligere, ut bene ageret. Hoccine enim est intelligere uelle, mentionem legitimi iudicij non posse sustinere? Vides deinde, quam male habeat impios, si conatibus eorum obsistatur. Quam diu taces acceptus es, sed cus autem si arguas & obsistas. Sic hic tantus homo uno leni & mansueto uerbo, eos ita offendit, ut manifesta calumnia impetitus sit. Sic enim impij cum ratione uincere non possunt, ad conuitia conuertuntur. Galilæum autem nominant in contemptum Christi, sicut & Iulianus: Vicisti (inquit) Galilæe. Sic increduli nobis infirmitatem Christi pro summa ignominia obijciunt, nos autem adeo non erubescimus confiteri crucem Christi, ut ea Christi infirmitate potissimum gloriemur: Mihi, inquit Paulus, absit gloriari, nisi

Psal. 35.

Galat. 6.

in cruce

in cruce Domini, &c. Scimus enim, quod etsi uerbum crucis pereuntibus sit stultitia, nobis tamen credentibus est uirtus & sapientia Dei, summaq; nostra consolatio. 1. Cor. 1.

Scrutare scripturas.]

Ministros suos non ad scripturas, sed ad se imitandum monuerunt supra. Hunc autem legisperitum ad scripturas dirigunt.

Qua Propheta a Galilæa non surgit.]

Vide quam futile argumentum adducant docti illi uiri, contra tam manifesta Christi uerba & opera. Nihil enim aliud prętendunt, quam quod è Galilæa non expectandus sit Propheta.

Falsum tamen est, quod nullus Propheta à Galilęa uenerit. Nam & Delbora & Thobias, & secundum aliquos, etiam Helizæus, fuerunt ex Galilæa, nempe ex tribu Neptalim. Iud. 4. Thob. 1. 3. Reg. 13.

Quod autem ex Michæa adducere uidentur, Christum scilicet è Bethleem exiturum fuisse, nihil contra nos facit, qui scimus Christum in Bethleem esse natum. Lucæ 2.

Illud autem obseruare debuerant, quod Michæas non dixit: In te o Bethleem habitabit dux populi mei, sed: Ex te egredietur. Itemque, quod Isaias manifeste dicit, terram Zabulon & Neptalim, hoc est, Galilæam gentium primo alleuiandam, & apud ipsos primo lumen exoriturum, quod postea etiam ad alios diffunderet suos radios, quemadmodum Matthæus allegat. Verum hi homines non attendunt in scripturis, nisi quæ pro ipsis faciunt. Mich. 5. 6. Isai. 9. Matth. 4.

Et reuersi sunt unusquisq; in domum suam.]

Coguntur re infecta, domum redire, nisi manifeste legis prævaricatores uideri uoluissent.

Adeo unius boni & prudentis uiri consilium, sæpe potentissimos multorum conatus impiorum frangit. Sic unus amicus Dauidis, dissipauit quicquid contra ipsum Dauidem moliebantur & Achitophel & Absalon. Vides etiam hic impiorum dissensiones aliquando iustis in bonum cedere. Sic Paulus propter dissensionem Pharisæorum & Saducæorum, liberatus fuit á præsenti iudicio. 2. Reg. 17. Acto. 23.

Obserua autem, quod Ioannes non dicit, emendati sunt, uel conuersi, sed tantum: *Reuersi*. Sic enim impij plerunq; quidem dissipantur, sed non compunguntur. Psal. 34.

Reuersi sunt, ut iterum in cubilibus suis aliud ineuntes consilium, oua rumperent aspidum, & confouerent quod erumperet in regulum. Isai. 59.

CAPVT OCTAVVM.

Istoriam de muliere adultera, quæ in exordio huius capitis ponitur, quidam Græci codices non habent, nec in Omelijs Chrysostomi, aut Annotationibus Theophilacti exposita inuenitur. Testatur autem Eusebius in Ecclesiastica historia, li. 3. c. ultimo, eam esse scriptam in Euangelio, quod secundum Hebræos inscribitur. Verum quisquis sit, qui eam scripserit, certe digna fuit, ut ab interitu uindicaretur.

Docet enim omnes homines, quantumcunq; in speciem iustos, esse æqualiter coram Dei iudicio, cum manifeste flagitiosis impios & peccato obnoxios. Docet insuper eos, qui se peccatores agnoscunt, in iudicio Dei absolui: eos autem, qui non agnoscunt, confundi.

Perrexit Iesus in montem oliueti.]

Causa huius secessus supra ostensa est, quia quærebant eum Iudæi interficere.

Matth. 8. Aliam causam ponit Christus ipse: Vulpes (inquit) foueas habent & uolucres cœli nidos, at filius hominis non habet ubi caput suum reclinet. Vere enim uulpes & uolucres, hoc est, dæmones habitationem habuerunt in Hierusalem. Filius autem hominis, non habuit ubi caput suum reclinaret. Nec enim quisquam in tanta ciuitate erat, qui eum uel uellet uel auderet recipere.

Luc. 21. Tertiam causam ponit Lucas: Diebus, inquit, docebat, noctibus autem ibat ad montem, ut oraret. Per hoc igitur nos primum,

Roma. 12. suo ipsius exemplo docuit, quod Paulus uerbo præcipit, nempe, ne nos ipsos uindicemus, sed demus locum iræ.

Secundo docuit, ut & nos exemplo sui non habeamus ubi caput

Psal. 61. reclinemus, hoc est, in quo cor uel fiduciam ponamus: Diuitiæ, inquit, si affluant, nolite cor apponere.

Tertio per hoc signanter docuit Prædicatores, ut post aliorum institutionem, ad orationem confugiant, & post orationem rursum ad proximi institutionem accedant. Oret autem Prædicator, tum

1. Cor. 9. ut Deus cordibus hominum inscribat, quæ ipse auribus inculcauit: tum, ut & suæ salutis rationem habeat, ne alijs prædicans, ipse reprobus efficiatur.

Locus igitur à consortio turbæ semotus, in quem Dominus oraturus se contulit, animum designat orationi intentum, à cogitatibus mundi huius separatum esse debere & abstractum. Iuxta illud: Intra

Matth. 6. cubiculum tuum, & ora in abscondito patrem tuum.

Mons

Mons autem, quem Dominus ascendit, sublimitatem animi designat, ad cœlestia per orationem erigendi, & non infimis terrenisq; negocijs immergendi. Oratio enim est ascensus mentis in Deum.

Mons uero oliueti, altitudinem & copiam diuinæ significat misericordiæ, per filij Dei in carnem aduentum nobis affluenter ostensæ. Olei siquidem nomine sæpe misericordia Dei significatur, quod illius natura huius conditioni congruit. Primo enim sicut supernatat oleum cæteris liquoribus, sic misericordia Dei superexaltat iudicium, & miserationes eius super omnia opera eius. Insuper sicut oleum uulnerum dolores mitigat, & sanat tumores & ulcera: sic Dei misericordia plagas animæ nostræ curat, iuxta illud: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Demum, sicut olim qui palestram subire debebant aut luctam, oleo delibuti prodibant in medium, quo eorum corpora ad id genus certaminis essent accõmodatiora: Sic in acie contra aereas potestates certaturis suam Deus misericordiam elargitur, ea nos præuenit suggeritq; uires, quibus in tam difficili prelio consistere ac uincere possimus. Hinc Dauid: In te (inquit) eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Et iterum: Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? &c. Porro, quod hic dicitur Christus in montem abijsse, aduersarijs suis dissipatis, umbra fuit futurorũ. Sic enim postea frustratis consilijs aduersariorum, ascendit in cœlum, daturus inde Spiritus sancti oleum, id est, uerum scientiæ lumen, & laborum dolorumq; requiem, & hoc modo reparatum per Apostolos suos habiturus esset cum aduersarijs suis aperte prædicationis conflictum.

Iacob. 2. Psal. 144. Psal. 102. Psal. 17. Psal. 26.

Et diluculo iterum uenit in templum.]

Vides quam strenue Christus opus suum executus sit: In domo (inquit) patris mei oportet me esse. Quo docemur, ut & nos indefesse uocationi nostræ inuigilemus. Iuxta illud: Mane semina semen tuum, & uespere non cesset manus tua.

Lucæ 2. Eccle. 11.

Et sedens docebat eos.]

Die præterito stabat & clamabat: Nunc autem sedens docet, quia uidelicet sic futurum erat, ut prius stans, id est, in passione agonizans clamaret, sicut supra dictum est, & postmodum gloriam ingressus, atq; ad dexteram patris residens, misso spiritu ueritatis doceret eos omnem ueritatem: Vel ideo nunc sedet, ut ostenderet se non timere Iudæorum insidias.

Ioan. 7. Marc. 16. Ioan. 16.

Adducunt autem Scribæ mulierem, &c.]

Hic uides, quam uere dictum sit: Dissipati sunt nec compuncti. Iam enim aliud machinamentum inuenerant.

Psal. 34.

Deinde

Deinde uides, quid causæ sit, quod toties Christum concionantem audierunt, nec tamen uel tantillum meliores effecti sunt, nempe, quod semper mala intentione accesserunt. Præterea uides hic, quid causæ sit, quod omnes alij à Christo consolati recedunt, exceptis solis Pharisæis, nempe, quia ficto corde accedebant, cum scriptum sit:

Sapien. 1. In simplicitate cordis quærite illum. Postremo uides hic uere Pharisaicas uirtutes, tum quod tam facile aliorum uitia uident, non autem sua ipsorum: tum, quod adeo non compatiuntur peccantibus, ut etiam inde quasi glorientur & gaudeant. Pharisæi enim & om-

Psal. 34. nes hypocritæ, dum uident alios peccantes, clamant: Euge, Euge uiderunt oculi nostri, nimirum, ut ipsi iustiores uideantur. Si ueri pastores fuissent, compassi essent miserę mulieri, quod in tantum pec-

2. Reg. 18. catum se coniecisset. Sic Dauid plus Absolonis peccatum quā mortem ipsius deflebat. Immo, etiamsi per legem illam punire cogerentur, tamen non cum gaudio, sed cum compassione, legis mandatum

Galat. 6. exequi debuissent. Sic Paulus docet: Si præoccupatus fuit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, &c. Sic Israelitæ, cum iustissime delessent tribum Beniamin fere totam, non tamen ob eam uindictam gloriati sunt, sed ieiunan-

Iud. 21. tes (inquit) fleuerunt, ac dixerunt: Domine Deus, cur factum est hoc malum, ut deleretur una tribus ex Israel? Hi autem Pharisæi nihil horum faciunt. Adduxerunt autem eam ad Iesum, quia enim supra Ni-

Ioan. 7. codemus eos ostendit contra legem agere, ideo nunc reparatis artibus, summo studio nituntur Christum constituere legis aduersarium, ut nemo deinceps mutire audeat contra ipsorum consilium.

Magister.]

Omni modo id agunt, ut possint Christum decipere, ne insidias eorum cognoscat. Ob eam causam, quem supra seductorem dixe-

Ioan. 7. runt, cuius doctrinam sæpe irridebant, cuius discipulos se nullo pacto futuros manifeste asserebant, dicentes cæco: Tu discipulus illius

Lucæ 14. Ioan. 9. sis, &c. hunc iam magistrum nominant, quasi blandis uerbis ei imposituri.

Psal. 61. Psal. 54. Psal. 27. Hi nimirum sunt, de quibus in Psalmo dicitur: Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Et iterum: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Et iterum: Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Sic omnes falsi Christiani & hypocritæ, conantur Deo imponere, dum externe simulant, quod in corde minime habent.

Sed audi Dauidem: Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Nunquid qui plantauit aurem, non audiet, & qui fin-

Psal. 93. xit oculum, non consyderat: &c.

Hæc

Hæc mulier modo deprehensa est.]

In Prouerbijs dicitur: Iustus in principio accusator est sui: Omnesq; sancti pro remissione peccatorum suorum Deum orant. Prouer. 18. Psal. 31.

Hypocritę autem sui ipsorum obliti, tantum alios accusant, imitantes Diabolum, qui accusator est fratrum. Non opus habet Deus, ut nos accusemus alios. Ipse enim uidet omnia: sed hoc agendum, ut nos ipsi corã eius iudicio consistere possimus, alioqui unum impium cum alio perdet. Apoc. 12.

In lege autem Moyses præcepit huiusmodi.]

Nedum aliorum peccata manifestant hypocritæ, nec contenti sunt confusione aliorum, sed insuper & pœnæ auidi sunt: interim non uident, quid ipsi commeruerint. Porro lex de adulteris lapidandis, habetur in Leuitico. Lex autem non ideo punit peccata, aut facinora, quod gladij pœna sit pro peccato satisfactoria aut facinoris expiatio: Sola enim mors Christi, est satisfactio pro peccatis. Sed puniuntur fontes gladio, ut auferatur malũ de medio populi, ne impunito facinore, populus exemplum malum sequatur, ac temporis diuturnitate iniquitatem non pro peccato, sed pro iustitia computet, peccatum enim impunitum non agnoscitur esse peccatum. Sicut olim latrocinia apud Germanos nullam habuere infamiam, & apud Gentiles fornicatio simplex, nullum reputabatur peccatum. Leuit. 20.

Deinde, non tantum ea peccata sunt coram Deo, quæ lex punit: Lex enim solum ea punit, quæ pacem publicam turbant, nec punit pro grauitate delicti, sed quantum satis est exemplo & Reipublicæ. Reliqua autem, quæ non turbant pacem publicam, etiam si maiora sint, tamen relinquit iudicio Dei punienda, ut sunt inuidia, odium, &c. Errabant igitur Pharisæi, se ideo iustos putantes, & coram Dei iudicio se posse consistere præsumentes, quod per legem puniri non poterant. Deinde etiam in hoc errabant, quod putabant adulterium tantum committi externo facto, ideoq; solam mulierẽ iudicant præceptum Dei transgressam, non autem seipsos, cum Christus dicat: Qui uiderit mulierem ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est, etc. Sed hypocritæ tantum externa ponderant. Matth. 5.

Tu ergo quid dicis?]

Quam pulchre imitantur patres suos, de quibus Dominus conqueritur: Rogant (inquit) me iudicia iustitiæ, & scire uias meas uolunt, quasi gens quæ fecerit iustitiam, &c. Isai. 58.

Sic hi quasi omnino immunes à peccato, sententiam contra mulierem expetunt, quasi nihil contra eos posset dici, cum tamen, ut iam dictum est, in pluribus peccauerint, quam mulier illa.

Hoc autem dicebant tentantes eum.]

Sciebant

Sciebant eum esse humilem & mitem, maxime erga peccantes.
Lucæ 7. Audierant eum peccatrici dicentem: Remittuntur tibi peccata tua.
Matth. 9. Audierant eum hoc idem dixisse paralitico, &c. Sperabant eum etiam eodem modo absoluturum mulierem hanc, sicq; haberent causam accusandi eum, tanquam legis aduersarium, & fautorem adulterij. Quod si pronunciasset adulteram lapidandam, habuissent occasionem eius autoritatem eleuandi & mendacij arguendi, ut qui multa de remissione peccatorum prædicaret, quam tamen ipse non præstaret.

Iesus autem inclinans se, &c.]

Vere se inclinauit Iesus, cum à seueritate iustitiæ ad mansuetudinem misericordiæ, à cœlo in terram se dimisit. Deorsum autem se inclinauit, usq; ad degustationem scilicet infirmitatis nostræ. Nam
Heb. 2. & per omnia fratribus assimulari uoluit, ut misericors fieret.

Ad literam autem ideo se inclinauit, ut quasi aliud agendo, & ueluti ancipiti quæstione dubius factus ac circumuentus esset, quæstionem declinando, ipsos importuniores redderet, sed in suam ipsorum confusionem. Secundo se inclinat, ac faciem auertit, quasi abominans eos, qui tam seuere alios iudicant, cum ipsi maioribus uitijs
Eccle. 28. obnoxij sint. Hinc Sapiens: Homo, inquit, homini reseruat iram, & à Deo petit misericordiam, &c. Tertio se inclinat, significans, ut demisso fastu ac supercilio, quo sibi quisq; blandiebatur, & animo supino proximum despiciebat, descenderet in sese, ut ex conscientia propriæ infirmitatis, disceret etiam misericordiam et modestiã ostendere erga proximum. Quarto ideo se inclinat, ut doceat in iudicio non præcipitare sententiam, nisi prius diligenter causa inspecta.
Iob. 29. Hinc Iob: Causam, inquit, quam ignorabam, diligentissime inuestigabam. Quinto se inclinat, ut ostendat se non uenisse ad iudicandos,
Lucæ 9. sed ad saluandos peccatores.

Digito scribebat in terra.]

Exod. 34. Per hoc admonuit eos legis, digito Dei scriptæ, ac per hoc indicat, se eum esse, qui olim legem dedit, & scripsit in tabulis, atq; adeo Dominum legis & omnino maiorem quam Moyses fuit, ideo se nec debere nec posse Moysis authoritate constringi.

Secundo per hoc ostendit differentiam legis & Euangelij. Lex in lapidibus scripta, duros reddidit homines: Euangelium in terrã fructiferam, hoc est, in cor hominis scriptum, fructiferos facit homines.

Lex in tabulis scripta nihil prodest, immo tantum superbos efficit, nisi scribatur in corde, id quod Deus pollicitus est, sed per Chri-
Hiere. 31. stum effecturum: Scribam (inquit) legem meam in cordibus eorum. Moyses legem scribere quidem potuit in tabulis & membranis, sed non in corde, ideo iustificare non potuit.

Volunt

Volunt autem quidam, quod Christus quasdam notas depinxit, quibus Pharisæi admonerentur singuli peccatorum suorum. Verum nihil opus fuit Christo huiusmodi notis, qui interne cuiq; sua peccata ob oculos potuit ponere.

Cum autem perseuerarent, erexit se]

Vbicunq; scriptura dicit, Deum se erexisse & surrexisse contra impios, semper sequitur insigne aliquod iudicium. Hinc Moyses ait: Exurge Domine, & dissipentur inimici tui, &c. Et Deus ipse: Leuabo, inquit, in cœlum manum meam, cum exacuero ut fulgur gladium meum, reddam ultionem hostibus meis. Sic hic contra perseuerantes in malo se erigit. Sic & erga nos, quamuis diu taceat, tamen si non cessauerimus peccare, tandem se eriget. Num. 10. Deut. 32.

Qui sine peccato est, primus in illam, &c.]

Prudentissima responsio, qua Christus nec legis sententiam de adulterio arguit, nec suam doctrinam de remissione peccatorum retractauit. Vtrunq; enim Dei uerbum est, & utraq; ad iustificationem hominis requiritur, ut scilicet per legem mortificetur, per Euangelium autem uiuificetur. Deinde adulteram nec damnat, nec absoluit. Ideo non damnat eam, quia uenerat non perdere, sed saluare. Lucæ 9. Ideo autem nec statim eam absoluit, ne uideretur damnare legem & gladium sæcularem, neue facinorosi putent se puniri non posse, uel debere per potestatem. Vide autem, quàm pulchre irridet irrisores. Ipsi certo sibi persuaserant, eum nihil respondere posse, quin seipsum illaquearet: Ipse autem media elabitur uia, quo docemur Dei sapientiam longius extendi, quàm nostram. Noli igitur Deum uelle arguere, si quando ratione tua comprehendere nõ potes ipsius uerba uel opera. Quod enim tibi uidetur impossibile, hoc ipse facile soluet. Hoc igitur uerbo Christus eos, qui alios temere iudicant, ad semetipsos remittit. Sic & alibi, cum quidam ei nunciarent de Galilæis, quos Pilatus occiderat, &c. ac per hoc sibijpsis placerent, quod non similiter puniti essent, dixit eis: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Deinde hoc uerbo exequat inter se hypocritas & externe facinorosos, ostendens eos legis iudicio, quod ad peccatum attinet, similes. Lex enim omnes concludit sub peccatum. Luc. 13. Rom. 11.

Quamuis enim hypocritæ externa legis pœna non afficiantur, tamen afficiuntur interna, immo æterna legis pœna, quæ est maledictio & damnatio. Est igitur sensus uerbi, quasi diceret, Hæc mulier non sola peccauit, sed & uos peccato obnoxij estis. Mulier peccauit opere, uos cogitatione & corde: Atqui lex non solum prohibet manum & opus, sed etiam animum & concupiscentiam. Non igitur uetto adulterã puniri, nec reijcio legis pœnam: sed hoc iubeo, ut qui immunis sit à peccato, primus in illam lapidem iaciat. Obserua

autem, quod Christus non hoc uult, ut omnino sine peccato sit, qui iudex esse debeat: Alioqui nullus unquam facinorosus posset plecti, quando nullus insons index, qui omnino sine peccato sit, reperiatur.

Non enim loquitur Christus hic de Magistratus functione. Nam qualis qualis iudex est, bene iudicat, si secundum legem & uerbum Domini iudicat: Non enim iudex sententiæ author est, sed lex. Iudex igitur criminosus non in hoc peccat, quod in facinorosum sententiam ferat, sic enim sententiam ferre sui muneris est: sed peccat, quod ipse non resipiscat, & in se non arguat id, quod in alio iure punit. Præterea maiorem accipit damnationem, & in seipsum sententiam pronunciat, si in altero damnat, quod sibi libere permittit.

Monentur igitur iudices hoc uerbo, ut iuste quod iustum est exequantur, hoc est, ut non tantum alios puniant, sed seipsos irreprehensibiles exhibeant.

Et iterum se inclinans, scribebat in terra]

Iterum se inclinat, ut quod dixerat, aliud agendo altius mentibus eorum inculcaret. Solent enim breuiter & acute dicta fortius inhærere, si inopinato alienis factis abrumpantur. Deinde ideo se inclinat, uultum alio conuertens, ut illi liberiorem haberent exeundi fiduciam, quos præuidebat citius exituros, quàm multa interrogaturos. Sicut autem bis in terram scripsit, sic duo uerba protulit, quorum primum est, uerbum iustitiæ & legis, quod omnes terret. Scribat igitur iterum uerbum misericordiæ, quo conscientia consoletur. Bis scripsit, quia legem & Euangelium dedit.

Audientes autem, unus post unum exibant]

Vides quàm facile eorum consilia dissipet, ac in contrarium uertat. Vnum uerbum loquitur, quod ferre non possunt: Non est con-
Pro. 21. silium contra Dominum. Exibant male sibi conscij & timentes, ne proderentur. Sic enim confunditur peccator in iudicio Dei, ut
Nahum. 3. constare non possit. Hinc Nahum: Ante faciem indignationis eius
Psal. 129. quis stabit? Et Dauid: Si iniquitates obseruaueris, quis sustinebit Domine? Si unam nec admodum iracundam uocem non possunt ferre impij, quomodo ferent tremendam illam uocem: Ite male-
Matth. 25. dicti in ignem æternum. Signanter autem dicit: *Exibant*, non conuertebantur. Sic impij fuga & excusatione uel occultatione peccatorum, conantur euadere iudicium Dei, sed frustra. Sic & Adam
Gen. 3. effugere noluit, abscondendo se: Non effugies iudicium, nisi ad Christum cõuertaris. Signanter etiam dicit, Incipientes à senioribus,
Dan. 13. ut uerum appareat illud Danielis: Iniquitas egressa est à senioribus Israël.

Remansit solus Iesus & mulier]

Solus

Solus Christus innocens est, ideo solus non habet timere iudicium Dei. Deinde etiam hi consistere possunt, qui apud ipsum manent, & in ipsum credunt, quemadmodum mulier hæc.

Erigens se Iesus]

Erectio hæc longe alia est ab ea, de qua supra dictum est: Illa enim iudicij, hæc misericordiæ est. Nec mirum, illic enim se erigebat contra perseuerantes in malitia: Hic autem se erigit ad peccata sua agnoscentem, timentem, & credentem.

Vbi sunt, qui te accusabant?]

Hoc quærit, ut ideamus eum non ideo sententiam proferre distulisse, quod se iudicem esse negaret, sed tantum, quia accusatores displicebant. Quamuis enim alibi dicat: Quis me constituit iudicem inter uos? tamen uere iudex est ad remittenda, uel retinenda peccata. Luc. 12.

Deinde quærit, ubi sint accusatores, ut doceat, nedum reorum, sed & accusatorum uerba audire & ponderare.

Nemo te condemnauit?]

Hoc quærit Christus, ut doceat, Euangelium relinquere Magistratui suam functionem inconuulsam. Nam Euangelium non administrat quidem gladium, sed tamen gladij authoritatem confirmat, & ratum habet, quod ille in rebus ciuilibus ad communem Reipub. utilitatem decernit. Vnde & in Prouerbijs dicitur: Pondus & statera, iudicia Domini sunt. Et Paulus: Potestas ordinatio Dei est, quomodo igitur Euangelium ordinationem Dei inuerteret? Proue. 16. Rom. 13.

Nemo Domine]

Vide quàm securi sint & consistant contra omnes aduersarios, qui in Christum confidunt. Potentissimos accusatores habebat hęc mulier, & tamen apud Christum permanens secura consistit. Vnde Paulus: Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu. Et Dauid: Non timebo milia populi circumdantis me, &c̄. Rom. 8. Psalm. 3.

Nec ego te condemnabo]

Vere Euangelicum uerbum, quo uel solo uidere possumus, quid à Christo expectare debeamus. Est enim sensus, quasi diceret, Magistratui quidem suum ius relinquo, sed cum ille te indemnatum reliquerit, nec ego te condemnabo. In hunc enim usum ueni, ut remittam peccata: hoc meum munus est, ut seruem, non ut condemnem.

Obserua tamen, quod gladij & Euangelij munera non sunt inter se contraria. Nam alterum est ciuile, pacem externam respiciens: alterum diuinum, ueram conscientiæ pacem administrans. Plectit quidem gladius sontes, sed quantum satis est ad publicam pacem: non autem plectit, quantum satis est ad facinoris expiationem coram iudicio Dei. Proinde, qui uoluerit à diuino peccatorum iu-

dicio liberari, siue per Magistratum plectatur siue non, ex me solo remissionem peccatorum per fidem impetrabit. Hoc autem uerbo docuit pastores, quanta lenitate & mansuetudine debeant uti aduersus eos, qui per infirmitatem prolabuntur in peccatum. Cum enim is, in quo nullum fuit peccatum, tam clementem se exhibuit erga peccatricem publicam, quanta debet esse lenitas Episcoporum erga delinquentes, quum ipsi nonnunquam magis egeant Dei clementia, quam illi, in quorum errata sæuiunt: aut si non tenentur paribus uitijs, certe non sunt omnino puri à uitijs, certe per humanam imbecillitatem in omne uitium prolabi possunt. Hinc Paulus: Instruite ipsum in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Gal. 6.

Vade, amplius noli peccare]

Quam uere dixit Dauid: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Misericordia est, quod dicit: Non te condemnabo. Iudicium autem, quod addit: *Noli peccare*. Non absre autem hoc monet Christus. Sicut enim incassum sumitur medicina, si post instauratam sanitatem per uitæ incontinentiam, qui conualuit in pristinum incidat morbum, quinimmo relapsus in ægritudinem periculosior esse solet, & quos prima ualetudo aduersa non extinxit, sæpius iterata post redditam incolumitatem ægrotatio sustulit è uita: Sic & frustra pœnitentiæ remedium sumitur, si post eam peractam ad pristinæ uitæ sordes reditur. Hinc ad languidum sanatum Christus dixit: Noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat. Hinc & Sapiens: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid profuit lauatio eius? Sic Semei semel misericordiam consecutus, cum iterum inobediens factus esset, periit. Idem contigit filijs Israël. Sic qui semel liberatus à spiritu immundo, iterum obsidetur, fiunt nouissima eius peiora prioribus. Quod autem aliqui (ut Nouatus) hinc colligere uolunt, relapsis non amplius patere uiam ad pœnitentiam, falsum est. Nam scriptura ubiq; & uerbis & exemplis ostendit, etiam quotiescunq; relapsis, tamen non negatam gratiam. Sic filij Israël sæpe Dominum irritantes, tamen cum clamarent ad Dominum, liberauit eos. Sic Ezechiel manifeste dicit: Quocunq; tempore quis conuersus fuerit, possit consequi remissionem. Hinc Petro dicitur, Vt nedum septies, sed septuagies septies remittat fratri peccanti. Sic prodigus filius, ad gratiam receptus est. Sic in Apocalypsi quidam arguitur, quod charitatem primam reliquerit, & admonetur, ut memor unde exciderit, agat pœnitentiam. Pſal. 100. Matth. 18. Luc. 15. Apoc. 2.

Ego sum lux mundi]

Non sine causa Ioannes huic sententiæ præmisit: Iterum ergo locutus est Iesus. Hoc enim uerbo nos uult admonere eius, quod supra dixit: Si quis sitit, ueniat ad me: Hoc (inquit) prius dixit. Nunc Ioan. 7.

iterum

iterum locutus est: *Ego sum lux mundi.* Congrue autem hæc duo coniungit. Vtrunq; enim nobis necessarium est, & aqua, qua lauemur & refocillemur: & lumen, ut uideamus, qua eundum sit. Hinc & Dauid hæc duo etiam coniungit: Apud te, inquit, est fons uitæ, Psal. 35.
& in lumine tuo uidebimus lumen. Deinde hoc uerbum pulchre etiam conuenit cum historia, quæ proxime antecedit. Si enim quæras, cur Pharisæi sicè templo unus post unum exierint, Respondet Christus: *Ego sum lux.* Qui enim male agunt, odiunt, & fugiunt Ioan. 3.
lucem. Indicat igitur hoc uerbo se acutius uidere, & districtius iudicare uel iudicaturum, quàm mundus. Ipse enim lumen est, coram quo nihil latere potest. Ideo in Sophonia: Scrutabor (inquit) Hieru- Soph. 1.
salem in lucernis, &c. Semper igitur timeamus, etiamsi coram mundo irreprehensibiles uideamur, ne coram Dei iudicio inueniatur tortum, quod uidebatur rectum. Secundo, hoc uerbo manifeste ostendit, Iudæos frustra laborare, eorumq; inuidiam nihil posse nocere gloriæ suæ: *Ego*, inquit, *sum lux mundi.* Quasi diceret, Quid uos impij noctis & tenebrarum filij, gloriam meam opprimere conamini? Nunquid non deridendi essetis, si solem istum uisibilem exsufflando extinguere, uel è cœlo deijcere, aut sub modium condere conemini? Nempe huic simile est hoc, quod nomen meum delere, & famam meam extinguere cõtenditis. *Ego sum lux mundi.* Ergo oculos quidem uestros claudere, & me ueram lucem non uidere, potestis: Verum totius mundi oculos eruere, uel istam lucem extinguere nequaquam præualebitis. Tertio ex hoc uerbo manifeste uidemus, quàm necessarius sit nobis Christus. Quid enim inter innumera pericula incedenti magis necessarium est, quàm lumen? Atqui Christus ipse dicit, Viam ad uitam esse angustam. In ea quoq; mille Matth. 7.
occurrunt pericula, quæ impedimento plærunq; sunt, ne optatam contingamus metam, sed aliò nos deducunt in perditionem. Nunc enim prærupta occurrunt præcipitia, nunc senticosa & spinis obsessa loca, interdum densis obducimur tenebris, interdum luto hæremus, & in lubrico uix bene pedem sistimus. Omitto diuerticula, in quæ facile ferimur, latronumq; insidias, qui uiam obsident: per hæc pericula solus Christus nos incolumes ducere potest. Quod igitur multis optandum esset uotis, & ingenti labore perquirendum, hoc ultro nobis offertur. Quarto, per hoc uerbum satis indicauit, & nos & nostra omnia meras tenebras esse. Quinto, per hoc etiam indicauit, se plus & maius quiddam præstare posse, quàm uel sol ille externus uel ratio nostra, uel lex, uel etiam Apostoli. Lucet quidem & sol ille externus, sed tantum uidentibus, tantumq; externa & corporalia ostendit. Est & ratio nostra quædam lux, sed in mundanis rebus tantum, in rebus spiritualibus nihil uidet. Præterea & lex Moysi lux est. Iuxta illud: Præceptũ Domini lucidum illuminans oculos, Psalm. 18.

sed tantum ostendit, quid agendum sit, non autem præstat uires perficiendi. Postremo etiam Apostoli lux sunt. luxta illud: Vos estis lux mundi, uerum non ex natura lux sunt, sed ex gratia. Deinde nec ipsi interne illuminare possunt. Quid autem prodest uidere externa, prudentem esse in rebus mundanis, uidere quid sit bonum, audire quid agendum sit, si non adsint uires perficiendi? Quod igitur neq; sol, neq; ratio, neq; lex, neq; Apostoli præstare possunt, hoc solus Christus præstat: *Ego*, inquit, *sum lux mundi*, nedum enim externe erudit, sed & interne illuminat. Denicq; & ex natura sua lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Nec solum iustitiæ doctor est Christus, sed etiam dator & effector iustitiæ. Vnde in Hieremia: In cordibus eorum, inquit, scribam legem meam. Qui igitur Christum habet, is uidet & quæ retro & quæ ante, quæ supra & quæ infra, quæ in nobis & quæ circa nos sunt. Signanter autem dicit: *Ego sum lux mundi*, non unius hominis tantum, nec unius Gentis tantum, sed omnium. luxta illud: Illuminat omnem hominem, uenientem in hunc mundum. Sicut enim sol lumen suum in omnes mundi partes proiicit: Ita & Christus splendorem suum proiicit non solum ad eos, qui post aduentum eius in carnem credunt in ipsum: uerum etiam in omnes priores, usq; ad Adam ipsum. Et sicut sol non minus pauperi lucet quàm diuiti, sic Christus sine acceptione personarum, gratiam suam in omnes diffundit, qui eam desiderant.

Matth. 5.

Hiere. 31.

Ioan. 1.

Qui sequitur me, non ambulat in, &c.]

Duobus modis sequimur Christum. Primo in eum credendo. Secundo eum in operibus imitando. Qui igitur Christum fide sequitur, is non ambulat in tenebris ignorantiæ & errorum, nec errare potest, quamdiu lumen hoc sequitur. Deinde penetrat omnium afflictionum quantumcunq; molestarum tenebras. Sunt enim peccatum, afflictiones, mors, Infernus, atq; adeo tota Adami hæreditas, tenebræ & densissima opacitas. Qui igitur tenebras peccati dispellere uoluerit, arripiat Christum, qui est uerum lumen per fidem, & mox peccatum aufugiet. Si tibi mortis & Inferni tenebræ molestæ sunt, habes in Christo lumen, uitam, & gaudium æternum, quæ bona licebit ut per fidem tua propria fiant. Hinc Paulus: Quis nos condemnabit, si Christus, qui mortuus est, interpellat pro nobis? Obserua autem, quod Christus dicit: *Qui sequitur me*, &c̃. Oportet enim, ut fide eum eiusq; uerbum sequamur, non ut antecedere uelimus nostra ratione. Non tamen satis est, Christum fide sequi, nisi & imitatione sequamur. Is enim qui uult, ut in eum credamus, etiam dicit: Discite à me, quia mitis sum, &c̃. Item: Exemplum dedi uobis, &c̃.

Rom. 8.

Matth. 11.

Ioan. 13.

Qui igitur sequitur Christum, non ambulat in tenebris peccatorum,

torum, sed habet mandata & exempla illius, tanquam ardentem faculam uitæ suæ indicem, ac cum Propheta lætus Deo concinit: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Cum econtra de malis dicatur: Nescierunt, non intellexerunt, in tenebris ambulant. Itemq; Fiat uia illorum tenebræ & lubricum. Hoc autem quanti sit periculi, Christus indicat, cum dicit: Qui ambulat in tenebris, offendit, & nescit quo uadat, &c̄. Psal. 118. Psal. 81. Psal. 34. Ioan. 12.

Sed habebit lumen uitæ]

Magna promissio. Consequitur homo ex assidua Christi imitatione lumen uitæ, quod interius animam illuminans, perducet eum tandem ad lucidam uiuorum regionem. Habet hic lumen gratiæ, & illic accipiet lumen gloriæ.

Obserua quod Christus lux est, impios offendens, pijs autem est lumen uitæ, hoc est, uiuificum, cæcos illuminans, mortuis uitam præbens, damnatis salutem conferens: Ipse enim est salus, uita, & redemptio.

Tu de teipso testimonium perhibes, &c.]

Vide impietatem. Nihil non agebant, ut hunc uitæ fontem obstruerent, & claritatem huius luminis obfuscarent. Omnes enim Christo testimonium ferentes cõdemnabant, eorumq; ora obstruebant. Testabatur Ioannes de ipso, sed à Pharisæis ipsis audijt: Dæmonium habet. Mirabantur ministri eorum loquelam Christi, & statim audierunt: Nunquid & uos seducti estis? Magnificabat eum turba, sed statim audierunt: Turba, quæ non nouit legem, maledicta est. Modicum quid locutus fuerat Nicodemus, & statim ei dictum est: Nunquid & tu Galilæus es? Nunc ipsius etiam Christi os obstruere conantur, ut uere de ipsis dictum sit in Isaia: Audite uerbum Domini illusores, &c̄. Dixistis enim, Percussimus fœdus cum morte, & cum Inferno pepigimus pactum. Tanto quippe studio, uitæ & ueritatis os opprimebant, tanquam mortis & Inferni fœderati essent. Vide & insignem eorum impudentiam, Omnis scriptura Christo testimonium perhibet, testatus fuerat de ipso Pater per uocem è cœlo & per signa, & tamen audent ipsum insimulare, quod solus de seipso testimonium ferat. Vide etiam insignem blasphemiam, qua Filium Dei atq; adeo ipsam Dei sapientiam & ueritatem, audent arguere mendacij, nec ob aliud quàm quod de seipso testimonium ferat, cum ob id uel maxime gratias agere deberent, quod Dei sapientia seipsam manifestauerit: Alioqui, quis ad eam pertingere potuisset? Ipse (inquit) dedit eam Iacob puero suo, &c̄. Matth. 11. Ioan. 7. Isa. 28. Baruch. 3.

Vt interim taceam, quod uitioso argumento utuntur. Non enim semper falsum est, quod quis de seipso dicit: Alioqui frequenter mentiti fuissent Prophetæ.

Et si ego testimonium de meipso perhibeo, &c.]

Dupliciter Christus modestiam in hoc uerbo ostendit. Primo, quod respondet, quamuis sciret eos indignos esse. Secundo, quod non conuitia regerit, cum potuisset ad eos loqui in ira sua, immo
Psal. 2. ipsos tanquam uas figuli confringere. Vtrunq; autem propter nos fecit, tum ut exemplum haberemus Christianæ modestiæ: tum ut nihil nos offenderet, quod Christus tam magnifica de se dixit.

Est autem sensus uerbi: Scio quidem inter homines parum authoritatis habere commendationem, qua quis seipsum commendat: scio item in iudicio humano inualidum esse testimonium, quod quis de seipso fert. Nec mirum: homo enim & fallere potest & falli, id quod sæpe compertum est. Mecum autem alia res est. Ego enim non tantum homo sum, sed & Deus, in quem mendacium cadere non potest. Igitur, etiamsi de meipso testimonium perhibeam, uerum est testimonium meum. Obserua, quod non aperte dicit, se Deum esse: non enim erant digni hoc audire, sed obscuris uerbis id ipsum insinuat: Scio, inquit, unde uenio, & quo uado. Per hoc autem satis innuit, se plus aliquid esse, quàm hominem. Nullus enim homo ex seipso scit unde uenit: immo nec illud scire potest, quomodo in utero coaluerit, sed neq; scit ex se, quid futurus sit: quia nescit homo fi-
Eccle. 9. nem suum, & omnia in futurum seruantur incerta. Scire autem de seipso unde uenerit, proprium eius est, qui non de nihilo, neq; de non existentibus temporaliter factus est, ut nos, sed de increata Patris essentia, sine tempore natus est, per quem ut essemus, creati sumus nos. Scire etiam quo uadat, nihilominus proprium eius est, quia uidelicet non alius quam ipse, uias suas disposuit, quas in hac mortalitate homo factus, propter nos ambulare dignatus est. Hoc igitur uerbo fidem nostram confirmemus, & nedum ludæis blasphemantibus, sed etiam cogitationibus nostris uacillantibus, secure respondeamus: Etsi Christus noster de seipso testimonium perhibet, uerum tamen est testimonium eius, quia scimus unde uenerit, & quo transierit.

Vos nescitis unde uenio, aut quo uado]

Apoc. 1. In Apocalypsi legimus, ex ore Christi procedere gladium ex utraq; parte acutum. Verba enim eius ex una parte ueritatem stabiliunt, ex altera falsitatem prosternunt. Iam igitur in eo uibrat gladium, ac causas indicat eorum incredulitatis & malitiæ: *Vos nescitis*, &c. quasi diceret, Si sciretis unde uenerim, non mendacij argueretis uerba mea. Deinde, si sciretis quo peruenturus sim, non tam impia contra me machinaretis. Sic uere in nobis omnis incredulitatis & diffidentiæ causa est, quod non attendimus Christū è cœlo uenisse. Deinde omnis impietatis & iniustitiæ causa est, quod non attendimus Christum ad Patrem redijsse, & in throno iudicij consedisse.

Hæc

Hæc igitur duo potissimum in Christo consyderanda sunt. Vnde uenerit, & quo peruenerit.

Vos secundum carnem iudicatis]

Hoc uerbo indicat, eos decipi externa specie, ac humilitate ipsius. Vnde & supra monuit eos: Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Est autem sensus uerbi, quasi diceret, Iudicium uestrum est carnale, non è spiritu Dei petitum. Insuper hæret in externa mea carnali facie, non penetrat in interiora, cum tamen hoc in promptu esset ex doctrina, ex testimonio Ioannis, ac ex tot miraculis. Monemur hoc uerbo, ut Christum non tantum ut hominem aspiciamus, sed ut Deum, alioqui dicemus: Num iste poterit nos liberare? Item uerba scripturæ non attendamus tantum ut uerba, sed ut uerba Dei, alioqui facile ea contemnemus. Ioan. 7. 1. Reg. 10.

Ego non iudico quenquam]

Dupliciter intelligitur. Primo, ego non iudico quenquam eo modo, quo uos, nempe iuxta externam laruam, nec ullum commendo iudicio carnali, sed spirituali, nec de quoquam testimonium fero, humana persuasione aut ratione permotus: Sed si quem commendauero, è iudicio spiritus eum commendo: si de quopiam testimonium fero, è iudicio Patris mei cœlestis fero. Aliter intelligitur hic locus de iudicio condemnationis, ut sit sensus: Nunc primo aduentu non ueni, ut condemnem, sed ut saluem, alioqui possem meipsum egregie de uobis uindicare. Magna autem Dei misericordia est, quod etiam impijs ad tempus parcit, ut habeant spatium conuertendi se. Item, quod antequam ueniat ut iudex, prius uenit ut saluator.

Et si ego iudico, iudicium meum uerum est]

Sicut supra probauit, se non posse mentiri in uerbis: sic nunc probat, se non posse errare in iudicio, ac per hoc iterum indicat, se homine maiorem esse. Homines enim & in uerbis fallere, & in iudicio falli possunt. Itaq; iudicium suum non aliunde uerum esse probat, quàm quod solus non est. Iudex qui solus est, hoc est, ex seipso tantum iudicat, facile errat: Qui autem secum habet in consilio uerbum Dei, is non errat. Quod autem Christus solus non est, pijs quidem consolationem adfert, impios autem summe terrere debet. Hinc in alio loco: Qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Et econtra: Qui me spernit, spernit eum, qui me misit. Ioan. 13. Lucæ 10.

In lege uestra scriptum est, quod duorum hominum, &c.]

Hoc

Hoc est, duorum testimonium in iudicio humano recipitur & uerum iudicatur, quamuis etiam duo testes, immo plures, interdum falsum testimonium dicant: id quod contigit ipsi Naboth, item Susannæ, item Christo.

Ego sum qui testimonium perhibeo, &c.]

Poterat alios testes adducere, ut Ioannem & alios, quemadmodum supra fecit: Verum, cum ipsi hominum de Christo testimonia nulla acciperent, eos testes producit, quos reijcere non poterant.

Est autem argumentum à minori, quasi diceret: Si duorum hominum testimonium accipitur, qui tamen fallere possunt: quanto magis mihi credendum, qui non sum solus, immo cui ipse Deus testimonium perhibet, qui aliàs semper legitur superbis restitisse, ut patet in Maria sorore Moysi, item Chore & Dathan, &c.

Num. 12.

Num. 16.

Me autem dicentem, quod Filius Dei sim, nusquam refellit, quin potius operibus & signis de me testificatus est. Discamus & ex hoc uerbo, fidem nostram confirmare. Non enim est, quod quicq; dubitemus de uerbis Christi, cum audiamus eum tale testimonium habere.

Vbi est pater tuus?]

Contemptim hæc dicuntur, quasi dicerent. Multum gloriaris de Patre tuo, quasi nesciamus fabrum illum Ioseph patrem tuum esse, qui æque homo est & mendax, ut tu. Denicq; & suspecta sunt Patris de Filio testimonia, propterea, quod parentum iudicia de filijs, cæco amore fere corrumpantur.

Neq; me scitis, neq; Patrem meum]

Non respondet ad quæstionem, quia indigni erant. Deinde, quia calumniandi ansam quærebant. Docemur autem hoc uerbo, quid sit nosse Christum uel Deum. Videbant illi Christum, audiebant eum, nouerant patriam & parentem, & tamen uere de ipsis dicitur, quod eum nesciebant. Christum enim nosse, non est eum uidere, audire, historiam incarnationis & mortis eius legere: sed credere, & scire quam ob rem & natus & passus sit. Deinde sciebant illi nedum ex lege, sed etiam ratione naturali Deum esse, & tamen uere de ipsis dicitur, quod Deum nesciant. Deum enim nosse, non est legem scire, aut ratione carnali de Deo cogitare. Ratio enim nunquam perfecte ostendere potest Deum. Lex autem, etiamsi Deum ostendit, uerum tantum ut iudicem eum proponit. Hoc autem non est perfecte nosse Deum, nisi eum cognoscamus & Patrem esse. Hoc autem in solo Christo uidemus, ideo subdit.

Si me sciretis, forsitan & Patrem meum, &c.]

Lex est facies Dei irati, Christus uero est facies Dei fauentis & saluantis. Ideo & supra dixit: Deum nemo uidit unq;, unigenitus, Filius ipse enarrauit nobis: Christus enim est expressa imago Patris.

Ioan. 1.

Heb. 1.

In

In Christo uidemus Deum esse Patrem, in Christo uidemus Dei uoluntatem esse non perdere, sed saluare, etiamsi aduersa immittat.

Hæc uerba locutus est Iesus in Gazophilatio]

Magna fiducia, quod sine timore in loco celebri, & pene solis Principibus accessibili, hæc dicere ausus fuit. Nec enim uulgo nisi singulis aduentantibus, & æra mittentibus, Gazophilatium frequentabatur, Principibus & Pharisæis circa lucra maxima læto spectaculo considentibus.

Nemo misit in illum manus, &c.]

Hoc toties repetit ad nostram consolationẽ, ut sciamus, ne capillum quidem posse de capite nostro perire, nisi bona Dei uoluntate.

Dixit ergo eis iterum Iesus]

Christus boni medici functus officio, postquam leuiora & blandiora remedia uidet nihil prodesse, nunc acriora admouet, sectionem, cauterium, ustilationem, hoc est, asperam comminationem, immo æternam interminatur mortem, ut hac saltem ratione ad saniorem reuocentur mentem. *Ergo*, inquit, quia perseuerantes in malo, quærebant animam eius, & omni ratione carentes, uim faciebant, & dolos tota die meditabantur, nec ob aliud manus suas continebant, nisi quia nondum uenerat hora eius. *Dixit eis iterum.* Nam & supra hæc eadem dixit. Bis enim loquitur Deus contra impios. In præsenti scilicet tempore, si forte emendentur. In futuro autem loquetur ad eos in ira sua, nec uerba tantũ erunt, sed in furore suo etiam conturbabit eos, immo confringet eos tanquam uas figuli. Psalm. 37. Ioan. 7. Psal. 2.

Ego uado]

In præsenti loquitur, non in futuro, tum ad designandam rei certitudinẽ: tum quia nunq; constitit, sed semper in progressu fuit. Vado, quia sicut lux ad illuminationem omnium procedo, quod impedire non poteritis. Vado, quia per passionem, resurrectionẽ, et ascensionem ad Patrem, tanquam ad fontem lucis redeo. Vado, quia excæcatis uobis, ad Gentes me conuertam. Hoc igitur uerbo primo ostendit, se præscire mortem suam, ac idem plane est cum eo, quod Iudæ dixit: Filius quidem hominis uadit, &c̃. Sed uæ homini, per quem tradetur: Melius erat illi, si non fuisset natus homo ille. Deinde hoc uerbo indicat, crucem suam non illorum potestatis, sed suæ uoluntatis esse: Ego, inquit, sponte uado, alioqui nihil possetis contra me. Sic & in alio loco dicit: Potestatem habeo ponendi animam meam: Nemo eam auferet à me, sed ego ipse ponam eam. Præterea hoc uerbo palam eis prædicit futuram eorum excæcationem. Matth. 26. Ioan. 10.

Monemur

Monemur & nos hoc uerbo, ne tempus gratiæ sine fructu transire sinamus: non enim semper habebimus tempus hoc gratiæ: Ego uado, inquit.

Et quæretis me]

Primo, quia me recipere nolentes, alium quendam quæretis, iuxta illud: Ego ueni in nomine Patris mei, & non accepistis me: Si alius uenerit in nomine suo, hunc accipietis. Secundo quæretis me persequendo in Apostolis, ut extinguatur nomen meum. Post glo-
Psal. 111. rificationem enim meam, magis irascemini, dentibus frendetis & tabescetis, sed desiderium uestrum peribit, non nomen meum.

Tertio quæretis me, hoc est, iustitiam (nam Christus iustitia est)
Amos. 4. per legis opera, sed frustra. Hinc Amos: Circuibunt, inquit, quærentes uerbum Domini, & non inuenient. Quarto quæretis me, hoc est; salutem, uitam, gaudium, fœlicitatem, & redemptionem: Quærunt enim etiam impij hæc bona. Atqui nusquam ea reperiun-
1. Cor. 1. tur, nisi in Christo: Christus enim est salus, redemptio, & sanctificatio, &c. Obserua quod dicit quidem: Quæretis me, sed non addit, Inuenietis. Quid autem miserabilius, quàm in morte quærere uitam & non inuenire, in cruce gaudium quærere, in desperatione conso-
Heb. 12. lationem, &c. & non inuenire? Sic Esau cum lachrymis quærebat locum pœnitentiæ, & non inuenit. Sic Iudas referens triginta argenteos, quærebat alleuiationem conscientiæ, sed non inuenit. Mo-
Isa. 55. nemur igitur hoc uerbo, ut quæramus Dominum, dum inueniri potest, & eum inuocemus, dum prope est. Huc pertinet, quod Paulus
Gal. 6. ait: Dum tempus habemus, operemur bonum. Et iterum: Ignoras,
Rom. 2. quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.

Et in peccato uestro moriemini]

Tripliciter intelligitur. Primo, *In peccato uestro moriemini*, quia in eo perseuerabitis usq; in finem. Secundo, quia peccatum ue-
1. Ioan. 5. strum mors est animæ uestræ, uel est peccatum ad mortem, pro quo orari non potest, est peccatum in Spiritum sanctum & irremissibile.
Matth. 12. Tertio, quia propter peccatum uestrum etiam corporaliter occidemini à Romanis. Prædicit igitur eos & corpore & anima perituros, id quod terribilissimum est. Mori in se quidem terribile est,
1. Cor. 15. uerum si non adsit peccatum (quod stimulus mortis dicitur) mors nocere non potest. Vbi autem peccatum accesserit, iam & corpus & animam occidit in perpetuum. Discamus hic, quàm pernicio-
res sit peccatum, meretur excæcationem, occidit animam, adducit &
Eccles. 21. mala externa. Merito igitur Sapiens monet: Tanquam à facie colubri fuge peccatum.

Quo ego uado, uos non potestis uenire]

Christus

Christus transijt ad gloriam Patris, ad requiem cœlestem, aduitam sempiternam. Qui aũt eum illuc sequi non potest, quid eũ aliud manet, quàm perpetua confusio, miseria, et mors? Vides quæ sint stipendia peccati, & quantũ stilliauerit ira Dei super filios illos diffidentiæ. Ideo autem tantam in Iudæos iram effudit, ad terrorem nostri. Nam & Sapiens ait: Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Videamus igitur, ne incidamus in idipsum incredulitatis exemplum: Hodie si uocem eius audieritis, ait Dauid, nolite obdurare corda uestra, sicut patres, quibus iurauit in ira, quod non intrarent in requiem suam. At illos quidem ploraſſe legimus, cum audissent se non ingressuros terram promissam: quanto magis terrere nos debet, quod Christus hic contra impios dicit: *Quo ego uado, uos non potestis uenire?* Proue. 19. Heb. 3. Psal. 94. Num. 14.

Nunquid interficiet semetipsum?]

Vide impietatem, adeo non contremiscunt ad iudicia Dei, ut insuper irrideant. Sic enim impijs ludibrio sunt omnia Dei uerba. Sed ueniet tempus, quando illusores illudentur: Væ qui spernis, nonne & tu sperneris? Deinde uide, quàm uere dixerit Christus: Quomodo potestis bona loqui, cũ sitis mali? Est enim animus hominis sicut fons iugiter scaturiens, quę intra se cõcipit, qui si syncerus fuerit, talia etiam sensa & uerba expromet. Sin autem malus aut liuore corruptus, nihil rectum, nihil amicum meditabitur. Isa. 33. Matth. 12.

Vos de deorsum estis, &c.]

Deorsum hoc loco creaturarum proprietatem sortemq; significat, ratione creationis Deo subiacentem: Superius uero, diuinam naturam omnia supergredientem. Hoc igitur uerbo suæ naturæ excellentiam super alios indicare uoluit. Vel, de deorsum & infernis esse, est rebus inferni & mundi captiuum esse, nec ultra eas progredi posse. Res autem infernę sunt peccatum, mors, afflictio, gloria, pompa, diuitiæ, potentia, & id genus carnalia. Res autem superiores sunt, iustitia, fides, gaudiũ, in Spiritu sancto fœlicitas ęterna. Secundũ hoc igitur causam indicat, cur uerbis ipsius credere nõ possint, nimirũ, quod homines essent peccatores, mendaces, carnalibus affectibus obnoxij, liuore pleni, superbia tumidi, &c. Simplicissime autem per de deorsum esse, intelligit naturam in eis corruptam, in se autem minime.

Vos de mundo estis, ego non sum]

Vos estis mundi incolæ, ego sublimioris mundi incola sum: Vos carnales, ego spiritualis: Vos de terra terreni, ego de cœlo cœlestis. Proinde, non potestis me carnali ratione comprehendere, sed sola fide. Vel per hoc uerbum indicat, in eis non tantum corruptam esse naturam, sed etiam affectum. Non solum de deorsum estis, hoc est,

homines, ſed etiam de mundo, hoc eſt, mali. Pij homines etiam de deorſum ſunt, quia homines: ſed non ſunt de mundo, quia non ex affectu mali ſunt. Obſerua quod Chriſtus magni probri uice eis obijcit, quod ſint de mundo, cū nos nihil magis quæramus, quàm eſſe in mundo. Vere igitur graue uerbum eſt: *Vos eſtis de mundo*, ergo
Ioan. 17. cum mundo peribitis. Nam Chriſtus non orauit pro mundo. Perire autem neceſſe eſt omne id, pro quo Chriſtus non orat. Caue autem, ne cum Manichæo hic intelligas, quaſi Chriſtus carnem è cœlo adduxerit, & nihil de uirgine ſumpſerit. Nam & infra de Apoſtolis dicit, quod non ſint de mūdo, qui tamen uere carnales parentes habuerant. Sed non eſſe de mūdo, eſt non ſolum carnali generatione, uerū
Phil. 3. etiam ſpirituali natum eſſe, & municipatum ſuum habere in cœlis. Sic Chriſtus non erat de mundo, quia non ſolum de matre corporali natus eſt, ſed etiam à Patre cœleſti ab æterno. Similiter & Apo-
Epheſ. 2. ſtoli & omnes pij non ſunt de mundo, quia renati ſunt ex Chriſto, et
Heb. 11. habent municipatū ſuum in cœlis, ideo profitentur ſe hoſpites & peregrinos eſſe ſuper terram.

Ideo dixi, Moriemini in peccato uestro]

Repetit quod ſupra dixerat, ut quod prima exhortatione non inhæſerat, ſaltem ſecunda aut tertia inhæreret. Ita enim faciunt, qui duræ ceræ conantur imprimere formam. Si primo conamine fruſtra tentarunt formam inducere, ſuperaddunt ſecundum aut tertium conatum, & improbo tandem labore aſſequuntur quod expetunt, niſi uſq; adeo dura ſit, ut omnino formam non recipiat, &c. Deinde hoc uerbo rationem reddit eorum, quæ ſupra dixit. Ideo enim ab eis receſsit Chriſtus: ideo eum quærunt nec inueniunt: ideo in peccato moriuntur, nec unquam poſſunt uenire ubi ipſe eſt, quia de deorſum ſunt & de mundo. Neceſſe eſt igitur, ut aliquid plus ſimus quàm homines, utq; è mundo ad cœleſtia tranſeamus. Hoc autem fieri non poteſt, niſi per eū, qui è ſupernis, & non de mundo eſt, ideo ſubdit.

Si enim non credideritis, quod ego ſum, &c.]

Vide quantum malum ſit incredulitas. Vbi enim ea eſt, ibi manent omnia peccata. Proinde quiſquis in incredulitate moriē, in omnibus ſuis peccatis moritur, etiamſi multa habeat iuſtitiæ opera. Vbi uero eſt fides uera & uiua, ibi abſorbētur omnia peccata, & in profundum
Mich. 7. maris (ut Propheta ait) omnes iniquitates noſtræ proijciuntur.

Vides igitur hic, quàm neceſſaria ſit fides in Chriſtum, quantūq;
Heb. 11. malum ſit incredulitas. Huc pertinet, quod Paulus ait: Sine fide im-
Deut. 18. poſsibile eſt placere Deo. Hinc & per Moyſen dictum eſt: Qui non audierit Prophetam illum, ego ultor exiſtam. De Chriſto autem credere oportet, quod ipſe eſt, ſcilicet is, qui in lege promiſſus eſt, uel

quod

quod ipse simpliciter est, quemadmodum & ad Moysem olim dictum est: Ego sum qui sum. Item: Qui est, misit me, &c. Exod. 3. Deinde etiam hæc duo de Christo credenda sunt, scilicet quod è supernis, hoc est, de superno Patre natus est Deus uerus, & quod in mundo natus, nihil eorum quę in mundo sunt uitiorum uel peccatorum admiserit.

Tu quis es?]

Supra interrogauerunt, Vbi est Pater tuus: Nunc quis ipse sit interrogant. Sup. c. eod. Vtilissimæ plane quæstiones, si mens nō leua fuisset. Nihil enim utilius quæri potest, uel Christo teste, qui dicit: Hęc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum, etc. Ioan. 17. Verum Iudæi, utrunq; malo animo quærebant. Obserua, quod Iudæi ex sermonibus Christi nihil proficiūt, nisi quod aut murmurāt, aut curiose interrogant, ut hic: aut ut plurimum admirantur, nunquam aūt credunt uel emendantur. Sup. c. 6. Quibus similes sunt illi, qui semper discentes, tamen nunquam ad scientiam ueritatis perueniunt. Atqui, doctrina Christi non tantum uult sciri, sed opere quoq; compleri. 2. Tim. 3.

Principium qui & loquor uobis]

Sic habent Latini codices. Est autem sensus: Sum principium omnium rerum, ex quo omnia suum sumpserunt exordium, per quod omnia cōstant: Principium, per quod facta sunt omnia, per quod facta sunt sæcula, in quo creauit Deus cœlum et terram. Necesse est aūt, Ioan. 1. Heb. 1. rerum omnium authorem Deum esse, quare nuncupatione principij perspicue se Deum esse indicauit. Cum aūt subdit: *Qui & loquor uobis*, se hominem pro nobis factum insinuat, qui presens uerba, quæ à patre audiuit, nunciat. Cæterum, sicut Filius Dei principium est, in quo omnia condita sunt: sic & consummatio est & finis, in quo uniuersa instaurata sunt. Vnde in Apocalypsi dicit: Ego sum, Α & ω, hoc est, principiū & finis. Vel aliter, quod Christus hic dicit: *Principium*, &c. idem est, ac si dixisset, seipsum esse, qui erat, qui est, & qui uenturus est. Nā quia erat, principium se appellat. Et quia est, statim subiungit: *Qui & loquor uobis*. Et quia uenturus est, scilicet ad iudicādum uiuos & mortuos: Multa, inquit, habeo de uobis loqui, etc. Vere magnum testimonium, sed impijs admodum terribile. Pijs autem summe consolatorium. Ex eo enim uident, se non recentem adorare Deum, sed eum qui ab æterno uerus Deus erat, quiq; ut priores saluauit, sic & eos tempore futuro saluare possit. Græci autem hunc locum sic legunt: In primis uel principio, quod & loquor uobis. Hoc autem aliqui sic exponunt: Id plane sum, quod in primis uel principio huius sermonis uobis dicebam, nempe lux mundi. Genes. 1. Ephes. 1. Apoc. 1. Ioan. 8.

Alij sic: In primis, quod & loquor uobis, hoc est, omnino idipsum uerbum sum, quod loquor uobiscum. Est enim Christus uerbum Patris, quod omnibus sæculis annunciatum est. In plenitudine uero
Ioan.1. temporis, caro factum habitauit in nobis. Alij hoc uerbum ad sequentia referunt, ut sit sensus: In primis hæc dico uobis, quod multa habeo de uobis loqui & iudicare, &c. Nam responsione alia digni non estis.

Quodcunq; autem ex iam dictis accipias, pius est sensus. Nam Christus & lux, & Principium, & uerbum, & iudex est.

Multa habeo de uobis loqui, &c.]

Idem est cum eo, quod alibi dicit. Cum accepero tempus, ego iu-
Psal. 74. stitias iudicabo. Vide autem emphasim uerborum. Primo, *Habeo*, inquit, loqui de uobis, quasi diceret. Iam quidem loquor inter uos uerbum Euangelij, sed habeo etiam alia suo tempore loqui, nempe
Psalm. 2. ea, de quibus Dauid: Tunc loquentur ad eos in ira sua, &c.

Secundo, habeo etiam iudicare. Christus enim sicut piorum est aduocatus & saluator, sic impiorum est & accusator & iudex. Quis autem te excusabit, ubi filius Dei te accusabit? Quis te saluare poterit, ubi filius Dei te condemnabit? Tertio addit: *De uobis*. Sunt & alij
Mich. 6. iudicandi & condemnandi, sed uos maxime. Hinc in Michea: Populе meus quid feci tibi? &c.

Quarto addit: *Multa habeo loqui*. Non enim unam tantum accusationem contra nos habebit. Vide quàm terribile sit uerbum hoc.

Multis, inquit, nominibus uos accusare possum. Primo, quod nullus inter uos sit, qui non peccatis scateat. Deinde quod uerbum salutis & gratiæ spernitis. Postremo, quod iudicium meum perinde ut somnium quoddam irrideatis.

Sed qui misit me, uerax est.]

Quasi diceret. Possem quidem etiam nunc condemnare, sed qui misit me, promisit omnibus misericordiam hoc primo meo aduentu. Igitur, ut uerax inueniatur, nūc neminem iudico, sed misericordiam omnibus offerens, iudicium differo in futurum. Vel aliter, ut sit comminatio, quasi diceret. Nunc quidem minæ meæ uobis uanæ uidentur, propterea, quod uerbum nudum non mox sequatur executio, est tamen uerax Pater, qui nunc quidem differt sententiam, sed postea eam suo tempore reuelabit, nec uos impiam uestram incredulitatem impune feretis. Propterea, quod citius cœlum & terra ruerent, quàm uel unum iota in uerbo Dei mendacij argui possit. Obserua quod irretractabile est, quod Deus loquitur, utcunq; impij & incredu*li* id
Zach. 12. contemnant. Videbunt enim suo tempore, in quem conpunxerunt. Potest autem hoc uerbum etiam sic accipi, ut si cõprobatio eius, quod

supra

ſupra dixit: Ego ueni in nomine Patris mei, alius ueniet in nomine ſuo. Ideo poſtquam dixit: Ego loquor uobis, ſtatim Patris teſtimonium adiunxit. Obſerua autem, quod cum dicere poſſet: Qui genuit me uerax eſt, maluit dicere: *Qui miſit me.* Hoc enim priori æquipollens eſt, & in auribus hominum præſertim inuidorum atq; ſuperborum magis gratioſam humilitatem redolendo, tolerabilius eſt & tardius calumniæ patet. Supra c. 5.

Et ego quæ audiui ab eo hæc loquor]

Supra dixerat: Ego ſum qui teſtimonium perhibeo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me. Vtrunq; autem probandum erat. Ideo poſtquam præcedenti uerbo Patrem ueracem eſſe comprobauit: Nunc etiam ſuũ ipſius teſtimonium uerum eſſe conuincit. Non, inquit, alia loquor, quàm quæ audiui à Patre, qui uerax eſt. Vnde conſequitur & uerba mea, uerba ueritatis eſſe. Obſerua quod Chriſtus dicit, ſe ea tantum loqui, quæ à Patre audiuit: ergo uerba eius, uerba Dei Patris ſunt, ſecure igitur eis adhærere poſſumus. Ioan. 8.

Et non cognouerunt, quia Patrem ſuum, &c.]

Supra dictum eſt, quod eum ideo perſequebantur, quod Patrem ſuum dicebat Deum. Hic autem uidetur contrarium dicere: Verum non tam excuſat eorum ignorantiam, quàm intelligere nolentem demiratur malitiam, quia dicta eius ſe aduertiſſe diſſimulabant.

Dixit ergo eis iterum]

Ergo, inquit, quoniam non cognouerunt, quod Patrem ſuum diceret Deum, quoniam teſtimonium eius non acceperunt, & maleuoli auditores defenſionem ueritatis non audierunt: nunc quaſi concluſionem facit & terminum orationis. Ioan. 5.

Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc, &c.]

Hoc eſt, Nunc uideor uobis uanus, ſed poſtquam crucifixeritis me, & ego reſurrexero, tunc apparebit uerbi mei ueritas: Dixi me eſſe fontem uitæ, panem uiuum, lucem mundi, Filium Dei, à Patre Deo in ſalutem hominũ in hũc mundũ miſſum. Huius uerbi ueritas declarabitur per crucem & ſequentem reſurrectionem, ſicut Paulus ait: Declaratus eſt Filius Dei in uirtute, per reſurrectionem à mortuis, &c. Hoc autem uerbo Chriſtus nedum mortem ſuam, ſed & genus mortis, & fructum denicq; eius prædixit, ut ſciamus, eum uoluntarie paſſum. Obſerua autem, quod mortem ſuam exaltationem ſuam nominat, ſicut infra iturus ad mortem dicit: Pater clarifica filium tuum, per mortem enim intrauit in gloriam ſuam, & quia ſeipſum humiliauit, etc. Deus ipſum exaltauit, et dedit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, &c. Ioan. 4. Rom. 1. Ioan. 17. Lucæ 24. Phil. 2.

Sic impij quanto magis iustos opprimunt, tanto magis eos exaltant. Et hæc est piorum consolatio, quod etiam mala & aduersa eis ad gloriam & exaltationem cedunt.

Tunc cognoscetis, quod ego sum]

Resurrectio Christi, est optimum uerbi Christi testimonium, quo docuit re ipsa, se esse peccati, mortis & inferni uictorem, ac se omnibus per mortem suam donare peccatorum remissionem, & per resurrectionem iustitiam. *Tunc*, inquit, *cognoscetis*. Potest de his intelligi, qui post mortẽ eius dixerũt: Vere Filius Dei erat homo iste. Vel, qui percutientes pectora sua, reuertebãtur: Vel qui postea prędicante Petro, crediderunt. Quod si etiam hi, qui Christum crucifixerunt, remissionem adipisci potuerunt, nec nobis desperandum est.

Matth. 27. Lucæ 23. Actо. 2.

Potest etiam hoc uerbum de impijs Iudæis & alijs intelligi. Resurrectio enim Christi, confusio est aduersariorum omnium, quasi diceret. *Tunc*, inquit, *cognoscetis*, quia uirtus Dei, qua ego à mortuis excitabor, uestra studia uana & irrita declarabit. *Tunc*, inquit, *cognoscetis*, quia cœli annunciabunt gloriam meam, & in omnem terram exibit sonus eorũ. Videbitis quidem tunc, sed ad confusionẽ uestram non ad salutẽ, sicut Isaias prędixit: Videant & cõfundantur zelantes populi, & ignis hostes eius deuoret. Admodum autem terribile est uidere, sed tantũ ad propriam confusionẽ: id quod omnibus impijs in iudicio continget. Possumus etiam sic intelligere uerbũ hoc: *Tunc cognoscetis*, &c. quasi diceret. Non uidebitis quantum sit peccatum uestrum cõtra me, donec ipsum perfeceritis. Hoc enim agit Diabolus, quod grauitatem peccati non prius manifestat, quàm perpetratum sit, id quod in Iuda uidemus. Væ autem ei, qui tum primum peccatum suum uidet, cum tempus gratiæ præterijt.

Psal. 18. Isa. 26. Matth. 26.

Et quod ex me ipso facio nihil, &c.]

Quasi diceret, Resurrectio declarabit, me esse Filium Dei Patris, qui me ita misit, ut non à me discedat. Quatuor aut per ordinem dicit, in resurrectione sua manifestanda.

Primum, quod nihil à se ipso fecerit, &c. Sic enim in lege uerus Propheta iudicatur, si quod prædixit eueniat. Secundum, quod Pater cum ipso est, alioqui quomodo ex tantis malis emergere potuisset. Tertium, quod Pater eum non relinquit. Videbatur quidem in passione relictus, sed resurrectio contrarium probauit. Quarto addit causam, quia quæ placita sunt ei facio semper. Hoc Christi proprium est: Nemo enim præter ipsum, semper uoluntatem Dei facit. Obserua hic, de quibus rebus Christus glorietur, nempe, quod à se ipso nihil facit, sed tantum ea, quæ Patri placent, ut discamus & nos non in malefactis gloriari. Deinde obserua, quod Deus cum illis est, ne relinquit eos, qui quæ placita sunt illi faciunt.

Deut. 18.

Hæc

Hæc illo loquente, multi crediderunt, etc.]

Bonum quidem & laude dignum erat, quod quidam crediderũt, moti uerbis Christi. Verum infra audies eos, quos hic commendat, multo importuniores fuisse erga Christum, quàm hi, qui aperte hostes eius se profitebãtur: Pharisæi quidem omnibus sermonibus eius contradicebant. Hi autem, de quibus nunc est sermo, hoc non contenti, insuper conuitia & blasphemias addunt, Samaritanum & dæmoniacũ eum nominantes, ac tandem etiam ad lapides currunt. Per hoc autem præsignatum fuit, Christum nedum ab incredulis & extraneis, sed etiam ab his, qui eius nomen præferunt, immo omnium maxime, contemnendũ. Id quod uidemus fecisse Arrium, & alios hæreticos, & adhuc uidemus facere malos Christianos. Atq; hoc est, quod olim prędixit per Dauidẽ: Super omnes, inquit, inimicos meos factus sum opprobrium uicinis meis, &c. Et iterũ: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utiq;: Tu aũt homo unanimis, &c. Et iterum: Qui edebat panes meos, magnifice me supplantauit. Summa, sicut multi hic credidisse dicuntur, qui tamen nihilo meliores effecti sunt, quemadmodũ & supra, Iesus non omnibus etiam credentibus seipsum credebat, sic indubie et nunc non omnes agnoscit de fide gloriantes. Non enim satis est dicere: Credo in Christum, id quod ex sequentibus patet. Alioqui etiam nobis dicet: Quousq; dicitis mihi: Domine Domine, & non facitis quæ dico? Infra eo. 8. Psal. 30. Psal. 54. Psalm. 40. Ioan. 2. Lucæ 6.

Si manseritis in sermone meo, &c.]

Quemadmodum artifex industrius, cum iacta fuerint ædificij prima exordia, laborat opus absoluere, nec cessat, quousq; extremã ei manum imposuerit. Sic Christus, uidens iacta in aliquorum cordibus, ex uerbis suis uere fidei fundamenta, nunc ad cõsummationem spiritualis ædificij, sola perseuerantia consequendam annititur. Congrue autem ad perseuerantiam hortatur, quia sciebat eos non perseueraturos. Est autem sensus uerbi, quasi diceret. Parum est sermonem meum auribus hausisse, & ad tempus seruasse: Nam multi sermonem meum audierunt, & tamen retro abierunt. Ioan. 6.

Quid autem prodest durum subijsse certamen, si animo fracto tandem hosti manus tradamus? Non incipientibus, sed perseuerãtibus salus promittitur. Memores estote uxoris Loth, quæ conuersa retro in statuam salis est mutata. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Proinde nolite uobis blandiri, quod sermonem meum audieritis. Nisi enim in ipso permanseritis, nihil proderit uobis. Dupliciter autem manemus in in sermone Christi. Primo per fidem ei adhærendo contra omnes uel hæreticorum uel Gentilium cauillationes, uel etiam contra quascunq; temptationes. Matth. 10. Genes. 19. Lucæ 17. Lucæ. 9.

Secundo in sermone Christi manemus, opere ipsum adimplendo et perseuerando.

Vere discipuli mei eritis]

Consequitur ex hoc loco, aliquos falso esse uel dici discipulos Christi, quales fuerunt, de quibus Ioannes dicit: E nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Porro, si uere discipuli Christi sunt, qui in sermone eius permanent: Consequitur, eos non uere discipulos esse, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Itemq; qui Christum quidem uerbis profitentur, sed factis negant. Iam, si secundum hanc regulam iudicandum est, omnino pauci erunt uere Christiani, ut non frustra dictum sit: Multi uocati, pauci electi.

1. Ioan. 2.

Lucæ 8.

Matth. 20.

Et cognoscetis ueritatem]

Ne quis existimet parui esse momenti, ad discipulatum Christi asciisci, exprimit fructum. Quantum bonum autem sit cognoscere ueritatem, uel ab ipsis Gentilibus discamus. Primo enim proposita contentione coram rege Dario, quid omnium maxime præcelleret, & quibusdam dicentibus, quod uinum: Alijs quod Rex, alijs quod mulieres fortiores essent omnibus. Tandem audita commẽdatione ueritatis, omnes acclamarunt: Magna est ueritas, & prævalet. Deinde nihil est, quod homines ratione utentes, maiori studio & labore quæsierunt, quàm ueritatem. Postremo aliqui Philosophi fœlicitatem posuerunt in cognitione ueritatis: E quibus omnibus patet, ueritatem non uulgare aliquod bonum esse. Atqui eius cognitionem solis discipulis suis promittit Christus: *Vos*, inquit, *cognoscetis ueritatem*. Alij eam quæsierunt, sed non inuenerunt, uos autem eam cognoscetis. Primo autem cognoscetis ueritatẽ, id est, me, qui sum uia, ueritas & uita. Christus enim non cognoscitur ex externa specie, sed ex uerbo suo. Secundo cognoscetis ueritatem, hoc est, quod ueteres sub figuris & umbra uiderunt, hoc uos nunc amoto uelamine plane uidebitis. Ideo beati oculi uestri, &c. Tertio cognoscetis ueritatem, hoc est, alijs in uarios errores prolabentibus, uos in sermone meo permanentes, cognoscetis ueritatem, quæ uos errare non sinet.

3. Esd. 4.

Baruch. 1.

Ioan. 14.

Lucæ 10.

Quarto cognoscetis etiam ipsum fontem ueritatis in futuro, superbenedictam scilicet Trinitatem, quam nunc tantum per speculum & in enigmate uidetis.

1. Cor. 13.

Et ueritas liberabit uos]

Secundum emolumentum ex discipulatu Christi sequens est, quod ueritas cognita liberat, id est, liberos reddit à seruitute peccati, ac amore mũdi, & restituit in libertatẽ iustitiæ. Liberare proprie significat eripere, & ex aliquo periculo eximere. Hic autem, ut ex sequentibus patet, significat liberum efficere, & in libertatem asserere.

Sicut

Sicut igitur supra incredulis dixit: Si non crediderit is, quod ego sum, moriemini in peccatis uestris: sic hic credentibus, & in suo sermone permanentibus, dicit, Veritas liberos uos reddet. Sup. eod. c.

Et quid maius promittere potuisset? Nec uana pollicitatio est, id quod uidemus in Apostolis, qui cum Christo permanentes in tentationibus eius, acceperunt Spiritum sanctum, qui eos docuit omnem ueritatem, eosq; liberauit ab erroribus uniuersis, ab omnibus quæ in mundo sunt concupiscentijs, à timore mortis, à timore inimici, à misera illa seruitute peccati, tandemq; in perfectione libertatis constituit, de qua Paulus: Quia ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei, &c. Lucæ 22. Ioan. 16. Rom. 8.

Responderunt Iudæi]

Quos supra credentes nominauit, hos nunc Iudæos antiquo scilicet uocabulo nominat. Qui enim tam crasse respondent, indigni sunt, ut credentes nominentur, uel discipuli Christi. Volunt tamen aliqui Iudæos hos alios esse ab his, quos supra in Christum credidisse dixit.

Semen Abrahæ sumus, et nulli seruiuimus]

Vel ex hoc uerbo uidemus, qualem habuerint fidem, & quid in Christo quæsierint. Monuerat Christus, ut in sermone suo manerent, indicauerat, qui ueri essent discipuli eius, denicq; promiserat ueritatis cognitionem: Ipsi tamen hæc omnia dissimulabant se audisse, & tantum arripiunt, quod de libertate dixerat, nimirum carnis libertatem amantes & quærentes.

Sic plerunq; carnalis homo, etiamsi multa spiritualia audiat, nihil mouetur: si autem uel unum uerbum audiat, quod carnali suo affectu abblanditur, hoc retinet. Deinde ex uerbo hoc uidemus, quãta sit superbia cordis humani. Quamuis enim Iudæi illi longe lateq; abessent à perfectione ipsius Abrahæ, iamq; ipso facto sub iugo Romanorum essent, ut uere dicere possent: Abraham nesciuit nos: Et Israël ignorauit nos: Facti sumus immundi omnes, &c. Nolunt tamen ea confiteri, quin potius de utroq; contra conscientiam suam gloriantur. Hęc est superbia hominis, &c. Prȩterea uides hic, quod impij tantũ de externis gloriantur, de nobilitate generis, & libertate externa: Atqui hæc non est uera gloriatio. Quid enim prodest, si genere sis nobilis, factis autem ignobilis? Itemq;, si homini non sis subiectus, cum tamen seruus sis uitiorum? Isai. 63. & 64.

Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati etc.]

Ne quis se liberum putet, qui è liberis & ingenuis parentibus natus est: Docet nunc Christus, quæ sit uera libertas, quam ut certius agnoscamus,

agnoſcamus, primo docet, quæ ſit uera captiuitas. Mundus grauem ſeruitutem eſſe iudicat, ſi quis ex ancilla naſcatur, aut in bello capiatur, aut ſeipſum in alterius poteſtatem iure ciuile uendat, aut carcere captiuus claudatur, &c. Verum hæc non eſt uera captiuitas aut ſeruitus. Plæriq; enim talium etſi corpore ſerui erant, animum tamen habuerunt liberum, immo multi talium etiam externe ſerui, libertatem tamen filiorum Dei ſimul habuerunt. Apud Deum enim neq; Galat. 3. ſeruus, neq; liber, &c. Vera autem ſeruitus uel captiuitas eſt, ſi quis fuerit ſub Tyrannide peccati & Sathanæ. Quamuis enim peccare nihil minus uideatur, quàm ſeruitutem ſeruire, uerisſime tamen dictum eſt: *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.*

Vt autem ſentiamus, quanta Tyrannide peccatū in homine dominetur, aliquot peccati genera conſyderemus. Auaritia peccati genus eſt, uide autem, ſi in homine emerſerit, quid non cogat, animū nunquam ſinit quietū, noctes cogit inſomnes ducere, & quid non mortalia pectora cogit facere, auri ſacra fames? Ambitio, luxus, inuidia, ſi in homine erumpāt, quanta Tyrannide dominantur? cogunt ex alieno præſcripto uiuere, mentiri, adulari, ſycophantam agere, & quid non? ut interim taceam, quod hominem etiam in æternam per- 2. Pet. 2. ditionē cōīciunt. Vere dictū igīt eſt: A quo quis ſuperatus eſt, eius & Roma. 6. ſeruus eſt. Itemq; Cui accōmodaſtis uos ipſos ad ſeruiendū, eius ſerui eſtis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obedientiæ ad iuſtitiam. Hæc autem ſpiritualis ſeruitus, multo deterior & miſerabilior eſt, quàm corporalis illa. Primo enim, qui peccatum facit, non uni domino ſubiectus eſt, ſed pluribus. Statim enim in eum ius et dominiū habent mors, Roma. 5. afflictio, infernus, atq; ipſe Sathan: Hæc enim ſunt ſtipendia peccati. Ius autem mortis, eſt occidere: Ius afflictionum, eſt moleſtia afficere: Ius Sathanæ, eſt perdere. Vides igitur, quantum hæc ſeruitus excellat mundanam illam ſeruitutem, immo maior ſeruitus excogitare non poteſt, quàm ſeruitus peccati. Nam quicunq; hac ſeruitute tenetur, nihil poteſt libero animo facere, nullam habet pacem conſcientiæ, nullam ducit requiem, etiamſi corpore liberrimus ſit: Non eſt Iſa. 48. impijs pax. Secundo etiam in hoc grauior eſt ſeruitus peccati, quia ſerui hominum inhumanos & immites plærunq; fugiunt dominos, & corripiendo fugam à dura liberantur ſeruitute: Hic autem nullum patet effugium, ſemper enim ſequitur uindex cōſcientia. Tertio, corporalis ſeruitus plærūq; citra culpam eius, qui in conditionē ſeruilem trahitur, inducitur. Quid enim peccauerat Ioſeph, ut in ſeruitutē uen- Geneſ. 37. deretur? Itemq; Daniel & ſocij eius? Seruitus uero peccati noſtra uo- Dani. 1. luntate ſemper contrahitur. Quarto humana ſeruitus tandem ipſa morte finitur, hæc autem perpetuo durat. Hoc igitur uerbo oſtendit Chriſtus, nos omnes peccati & mortis eſſe captiuos. Hæc eſt enim hæreditas Adæ in omnes filios eius, de quo plura Paulus ad Rom. 5.

Deinde

Deinde hoc uerbo arguit Christus Iudæorum cæcitatem, ut qui tantum attenderent externam libertatem uel seruitutem, non autem interna & spiritualia, quæ tamen sine comparatione maiora sunt.

Seruus autem non manet in domo, &c.]

Hoc addit, ne quis leue damnum putet, peccati seruum esse. Ponit autem exemplum de seruo, qui non habet ius manendi in domo patrisfamilias, immo non diutius manere potest, quàm Domino placitum est. Domus autem Dei in hoc sęculo est Ecclesia Dei, de qua Dauid: Domine, inquit, dilexi decorem domus tuæ. In altero sęculo domus Dei, uita & gloria æterna est, de qua iterũ Dauid: Beati, qui habitant in domo tua Domine, &c. Itemq; In domo Patris mei, mansiones multæ sunt. Ab utraq; autem seruus peccati eiicitur. Primo enim, etsi secundum loci qualitatem, & oculos hominum in Ecclesia conuersetur: in oculis tamen Dei, ab Ecclesia ut putridum membrum resecatus, in futuro etiam uisibiliter segregabitur, quando exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum. Deinde etiam à posteriori domo, hoc est, cœlo excludetur. Illuc enim nihil coinquinatum intrabit, iuxta uerbũ Dauidis: Non habitabit iuxta te malignus, nec permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Psal. 25. Psal. 83. Ioan. 14. Matth. 13. Apoc. 21. Psal. 5.

Vides igitur, quàm pernicioſa res sit peccatum. Potest hoc uerbum etiam sic intelligi. Sicut seruus, tametsi pro tempore quędam in domo agit: tamen, quoniam seruus est, non hæres, non habet ius in domo, nec seipsum, nec alios potest libertate donare. Sic qui peccato obnoxius est, etsi sponte se coniecerit in miserã illam seruitutem, seipsum tamen nõ potest pro suo arbitratu eripere à iugo peccati, sed nec alios quidem. Nullus enim captiuus alium captiuum liberare potest. Proinde ueram libertatem nec Moyses, nec Patriarchæ, nec Iudæorum sacerdotes conferre potuerunt. Nullus enim eorum fuit prorsus immunis à peccato, nec quisq; eorum ius habuit abolendi peccata. Solus ille liberos reddit & ingenuos, qui solus nulli peccato fuit obnoxius, Christus scilicet, qui peccatũ non fecit, &c. Potest etiam uerbum hoc Christi aliter intelligi: *Seruus non manet*, &c. In domo patrisfamilias & serui & filij operantur, sed dissimili causa. Serui uel spe mercedis, uel timore supplicij: Filij autem ex amore erga Patrem. Sic in Ecclesia serui sunt, qui tantum spe mercedis uel timore supplicij, mala omittunt & bona faciunt, & hi tandem eiicientur. Filij autem, qui ex amore iustitiæ & timore filiali omnia faciunt, hi soli in domo manebunt.

1. Pet. 2.

Filius autem manet in domo in æternum]

Hoc est, Filius, quoniã hæres est, & Dñs domus, perpetuũ habet ius in domo, nec solum ipse uere liber est ab omni seruitute, uerũ etiã alios

potest

potest libertate donare. Christus autem Filius Dei est, & ideo hæres & Dominus domus, denicq; & ab omni seruitute liber est. Ipse enim
Psal. 87. solus inter mortuos liber est, solusq; dicere potest: Venit princeps
Ioan. 14. mundi huius, & in me non habet quicquam. Ideo & ueram libertatem conferre potest.

Si ergo Filius uos liberauerit, &c.]

Christus Filius Dei, sicut adoptionem filiorum Dei, pro inenarrabili sua benignitate cõmunicat: ita & uere libertatis gratiam nobis præstat. Quia enim omnes homines seruituti obnoxij erant, nec quisquam eorum alios eripere poterat, descendit Filius Dei de cœlo, & homo factus, sua cruce, morte, et resurrectione nos liberauit à iure peccati, ne nos occidat: à iure mortis, ne nos damnet: à iure afflictionum, ne nos molestia afficiant: à iure Sathanæ, ne nos perdat, & restituit nos iustitiæ, gaudio, uitæ, & Deo. Non quidem omnino abstulit peccatum, mortem, afflictiones, &c. Hæc enim non auferuntur
Ioan. 16. extrinsecus à credente: In mundo, inquit, præssuram habebitis. Similiter omnes moriuntur, præterea credentes sæpe numero in ignes inferni conijciuntur, ut Dauid, Iob, etc. Non igitur nos liberat Christus à sensu horum malorum, donec uenerit nouissimus ille dies, sed liberat nos à iure & dominio ipsorum, & adimit eis aculeum, quo
Osee 13. omnes homines peribant. Hinc in Osee: De manu mortis liberabo
1. Cor. 15. eis, &c. Et Paulus: Vbi est mors aculeus tuus, &c. Sẽtimus quidẽ afflic-
2. Cor. 4. tiones, sed non perimus: occidimur, sed non morimur: persecutionem patimur, sed non destituimur, &c. Videmur quidem tristes,
2. Cor. 6. semper tamen sumus gaudentes: castigati, sed non mortificati, &c. Hic igitur uidemus, quàm necessarius sit nobis Christus. Quẽ enim ipse Christus liberum facit, is uere liber est, etiamsi ex ancilla natus sit. Qui autem per Christum non fuerit in libertatem collocatus, is uere mancipium est crudelissimorum dominorum, etiamsi fuerit à nobilissimis ac liberrimis parẽtibus prognatus. Deinde uides hic, quod uera libertas non in hoc consistit, ut nulli subiectus sis, ac facere possis quicquid libet, sed ut à iure peccati & mortis liber sis.

Scio quod filij Abrahæ estis]

Postquam obiectionis Iudaicę posteriorem partem dissoluit, illam scilicet, qua dixerant: Nemini seruiuimus unquam. Nunc priorem aggreditur, illam scilicet, qua intolerabilem spirando superbiam deflauerant, dicendo: Semen Abrahæ sumus. Ideo autem ita dissoluendas præposterauit partes: quia de hac maxime superbiæ materia, plura dicturus est.

Vide autem, quàm mansuete respondeat. Potuisset iure optimo
Ezech. 16. dicere cum Ezechiele: Pater tuus non est Abraham, sed Amorrhęus,

&

et mater tua Cethęa. Immo potuisset eos cum Isaia nominare, Prin- Isai. 1.
cipes Sodomorum, & populum Gomorræ. Nihil tamen horum fa-
cit, sed tantum: *Scio quod filij Abrahæ estis.* Est autem sensus uer-
bi. Nihil opus est hac gloriatione. Omnes enim sciunt, uos stirpe
Abrahæ prognatos: Omnibus denicq; compertum est, uos de hac re
semper solitos gloriari. Scio & ego, quam alte hæc superbia cordi-
bus uestris infixa sit. Atqui uana est hæc gloriatio de carne & semine
Abrahæ carnali. Nam caro Abrahæ nihil melior est, quam aliorum
hominum caro: siquidem & ipsa de massa præuaricatrice est, genus
etiam eius Chaldaicum. Vera igitur generositas Abrahæ, non est ex
carne, sed ex fide: non ex gente, sed ex uirtute: non ex propria seminis
sui qualitate, sed ex longanimitate obedientiæ. Hæc autem, quia in
uobis non conspiciuntur, uana est uestra gloriatio. In hunc mo-
dum & Ioannes eis dixerat: Nolite dicere, Patrem habemus Abra- Matth. 3.
ham. Potens est enim Deus, de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Et
Christus: Multi uenient ab oriente & occidente, & recumbent cum Matth. 8.
Abraham, &c. Filij autem regni eijcientur, &c. Docemur hoc uer-
bo, uanum esse, immo ridiculum de genere, siue nobilitate, aut san-
ctitate parentum gloriari, si nos degeneres simus. Deinde doce-
mur, parentum iustitiam nihil coram Deo nobis profuturam, nisi
addamus & propriam, quemadmodum econtra nec parentum pec-
cata nobis obesse possunt, si eorum impietatem non imitemur: Id
quod in Ezechiele ad longum ostenditur. Ezech. 18.

Sed quæritis me interficere.]

Re ipsa & exemplo probat eos, quod ad fidem & pietatem atti-
net, Abrahamo dissimiles. Abraham enim exultauit, ut uideret diem Ioan. 8.
Christi: Illi autem Christum perimere quærebant. Sicut igitur su-
periori uerbo concesit, eos secundum carnem esse filios Abrahæ: sic
hic, eos à ueris Abrahæ filijs longe discernit, quasi diceret. Estis qui-
dem filij Abrahæ, sed hoc facto uos ipsos proditis, quales filij sitis,
nempe non quales Isaac & Iacob, sed quales Ismael & Esau. Iam,
cum Ismael è domo & hæreditate patris eiectus sit, & Esau benedi- Gene. 21.
ctione paterna priuatus: uidete quid uobis expectandum sit. Si illis Gene. 27.
cognatio Abrahæ nihil profuit, nec uobis proderit. Attendant &
hoc Pseudochristiani, qui inter fideles quidem censeri gaudent, sed
non aliter inter eos sunt, quam Iudas inter Apostolos, & Simon
Magus inter baptizatos.

Quia sermo meus non capit in uobis.]

Ne uiderentur iuste eum persequi, addit causam odij eorum. Non
(inquit) ob maleficium aliquod me quæritis interficere, quamuis id
sedulo prætendatis, sed quia sermo meus non capit, hoc est, non in-
telligitur à uobis, uel sermo meus conscientias quidem uestras per-

cutit, sed non capit. Atq; hęc est causa odij uestri contra me, licet non iusta. Quod enim in sermone meo non capitis, hoc pie credendum et diligenter interrogandum esset: Quod autem uerbis uos increpo, ad bonum uestrũ facio. Gratis igitur & sine causa me persequimini.

Obserua quod uirtus uerborum Dei est, quod capiunt homines, immo quasi rapiunt & furantur hominum corda: Rapiunt, inquam, extra se in Deum. Fœlix quem uerbum Dei sic capit: Verum ut hic audis, uerbum Dei non omnes capit, sed tantum eos, à quibus fide ac desiderio suscipitur. Est enim uerbum Dei sicut hamus, qui piscem non capit, nisi à pisce prius apprehendatur. Captus autem à uerbo Dei, è tenebris & aquis extrahitur ad lucem & uitam.

Causa igitur, quod tam pauci à uerbo Dei capiuntur, nulla alia est, quam quod uerbum Dei oscitanter audimus, uel omnino negligimus, cum sciamus scriptum esse: Aperi os tuum, & implebo illud. Psal. 80.

Ego quod uidi apud patrem, loquor, &c.]

Suo ipsius exemplo docet, quid ad generosum filium pertineat, quasi diceret. Eius quisq; filius est, cuius mores imitatur. Abit enim exemplum parentum domi conspectum, in mores filiorum. Ego dictis & factis doceo, me filium esse eius, qui me misit: hoc & uobis faciendum est, si de Abraham gloriari uultis. Deinde hoc uerbo etiam doctrinam suam confirmat, quasi diceret. Pater meus uerax est, ueritatem apud ipsum uidi: nihil igitur loquor, nisi ueritatem. Dixi me esse lucem mundi, fontem uitæ, & panem uiuum. Mendacia hæc nõ sunt, sic enim docuit me pater, propterea, quod naturalis eius filius sum: Adeoq; ipsa mea natiuitas à patre, mihi doctrina est.

Postremo hoc uerbo manifeste seipsum discernit & segregat à Iudæis, immo & ab omnibus hominibus, cum alium sibi alium ipsis esse patrem indicat. Pater, quem Christus factis exprimit, Deus est: Pater, quem Iudæi imitabantur, Diabolus erat. Docemur igitur hoc uerbo, omnes homines referre Sathanam & discipulos eius esse: propterea, quod omnes sub eius potestate nascantur. Prima igitur natiuitate nostra audimus, Sathanam nos omnia malorum genera docentem, eiusq; per Adam discipuli admodum sequaces facti sumus.

Pater noster Abraham est.]

Impius cum arguitur, uel conuitia regerit, uel si aliud non potest, dissimulat se audisse, immo obstruit aures tanquam aspis surda. Psal. 57.

Vtrunq; hic in Iudæis uidemus. Primo enim, cum re ipsa eos conuicisset, Abrahamo dissimiles esse, tamen quasi nihil audissent, rursum clamant: *Pater noster Abraham est.* Deinde, quod Christus dixerat: Vos quæ apud patrem uestrum uidistis facitis, arripiunt

quasi

quasi in contumeliam ipsius Abrahę dictum sit, quasi dicerent. Quid nobis patrem nostrum exprobas, quasi impia nos docuerit Abraham, cum scripturæ testimonio sanctissimus sit. Per hoc igitur conabantur conuitium aliquod contra Abraham elicere, quod si fieret, populum ad lapidandum Christum prouocassent: Sed frustra iacitur rethe ante oculos pennatorum. Prouer. 1.

Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.]

Optima responsio, immo superbientium confutatio. Si filios uos Abrahæ profitemini, ut sitis ueraces in hac professione, opera Abrahæ facite. Non enim ex eo, quia homines estis, quod naturæ est: nec ex eo, quod sub corruptione mortalitatis, cum peccato nascimur, quod infœlicitatis est: Non, inquam, ex hoc uel illo estis filij Abrahę, sed Adæ, ut Abrahæ filij sitis, maius aliquid requiritur: Non enim hic spectatur caro, sed fides & opus. Quę autem sint opera Abrahę, in Genesi plenius scribitur, c. 12. c. 15. c. 17. c. 18. c. 22. Et sicut ipse uixit, sic & filios docuit: Noui (inquit) quod præcepturus sit filijs suis, ut timeant Deum. Hinc & Isaias eos admonuit: Attendite ad Abraham patrem uestrum, &c. Hoc idem uerbum & nobis dictum sciamus. Nam & nos quoq; & de Christo, & de sanctis patronis gloriamur, cum interim & Christo & sanctis omnino dissimiles simus. Gene. 18. Isai. 51.

Nunc autem quæritis me hominem, qui, &c.]

Iterum inculcat, quod supra se audisse dissimulabant, uerum non simpliciter repetit, sed cum pondere. Singula enim uerba pondus suum habent, & quasi quibusdam gradibus accrescit cumulus Iudaicæ iniquitatis. Primo enim præceptum Dei est: Non occides. Quicunq; ait, effuderit sanguinẽ humanum, fundetur sanguis eius. Vos autem me hominem quæritis interficere, & innocentem minimeq; reum mortis, cum lex præcipiat: Innocentem & iustum ne occidas. Deinde, ueritatem loquentibus debetur merces, non pœna: Vos autem me ueritatem annunciantem occidere quæritis, ex quo uos inimicos ueritatis liquido probatis. Demum, si quis ueritatem ab homine auditam aspernetur, tolerabile quidem malum est: A Deo autem ueritatem auditam loquenti repugnare, grande piaculum est. Id enim non est hominem spernere, sed Deum. Quis autem impune spernit Deum? Iam, cum ego non quamcunq; ueritatem annunciem, sed eam quam à Deo audiui, planum est, uos grauissimè peccare. Vide quomodo peccatum eorum exaggeret, non ut desperent, sed ut compungantur & timeant. Sic & impijs quibusq; nunc quidem blande loquitur: Cæterum obstinatis, tandem loquetur in ira sua, iniquitatesq; eorum ante faciem eorum statuet. Gene. 9. Exod. 23. Lucæ 10. Psal. 2. Psal. 49.

Hoc Abraham non fecit.]

Gene. 18. Nullum interfecit innocentem, immo etiam pro nocentibus, Sodomitis scilicet, orauit. Nullum item à Deo missum nuncium lu-
Ibidem. dibrio habuit, quin potius cum omni reuerentia & hospitalitate, domo suscepit, sicut patet de tribus Angelis.

Nullum denique Dei uerbum contempsit, sed summa fide suscepit, maxime promissionem de futuro Christo.

Vos facitis opera patris uestri.]

Psal. 74. In Psalmo dicitur: Omnia cornua peccatorum confringam. Hactenus igitur Christus Iudaicam superbiam uno cornu mutilauit: Nunc ad alterum cornu simili modo confringendum transit.

Duobus quippe cornibus, contra ueritatem arietabant patrem Abraham, patremque Deum se habere iactitantes, & idcirco libertate, qua ueritas eos liberaret, se non indigere mentientes.

Hoc igitur uerbo Christus eis occasionem præbet, ut fortius eos deiiciat. Statim igitur prosiliunt.

Nos ex fornicatione non sumus nati, &c.]

Dupliciter intelligitur. Primo, Non sumus ut cæteri, quos Abraham genuit, filij concubinarum hereditate patris indigni, ut Ismahel
Gene. 25. & alij, quos ex Cethura genuit, sed sumus ex legitimo Saræ coniugio nati, cuius filium solum elegit Deus, ut esset Deus eius: Pactum
Gene. 17. uero meum (inquiens) statuam ad Isaac.

Secundo potest intelligi de spirituali fornicatione, quę nihil aliud est, quam Idololatria. Sic enim Deut. 31. Osee. 1. Ezech. 16. Idololatria dicitur fornicatio. Sensus igitur est, Non sumus è stupro nati, non colimus deos alienos, non sumus è Gentibus Idololatris. Bona fuisset hæc gloriatio, si uera fuisset.

Vnum patrem habemus Deum.]

Et hæc optima gloriatio esset, sed uera non erat. Cæterum, quod Dei filios se esse gloriantur, è scripturis acceperunt. Sic enim dicitur
Exod. 4. Pharaoni: Filius meus primogenitus Israel: Dimitte filium meum,
Deut. 32. &c. Sic Moyses: Nonne ipse est pater tuus, &c.

Verum non satis est uerbis dicere, se filium Dei esse: Si ego, in-
Malach. 1. quit, pater uester sum, ubi est amor meus? Sic facile est dicere: Pater noster, qui es in cœlis, &c. sed non satis est, &c.

Si Deus pater uester esset, diligeretis me.]

Nihil uerius. Æqualia enim sunt Deum patrem habere, & filium
Rom. 8. Dei diligere. Omnes enim filij Dei inuicem diligunt, utpote habe-
1. Ioan. 5. tes unum adoptionis spiritum. Siquidem nec aliter filij Dei esse possent, nisi habendo dilectionem ad inuicem.

Amplius

Amplius autem & incomparabiliter, illum unum et unicum proprium & consubstantialem Dei filium omnes diligunt, utpote per quem eundem adoptionis spiritum accipere meruerunt, quia quod solus erat per naturam, hoc multis fratribus concessit ex gratia, ut filij Dei nominentur, & sint. Nemo igitur uere potest gloriari de Deo, nisi in Christum credat, eumq; diligat. 1. Ioan. 3.

Frustra igitur Turcæ, Iudæi, Hypocritæ, &c. unum Deum creatorem, ut aiunt, cœli & terræ colunt: Propterea, quod non per Christum colant, nec uideant nec audiant Christum. Per solum enim Christum potest penetrari ad Deum, per solum ipsum potest audiri Deus, quoniam ipse est uox Dei, uia, ueritas, sapientia, & omnium bonorum thesaurus. Ioan. 14.

Ego enim a Deo processi & ueni, &c.]

Causam addit, propter quam iure debeat diligi. Processi, inquit, generatione æterna & ineffabili, secundum diuinitatem, qua Deus ex Deo, omnipotens ex omnipotente, æternus de æterno genitus sum. Veni autem secundum assumptam humanitatem in hunc mundum.

Procedere igitur ex Deo, diuinitatis est: Venire autem humanitatis, atq; hæc sunt propter quæ iure diligi debet Christus.

Quare loquelam meam non agnoscitis?]

Ne uideretur ex arrogãtia dixisse, Ego a Deo processi, iterum ad doctrinam suam appellat, quasi diceret. Si ex loquela cognoscitis, ex qua natione quisq; est, cur non & meam loquelam attenditis? Si Deum creditis ueracem, beneficum, salutiferum, amicum pijs, inimicum impijs, cur non in me quoq; agnoscitis mores & ingenium Patris: quandoquidem in dictis factisq; meis nihil conspiciatis, ab hisce rebus degenerans.

Obserua, quod ne dum uita, sed & loquela Christiani, talis debet esse, ut inde agnosci possit, quod sit filius Dei.

Quia non potestis audire sermonem meum.]

Tanti mali causa nulla alia est, quam quod cor uestrum usq; adeo liuore & inuidia intabuit, ut nec æquo animo audire possit sermonẽ meũ: Alioqui uel ipsa lex uestra signum dat, quo cognoscere possetis, num uerus uel falsus Propheta sim. Si non euenerit, quod Propheta prædixit, in nomine Domini, ait Moyses, hoc Dominus non est locutus, &c. Deut. 18.

Obserua, quid faciat liuor et odium. Non enim potest ueritatem audire. Obserua quod eadem uerba Christi, quæ pijs summe consolatoria sunt, impijs intolerabilia sint. Verba enim sapientum sunt, quasi stimuli & claui, &c. Eccle. 12.

Vos ex patre Diabolo estis.]

Hactenus manſuete & cum ſumma miſericordia, aduerſarijs re-
Pſal. 32. ſpondit: Nunc ut ſciant eum nedum miſericordiam diligere, ſed &
iudicium, ſeuere eos alloquitur. Hinc eſt, quod in ſcripturis & agnus
& leo dicitur: Agnus propter manſuetudinem, quam prima facie
omnibus oſtendit: Leo autem propter iudicium, quo in obſtinatos
utitur. Interim tamen uidemus etiam in media ira eius miſericordi-
Abac. 3. am. Sicut olim Abacuk prędixit: Cum iratus fueris, miſericordiæ re-
cordaberis. Poterat re ipſa eos punire, ſed uerbis contentus eſt. De-
inde quamuis uerba dure ſonent, tamen eius intentio bona fuit: non
enim ut eos in deſperationem adigeret hæc dixit, ſed ut territi con-
Pſal. 29. uerterentur: Ira enim in indignatione eius, ſed uita in uoluntate eius.
Quod autem hic dicit: *Vos ex patre Diabolo eſtis*, non de natura in-
telligendū eſt, quaſi Diabolus fecerit uel creauerit impios, quemad-
modum Manichæus finxit duo principia, unum bonum, alterum
malum.

Fides noſtra neſcit niſi unum creatorem omnium uiſibilium &
Roma. 11. inuiſibilium. Ex ipſo enim, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: Et
Prou. 16. omnia propter ſemetipſum creauit altiſsimus, etiam impium ad
diem malum.

Naturam (inquam) fecit Deus, quæ in ſe bona eſt, non autem
Sapien. 2. peccatum, quod accidens eſt, & inuidia Diaboli intrauit in orbem
terrarum.

Dicuntur autem Iudæi, immo omnes impij, & qui per Chriſtum
regenerati non ſunt, eſſe ex patre Diabolo. Primo, quia amiſſa Dei
ſimilitudine, Diabolo ſimiles facti ſunt, & quo ad peccatum, & quo
ad pœnam. Secundo, quia inſtinctus Diaboli ſequuntur, eumq; imitantur. Solet autem ſcriptura ex imitatione & ſimilitudine filios
Ezech. 16. appellare. Sic Ezechiel ad Iudæam: Pater tuus Amorrhæus, & ma-
ter tua Cethæa. Tertio, quia cum ipſo & ab ipſo hæreditabunt æter-
na mala. Quarto, quia ſub dominio & poteſtate eius ſunt, Paulo te-
2. Cor. 4. ſte: Deus, inquit, huius ſæculi excęcat corda infidelium. Et iterum:
Ephe. 2. Princeps aeris huius, operatur in filijs diffidentiæ. Et iterum dicit
Coloſ. 1. Chriſtum nos eripuiſſe de poteſtate tenebrarum, immo in Baptiſmo
teſtamur, regnare Sathanam in his, qui non credunt, cum impera-
Ioan. 16. mus ei, dicentes: Exi immunde ſpiritus. Et infra dicit: Sathanam prin
cipem mundi. Iam uide, quo deuenerit homo propter peccatum.
Creatus erat ad imaginem Dei, hæres omnium bonorum Dei futu-
rus erat. Denicq; Deus ipſe pater eius eſſe uolebat. Quid autem fœli-
cius huiuſmodi creatura eſſe potuiſſet? Verum peccante homine,
Pſal. 48. omnia in diuerſum abierunt: Qui ad Dei ſimilitudinem formaba-
tur, iumentis ſimilis factus eſt, immo ipſi Diabolo. Deinde, qui De-
um patrem habebat, nunc Diabolum habet. Poſtremo, qui omni-
um Dei bonorum hæres deſignatus erat, omnium malorum cum
Diabolo

Diabolo factus est princeps. Nec ad pristinam dignitatem unquam peruenire potest, nisi per Christum: Si filius, inquit, uos liberauerit, uere liberi eritis. Omnes igitur homines, qui Christum ignorant, uel in eum non credunt, subiacent huic sententiæ: *Vos ex patre Diabolo estis.* Hoc igitur uel unum uerbum nos ad Christum adducere, immo cogere deberet. Ioan. 8.

Et desideria patris uestri uultis facere.]

Hoc uerbo discernit reprobos ab electis. Nam & electi quatenus ex Adam prodeunt, filij Diaboli sunt & sub eius potestate, sed inuiti & repugnantes, semper cupiunt liberari, & cum Paulo dicunt: Infœlix ego homo, quis me liberabit? &c. Roma. 7.

Impij autem & reprobi, nedum sub potestate Diaboli sunt, sed etiam eũ imitantur, ac factis exprimunt. Signãter autem dicit: *Desideria patris uestri*, hoc enim plus est, quam si dixisset, Opera eius imitamini. Quamuis enim Diabolus multa mala fecerit & faciat, maiora tamen cupit & desiderat, si permitteretur. Arrogantia enim, immo malitia eius, plusquam fortitudo eius. Sic impij mali quidem sunt ad extra, sed multo peiores in corde. Isai. 16.

Hinc est, quod iuste ęterna pœna puniuntur, quamuis enim peccatum sit temporale, tamen perpetuo uellent peccare, si possent.

Ille erat homicida ab initio.]

Hic incipit Diaboli conditiones describere, ut auditores eo fortius tam impium patrem, immo Tyrannum, fugiant. Duo autem ei attribuit, Mendacium & homicidium. Mendacio enim blasphemat Deum, homicidio occidit genus humanum. Et qualis ipse est, talia etiam operatur in cordibus eorum, qui non sunt Christi. Facit enim ut mendaces sint, id est, contemptores Dei, confidentes sibi ipsis. Item facit, ut sint homicidæ, hoc est, ut se saluos uelint, etiam si omnia alia pereant. En hoc est regnum Sathanæ, cui miseri tanta securitate fructificamus. Quid autem boni sperandũ est, ubi nihil nisi mendacium & homicidium est? Econtra in regno Christi potissimum regnant, ueritas & charitas. Et quid mali esse potest, ubi hæc duo regnant? Ex his facile conijcere potes, an ad regnum Christi uel Diaboli pertineas. Obserua autem, quod Diabolum non simpliciter dicit occisorem, sed homicidam: nec ab heri et nudius tertius, sed ab initio, ut uideamus, quid ab ipso nobis expectandũ sit. Quod autem addit ab initio eum fuisse homicidam, non sic intelligas, Diabolum à Deo malum esse conditum, id quod quidam affirmarunt. Nam ex scripturis palam probari potest, Diabolum in principio fuisse bonum. Dicit enim Dauid de Deo: Omnia in sapientia fecisti. Atqui diuinæ sapientiæ est bona producere. Ideo dicitur: Vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant ualde bona. Psal. 103. Gene. 1.

Lucæ 10. Deinde Christus ipse dicit: Videbam Sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem. Fuit igitur aliquando in cœlo, qui inde tanquam fulgur cecidit. Atqui in cœlo malitia locum non habet: Non
Apoc. 21. enim intrabit illuc quicquam coinquinatum. Manifestius autem in Ezechiele, sub typo Principis Tyri, bona Diaboli natura in principio describitur: Tu, inquit, signaculum similitudinis Dei, plenus
Ezech. 28. decore, &c. perfectus in uijs tuis á die creationis tuæ, donec inuenta est iniquitas, &c.

Et quid opus multa adducere, cum Christus infra statim de ipso addit: In ueritate nõ stetit. Quo uerbo nimirum manifeste innuitur, eum aliquando in ueritate fuisse, sed non perseueraſſe. Intelligendum igitur est uerbum hoc uel ab initio peccati, uel ab initio creationis humanæ, & productionis mundi corporei, eum fuisse homicidam. Potest autem intelligi primum de Christo. Homicida fuit Diabolus ab initio, hoc est, quod uos nunc me quæritis interficere, hoc Diabolus semper iam inde à principio quæsiuit. Semper enim
Gene. 3. insidiatus est filio Dei, & calcaneo eius, immo propter ipsum omnes electos persecutus est.

Vel potest intelligi de homine, quem Diabolus sua suggestione
Ibidem. spiritualiter occidit, & à Deo separauit. Occidit autem hominem non ferro accinctus, sed mendaci & letifera persuasione.

Vnde consequitur, quod omnis qui alicui homini malum persuadet pestifera lingua, homicida coram Deo est. Hinc Dauid: Filij
Psal. 56. hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Deinde, Diabolus animam tantum hominis spiritualiter occidit, non corpus: & tamen dicitur homicida. Vnde consequitur, quod coram Deo non solum homicida est, qui corpus occidit, sed qui animam malis exemplis uel uerbis inficit: Immo, qui se ipsum sponte in peccatum conijcit, animam suam occidit. Postremo Diabolus odio contra hominem permotus, eum decepit. Vnde consequitur, quod odium in corde coram Deo homicidium reputatur.
1. Ioan. 3. Hinc Ioannes: Qui odit fratrem suum, homicida est. Ob hãc enim causam Diabolus hic homicida dicitur.

In ueritate non stetit.]

Primo, quia Filium Dei, uerbum Dei, quod ueritas est, non dilexit. Stare enim in ueritate, idem est, quod ueritatem amare: Stare in Christo, est Christum amare. Secundo in ueritate non stetit, his quæ habuit non contentus, maiora uane præsumpsit: Ascendam, in-
Isai. 14. quit, in cœlum, similis ero altissimo. In ueritate stare, est seipsum agnoscere ut creaturam, et omnia quæ habet, non sibi, sed Deo ascribere, nec maiora uane iactare. Tertio in ueritate non stetit, qua scilicet creatus & optimis bonis excultus erat, sed lapsus est in mendacium,

dacium, & miseriam. Hinc Petrus: Deus, inquit, Angelis qui peccauerant non pepercit, sed cathenis noctis in Tartarum præcipitatos tradidit, seruatos in iudicium. Hinc et Isaias: Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Quarto in ueritate non stetit, quia uera bona, hoc est, Deum ipsum contempsit, & falsa bona, honorem scilicet quæsiuit. Qui enim uera bona contemnit, & falsa uel imaginaria amplectitur, qualia sunt omnia temporalia, is in ueritate non manet. Hinc Dauid: Filij hominum, ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Et Salomon: Vanitas uanitatum, & omnia uanitas. Sicut autem Diabolus in ueritate non stetit, sic & effecit, ut homo in ueritate non persisteret, sed in mendacium & miseriam ipse quoq; rueret. Et adhuc facit, ut filij sui in ueritate non persistant. Obserua, si tam nobiles creaturæ, quales fuerunt primus Angelus et primus homo, in ueritate non perstiterunt, sed lapsi sunt, quid de uiribus nostris præsumendum est? Qui igitur stat, uideat ne cadat. 2. Pet. 2. Isai. 14. Psal. 4. Eccle. 1. 1. Cor. 10.

Quia ueritas in eo non est.]

Amissa semel ueritate, iam nihil nisi mendacium est & loquitur. Primum siquidem eius uerbum, quod in scripturis legimus, nec est nec erit unquam, scilicet quod dixit: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Quis enim in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filijs Dei? Secundum nihilominus uerbum, quod dixit: Eritis sicut dij, nec est nec erit. Quis enim sicut Dominus noster, qui in altis habitat? Immo mendacium est, etiam si eueniat quippiam eorum, quæ esse uel futura esse dixerit: Nihil enim corde simplici, nihil omnino loquitur absq; intentione fallendi. Sic ad Christum uere quidem dicebat: Angelis suis mandauit de te, &c. sed fallere intendebat. Obseruent hæc qui Dæmones consulunt, et à diuinatoribus ueritatem inquirunt. Isai. 14. Psal. 88. Gene. 3. Psal. 112. Matth. 4.

Cum mendacium loquitur, ex proprio loquitur.]

Ex proprio, inquit, id est, ex proprio corde confingit. Et ita mendax est, ut & mendacij pater sit, id est, author & inuentor. A nullo enim mendacium audiuit, sed apud seipsum confinxit. Superbia namq; tumens, maluit refuga fieri pater mendacij, quam apud altissimum patrem, filius & amator ueritatis persistere inter filios Dei. Ex hoc uerbo colligitur, quod etiam homo, quandoquidem & ipse in ueritate non stetit, ex se ipso nihil nisi mendacium loquitur. Hinc Dauid: Omnis homo mendax. Ob id, ut Apostoli uera loqui possent, opus habuerũt spiritu ueritatis, qui ueritatem suggereret. Hinc Christus dicit: Non uos estis, qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Et iterum: Ego dabo uobis os & sapientiam, &c. Hactenus igitur breuiter quidem, sed manifestissime conditiones Diaboli expressit. Psal. 115. Matth. 10. Lucæ 21.

Ego

Ego autem si ueritatem dico, non creditis.]

Christus hic exemplo medici, postquam morbum & grauitatem illius Iudæis expressit, nunc toto studio laborat eos à morbo reuocare, ne pereant.

Primo autem quasi aspera quædam medicamenta putrido uulneri admouens, quę totam eius saniem & putredinem exedant, acrioribus interrogationibus eos aggreditur.

Isai. 1. Sicut autem Isaias admiratur populi ingratitudinem & cæcitatem, cum dicit: Audite cœli, &c. Filios enutriui & educaui, &c. Item Hiere. 5. Hieremias, cũ dicit: Stupor & mirabilia facta sunt in terra: Prophetę loquuntur mendacium, &c. Sic Christus hic admiratur eorum cæcitatem, quasi diceret. An non insignis cæcitas in uobis est? Per me factus est homo, per Diabolum autem deceptus, & tamen plus illi adhæret quam mihi: Ego ueni saluare, ille homicida est, circuit, quęrens quem deuoret: Ego ueritatem dico, ille mendacium: Ego uera bona promitto, ille tantum falsa, & tamen plures inuenit qui ei credant, quam ego qui mihi adhæreant. Quid autem isto peruersius, quid tali oculo nequius? Sed ne mireris. Quid enim mirum, si ueritati non credant, qui ex Diabolo patre sunt? Generationis autem Diabolicæ Roma. 1. proprium est, ut commutet ueritatem Dei in mendacium, dicendo Isai. 5. malum bonum, & bonum malum: lucem tenebras, & econtra, &c.

Quis ex uobis arguet me de peccato.]

Mich. 6. In Michæa dicitur: Iudicium Deo cum habitatoribus terræ: Populę meus, quid feci tibi? Responde: Sic Christus hic iudicio contendit cum Iudæis, quasi diceret. Nihil potestis uestræ incredulitati prætexere. Nam primum doctrina mea uera est & irreprehensibilis, nec à quoquam refelli potest. Deinde, uita mea est inculpabilis, nec à quoquam peccati accusari possum. Doceo ueraciter, uiuo sancte: Quod uerbis doceo, factis præsto. Sic uere in iudicio nulla nobis remanebit excusatio.

Habes ex hoc uerbo, quod etiam sanctitas uitæ facit ad probationem doctrinæ. Tria enim sunt, quæ doctrinam probant. Summa & certissima regula probandi doctrinam, est scriptura sacra, Deut. 13. ita, ut præceptum sit, ne quis omnino audiatur Propheta, si quid docuerit contra scripturam, etiam si miraculis clareat. Et addit talibus miraculis à Deo tentari populum. Post scripturam, miracula probant doctrinam. Hinc Christus sæpe ad miracula nos dirigit: Si Ioan. 10. mihi, inquit, non creditis, operibus credite.

Postremo, etiam uita docentis probat doctrinam. In Christo autem omnia hæc conspiciuntur.

Deinde,

Deinde, hoc uerbum etiam ſumme nos conſolatur, quia enim ne aduerſarij quidem Chriſtum peccati arguere potuerunt, ſed totus à peccatis liber fuit, potuit uere mediatorem, immo ſummum ſacerdotem agere inter nos & Deum, noſq; à peccatis mundare & Deo reconciliare, quod facere non potuiſſet, ſi & ipſe peccatis obnoxius fuiſſet. Ob eam enim cauſam ſacerdotes Leuitici hominem perfecte non potuerunt Deo reconciliare, quia & ipſi erant peccatores, & neceſſe habebant, ſicut pro populi, ſic et pro propriis delictis orare & offerre: Chriſtus autem uere Pontifex eſt, ſanctus, innocens, Heb. 7. impollutus, &c. ideo per ſemetipſum audet ad Deum accedere, &c.

Poſtremo, docemur hic exemplo Chriſti, qualis debeat eſſe uita Chriſtianorum, nempe irreprehenſibilis & ſine crimine. Sine peccato quidem eſſe non poſſumus: nam reliquiæ peccati, etiam nunc in nobis manent, et ſubinde repullulant. Verum ſine crimine debemus uiuere coram mundo. Hinc Paulus: Auaritia autem & immundicia Ephe. 5. nec nominetur in uobis, ſicut decet ſanctos. Ideo præcipit, ut abſtineamus ab omni fratre inordinate ambulante, immo ne cum huiuſmodi cibum ſumamus. 2. Theſ. 3. 1. Cor. 5. Maxime autem Apoſtolos, Prędicatores & Epiſcopos, decet eſſe irreprehenſibiles. Hinc Paulus de ſe ipſo: Habentes, inquit, hanc adminiſtrationem, abdicamus occulta dedecoris, &c. commendantes nos ad omnem conſcientiam hominum in conſpectu Dei. Ad hoc quidam etiam illud applicant: Excutite pul- 1. Thim. 3. 2. Cor. 4. uerem pedum, hoc eſt, etiam leuia peccata, ſine quibus uita hæc tranſigi non poteſt, à Prædicatore uitanda ſunt, quemadmodum Salo- Matth. 10. mon ait: Omni tempore ueſtimenta tua ſint candida. Eccle. 9.

Si ueritatem dico, quare non creditis?]

Veritas, quemadmodum & lux per ſe ipſam amabilis eſt (niſi forte ęgris oculis odioſa ſit) dirigit enim: Et maxime ueritas diuina, quę ad Deum nos dirigit. Hinc Dauid precatur: Emitte lucem tuam, & Pſal. 42. ueritatem tuam ipſa me deduxerunt, &c. Sicut igitur leuitatis eſt, cito credere, ſic magnę cęcitatis ſignum eſt, ueritati non credere. Ideo dicit: *Si ueritatem dico, quare non creditis?* quaſi diceret. Si durum eſt Diabolum habere patrem, & mendacio ludificari, cur mihi & ueritatem dicenti, et adoptionem filiorum Dei promittenti, non creditis? Non poteſtis à mendacio liberari, niſi per ueritatem: Non poteſtis à iugo Diaboli eripi, niſi per filium Dei. Offertur uobis ultro ueritas, cur eam ſpernitis? Dixi me eſſe filium Dei, idq; miraculis comprobaui. Quis igitur uos faſcinauit, non credere ueritati? Galat. 3.

Qui ex Deo eſt, uerba Dei audit, &c.]

Rationem ponit, cur non credant, & ueriſsima ratio eſt. Sane, ſi rerum naturam attendimus, omnia ex Deo ſunt, quia ab eo ortum habent & exiſtunt: Ex ipſo enim & per ipſum omnia. Roma. 11.

Si uero

Si uero ſpiritualem natiuitatem attendimus, qua filij Dei gignuntur, hi ſoli ex Deo ſunt, qui per Chriſtum ex aqua & Spiritu ſancto regenerati ſunt. Item, hi ſoli ex Deo ſunt, qui ex electione ſunt. Item, hi ſoli ex Deo ſunt, qui ex prima benedictione ſunt, quam accepit homo ante peccatum. Virtute enim eius benedictionis tantum electi, nati fuiſſent, ſi homo non peccaſſet. Poſt peccatum autem, dictum eſt mulieri: Multiplicabo conceptus tuos. Hinc igitur & mali cœperunt naſci: Sed hi non ex Deo, non ex prima benedictione, ſed ex maledictione ſunt, ideo non audiunt uerbum Dei. Qui autem ex electione & benedictione ſunt, hi audiunt. Hinc Ioannes: Amicus (inquit) ſponſi audit uocem ſponſi, & gaudet, &c. Sic ſponſa: Sonet, inquit, uox tua in auribus meis. Et Dauid: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. Item: In corde meo abſcondi eloquia tua. Et iterum: Bonum mihi lex oris tui, &c. Audiunt autem, qui ex Deo ſunt uerba Dei, non ſolum auribus corporis, ſed et mentis affectu et executione operis. Qui enim tantum externis auribus audiunt, nec ea menti infigunt, uel ad opus accõmodant, uerba Dei audire dicendi non ſunt, nec fructum aliquem referunt. Quemadmodum ſemen, quod ſecus uiam cadit, non fert fructum: quia aut conculcatur, aut uolucres comedunt illud. Hinc Paulus: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores. Et Iacobus: Eſtote factores uerbi, & non auditores tantum, &c. Seruus enim ſciens uoluntatem Domini, & non faciens uapulabit multis.

Ioan. 3.
Gene. 1.
Gene. 3.
Ioan. 3.
Canti. 2.
Pſal. 118.
Lucæ 8.
Roma. 2.
Iacob. 1.
Luc. 12.

Propterea uos non auditis, quia non eſtis, &c.

Duriſſima ſententia, quæ ne dum Iudæos damnat, ſed etiam plures è Chriſtianis. Si ex Deo non ſunt, qui uerbum Dei non audiunt, quis non uidet, quam pauci ſint electi, tametſi multi, immo omnes uocati ſint. Attendat igitur quilibet conſcientiam ſuam, quomodo affectus ſit erga uerbũ Dei, et uidebit num ex Deo ſit uel non.

Matth. 20.

Nonne benedicimus, quod Samaritanus, &c.

Iracundi et præcipitis animi indicium eſt, correptionem manſuete & leniter illatam non ferre, ſed illico in conuitia & contumelias erumpere, & cum uera non aſsint, quæ recte obiici poſsint, etiam falſa confingere, quæ alteri impingat, quemadmodum Iudæi hic faciunt. Samaritanum autem Chriſtum nominant, uel quia apud Samaritanos olim ad tempus manſerat: Vel quod Samaritanos aliquando Iudæis præferebat, ut in parabola de eo, qui deſcendit ab Hieruſalem in Hiericho: Vel quia putabant eum tranſgreſſorem legis, & à Moyſe defeciſſe, quemadmodum Samaritanos. Dæmonium autem habere eum inſimulant, tum quia opera eius ut alibi principi dæmoniorum aſcribebant: uel ideo, quod ſecreta cordis eorum ſæpe manifeſtauerat, quod putabant ex Diabolo eſſe.

Ioan. 4.
Lucæ 10.
Lucæ 11.

Summa,

Summa, hoc uno uerbo & doctrinam & uitam Christi calumniantur. Doctrinam, cum dicunt, eum dæmonium habere: Vitam, cum dicunt, eum Samaritanum, per hoc significatum est, & uitam & doctrinam piorum semper calumnijs impiorum patere, ne nullam uideãtur suæ incredulitatis causam habere. Si enim patrẽfamilias Beẽlzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Attende igitur, quantam à peccatoribus sustinuit contradictionem Filius Dei, ne tu deficias, si tale quid etiam tibi contingat. Matth. 10. Heb. 12.

Ego Dæmonium non habeo]

Hic uides uere dixisse Petrum de Christo: Cum malediceretur, nõ maledicebat, etc. Accepit enim grauẽ ab emulis calumniam & falso illatam, quam tamen uere in eos retorquere potuisset: Verũ à contumelijs etiã ueris temperauit, & mansuetissime respondit, hac dulci uerborum mansuetudine eos ad lenitatem animi reducere curans. Responsio enim mollis frangit iram, &c. Et iterum: Verbum dulce multiplicat amicos. Non autem negat se Samaritanum esse. Primo, quia parum refert, Iudæus quis sit an Gentilis. Coram Deo enim neq; circuncisio, neq; præputium aliquid est, sed obseruatio mandatorum Dei. Secundo, quia Christus secundum spiritualem sensum uere Samaritanus, id est, custos est. Ipse enim custodit omnes diligentes se: Et custodit animas sanctorum suorum, &c. Nisi enim ipse custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Præterea etiam ideo non respondet ad obiectum uitæ crimen, ut exemplo suo nos doceret, nec nobis magnopere desudandum esse in defendenda à calumnijs uitæ nostræ innocentia, ne magis inanis gloriæ cupidi, quàm innocentiæ & ueritatis defensores uideamur. Respondet aũt Christus ad crimen doctrinæ sue obiectũ: omnibus enim modis asserenda est doctrinæ sua ueritas & authoritas. Hoc enim non nostræ, sed Dei gloriæ refert, quam adserere oportet ominibus etiam incommodis nostris. Docemur hic, quæ ad Deum pertinent, uindicare nos debere cum multa diligentia: quæ uero ad nos spectant probra despicere. Contrarium huius facit mundus, &c. 1. Pet. 2. Prouer. 15. Eccles. 6. Galat. 5. Psal. 144. Psal. 126.

Sed honorifico Patrem meum]

Probat se Dæmonium non habere, ex eo, quod in omnibus gloriam Dei quærit, & munus à Deo iniunctum in gloriam Dei exequitur, semperq; hoc agit & ubiq;, ut solus Deus glorificetur. Ideo ad passionem iturus, uere dicere potuit: Ego te clarificaui super terram, &c. Hæc autem duo contraria sunt, Dæmonium habere, & Deum honorificare. Nam Dæmon Deum glorificare non potest, nec aliud obstat ei ad salutem, &c. Ioan. 17.

Vos autem inhonorastis me]

Ostendit se optime sentire eorum contumelias, quamuis tunc non

eos puniret. Sic omnia peccata nostra uidet & sentit Deus, etiamsi non statim puniat: Suo autem tempore statuet ea nobis ob oculos.
Psal. 49. Emphasim autem habent hæc duo uerba: *Vos*, & *Me*. Quis tantam impietatem in Israël quæsisset, ut cum omnes alij Christum honorificent, ipsi soli blasphement, quem primi omnium suscipere debuerant. Hoc idem uerbum etiam in nos competit. Iuste enim de nobis conqueri potest: *Vos inhonorastis me*.

Ego gloriam meam non quæro]

Hoc addit, ne Iudæi putarent ex ambitione eum dixisse: Quis me arguet de peccato? Item, ne putarent eum iniurijs offensum, uindictam ab ipsis expetere. Ipse enim nec gloriam ab hominibus quæsiuit, quemadmodum supra dixit: Claritatem ab hominibus non accipio, nec uindictã exegit ab iniuriantibus, quin potius in cruce damauit: Pater dimitte illis, &c. In eundum modum Christianus non debet quærere suam gloriam, sed gloriam Dei, quod si facit, nec ipsi deerit gloria. Scriptum enim est: Qui glorificat me, glorificabo eum. Quod si hoc in præsenti sæculo non fiat, at certo glorificabit suos in cœlo Deus.
Ioan. 5.
Luc. 23.
1. Reg. 2.

Est qui quærat & iudicet]

Deus Pater gloriam Christi quærit. Hinc in Daniele: Dedit illi gloriam, honorem, & regnum. Hinc & iudicium omne dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Idem etiam Deus iudicabit, & ulciscetur iniurias Christo illatas. Hinc ad Moysem dicitur: Qui Prophetam hunc (nempe Christum) non audierit, ego ultor existam. Hinc Christus in Psalmo orat: Iudica me Deus, et discerne causam meam, etc. Item in Hieremia: Tibi reuelaui causam meam Domine. Quod si Deus gloriam piorum quærit, non opus est, ut ipsi de gloria uel acquirenda uel defendenda solliciti sint. Et si Deus iniurias suorum ulciscitur, non opus est, ut seipsos ulciscantur: Qui tangit (inquit) uos, tangit pupillam oculi mei. Et: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.
Dani. 7.
Ioan. 5.
Deut. 18.
Psal. 24.
Hiere. 11.
Zach. 2.
Matth. 25.

Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum, &c]

Quemadmodum fidelis medicus, etiamsi contumelijs ab ægroto afficiatur, non tamen cessat remedia apponere sanitatis: Sic Christus hic, nihil motus tam insigni contumelia, persistit in eo quod cœperat, iterũq; repetit id, quod in exordio dixerat. Quod enim hic dicit: *Si quis sermonem meum*, &c. idem est cum eo, quod supra dixit: Si manseritis in sermone meo, cognoscetis ueritatem, &c. Signanter autem dicit: Mortem non uidebit in æternum. Aliud enim est mori,
Supra c. 8.

& uidere mortem. Moriuntur etiam sancti secundum externum sensum, sed non uident mortem, eorum enim mors reuera somnus & obdormitio est: Mortem autem uident, qui desperant & uerbo uitæ carent. Est igitur hic locus probe notandus in consolationem eorum, quibus mors ob oculos ponitur. Nam si per fidem uerbum Domini morti obtrudant, mox euanescet mors, ut nusquam uideatur. Obserua autem, quod non dicit, qui sermonem meum audierit, sed qui seruauerit: Non enim satis audire. Quemadmodum enim Roma.2. non auditores, sed factores legis iustificantur: Sic hic non qui audit, sed qui seruat uerba Christi, liberatur à morte. Duobus autem modis seruatur uerbum Dei. Primo per fidem, deinde per externam impletionem. Obserua item, quod cum prius ad secundam personam sermonē dirigens, dixerit: *Si uos manseritis in sermone meo*, &c. tertia nunc persona uti maluit, dicens uniuersaliter: *Si quis sermonem meum seruauerit*, &c. Nec enim decebat, ut eis, quibus iam dixerat: Vos ex patre Diabolo estis, data sententia de perditione illorum, conditionem iterum ingereret eisdem uitæ & salutis.

Hoc igitur uerbo Christus plane præostendit, quod propter peruersitatem malorum, non solum omitti non debet prædicatio, sed etiam augeri. Deinde docuit, ut & nos exemplo sui discamus, uincere Rom.12. in bono malum, iuxta illud Sapientis: Si esurierit inimicus tuus, ciba Proue. 25. eum.

Nunc cognouimus, quod Dæmonium habes]

Ex hac Iudæorum responsione, primo uidemus naturam impij. Sicut enim accepta contumelia, bonus fit melior: sic accepto beneficio, malus fit peior. Nec quid abs re. Diligentibus enim Deum, omnia Rom.8. cooperantur in bonum, etiam si mala sint. Odientes autem Deum, omnia etiam bona in malum uertunt. Deinde uides hic, quam uere dictum sit: Peruersi difficile corrigūtur. Itemq; Nemo corrigere potest quem Deus despexerit. Impij enim semper proficiunt in peius, Eccles.1. Eccles. 7. 2. Tim. 2.

Postremo uides hic, naturam carnalis hominis, qui nihil nisi carnalia cogitat: Nescit aliam uitam quàm carnalem, nec aliam mortem, quàm corporalem. Proinde, quicquid uel de uita uel de morte audit, tantum carnaliter intelligit. Atqui scriptura aperte nobis duplicem mortem insinuat, quarum una longe ab altera diuersa est. Est enim mors corporis, quæ est ipsius animæ ab ergastulo corporis dissolutio. Et hæc non tam mors, quàm obdormitio, transitus & migratio ex hac uita, atq; depositio sarcinæ corporis dici debet. Eadem quoq; non habet annexam rationem culpæ, cum omnibus hominibus, tam iustis quàm iniustis, sit communis lege naturæ & ineuitabili necessitate. Idcirco nequaquam formidanda est, immo hanc mortem sancti summis uotis exoptauerunt. Hinc Dauid: Heu mihi, quia inco- Psal. 119.

Phil.1. latus meus prolongatus est. Et Paulus: Cupio dissolui, &c. Altera uero mors est animæ, quæ est ipsius per culpam à Deo separatio in hac uita, & per gehennam ab eius regno, post huius uitæ decursum: Hæc est mors summe formidanda. De hac morte loquutus est Christus, cum dixit: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit. Nihil igitur ad rem facit, quod inferunt: Abraham mortuus est & Prophetæ. Mortui quidem sunt ea morte, quæ animam separat à corpore, sed non ea, quæ animam separat à Deo. Hinc post eorum mortem corporalem dixisse legimus Deum: Ego sum Deus
Exod.3. Abraham, Isaac, & Deus Iacob. Non autem est Deus mortuorum
Matth.22. Deus, sed uiuentium, ait Christus.

Numquid maior es Patre nostro Abraham?]

Hoc cum stomacho & iracundia interrogant, ratí magnum nephas esse, si se illo maiorem diceret, qui tamen et hominibus & Angelis maior est. Deinde repetunt, quod supra dixerant: Abraham mortuus est, &c. Quo uerbo plane se produnt carnales, & scripturæ sanctæ ignaros, immo contumelioſos in ipsum Abraham. Quæ enim maior contumelia, quàm cum mortuum dicere, cui Deus ipse testimonium dat, quod uiuat: Verum, impietas, ut seipsum defendat, nec Deo, nec sanctis parcit.

Quem teipsum facis?]

Cum exprobratione & amaritudine hoc percontantur, quia supradicta Christi uerba, per arrogantiam dicta iudicabãt, quasi dicerent. Non est ferenda æquo animo tua superbia, qua teipsum usq; adeo tumide effers.

Si ego glorifico meipsum, gloria mea, &c.]

Non amplius respondet ad calumniam. Satis enim probauit, se Dæmonium habere non posse, ex eo, quod in omnibus Patrem glorificabat. Solum igitur ad hoc respondet, quod ultimo loco obiecerant: Quem te ipsum facis: Seipsum autem glorificat, qui alienæ gloriæ raptor, sibi ascribit quod non habet, nec sibi conuenit, quem-
Isa.14. admodum Diabolus, qui dixit: Similis ero altissimo. Christus autem
Phil.2. non seipsum glorificauit, immo cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed seipsum exinaniuit, factus obediens, &c.

Est autem sensus uerbi, quasi diceret. Quod me maiorem facio Patriarchis, uanum & mendax uideri posset, si ex meipso inanis gloriæ cupiditate hoc fingerem, sed appello ad Patrem meum cœlestem, qui me omnibus creaturis, nedum Patriarchis, ante sæcula maiorem genuit, cuius ego ipsissimus filius sum: Is, inquam, me glorificat. Expressit enim in me omnia sua bona, totamq; suam substantiam in me effudit, ut sicut ipse est æternus, omnipotens, creator, sic & ego, &c.

Obserua

Obserua iterum, quod Deus pios glorificat. Quia enim Deus per eos glorificatur, etiam ipse eos glorificat. Obserua item, quod sola ea gloria, quam Deus dat, aliquid est: quam autem homo sibi ipsi uel mundus dat, nihil est. Hinc Paulus: Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Ioan. 14. 2. Cor. 10.

Et non cognouistis eum]

Iudæi, quamuis de Deo gloriabantur, tamen uere non cognoscebant eum ut Patrem, quandoquidem Filium eius negabant. Nec cognoscebant eum ut Deum, quia uerbum eius non timebant. Vel generaliter non nouistis Deum. Non enim cognoscitur Deus, nisi in uerbo. Verbum autem uos contemnitis, & persequimini.

Vel, Non cognouistis eum, quia factis negatis. Sic de filijs Heli male uiuentibus dicit scriptura, quod nesciebant Dominum: Et Paulus de quibusdam Christianis, quod confitentur se nosse Deum, sed factis negant. 1. Reg. 2. Tit. 1.

Ego autem scio eum, &c.

Quia enim Filius eiusdem substantiæ & naturæ est cum Patre, & unigenitum Patris uerbū. Item, quia semper quæ placita sunt Deo facit, uere dicere potuit: Ego scio eum. Ne quis autem putet hoc per arrogantiam dictum, addit: Et sermonem eius seruo. In hoc enim scimus, quod Deum cognouimus, si mandata eius seruamus. 1. Ioan. 5.

Abraham Pater uester exultauit, &c.]

Non ignorabat ueritas, quicquid respondisset, uertendam esse in calumniam: attamen respondet non propter illos, sed propter nos, ut totus mundus illis non audientibus audiret. Nec in hoc cōtra scripturam fecit, quæ dicit: Vbi non est auditus, ne effundas sermonem, cum non tam propter illos, qui eum persequebantur, quàm propter nos, qui credituri eramus, idem sermo funderetur. Vide autē, quàm modeste loquatur: Non, inquit, illum contemno, nec me ei præfero. Illud dico, quod is idem Abraham pater uester exultauit, &c. Hoc igitur uerbo latenter se indicauit, maiorem esse quàm Abraham. Qui enim beneficium largitur, maior est eo, qui accipit. Eccles. 32.

Deinde hoc uerbo refellit, quod dixerant: Abraham mortuus est. Neq; enim Abraham, neq; Propheræ mortui sunt. Visi quidem sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, uiuūt adhuc, & diem meum uident. Præterea hoc uerbo magnam patris Abrahæ fidem, Christus commendat. Quid enim est quod ait: Exultauit ut uideret diem meum, nisi illud quod & nos in eōdem patre fidei nostræ recte miramur, nempe, quod primus ad præceptum Dei longam & laboriosam sustinuit peregrinationem: sic tamen, non quasi tristitiam aut necessitatem, sed ut uere magnæ lętitiæ expectationem. Promiserat Sap. 3.

enim illi Deus nullum habenti filium, immo sterilem habenti uxorem, quod in semine eius benedicerentur omnes Gentes. Nec statim accepit filium, per quem illud semẽ benedictionis, quod est Christus, sperare posset, sed prius exijt nesciens quo iret, &c. Hanc igitur eius obedientiã, Christus nominat exultationẽ. Ex hoc igit uerbo plane constat, quod omnes sancti ueteris Testamenti, in futurũ Christum respexerunt, atq; in eo solo consolati sunt.

Genes. 12.

Vidit, & gauisus est]

Vidit autem Abraham diem Christi. Primo, cum promissionem accepit de futuro Christo, dicente Domino: In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Ex hac promissione de Christo, uidit Abraham Christum, et gauisus est: quia risit in corde suo, & impletus est gaudio spiritus. Secundo uidit diem Christi, cum natus ei fuit Isaac. Is enim fuit diutinæ expectationis præmium, ueracis Dei testimonium, posteritatis initium, generis fundamentum, salutis argumentum, nascituri Christi seminarium. Vnde & merito Isaac, hoc est, à risu nomen accepit. Tertio uidit diem Christi, cum in figura summæ Trinitatis Angelos hospitio suscepit, quibus susceptis, sic tribus quasi uni locutus est. Quis autem explicare potest gaudium amici Dei, quo dilatabatur anima eius, cum staret familiariter cum illo sub arbore, à cuius facie timide abscondit se reus Adam sub arbore, et cibis suis eũ pasceret, quem ille per cibi rapinam offenderat, suamq; radicem uetus oliua reuirescere conspiceret, ad proferendum fructum, qui tandem uetiti ligni morsus expiaret. Quarto uidit diem Christi, cum Isaac filiũ ad immolationẽ duceret. Sicut enim illic Isaac ligna, sic Christus crucem portauit. Et sicut uiuus quidem permansit Isaac, aries autem immolatus: sic Christus, in quantum Deus alienus fuit à passione, in sola autem humana natura & carne passus est. Hunc diem passionis Abraham præuidens, gauisus est, eò, quod futurus esset in salutem mundi. Hoc igitur uerbo subindicat, eos non esse ueros Abrahæ filios, quia unde ille gauisus est, inde hi insaniebant. Deinde colligitur ex hoc uerbo, Christum etiam antiquis illis prædicatum & ostensum fuisse, promissionibus scilicet & figuris. Christus enim heri & hodie, ipse & in sæcula.

Genes. 15.

Genes. 21.

Genes. 18.

Genes. 3.

Genes. 22.

Heb. 13.

Quinquaginta annos nondum habes, &c.]

Iudæis non immerito accommodari potest illud Psalmi: Oculos habent & non uidebũt. Oculos quippe mentis habebãt, quibus Christi diuinitatem uel ex signis & mirabilibus perpendere facile potuissent: Verũ excæcauerat eosmalitia eorũ, idcirco diuinæ in ipso naturæ maiestatem non attendentes, ad solam humanæ formæ figuram dirigebant oculos, & illius ætatem annis humanæ durationis metiebantur.

Psalm. 113.

Sap. 2.

tiebantur. Non aduerterunt illud Michęæ: Egressus eius ab initio, &c. Nec illud Dei Patris uerbū: Ex utero ante luciferū genui te. Nec illud uerbum diuinæ sapientiæ: Dominus possedit me ab initio uiarum suarū, antequam quicquam faceret, &c. Cæterū sicut Iudæis hic stulta & absurda, immo impossibilia uidētur uerba Christi: sic rationi humanę stultissimę uidentur Dei promissiones, quomodo scilicet uerbum, quod mortale est, possit alijs uitam æternam largiri. Item, quomodo Christus, quantum extrinsecus apparet, morti obnoxius, possit à morte uindicare, &c. Mich. 5. Psal. 109. Prouer. 8.

Antequam Abraham fieret, ego sum]

Non cessat illuminator hominū Christus, conniuentibus eorum oculis, & syncerę ueritatis splendorē ferre non ualentibus, suæ diuinitatis lucem ingerere, qua tandem percipiant, ipsum supra Abraham & omnem hominem existere & præexistere. Non autem dicit, Antequam fieret, ego eram uel fui, sed: *Ego sum*. Res siquidem corruptibiles sui ortus habent principium, & tandem decurso sui temporis spacio tendūt ad exitum, ideo diuersorū temporū uicissim recipiunt denominationē. Diuinitas uero semper eadē et stabilis est, cuius nihil in præteritum defluit, aut in futurū accedit, ideo solius uerbi præsentiam subsistendi exprimentis, denominationem admittit. Hinc ad Moysen dixit: Ego sum qui sum. Et item: Qui est, misit me ad uos. Deinde, quia Abraham creatura est, fieri dictus est. Filius autem Dei creaturæ rationem omnino refugit, proinde non fieri, sed esse asseritur. Hoc igitur uerbo Christus manifeste se Deū esse ostēdit. Et quamuis sciret, illos ex hoc offendendos, tamen propter nos seipsum manifestauit. Summe enim necessarium est, scire, quod Christus sit Deus, ut supra satis probatum est, &c. Deinde, hoc etiam uerbo confirmat id, quod supra dixerat: Si quis sermonem meū seruauerit, mortē non uidebit. Quasi diceret, hęc est ratio, quod uerbum meū tantæ est efficaciæ, quia non est solum uocale & uolatile uerbum, sed est uerbum Dei: nec ego solum sum homo de terra terrenus, sed etiam filius Dei de cœlo cœlestis. Non possem quidem quenquam seruare, si solum homo essem, seruo autem credentes, quia Deus sum. Exod. 3.

Tulerunt lapides Iudæi, &c.]

Impij semper proficiunt in peius. Primo eum dæmoniacū appellarunt. Deinde, ut insanum exibilarunt, nunc etiam ut blasphemum lapidare uolunt. Hoc ipso autem facto confirmant id, quod Christus supra dixerat: In peccato uestro moriemini. Pulchre autem ad lapides currunt, lapidibus duriora habentes corda, & quem ratione non possunt, ui deijcere conantur. Hæc est enim natura impiorum. Supra c. 9.

Iesus autem abscondit se, & exiuit, &c.]

Nihil amplius de diuinitate sua loquitur. Nouerat enim Dominus, non dicam crassæ multitudini, sed nec discipulis persuaderi potuisse, si se palam prædicasset Deum & hominem, atq; eundem simul & mortalem esse iuxta corpus humanum: & immortalem, iuxta naturam diuinam. Iuxta carnem natū in rempore hominē ex homine, iuxta diuinam aūt uirtutē ante omnia tempora semper fuisse Deum ex Deo. Hoc enim tam arcanū mysteriū, magis erat miraculis, morte, resurrectione, ascensione, & Spiritus sancti missione, suo tēpore persuadendū mundo, quàm antē tempus apertis uerbis, non crediturīs ingerendū. Deinde, postq; se Deum expressis uerbis ostendit, nunc ipso facto se declarat etiam hominem. Poterat quidem seipsum defendere, poterat facere miraculum, ut citra ullam offensionē lapides sustinuisset, uel in eiaculatores retorsisset. Immo potuisset eos perdere,
4. Reg. 1. quemadmodum Helias quinquagenarios: Verū extenuauit se Christus usq; ad nostram infirmitatem, & docuit omnia iusta & pia esse
Lucæ 9. tentanda, ne tentetur Deus. Deinde, filius hominis non uenit ad perdendas, sed seruandas animas hominum. Quanquam si rem ipsam expendimus, satis pœnarum ipsis intulit, quod se ab eis abscondit, & è templo eorum exiuit: Hinc enim nihil non malorum secutum est. Nec mirum. Quid enim boni esse potest, ubi Deus se ab-
Deut. 32. scondit? Vnde & per Moysen comminatus est: Abscondam faciem meam ab eis. Quid enim est, quod Iudæi usq; nunc longe sunt à salute, nisi quod Iesus se abscondit ab eis.

Et quid est, quod & ciuitas & templum eorum corruit, quodq; & festa & sacrificia eorum cessauerūt, nisi quod Christus exiuit de tem-
Matth. 23. plo eorum. Sic enim eis prædixit: Relinquetur uobis Domus uestra deserta. Obserua autē, quos Christus relinquat, nempe obstinatos. Reliquit autē nobis hic Christus memorabile exemplum, ut etiam cū resistere possumus, iram superbientium humiliter declinemus: Vt enim subtractione ligni extinguitur ignis, ita absentia eius, in quem quispiā ira inflāmatur, sedatur et mitigatur efferuentis iræ incendiū. Sane, cū affectus iræ immoderatus suo ruat impetu in multa facinora, necessarium est, ut hunc affectum intra rationis metas et leges co-
Iacob. 1. hibeamus. Sic monet Iacobus: Sit omnis homo uelox ad audiēdum, &c. & tardus ad iram. Et Paulus: Sol non occidat super iracundiam uestram. Quo pacto autem iræ resistamus, Christus ipse suo exemplo nos instruxit. Primo enim lacessitus iniurijs, non reiecit in eos cōuitia. Secundo insuper addidit beneficium docendo. Tertio, cum uideret se nihil proficere, recessit. Sic nobis faciendū, in primis ut iniurijs etiam falso illatis lacessiti, aduersariorum etiam uera mala quæ nosscimus taceamus, neq; pro contumelia reddamus contumeliam. Sic
Rom. 12. Paulus Docet: Nulli malum pro malo reddentes, &c.

Deinde, ut iniurantium nobis animos exhibitione beneficiorum

frangere,

frangere, atq; nobis beneuolentia deuincere annitamur. Sic docet Sapiens: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Demum, cum perspectum habemus, nec mitia uerba commotos animos lenire posse (quę tamen magnam habere solent sedandæ iræ efficaciam, cum dicat Sapiens: Responsio mollis frangit iram. Et rursum: Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos) secedere ab iratis debemus, ut saltem absentia nostri æstuantis animi paulatim residat indignatio. Exemplo enim Domini gloriosius est, iram tacendo fugere, quàm loquendo superare. Vnde & Sapiens: Melior est patiens uiro forti. Proue. 25. Prouer. 15. Eccles. 6. Proue. 16.

CAPVT NONVM.

Finita superiori disputatione, relinquens Christus Pharisæos mente cæcos, ad corpore cæcum diuertit. Primo, ut ostenderet, se & corporis & animæ cæcitatem tollere posse. Secundo, ut ostenderet ipso facto quales homines requirat, nempe non rebelles, quales fuerunt Iudæi, de quibus superiori capite dictum est: sed eos, qui cæcitatem suam agnoscunt, ac medici monsta diligenter exequuntur. Ideo autem post doctrinam statim transit ad miraculum, ut miraculo ceu sigillo, priorem doctrinam obsignet & confirmet. Deinde, ideo miraculum facit, ut quos uerbis mollire non poterat, saltem factis moueret. Præterea hoc diuino opere palam monstrauit, se non blasphemasse, quemadmodum ipsi iudicabant, sed uere dixisse: Antequam Abraham fieret, ego sum. Caput igitur hoc Nonum, primo priorem Christi doctrinam confirmat. Ioan. 8.

Deinde docet etiam nos in aduersis fide constare certos, quod nostra afflictio non nobis in perditionem, sed in gloriam Dei, & nostram liberationem cessura sit.

Præteriens Iesus, uidit hominem cæcum, &c.]

Ex hoc primo uerbo, statim indicatur nobis iudicium Dei & misericordia. Vtrunq; enim Dauid Domino decantat. Quod Iudæos præterit, immo ut supra dictum est, ab eis se abscondit, iudicium est: Quod autem cæcum uidet, misericordia est. Eius enim uidere, est misereri. Vt: Conuersus Dominus, respexit Petrum. Sic in Exodo: Videns uidi afflictionem populi mei. Hinc Dauid precatur: Ostende faciem tuam, & salui erimus. Et iterum: Ne auertas faciem tuam à me, &c. Obserua, quod Christus eos præterit, qui uel eum non requirunt & accipiunt, uel ingrati sunt, sicut Iudęi. Eos autem uidet, qui se pauperes agnoscunt, & parati sunt obedire. Psal. 100. Lucæ 22. Exod. 3. Psal. 79. Psal. 26.

Per

Per hoc autem, quod præteritis diuitibus cæcum uidit, & illic ſubſtitit, damnauit iudicium mundi, qui tantum uidet ea, quæ excelſa ſunt.
Pſal. 112. Deus autem econtra: Excelſus Dominus humilia reſpicit. Deinde
Thob. 4. etiam exemplo ſuo docuit illud, quod in Thobia legimus: Ne auertas faciem tuã ab ullo paupere. Conſolatur hic locus eos, quos mundus non reſpicit. Quid enim ſi mundus te non uidet & curat, ſi Deus te uidet & curat? Ideo autem circa cæcum ſubſtitit, ut diſcipulos in ad-
Ioan. 4. mirationem duceret, & occaſionem præſtaret interrogandi, quemadmodum & ſupra de Samaritana dictum eſt.

Quis peccauit? hic an parentes eius?]

Deut. 28. Hic uides iudicium rationis. Quia enim lex promittit bona bonis, & minatur triſtia malis. Ratio ſic colligit: Hic affligitur, ergo peccator & à Deo reiectus eſt: Hic fortunatus eſt, ergo pius eſt. Et: Deo charus ſum, quia fortunatus ſum. Item, Deus me odit, quia affligit. Et cum uidet palam malis omnia ſecunda eſſe, meliores autem affligi, dãnat iudicium Dei, negat Dei prouidentia res humanas regi. Hinc
Eccleſ. 9. Salomon: Hoc peſsimum eſt inter omnia quæ fiunt ſub ſole, quia eadem cunctis euenium. Vnde & corda hominum implentur malitia
Iob. 4. & contemptu, &c. In hanc ſententiam etiam amici Iob argumentantur: Peccator es, ergo affligeris, &c. Obſerua autem, quod diſcipuli nequaquam præcipitant ſententiam, nec temere iudicant id, quod mundus ſolet: ſed quærunt, & interrogant id, quod pij faciunt. Tria autem quærunt notatu digniſsima. Primo, ſciebant quod propter
Geneſ. 3. peccatum introierunt in mundum, maledictiones, infirmitates, plagæ, calamitates, adeoq; ipſa mors, cuius rei abundans teſtimonium
Leuit. 26. eſt ipſa lex, quæ peccatoribus talia minatur: iuxta hoc tamen uide-
Deut. 28. bant etiam iuſtos & ſanctos frequenter talia paſſos, ut Abel, Iacob, Dauid, Iob, Thobiam, &c. Merito igitur quærunt, an afflictiones ſemper ſint peccatorum ſupplicia. Secundo, quia meminerunt lan-
Ioan. 5. guido ad probaticam piſcinam ſanato dictum eſſe: Amplius noli peccare, ne deterius tibi quicquam contingat. Et alteri paralitico:
Matth. 9. Remittuntur tibi peccata, arbitrati ſunt etiam huic homini cęcitatem propter peccatum accidiſſe, non tamen audebant ipſi homini peccatum aſcribere. Indignum enim uidebatur, cauſam peccati in infantẽ nondum natũ reijcere, & qui nondũ quicq; nec mali nec boni feciſſet. Quęrũt igitur à Domino, an propter ipſius propria peccata hoc euenisſet. Præterea, in primo præcepto dicit Deus, ſe uiſitaturũ peccata pa-
Exod. 20. trum in filios, in tertiam & quartam generationem, id quod paſsim exempla teſtantur. Sic enim Chanaan propter patrem ſuum ma-
Geneſ. 9. ledictus eſt: Sic Amalechitæ propter peccata patrũ exterminati ſunt:
1. Reg. 15. Sic Roboam propter peccatũ Salomonis partẽ regni perdidit. Idem
3. Reg. 12. cõtigit filijs Achab. Poterant igitur diſcipuli etiã hic arbitrari propter
4. Reg. 10. peccatum

peccatum aliquod parentum, hunc cæcum esse natum. Verum ex alia parte obstabat Propheta dicens: Non portabit Filius iniquitatem patris, &c. Igitur tertio etiam hoc à Christo quærunt, num parentibus ascribendum sit. Ezech. 18.

Neq; hic peccauit, neq; parentes eius]

Vno eodemq; breuissimo uerbo respondet Christus ad quæstiones prædictas. Hocq; uerbo palam pronunciat, non omnes afflictiones, nec semper propter peccatorum merita contingere. Verum quidem est, quod in prima quæstione allegatum est, nempe afflictiones è peccato prodijsse, eiusq; authoramenta esse. Interim tamen obseruandum, quod Deus habet duos in homines, quos affligit respectus. Alterum in peccata: Alterum in suam gloriam. Quod si peccata respiciat & iniquitatis merita, nullum est adeo ingens supplicium, quo non merito affligamur, omnes quotquot originem nostram ex Adamo ducimus: Si enim Deus iniquitatem obseruauerit, quis sustinebit? Si uero suam gloriam respiciat, affligit non propter peccatum, sed ad suam gloriam manifestandam: hoc modo, & in hunc finem etiam sancti affliguntur. Deinde uerum est, quod in secunda quæstione allegatum est, nempe aliquos propter sua ipsorum peccata afflictos, sed non semper. Habet enim Deus & alias causas, propter quas homines affligit. Aliquos enim affligit ad probationem, quemadmodum uidemus in Iob & Thobia. Ideo Iob dicit: Probauit me Dominus quasi aurum, quod per ignem transit. Sic de Thobia dicitur: Quia acceptus eras, ideo necesse fuit, ut tentatio probaret te. Aliquos affligit propter uirtutem spiritualium q; donorũ custodiam, ne in superbiam eleuentur. Sic Paulus: Ne (inquit) magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, etc. Alios affligit, ut uirtus diuina manifestetur, sicut hunc cæcum & Lazarum, de quo infra dicetur. Psal. 129. Iob. 32. Thob. 12. 2. Cor. 12.

Aliquos affligit propter peccatum, ut per pœnã expientur, sicut paraliticum & sororem Moysi. Aliquos affligit, ut futura & æterna pœna in præsenti quodammodo inchoẽtur, ut Antiochum, Herodem, &c. Postremo etiam uerum est, quod in tertia quæstione allegatum fuit, nempe, quod aliqui propter parentũ peccata puniuntur: id quod supra exemplis probatũ est. Verũ hoc intelligendũ est de temporali pœna, qua Deus peccata patrũ interdũ uisitat, usq; in quartam generationẽ: non aũt intelligitur de spirituali & æterna pœna. De hac enim intelligitur illud Ezechielis: Filius nõ portabit iniquitatẽ patris, hoc est, non damnabitur pro eis, si nõ imitatus fuerit Patris peccata, anima enim quę peccauerit, ipsa morietur. Cęterũ, quod Christus hic dicit: *Neq; hic peccauit, neq; parentes eius*, nõ simpliciter intelligendũ est, quasi omnino non peccauerint. An non peccauit cæcus, qui in Exod. 20. Ezech. 18. Psalm. 50.

peccatis

Psal. 142. peccatis conceptus est: Non enim iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens. An non et parentes peccauerunt, qui infra increduli in Christum describuntur? Peccauerunt quidem utrique, sed cæcitas illa non ideo contigit, quia uel ipse peccauerit, uel parentes eius, sed pro gloria Dei. Docemur igitur hoc uerbo, ne temere propter externas afflictiones alios iudicemus peccatores, id quod mundus solet, quemadmodum uidemus in amicis Iob, qui & ideo à Deo arguuntur: Non,
Iob. 42. (inquit) estis rectum locuti, &c.

Sed ut manifestentur opera Dei in eo]

Hoc est, ut gloria Dei in illo declarẽt. Dupliciter aũt intelligi potest. Primo: *Vt manifestentur opera Dei*, hoc est, ut diuinitas mea in eo manifestetur. Vel, *Vt manifestentur opera Dei in eo*, hoc est, ut Pater glorificetur. Sicut enim filij huius sæculi, magnificis factis celebre sibi nomen & titulum acquirunt: Sic Deus parat sibi gloriam, laudem & titulos honestissimos ex afflictione, qua suos afficit. Cum enim suos deijciat in extremam miseriam, et postea eripiat, hunc titulum re-
Psalm. 9. fert, quod sit Deus, liberator & adiutor in necessitatibus, qui est titulus magnificentissimus, et omnes homines ad Deum inuocandum inuitans. Docet igitur hoc uerbum, afflictiones non accidere nobis casu, sed Dei uoluntate, ut per eas glorificetur. Atq; hæc est uere afflictionum expositio. Non enim Deus ideo nos affligit, ut perdat, sed ut ipse in nobis glorificetur. Quod si hoc uerbum fide arripueris, præbebit tibi patientiam & consolationem in omni afflictione, quantumcunq; graui. Sic afflixit Iosephum, ut liberando eum de carcere glorificaretur. Sic afflixit Israëlitas in Ægypto, ut liberando eos ingentem sibi inter homines laudem pararet. Sic in afflicto Iob gloriam suam declarauit, nempe, quod solus Deus sit uerax, omnis
Rom. 3. autem homo mendax, & quod sit Deus auxiliator in medijs inferni ignibus. Consequitur ex his, quod qui per impatientiam crucem à se reijcit, gloriam Dei reijcit.

Me oportet operari opera Dei, donec dies est]

Ex occasione prædictæ quæstionis, latius discipulos instruit, utiturq; pulcherrimis uerbis, quorum primum nos docet, Secundum monet, Tertium consolatur. Hoc igitur primo uerbo causam assignat, cur iuxta cæcum substiterit: Me, inquit, oportet circa huiusmodi miseros operari. Nemo enim alius potest: quo uerbo plane in-
Ioan. 3. dicat, se à Deo missum, non ut iudicet mũdum, sed ut saluetur mundus per ipsum, ut supra dixit. Quod autem dicit: *Me oportet*, non intelligendum quasi coactus & inuitus hæc faciat, quin potius summã animi promptitudinẽ ad subueniendũ miseris in se esse ostendit.

Ipsi

Ipſi enim ſoli derelictus eſt pauper: Ipſe orphanorum eſt adiutor. Pſal.9.

Signanter autem dicit: *Me oportet operari opera Dei.* Quod ſi quæras, quæ ſint Dei opera, attende quid Chriſtus hic faciat. Primo docet diſcipulos, ſecundo ſanat cæcum. Conſequitur igitur, quod opera Dei ſunt, docere ignaros, ſuccurrere miſeris, immo hominem interne & externe, temporaliter & æternaliter ſaluare. Atq; hic iterum uides, quod Euangelium nobis Deum longe aliter proponit, quàm lex. Lex indicat Dei opera eſſe, iudicare, damnare, punire, &c. Chriſtus autem hic oſtendit, Dei opus eſſe, ſanare, illuminare, docere, unde & Patrem eum nominat: Quæ omnia eo tendunt, ne à Deo, ſed ad Deum fugiamus. Addit aũt: *Donec dies eſt.* Per diem intelligit tempus miniſterij ſui. Eſt enim totus dies negocijs perficiendis deſtinatus, ut Pſalmiſta ait: Ortus eſt ſol, & exit Pſal.103. homo ad operationem ſuam, uſq; ad ueſperam. Ex hac ratione uocat Chriſtus tempus miniſterij ſui diem, & ceſſationem à miniſterio, noctem. Solent enim homines noctu à negocijs feriari. Eſt igitur ſenſus, Quia miniſterium Euangelij mihi cõmiſſum eſt, tantiſper docebo, & doctrinã miraculis obſignabo, dum miniſterium meum compleuero. Vel per diem intelligi poteſt totum tempus gratiæ, quod una dies eſt, quam ſol iuſtitiæ exortus fecit. De quo Dauid: Exortum eſt in tenebris lumen rectis, &c. Et Iſaias: Populus qui Pſal.111. ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, &c. Tota hac die, Iſa.9. hoc eſt, toto tempore gratiæ, à natiuitate ſcilicet Chriſti uſq; ad finem mundi, Chriſtus operatur opera Dei. Nunquam enim non ad nos Matth.11. clamat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Docet igitur nos hoc uerbum, primo, ut exemplo Chriſti non otiemur, ſed cogitemus etiam nobis dictum: *Me oportet operari.* Secundo, ut ſignanter operemur opera Dei. Ea autem ſunt ueræ pietatis & charitatis opera. Tertio, ut non ceſſemus quamdiu dies eſt. Non ceſſant homines laborare, quamdiu dies eſt, quanto magis id in re ſalutis obſeruandum eſt? Habemus diem gratiæ omnibus communem, habet item quiſq; diem ſuum, quemadmodum Chriſtus de Iudæis dicit: In hac die tua, quæ ad pa- Lucæ 19. cem tibi, &c. Hic autem dies eſt totũ uitæ noſtræ, quod hic uiuimus, ſpacium, quo nobis mandatum eſt à Deo, operari ea, quæ ad uitam æternam conſequendam conducũt. Operæ pretium eſt igitur, Pauli Gal.6. monita audire, cum dicit: Dum tempus habemus operemur bonum. Itemq; Sapientis: Ante mortem operare iuſtitiam, quoniam non eſt Eccle.14. apud Inferos inuenire cibum. Et iterum: Quæcunq; poteſt manus Eccle.9. tua, inſtanter operare, &c.

Venit nox, quando nemo poteſt operari]

Hoc uerbum primo refertur ad Chriſtum, ut ſit ſenſus: Breui

ueniet potestas tenebrarum, & tunc à ministerio meo cessabo. Nemo eo tempore operabitur: Ego, ut abiectissimus & impotentissimus, cruci affigar, uos omnes scandalum patiemini. Per noctem igitur passionem suam intelligit. Vel per noctem intelligit finem temporis gratiæ, quasi diceret. Nunc tempus acceptabile & dies
Isa. 49. salutis est, in hoc tempore accepto exaudiui te, &c. Verum non semper dies gratiæ erit, ueniet etiam nox, tempus scilicet iudicij & seueritatis. Vere horrenda nox, in qua nemo potest operari, quia tunc nullus supererit pœnitentiæ locus. Nulla emendandæ uitæ commoditas, sed duntaxat recipiendi, quod quisq; operatus fuerit: & me-
Psal. 6. tendi, quod seminauerit hora. De illa nocte dicitur: In Inferno quis
Matth. 22. confitebitur tibi: Et: Ligatis manibus & pedibus proijcite eum in
Matth. 25. tenebras exteriores. Denicq; : Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Vel per noctem intelligitur ablatio Euangelij & uerbi gratiæ, quod uere lux est, hominem ad bona opera dirigens. Ablato autem uerbo, non possumus operari opera Dei. Hinc de
Num. 9. Israëlitis dicitur: Per uerbum Domini mouebant castra. Item, Mi-
Psal. 106. sit uerbum suum, & sanauit eos. Item, Quod si non dixerint iuxta
Isa. 8. uerbum hoc, non erit eis matutina lux.

Monet igitur, ut Euangelio credamus, quamdiu ipsum habere possumus: Veniet enim tempus, quando desiderabimus uidere
Lucæ 17. unum diem filij hominis, uel unum ab eo uerbum audire, &c.

Vel per noctem intelligi potest mors naturalis, quæ certo ueniet,
Apoc. 14. post quam nemo poterit operari. Amodo enim dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Tripliciter igitur nos terret uerbum hoc.

Primo in eo, quod plane prædicit uenturam noctem.

Secundo in eo, quod non exprimit tempus, quando ueniat nox.

Tertio in eo, quod dicit, neminem posse in ea nocte operari.

Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.]

Si de corporali eius præsentia intelligatur hoc uerbum, uerissimum est. Quamdiu enim corporaliter in mundo fuit, omnibus expositus fuit, ubicq; radios suæ lucis emisit. Nihilominus etiam uerum est de spirituali eius præsentia, quæ fit per uerbum, de qua præ-
Matth. 28. sentia alibi dicit: Ecce uobiscum sum, usq; ad consummationem sæculi: Plus enim uerbo præsens est, quàm persona. Nam si audierimus & crediderimus uerbum, plus nobiscum est, quàm cum Pilato & Caypha, qui eum oculis uiderunt. Tantisper igitur lux & dies est, dum nobis uerbum fuerit præsens. Qui enim per fidem uerbum possidet, is lucẽ habet, qua potest per mortem, peccatũ, & omnes maledictiones usq; ad iustitiam, uitam, & omnes cœlestes benedictio-
3. Reg. 8. nes penetrare: Immo lucem habet, qua ad Deum accedere potest, qui tamen alioqui in nebula habitans inaccessibilis est.

Verbum

Verbum igitur hoc pios consolatur in aduersis. Quamdiu enim uerbum Dei habent, sciunt se habere lucem, qua omnia mala penetrare possunt.

Hæc cum dixisset, expuit in terram, &c.]

Post internam illuminationem, quæ per doctrinam fit, transit ad externum opus Dei, quod est sanare & adiuuare. Vbi primo uides, quomodo Deus sua opera exequatur. Poterat Christus solo uerbo cæcum sanare, sicut & alibi fecit. Poterat etiam natos oculos cæco creare, sicut ab exordio hominem totum è nihilo creauit. Nihil tamen horum hic fecit, sed pluribus mediis usus est: Lutum, inquit, fecit, &c. Hoc autem ideo fecit, ut non contemnamus media. Si enim solo uerbo suo sine mediis omnia dedisset, iam omnia media contemneremus. Distribuit quidem Deus sua bona solius uerbi uirtute, interim autem adijcit uerbo instrumenta, interim non adijcit, atq; hoc agit nulla necessitate rerum coactus, sed pro mera sua uoluntate. Primo, ut adijciendo media instrumenta, doceat Deum non esse tentandum, sed mediis iustis à Domino nobis propositis esse utendum. Secundo, ut non adijciendo media, doceat potestatem soli uerbo suo ascribendam. Obserua autem, quod Deus non uult nobis sua bona distribuere his mediis, quæ nos elegimus, sed quæ ipse eligit. Sic Naaman Syrus, putabat sibi sanitatem conferendam per impositionem manus Helizæi, sed frustra. Aliud medium Deo placebat: Vade, inquit, lauare in Iordane septies, &c. Luc. 18. 4. Reg. 5.

Obserua item, quod Deus plerunq; dona sua distribuit per talia media, quæ in speciem uidentur humilia, ut hic non per medicinam aliquam, sed per lutum dedit cæco uisum. Hoc autem ideo facit. Primo, ut nos humiliet. Secundo, ut ostendat se æque per humilia media posse auxiliari ut per magna. Tertio, ne mediis ascribamus uirtutem. Vide autem, quibus mediis cæcum sanauit. Primo expuit, ad insinuandum, quod uirtus curatiua esset à diuinitate, quæ est caput Christi hominis tanquam à principali principio, & ab eius humanitate, tanquam ab instrumento. Saliua quippe fluit à capite, & caput Christi Deus est secundum Apostolum. Secundo lutum fecit, quo docuit se esse creatorem, qui in principio usus est luto ad hominis formationem. Non tamen aqua utitur ad formationem luti, sed sputo, ut nihil ascribatur fonti, sed discas, quod uirtus oris eius, oculos aperuit cæci nati. Tertio liniuit lutum super oculos, contrario modo Deus sua opera exequitur. Lutum etiam uidentes excæcat. Dupliciter igitur iam homo ille cæcus erat, cui supra cæcitatem etiam lutum super oculos ponitur. 1. Cor. 11.

Verum hæc est natura Dei, sic incipit opera sua, ut uix credi possit, quod aliquid sequatur. Deinde, quos illuminare uult, eos prius

excæcat, sicut quos glorificare uult, eos prius humiliat. Hinc Paulus:
1. Cor. 3. Qui uult sapiens esse, stultus fiat, &c. Quarto, iubet lauare oculos, ne uideretur cuiquam ex uirtute terræ esse curatio. Longe autem eum mittit, ut eius fides interim exerceretur. Signanter autem mittit ad Siloa, quod interpretatur missus. Vnus est enim unice missus a Patre, qui solus illuminat mentes hominũ. Fons enim iste, Christum repræsentabat, qui nunc quoq; in scripturis arcanis latitans, aperit oculos cæcorum, si modo suam agnouerint cæcitatem.
Huius fontis etiam Isaias mentionem facit, queriturq; eius aquas
Ioan. 8. fuisse contemptas, non quod ex illis aquis quisquam salutem sit consequutus, sed quod diuinæ scripturæ typum gerant. Quæ cum absq; strepitu mundanæ eloquentiæ, placide leniterq; fluant, tamen quoniam ex abstrusis diuinæ sapientiæ cauernis scatent, cœlestem uim habent depellendi quamuis inueteratam humanæ mentis cæcitatem,
Ioan. 17. & eos oculos aperiendi, quibus uidetur Deus, quem uidisse felicitas est.

Abijt, lauit, & uenit uidens]

Hæc uerba insignem cæci fidem indicant. Non enim contradixit uerbis Domini, neq; cogitauit apud seipsum, Lutum solet magis excæcare oculos, Quid igitur mihi lutum superposuit? Sæpe numero laui oculos in Siloæ, nec tamen quicquam profuit. Si quam ille haberet uirtutem sanandi, præsens utiq; me curasset. Sic olim Naaman
4. Reg. 5. Syrus secum cogitabat, &c. Verum hic noster nihil tale cogitat, sed
Gen. 12. simpliciter obediuit, quemadmodum & Abraham ad uocem Domini exiuit, nescíens quo iret. Tales homines requirit Deus, qui simpliciter uoci suæ obediant.

Discamus igitur & nos ex hoc loco, non contemnere media, per quæ nobis Christus salutem administrat, nec eum in ius uocemus, quare hoc uel hoc fieri uelit, sed simpliciter obediamus, & inuenietmus efficacissima esse, quæ Deus proponit, quantumcunq; humilia uideantur. Docet igitur nos historia hæc ad literam, quod bonum & utile est, quicquid Deus proponit & iubet, etiamsi non ui-
1. Cor. 10. deatur tale. Secundo, ut oculos rationis claudamus, & captiuemus intellectum in obsequium Christi.

Allegorice, Cæcus hic significat genus humanum, uel potius Gentilem populum, qui Iudæis uidentibus ipse à natiuitate cæcus erat, nec unquam uiderat. De hoc cæco dicitur: Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, &c. Peccauerunt quidem primi parentes, ut cæcum nasceretur genus humanum, uerum ut Iudaico populo per iustitiam creatoris illustrato, in cæcitate ignorantiæ Gentilitas relinqueretur, non peccauit ipsa Gentilitas. Si enim propter peccata sua Gentilitatem in tenebris relictam dicat quis, consequitur Iudaicum populum

pro ſuis electos eſſe meritis, quod Moyſes conſtanter negat: Scito, inquit, quod non propter iuſtitias tuas Dominus tibi dederit terram, &c. Et Paulus: Cum nondum nati fuiſſent, dictum eſt: Maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Hunc igitur cæcum Chriſtus è Iudaico templo egreſſus, immo eiectus inuenit, uidit, illuminauit. Iudæis enim gratiam Euangelij reſpuentibus, Chriſtus ad Gentes tranſijt. Deut. 9. Gen. 25. Mal. 1.

Nihil petebat cæcus, ſed Chriſtus ſponte miſertus eſt eius, ſic de Gentili populo. Deniq; non cæcus ad Chriſtum cucurrit, ſed Chriſtus ad cæcum uenit. Illuminauit autem eum extra templum, hoc eſt, ſine præſidio legis. Tria autem fecit circa hanc illuminationem. Primo lutum fecit ex ſputo. Sputum, quod à capite in os defluit, diuinitatem Chriſti ſignificat. Hinc æterna ſapientia dicit: Ego ex ore altiſsimi prodiui, &c. Lutum uero de terra, ſacratiſsima Chriſti caro eſt, ut Pſalmiſta ait: Veritas de terra orta eſt. Expuens ergo in terram, fecit lutum, quando uerbum caro factum eſt. Eccle. 24. Pſal. 84. Ioan. 1.

Secundo liniuit lutum ſuper oculos, quando docuit in ſe credere: Alioqui nihil prodeſt incarnatio, ſi non aſsit fides.

Tertio ad piſcinam mittit, quia poſt prædicationem uerbi, ad Baptiſmum & Sacramenta mittimur, ibiq; perfecte ſanamur. Hæc piſcina Baptiſmus multipliciter præfigurata fuit in ueteri Teſtamento. Primo per aquam diluuij, qua totius mundi peccata expiata ſunt: huius rei teſtis eſt Petrus. Secundo per mare rubrum, quemadmodum Paulus teſtatur: Omnes, inquit, in Moyſe baptizati ſunt, &c. Tertio per Iordanem, quem filij Iſraël tranſgreſsi, ſtatim terram promiſſam obtinuerunt. Quarto per aquam expiationis & luſtrationis. Quinto in figura Baptiſmi: Naaman ſepties lotus in Iordane, mundatus eſt à lepra. 1. Pet 3. 1. Cor. 10. Ioſ. 3. Leuit. 19. 4. Reg. 5.

Hanc aquam Dominus per Ezechielem pollicitus eſt, dicens: Effundam ſuper uos aquam mundam, &c. Hanc etiam præſignauit probatica piſcina, de qua ſupra. Hanc aquam effudit latus Chriſti, lancea militis in cruce transfixum in remiſsionem peccatorum. Ezech. 36. Ioan. 5. Ioan. 19.

Itaq; uicini, & qui uiderant eum prius, &c.]

Hoc miraculum ita deſcribitur, ut ſubinde magis ac magis manifeſtum factum eſſe intelligamus. Non enim poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neq; accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, &c. Ita autem fiunt opera Dei, ut manifeſtata credentibus ſint fidei fulcimenta, incredulis uero offendicula. Hinc prius ad uicinos miraculi opus permanat, ut ſi qui inter eos eſſent pij, fidem ſuam ex hoc facto ſtabilirent. Deinde permanauit rumor uſq; ad Phariſæos, ut offenſi uiolatione Sabbati, in incredulitate ſua obdurarẽtur, quemadmodum Pharao. Quatuor autem genera hominum circa Matth. 5.

hoc miraculum se occupasse hic legimus. Vicini mirantur quidem, quærunt causam & modum, sed nihil emendantur: Pharisæi omni modo gloriam miraculi opprimere studeant: Parentes cæci libenter quidem confessi essent id, quod uerum erat, sed obstitit timor, ne ejicerentur. Cæcus ipse ingenue & coram uicinis, & coram aduersarijs confitetur, uerum hic unus & solus est. Sic in Ecclesia sunt quatuor genera hominum. Aliqui sunt tantum curiosi, nihil ueræ pietatis habentes: Aliqui manifeste mali: Aliqui imperfecti adhuc: Aliqui autem perfecti, sed horum tam paruus est numerus, ut Christus dicat: Cum uenerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Luc. 17.

Nonne hic est, qui sedebat & mendicabat?]

Cæcitas seipsa onerosum malum est, uerum si superueniat etiam egestas, iam duplex malum est. Ex his igitur duobus conspicuus erat homo hic, cæcitate scilicet & paupertate. Iam quamuis cæcitatem corporalem non semper comitetur egestas, cæcitas tamen spiritualis semper secum affert etiam paupertatem. Vnde colligitur, longe peiorem esse cæcitatem mentis, quàm corporis.

Obserua ad cuius sortis homines, mirabilis illa Dei clementia se inclinet: Ad pauperes scilicet & mendicos. Iuxta illud: Nonne Deus pauperes elegit in hoc mundo? &c. Nedum autem pauperibus misericordiam impendit Christus, sed & pauperibus similis esse uoluit. Iuxta illud: Cum diues esset, propter nos egenus factus est, ut nos ad similia prouocaret. Iac. 2. 2. Cor. 8.

Ego sum]

Mente & corpore illuminatus, qualem potest illuminatori suo gratiam rependit, eligens magis inuidiam cum illo sustinere, quàm ingrato silentio, laudi & gloriæ Dei damnum inferre. Discat hic fidelis quisq; ut quoniam non potest operibus rependere, quod à Deo percepit, saltem uerbis & corde grato rependat. Non abs re autem Ioannes tam diligenter huius cæci uerba & responsa describit, immo meritissime hoc fecit: quia cæcus hic primus omnium pro Christo quæstionibus pulsatus est, & persecutionem passus, & ad omnia respondit, ut uel ex hoc solo fidelis quisq; discere possit, qualiter aduersarijs respondere debeat. Quatuor autem per ordinem respondet cæcus hic. Primo dubitantibus & quærentibus, num ipse sit, qui cæcus fuerat, ingenue fatetur præteritam cæcitatem & præsentem gratiam: *Ego sum*, inquit. In hunc modum pius quisq; ingenue fatetur, se fuisse peccatorem & miserum, quemadmodum Paulus: Fidelis sermo, Christus uenit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, sed misericordiam consecutus sum. Secundo quærentibus quomodo & per quem illuminatus sit, respõdet cæcus. 1. Tim. 1.

Ille

Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit]

Vno uerbo & curatorem & modum curationis exprimit. Atq; hæc est uera confessio, hoc confitetur Ecclesia in aduersis & prosperis, coram amicis & inimicis: *Ille homo, qui dicitur Iesus, &c.*

Tertio interrogantibus, Vbi est ille? Respondet,

Nescio]

Nomen Christi nouerat, sed non faciem. Sic Ecclesia, quamuis per fidem noscat Christum, nec dum tamen per speciem uidet illuminatorem suum, immo hoc ipsum deplorat, quod insultantibus aduersarijs, nequit uidere uel ostendere eum. Vnde & in Psalmo uox illa fidelis cuiusq; animæ est: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? 1. Cor. 13. Psal. 41.

Veruntamen non omnino nescimus, ubi sit: scimus enim quia cœlos ascendit, sed nescimus quomodo sit, uel quale habeat iudicium de nobisipsis. Obserua quod Christus post præstitum curationis beneficium, de loco recessit, ut nos doceret ex benefactis non quærere humanam aut nostram, sed solius Dei gloriam. Obserua item, quod cæcus non omnino dicit se ignorare benefactorẽ suum. Supra enim dixerat: Ille homo, qui dicitur Iesus, &c. sed tantum dicit, se nescire ubi sit. Impij autem, quantumcunq; accipiant, tamen omnino non agnoscunt benefactorem suum. Hinc est illa uox Dei: Non cognouit quod ego dedi ei frumentum & uinum. Item: Non dixerunt in corde suo, Metuamus Dominũ, qui dat nobis pluuiam temporaneam, &c. Osee. 2. Hier. 5.

Adducunt eum ad Pharisæos]

Vt ipsi tanquam maiores & religiosiores de hoc opere iudicarent, remq; diligentius examinarent. Vel, ut placerent Pharisæis, à quibus nouerant Iesum odiri. Vel, ut Iesum de uiolatione Sabbati accusarent. Quod enim impij contra Christum non possunt, hoc contra credentes in ipsum exequuntur.

Erat autem Sabbatum, quando fecit Iesus lutum]

Christus frequenter salutis & pietatis opera in Sabbato exequitur. Primo, ut sciamus Sabbatum non ob ocium & feriationem tantum institutum. Secundo, ut sciamus etiam Sabbatis, immo tunc maxime licere bonis operibus insistere. Hoc enim & ipsa lex uult, quæ non dicit: Sabbato ociaberis, sed: Sabbatum sanctifica. Præterea per hoc se ostendit esse Deum. Nam Deus legitur septima die opus suum compleuisse, quod fecerat. Quid autem est nisi completio operis Dei, quod Christus hic cæcum à natiuitate illuminauit? Imperfectum quidem opus erat, dum nasceretur homo cæcus. Exod. 20. Gen. 1.

Obserua quod cæcus eadem coram Phariſæis confitetur, quæ coram uicinis confeſſus fuerat. Eandem enim confeſsionem seruat pius & coram amicis, & coram inimicis, tempore proſperitatis, & tempore perſecutionis. Conſyderandum igitur, quàm miram fidem & conſtantiam cæcus hic habuit, ſciebat ipſos Chriſto offenſos, ſciebat ſibi imminere periculum, attamen nihil negat, nihil obticet, ſed intrepide Chriſtum confitetur.

Non eſt hic homo á Deo, qui Sabbatum non, &c.]

Hoc uerbo primo ſe produnt falſo & ficte iuſtos, in eo, quod tam temere Chriſtum iudicant. Vera enim iuſtitia compaſsionem habet, falſa autem indignationem. Secundo hoc uerbo ſe produnt, ignorantes eſſe legis. Lex enim de Sabbato, non qualecunq; opus prohibet, ſed tantum opus ſeruile. Trifariam autem diuiditur opus. Aliud opus Dei eſt, cuius fructus uita æterna: Aliud opus peccati, cuius finis mors: Aliud opus mercenarij, cuius retributio quotidianum ſtipendium eſt. Opus peccati & opus mercenarij, recte utrunq; opus ſeruile dicitur. Verum alterum eorum, id eſt, opus mercenarij, die ſacrato Sabbati fieri non debet: Alterum nunquam debet fieri, id eſt, opus peccati. Opus autem Dei, nullo unquam tempore uel die debet omitti: Beati enim, qui cuſtodiunt iudicium, & iuſtitiam faciunt in omni tempore. Quod ab inſtrumentis eiuſdem operis probabile eſt. Operis nanq; Dei inſtrumenta ſunt illius dona, ſcilicet ſermo ſapientiæ, Prophetia, gratia curationum, &c. Hæc autem nulli ſunt legi ſubiecta, quippe quæ nec in arbitrio ſunt hominum, quo tempore uel die deſcendant á patre luminum. Stulte igitur, immo impie colligunt: *Non eſt hic homo á Deo, &c.* Cum Chriſtus non opus mercenarij fecerit, multo minus opus peccati, ſed manifeſtiſsimum opus Dei.

Leuit. 23.
Pſal. 105.
1. Cor. 13.
Iac. 1.

Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?]

Etiam impij ſigna interdum faciunt, ut patet de Pſeudopropheta, quem Moyſes uetat audire. Hinc & Chriſtus: Multi dicent, In nomine tuo uirtutes multas fecimus, & reſpondebo: Non noui uos, &c. Facultas enim operandi miracula, donum Dei eſt gratuitum, non iuſtificans: Proinde hoc donum nonnunquam etiam impijs confertur. Quod igitur aiunt, peccatorem non poſſe ſigna facere, rationis humanæ coniectura eſt, non certitudo firma. Vel poſſunt quidem aliquando etiam mali ſigna facere, ſed non talia, qualia Chriſtus, nec eodem modo. Vnde ſignanter dicunt: Hæc ſigna: Et homo peccator, quaſi dicerent: Ea quæ hic facit diuiniora ſunt, quàm ut ea facere poſsit tam miſera creatura, qualis eſt homo & peccator.

Deut. 13.
Matth. 7.

Et

Et schisma erat inter illos.]

Non abs re hoc dictum est, quia uidelicet cum accusantium summa esset intentio, quatenus in unam sententiam declinantes, uniuersi conclamarent, hunc hominem non esse à Deo: non parum moleste accipiebant alios è contrario dicere: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Hæc autem dissensio eo ipso bona erat, quod impedimento fuerit coadunatos Pharisæos uno animo conspirare in Christi damnationem. Quamuis enim fere semper bona sit concordia, & discordia mala, quod hæc dissipet omne bonum atq; disturbet, illa uero promoueat & foueat: Tamen interdum inuenitur bona discordia & mala concordia, cum scilicet discrepantia animorum alicuius mali perpetrandi præstat obstaculum. Et unanimitas mutuusq; consensus plurimorum ualentiores eos reddit, ad conceptum scelus perpetrandum. Vnde ad impediendam malam concordiam, se Dominus missum dicit: Non, inquit, Matth. 10.
uenì pacem mittere, sed separationem, &c. Sic & olim ædificatores Gen. 11.
turris Babel, in malo concordes, à se inuicem diuisit.

Sic Paulus Pharisæos & Saducæos in malo concordes, à se inuicem dissoluit. Act. 23.

Tu quid dicis de illo, qui tibi aperuit, &c.]

Intelligi potest ab his dictum, qui miraculo fanebant, ut hominem prouocarent ad prædicandam Christi gloriam, quasi dicerent. Cur taces? non audis, quod benefactorem tuum blasphemant? Ingratum te ostendis, si non excusas eum. Idem nobis dicitur, immo à nobis exigitur, ut non taceamus, cum audimus Dei gloriam ab impijs blasphemari. Vel intelligi potest uerbum hoc dictum esse ab his, qui Christo inuidebant. Hi enim per hoc calumniandi ansam uenabantur, uidelicet: Si male prædicasset de Iesu, haberent quod obijcerent illis, qui de Iesu mediocriter sentiebant: sin bene, sæuirent in ipsum hominem è synagoga eum ejiciendo.

Propheta est.]

Hoc titulo magnum quempiam & insignem uirum significat, cuius & famam acceperat, & uirtutem in se expertus fuerat.

Et minus quidem dixit, quam est. Christus enim non solum Propheta, sed & Dominus & Deus Prophetarum est. Veruntamen ad percunctationem illorum, qui non quærunt ut uideant, sed ut uidentes uidere prohibeant, sufficit nobis & cunctis qui illuminati sunt, responsio hæc, Quia Propheta est. Nam quoniam nolunt audire uel scire, quia Christus est, saltem hoc sciant & uideant, quia Propheta est. Immo uel in pœna Iudæorũ satis manifestum est, quia Propheta est. In nomine enim Domini uerũ de illis eorumq; pœna prædixit, quo Deut. 18.
signo lex cognosci iubet Prophetam, in quo Dominus locutus est.

Non

Non crediderunt de illo Iudæi, quod cæcus, &c.]

Quia cæcum illuminatum, atq; natum reddere non potuerunt, per parentes eius conantur miraculum Christi obscurare. Sed hæc est uerè mala natura, quod per quæ putatur insidias pati, per hæc fortior fit. Mendacium quidem sibi ipsi obuiat, & per quæ ledere ueritatem uidetur, per ea clariorem eam ostendit. Sic hoc loco Pharisæi credere nolentes, hunc à Christo illuminatum manifeste audiunt,

Scimus, quod hic est filius noster, & quod cæcus fuit]

Sic solet opus Dei & uoluntas eius, astutis impiorum conatibus & aduersis eorum consiliis promoueri. Voluntas Dei erat, ut Ioseph dominus fratrum suorum esset, Itaq; impijs fratrum conatibus, & iniusta uenditione hæc uoluntas promouebatur, tantum abest, ut impe-
Gen. 37. diretur. Voluntas Dei erat, ut Christus glorificaretur. Hanc Dei uoluntatem Pharisæi suo odio & inuidia magis impleuerunt, quàm impedierunt. Non tamen ipsis ascribi debet operis Dei profectus, sed bonitati Dei. Nam quantum in ipsis est, opus impedire conantur, sed fit optima Dei uoluntate, ut quod ipsi male conantur,
Gen. 50. bene perficiatur. Hinc Ioseph: Vos cogitastis de me malum, sed Dominus uertit illud in bonum. In parentibus autem cæci, uides naturam inuerecundiæ. Nam infidelitas facile fert, ut quiuis uel obuius nobis Deum auferat: In donis uero Dei adeo arcte hæret, ut ea procaciter & temerarie ab aduersarijs asserat. Sic hi parentes cæci faciunt. Excommunicatio, quam Pharisæi intentabant, gloriam humanam subuertebat: Abnegatio uero aut reticentia, Christum, immo
Luc. 9. Deum ipsis auferebat. Quisquis enim me erubescit coram hominibus, nec eum ego agnoscam coram Patre meo, ait ipse Christus. Illi autem Deum relinquunt, ut donum Dei seruent: Gloriam Dei obscurent, ne sua propria gloria destituantur. Idem etiam nobis plerunq; contingit, ut casus se offerat, in quo aut abneganda sint Dei dona uel Deus ipse, donorum author. Vera autem fides abnegatis omnibus donis, eligit Dominum datorem donorum, qui centuplo
Matth. 19. reddit ea, quæ propter nomen suum relicta sunt. Infidelitas uero posthabito Domino, eligit dona, quibus fidit & sperat.

Aduenientе autem iudicio Domini, confunditur infidelis, & destituitur ab omni donorum, quibus fidebat, auxilio.

Iam enim conspiraverant Iudæi, &c.]

Apud Iudæos magni probri loco ducebatur, è synagoga ejici. Vnde & apud Euangelij professores sæuissimum pœnæ genus est, à consortio fidelium separari.

Verum hoc exemplum clementis sæuitiæ, quod in eos duntaxat
1. Cor. 5. conueniebat exhiberi, qui se ipsis suis redderent execrabiles (quem-

admodum

admodum Paulus docet) ludæi uertebant ad suæ Tyrannidis stabilimentum. Eijciebant pios, tolerabant impios, ut ostenderent, se esse ex his, de quibus Propheta: Mortificant, inquit, animas, quæ non moriuntur: & uiuificant animas, quæ non uiuunt, &c. Cæterum eo ipso, quod pios à se eijciunt, separant seipsos à consortio sanctorum, quo nihil miserius contingere posset. Impij igitur sibijpsis maxime nocent, dum pios persequuntur. 1. Cor. 5. Ezech. 13.

Obserua autem, quod sicut duplex est communio, sic & duplex est excommunicatio. Altera interna: Altera externa. Communio interna constat eodem Spiritu sancto, eadem fide, eodem Christo, & Domino Patre omnium. Sic excommunicatio interna sit, quando per infidelitatem quispiam non est cum pijs eiusdem spiritus, eiusdem fidei, eiusdem Christi, ut maxime uideatur pius ad extra. Communio externa est, communio uerbi & Sacramentorum: Excommunicatio externa, est illarum rerum priuatio. Iam impius in corde suo dicens: Non est Deus, semper est excõmunicatus, quanquam nondum humano iudicio obnoxius sit, si impietatis fructibus Ecclesiæ non sit offendiculo. Nam si Ecclesiam turpitudine factorum offendit, eijci debet. Quod si quis iniuste excõmunicetur, ea excõmunicatio non maledictio, sed benedictio est. Nam & Balaam sic maledixit Israëlitis, & Dominus uertit maledictionem in benedictionem. Psalm. 13. Matth. 18. 1. Cor. 5. Num. 23.

Vocauerunt ergo rursus hominem, &c.]

Cum in altera parte murorum factus est oppugnationis transitus, nec satis commoda uidetur esse urbem inuadendi opportunitas, rursum ad priorem partem solet fieri regressus, & acriori insultu nouisq; machinis instauratur ibidem oppugnatio. Sic Pharisæi, uidentes se nihil proficere in parentibus cæci, ipsum denuo aggrediuntur. Inuidia enim non quiescit, sed indefesso animo molitur malum ei, quem odit. Quemadmodum igitur Sathan nunquam requiem ducit, sed semper circuit, quærens quem deuoret: Ita impij Sathanæ instrumenta continenti studio, nihil non malorum in pios & Christi gloriam moliuntur. 1. Pet. 5.

Da gloriam Deo]

Vide quomodo circumeunt, ut hunc hominem non proselytum aut hospitem, sed ciuem ac domesticum Dei, secum faciant filium perditionis, cogentes eum, ut in mendacium cõmutet ueritatem Dei. Non aũt manifeste dicunt, Nega quod Christus te curauerit, sed sub prætextu religionis eum ad hoc inducere uolunt: *Da gloriam Deo*, quasi dicerent: Fatere ueritatẽ, confitere ingenue id quod res est. Sic Iosue dixit ad Achan: Fili mi, da gloriam Deo, id est, confitere ueritatem. Hoc uerbo sancti illius Iosue, impie hic utuntur Pharisæi. Ille nanq; corde & labijs Deum honorãs, hoc dixit: Hi aũt labijs Deum honorantes, Matth. 23. Ios. 7.

Isa.29. honorantes, corde uero ab eo elongati dicunt: *Da gloriam Deo*, cum nihil aliud quærent, quàm Dei gloriam obscurare. Hoc igitur uerbo separare conantur, quæ separari non possunt, gloriam scilicet Patris à gloria Filij. Stat enim sententia: Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem. Item: Vult Deus, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.

Ioan. 5.

Nos scimus quod hic homo peccator est]

O temeritatem, o mendacium, o blasphemiam. Ex hac scintilla conijcere possumus, quantus inuidiæ ignis in corde ipsorum arserit. Tripliciter autem hoc uerbo peccant. Primo enim temerario iudicant proximum. Secundo manifeste mentiuntur. Supra enim Ioan. 8. Christus palam dixit: Quis ex uobis arguet me de peccato? nec quisquam eorum uel tantillum ei obijcere potuit. Tertio impie blasphemant Filium Dei. Atq; hic uide, quantum se humiliauerit idem Filius Dei, qui tantam contradictionem à peccatoribus sustinere dignatus est. Non igitur fatigemur aut deficiamus, si etiam nobis tale quid 1. Pet. 2. contingat, sed recogitemus eum, qui quamuis peccatum non fecerit, Heb. 12. nec inuentus fuerit dolus in ore eius, tamen tantum à peccatoribus sustinuit contradictionẽ, & cum malediceretur, nõ maledicebat, etc.

Si peccator est, nescio]

Sicut Pharisæorũ uerba ubiq; produnt impietatem cordis eorum, sic econtra in uerbis cæci se prodit ubiq; pietas cordis. Primo enim pius homo neminem temerario iudicat, sed iudicium omne Lucæ 6. Deo committit, quemadmodum Christus docet: Nolite iudicare, 1. Cor. 4. & non iudicabimini. Et Paulus: Nolite ante tempus iudicare, antequam ueniat dies Domini, &c.

Vnum scio, cæcus cum essem, modo uideo]

Altera uox pij hominis, confessio scilicet diuinæ misericordiæ. Vnum hoc pius homo semper in corde & ore habet, quemad- Thob. 11. modum Thobias: Benedico, inquit, te Domine, quia tu castigasti me, & tu sanasti me.

Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos]

Hactenus de homine, qui cæcus fuerat, ad parentes eius de parentibus ad ipsum recurrentes, scrutati sunt iniquitates, defecerunt scru- Psal. 63. tantes scrutinio: Nunc, cum nulla daretur ansa satis idonea uel calumniandi Iesum, uel in hominem sæuiendi circumspecte locutum, ad superiores interrogationes reuoluuntur, sperantes fore, ut ex re aliter narrata aliquid decerperent, quo Iesum sua gloria spoliarent. Cæcus autem, uidens eos animo non syncero percunctari, non dignatur eis ad placitum respondere. Sic enim Christus docet, Ne

sanctum

ſanctum demus canibus. Et Sapiens: Vbi non eſt auditus, ne effun- Eccle. 32.
das ſermonem. Vnum tantum ab eis quærit, Num & ipſi diſcipuli Chriſti fieri uelint, paratus nihil non eis dicere, ſi hoc cuperent.

Maledixerunt ei, Tu diſcipulus eius ſis.]

Hic iterum ſe prodit impietas, immo ſingula uerba nonnihil impietatis præ ſe ferunt. Primo maledicunt immerentem, immo bona ſuadentem. Et quid aliud poſſent: Sepulchrum patens eſt guttur Pſal. 13.
eorum, &c. Deinde improperant ei diſcipulatum Chriſti. Impij enim æſtimant diſcipulatum Chriſti eſſe ſummam miſeriam, ſeductionem, perditionem, cum ſit benedictio, ſalus, et gratia. Sed utinam maledictum hoc: *Tu diſcipulus eius ſis*, ueniat ſuper nos, quemadmodum enim Rebecca dixit filio ſuo Iacob, timenti maledictionem Gene. 27.
pro benedictione illatum iri à patre: In me, ait, ſit iſta maledictio fili mi. Ita ſane & in nos ſit hæc Phariſæorum maledictio. Si quidem cor eorum intuearis, maledictum eſt, quia hoc maledicentis affectu protulerunt. Si uerba ipſa perpendas, optabilis eſt benedictio: quis enim non deſideret eſſe diſcipulus Chriſti? Verum, quemadmodum dicit Dominus de improbis: Maledicam benedictionibus ue- Malach. 2.
ſtris. Ita è diuerſo dicit: Benedicam maledictionibus ueſtris, & completur in eis, quod alio loco dicitur: Maledicent illi, & tu benedices. Pſal. 108.

Nos Moyſi diſcipuli ſumus.]

Habes hic iterum impiæ hypocriſeos naturam. Gloriatur enim hypocriſis de Deo, gloriatur de patribus, nihil minus quam Dei uerbum & patres obſeruans. Sic Phariſæi gloriantur ſe Moyſi diſcipulos, & tamen Moyſi Chriſtum annuncianti non credebant. Merito igitur eis dictum eſt: Si Moyſi crederetis, crederetis & mihi. Deinde Ioan. 5.
nec Moyſi præcepta ſeruabant, prohibuit ille maledictionem inferre cuiquam: Non maledices, inquit, ſurdo, nec coram cæco ponas of- Leuit. 19.
fendiculum. Hi autem maledicunt homini, ueritatem conſtantem nuncianti. Prohibuit inſuper Moyſes ſanguinem innocentem fundi, Exod. 23.
et iuſtum occidi. Ipſi autem in cædem innocentis totis uiribus machinabantur. Demum, iuſsit Moyſes Deum adorari & eius gloriam Deut. 6.
in omnibus quæri: Illi autem ſignum iſtud in cæco calumniantes, Dei uirtutem pro uiribus attenuabant.

Nos ſcimus, quod Moyſi locutus eſt Deus.]

In hoc uno uerum dicunt, & idipſum nos quoq; in genue fatemur per ſacram ſcripturam edocti, dicentem: Loquebatur Deus Exod. 33.
cum Moyſe, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum. Et Deus de Moyſe: Ore ad os loquor ei. Sed eo grauior eſt Iudæorum damnatio & iniquitas, quod ei cui Deus locutus eſt, nec credunt, nec præcepta eius obſeruant. Num. 12.

Non satis est dicere, Moysi discipuli sumus. Et: Scimus quod Moysi locutus est Deus.

Hunc autem nescimus unde sit.]

Non ex ignorantia illius, sed ex contemptu hoc dicunt, consueto more hominum, qui quos abiiciunt nescire se dicunt. Sic cum Da-
1. Reg. 17. uid adolescens, Goliam uiris fortibus formidabilem strauisset, ait Saul ad Abner: Quis est iste puer? Certe armiger eius fuerat, & cytharam coram ipso frequenter percusserat, et nunc quis esset interrogabat: Quasi enim non cognoscebat, in quo ętatem adolescentis & habitum pastoralem contemnebat.

In hoc enim mirabile est, quod nescitis unde sit.]

Nihil respondet ad maledicta. Quod enim illi quasi summum malum, ei imprecabantur, hoc ipse pro summo bono ducebat. Miratur autem eorum obstinatam cæcitatem, quasi diceret. Vix persuaderi possum, ut nescire uos credam unde sit, quando opera eius manifeste declarant, quod à Deo sit missus. Nescitis quod in Isaia
Isai. 35. prædictum est: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Vere mirabile est, mirum scelus, mirum sacrilegium, quod apertis oculis manifestam lucem uidere nolunt. Vere & hoc mirum est, quod sapientes & docti uidere non possunt, quod indocti uident. Sed hoc est iudicium Dei super impios, & obstinato
Deut. 28. animo ueritati reluctantes: Percutiet, inquit, te Dominus cæcitate & amentia, & palpabis in meridie, &c.

Scimus quod peccatores non audit Deus.]

Mira constantia se argumentis eorum opponit. Dixerant illi: Nos scimus, quia hic homo peccator est. Hic autem econtra: *Scimus quod Deus peccatores non audit, sed si quis, &c.* Hoc autem uerbo plane fatetur Christum nedum peccatorem non esse, sed Dei cultorem & uoluntatis diuinæ executorem. Quod autem dicit: Deus peccatores non audit, non simpliciter accipiendū est, alioqui nullos homines audiret Deus, quandoquidem omnes sumus natura pec-
Matth. 6. catores. Omnes enim oramus: Dimitte nobis debita nostra. Nec
Prouer. 26. quisquam gloriari potest, castum se habere cor, immo si dixerimus,
1. Ioan. 1. quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Obserua igitur, quod duplices sunt peccatores: Resipiscentes, aut non resipiscentes. Non resipiscentes sunt in duplici differentia, aut enim sunt hypocritæ (nam & hi, quamuis sibi uideantur iusti, coram Deo tamen sunt iniustissimi) & hi ut orant, ita non ex fide orant, proinde non exau-
Iacob. 1. diuntur: Qui enim sine fide orat, non ęstimet se aliquid impetraturum. Aut sunt manifeste impij, qui in malitia perseuerant, & pręteritis peccatis, quotidie noua accumulant, fiuntq; indies deteriores,

hos

hos non exaudit Deus: Longe enim est Dominus ab impijs. Hinc sapiens: Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius execrabilis est. Et Dauid: Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Et Isaias: Cum extenderitis manus uestras, non exaudiam, quia manus uestræ sanguine plenæ sunt. Et Hieremias: Nos peccauimus, idcirco tu inexorabilis es. Eos autem peccatores qui resipiscunt, malaq; præterita lachrymis abluunt, & ex corde abnegant se esse quod fuerant, exaudit Deus. Hi enim non amplius reputantur peccatores, quando quidē uoluntate desierunt peccare. Sic Christus Publicanos & peccatores ad se conuersos, benigne suscepit. Sic Publicanum orantem: Deus propitius esto mihi peccatori, exaudiuit. Descendit enim iustificatus in domum suam. Sic Dauid, tametsi peccator: Exaudiuit (inquit) Dominus uocem fletus mei. Sic in Iob legimus: Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris, tunc poteris leuare faciem ad Deum.

Prou. 15. Prou. 28. Psal. 65. Isai. 1. Thren. 3. Lucæ 15. Lucæ 18. Psal. 6. Iob. 11.

Sed si quis cultor est Dei, &c.]

Verissima sententia: Oculi enim Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Hinc in Iob: Si mane consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te. Non enim proijciet Deus simplicem, nec porriget manum malignis. Sic Dauid: Nunquam uidi iustum derelictum, &c. Et iterum in alio loco: Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, &c. Quod autem maius bonum contingere posset, quam certum esse, se in quacunq; necessitate exaudiendum à Deo: Hoc autem solum consequuntur hi, qui pietati student. Econtra quod maius malum, quam in aduersis nec à Deo quicquam boni sperare: hoc autem facit impietas. Obserua autem, quod non simpliciter dicit: *Si quis cultor est Dei*, sed addit: *Et uoluntatem eius facit*, propter eos qui uidentur colere Deum, orecq; & labijs appropinquant, cum tamen corde & opere longissime absint à Deo.

Psal. 33. Iob. 8. Psal. 36. Psal. 144. Isai. 29.

A sæculo non est auditum, &c.]

Et hoc sine dubio, uelint nolint aduersarij concedi oportet, quia uidelicet nihil tale reperitur nec in Moyse nec in Prophetis. Magna quidem & illi fecerunt signa, sed Christus maiora. Si igitur ex signis contendunt aliquem esse Dei cultorem, consequitur, Christum omnium maxime Deum coluisse, & uoluntatem eius fecisse, ut quem Deus nunquam non exaudiuit. Concludit igitur.

Nisi esset hic homo a Deo, non posset, &c.]

Sic igitur accusatores & testes iniqui, non inquisitores, sed derisores iudicij in sua propositione, qua dixerant: Nos scimus, quod hic

homo peccator sit, forti & nodosa per unum illum cæcum oratione redarguti & conclusi sunt. Obserua circa hoc uerbum: A sæculo non est auditum, &c. quod tempus gratiæ omnia alia præcellit.

Lucæ 10. Multi enim reges uoluerunt uidere et audire, quę nos uidemus & audimus, & non potuerunt.

Roma. 13. Merito igitur dicit Paulus: Propior nunc est nobis salus, quàm cum credidimus. Et iterum: Ecce nunc

2. Cor. 6. tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

In peccatis natus es totus, &c.]

Quia uia rationis euadere nequeunt, more solito ad conuitia prorumpunt. Vide autem quomodo exasperetur impietas confessione nominis Christi, & quem fructum proferat hypocrisis, uel leuiter commota: Nunc enim in Pharisæis emicat odium, nunc inuidia, nunc doli & astus, nunc impotens ira, nunc conuitia, nunc proximi contemptus. Et quid non malorum oriretur abiecto semel per infidelitatem Christo, omnium bonorum authore? In hoc autem cæco, qui primus omnium Christum publice coram aduersarijs confessus est, pulchre ostensum est, quid fidelibus à mundo expectandum sit. Quod enim Christus alias Apostolis prædixit, eos à

Lucæ 6. mundo maledicendos, exprobrandos, ejiciendos, in hoc cæco præostensum est. Supra enim maledixerunt eum, hic ei exprobrant, paulo post eum eiecturi. Primo autem cum aliud non possent, exprobrant ei natiuitatem, quasi ipsi sine peccatis nati essent. Quid autem insanius, quam alteri exprobrare uitium, quo tu æque ut ille laboras? Quis autem nescit, omnes homines natura peccatores & filios ire nasci?

Ephe. 2. Pius homo nulli exprobrat, quod in peccatis natus sit, sed magis & suam & aliorum miseriam deplorat, dicens cum Dauide: Miserere mei Deus, &c. Ecce enim in iniquitatibus conceptus

Psal. 50. sum, &c. Deinde exprobrant ei pristinam cæcitatem, quasi propter peccata ei acciderit, cuius tamen contrarium Christus supra asseruit. Hæc est enim hypocritarum natura, quod facile uident aliorum peccata, diu in memoria retinent, temere omnia & in peius interpretantur. Secus autem se habent erga proprios defectus, &c.

Econtra pius homo non aliorum peccata, sed sua ipsius semper ob

Psal. 50. oculos habet, ac cum Dauide dicit: Peccatum meum contra me est semper. Nec alios, sed seipsum accusat.

Et tu doces nos?]

Indignum eum iudicant, qui uel cum ipsis loquatur. In tantum enim alios contemnunt hypocritæ. Deinde quia alijs honore & scientia præstabant, dedignantur ab eo, qui humilioris conditionis erat, aliquid discere? Id autem non aliunde, quam ex latente morbo superbiæ proficiscebatur: quia enim sibi ipsis falsam scientiæ opinionem ascripserant, erubescebant à minori doceri, ne quid ignorasse uiderentur.

uiderentur. Vbi autem animus hominis uera humilitate munitus est, is non erubescit, etiam à quouis puerulo quicquam quod ignorat addiscere. A quocunq; enim percipi potest ueritas, amplectenda est. Exemplo nobis est Dominus noster, sapientiæ fons, qui duodecim natus annos, inuentus est in templo, interrogans & audiens doctores. Quod si is, qui Dei uirtus & Dei sapientia est, in quo omnes thesauri sapientię & scientię sunt reconditi, non recusat audire & interrogare homines, quid nos talpæ cæcutientes & noctuis persimiles, dedignemur ab alijs quantumlibet abiectis ueritatem audire? Lucæ 2. Col. 2.

Et eiecerunt eum.]

Sicut supra nescientes, immo maledicere intendentes, eum laudauerunt dicendo: Tu discipulus eius sis, sic hic nescientes, immo maxime punire eum uolentes, benefaciunt ei expellendo è synagoga Sathanæ. Magna quidem & formidabilis sententia & pœna est, eijci è populo Dei, in quo Deus se habitaturum promiserat, cuius denicq; erant testamenta, promissiones & adoptio. Necq; dubium est, quin cæcus ille mirum in modum conterritus fuisset hac sententia, si iuste & merito in eum lata esset. Quis enim non contremisceret? Nunc autem, quia iniuste exclusus fuit, non admodum egre fert, sed patienter sustinet & committit Deo. Sciebat enim se in conscientia securum. Sciebat item, quod communionem internam, sibi auferre non possent, quantumcunq; externe eum ejicerent. Denicq; expertus iam erat, ex eorum factis & uerbis congregationem eorum non esse Ecclesiam Dei, sed synagogam Sathanæ, è qua ejici non solum non dedecori, sed summæ gloriæ & utilitatis ducebat. Ab impiorum enim communione secludi, est iungi Christo, & effugere iudicium. Nam synagoga peccantium, est quasi stuppa collecta, cuius finis ignis est. Summa, hac cęci exclusione Pharisæi sibi ipsis plus damni intulerunt, quam cæco: Per hoc enim seipsos separarunt & à Christo, & ab omnibus fidelibus, immo plane hoc facto professi sunt, se nolle esse participes Christi eiusq; membrorum, quo quid damnosius cogitari potest? Discant ex hoc loco primates Ecclesiæ, ne facile sententiam excommunicationis ferant, immo ne omnino ferant, nisi in eos, qui grauiter deliquerunt. Quia enim excommunicatio, summa pœna est inter fideles, non debet ferri, nisi in magna crimina, & ea tantum quæ alias sunt incorrigibilia. Sic Christus nihil non tentandum docuit, antequam excommunicatio feratur: Si peccauerit (inquit) frater tuus, corripe eum, &c. Si autem omnino incorrigibilis est, nec etiam Ecclesiam audit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Idem docet Paulus, 1. Corinth. 6. Et cum dicit: Hæreticum hominem post unam et alteram admonitionem deuita. Discant hic etiam fideles, ne quicquam eorum criminum committant, propter quæ ut offendicula Ecclesię merito excommunicari debeant. Eccle. 21. Matth. 18. Tit. 3.

Nec sibi ipsis placeant, aut securos se arbitrentur, si male uiuentes non statim eiiciantur. Nam etiamsi homines te impie uiuentem non
Matth. 3. eiiciunt, ueniet tamen Dominus, cuius uentilabrum in manu eius, & purgabit aream suã, etc. Omnium maxime autem curemus, ne nos ipsos per infidelitatem & impietatem cordis priuemus interna communione. Hac enim perdita, nihil prodest, etiam si externe cum fidelibus communicemus.

Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum.

Leuiter quidem dictum uidetur: *Audiuit Iesus*, sed reuera grauissimum est, clamorem peccatorum tetigisse aures eius: Expectaui
Isai. 5. (inquit) ut facerent iudicium, & ecce iniquitas: iustitiam, & ecce clamor. Sicut autem hoc uerbum impios terret, sic pios summe consolatur. Hinc enim discunt, quod Deus etsi absens uideatur, certo tamen audiat & uideat, quicquid ipsis mali infertur ab impijs.

Et cum inuenisset eum.

Hiere. 23. Hinc impleuit, quod in Hieremia promisit: Congregabo, inquit,
Ezech. 34. reliquias gregis mei de omnibus terris. Et in Ezechiele: Quod perierat requiram. Sic hic inuenit eum, quem mundus eiicit: Inuenit saIus, quem perditio derelinquit. Inuenit autem tum de prope, quod
Psal. 90. non sperauerat homo ille, ut uerum appareat illud Psalmi: Cum ipso
Psal. 33. sum in tribulatione. Item, Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Hoc autem exemplo discimus eos, qui propter Christum & iustitiam reprobantur ab hominibus, continuo à Deo suscipi, & quanto grauiores contumeliæ cuiquam inferuntur propter Deum,
Matth. 5. tanto Deum illi propinquiorem esse. Hinc Christus: Beati, inquit, eritis, cum maledixerint uobis homines, &c. Sicut enim amicitia
Iacob. 4. huius mundi inimica est Deo, et qui uoluerit amicus esse huius mundi, inimicus Dei cõstituitur: Ita ediuerso inimicitia huius mundi amica est Deo, & qui uoluerit esse inimicus huius mundi, amicus Dei constituitur. Quos enim mundus ut abortiuos eiicit, hos Christus ut filios charissimos suscipit. Quid igitur cæco illi potuit obesse odium mundi, cum sciret se amicum Dei? Eiectus quidem est à templo, sed à templi Domino inuentus est. A pestifero concilio liberatus, salutarem fontem est cõsecutus: Contemptus à contemptoribus Christi, ab Angelorum rege honoratus est. Hęc sunt ueritatis præmia, quę assecutus est is, qui pro ueritate fortiter certauerat.

Tu credis in filium Dei?

Vltro se illi Christus agnoscendum obtulit, et ad consummatam fidei perfectionem prouexit, se uerũ esse filium Dei contestatus. Sic sane, qui pio animi affectu Deum quęrunt, protinus eum habent occurrentem, ab his uero, qui peruerso corde quęrũt, procul abest, nec
Iob. 4. inuenitur. Sic mulier Samaritana simplici corde dicens: Scio, quod Messias

Messias uenit, qui nos docebit omnia, statim audiuit: Ego sum, qui loquor tecum. Nunquam autem tanta facilitate, nec tam aperte Iudæis se Christum esse contestatus est. Cum enim dixissent: Si tu es Christus, dic nobis palam, respondit quidem ueritatem, sed minus aperte: Opera, inquit, quæ facio, testimonium perhibent de me. Sic Magi humiliter quærentes Christum, inuenire meruerunt: Herodes autem impie quærens, non inuenit. Sic turbæ leguntur requisisse Dominum in deserto, & facile inuenisse: Pharisæi autem sæpe quærentes eum apprehendere, tenere eum non poterant. In huius figuram Saul Dauidem inuenire non poterat ad perdendum, quem tamen Ionathas facile inuenit ad consolandū. Sic Christus hic sponte se offert cęco. Interrogat autem non ignorans, sed uolens seipsum notum facere, et ostendēs, quoniam plurimi fecit eius fidem et constantiam, quasi diceret. Iudæorum qui aperte reclamant, nulla mihi cura est, unius rei cura est, ut tu credas. Melior est enim unus faciens uoluntatem Dei, quam decies mille iniqui Signanter autem quęrit, an credat in filium Dei, ut ostendat, quod non satis est Christum qualitercunq; confiteri, nisi credamus et confiteamur eum esse filium Dei. Quo uerbo iterum percutit hæreticos, qui Christum quidem confitentur, sed filium Dei negant.

Ioan. 10. Matth. 2. Lucę 4. Ioan. 7. 1. Reg. 23.

Quis est Domine, ut credam in eum?]

Nondum nouerat Christum. Cæcus enim erat antequam ueniret ad Christum, & post curationem à Iudæis huc illucq; pertractus fuerat. Ostendit autem hoc uerbo, se iam dudum paratum cor ad credendū habuisse, sed in quem deberet credere ignorasse. Ostendit item, se ex animo gratū benefactori. Ostendit pręterea, se ulterius paratum manifestius confiteri ueritatem, si contingeret plenius instrui.

Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.]

Ecce mysterium diuinitatis suæ Christus abscondit sapientibus et prudentibus huius sæculi, & reuelat paruulis: Sic enim complacitum est patri. Obserua autem, quod rem grandem dicturus hoc uerbo: *Et qui loquitur tecum ipse est*, opportune præmisit, *Et uidisti eum*, uidelicet, ut per commemorationem magnæ uirtutis beneficiiq; magni, beneuolum faceret animum auditoris. Quærenti enim, quis est filius Dei, quid est dicere: *Et uidisti eum*, nisi, ipse est qui aperuit oculos tuos, ut uidere possis eum? Captata ergo beneuolentia, confestim subdit: *Et qui loquitur tecum, ipse est*, quod utiq; gratiosius est, et à iactantiæ suspitione longius quam si dixisset, Ego sum filius Dei.

Matth. 11.

Credo Domine. Et procidens adorauit eum.]

Ex hoc uerbo uides, cur Christus tam prompte se ipsum huic homini credidit. Ipse enim sciebat, quid esset in hoc homine, nēpe pium cor. De hoc autem primitiuo adoratore, duo hæc notanda sunt,

Ioan. 2.

quæ de nullo adorãte Christum legis, quia uidelicet et Credo, dixit,
Matth. 8. & procidit. Leguntur & alij adorasse, ut leprosus, &c. sed non dixerunt, Credo in te, neq; procidisse, sed tantum genu flexisse. Hic unus inuenitur tam uoce confessionis, quam gestu corporis necessariam perfecisse adorationem filij Dei. Adorandus enim filius Dei, & fide cordis, & uoce cõfessionis, & gestu corporis, ut scilicet non erecta
Heb. 4. ceruice, sed prostrati accedamus ad thronum gratiæ, &c. Atq; hoc
Psal. 94. est, quod etiam Dauid nos admonet: Venite, inquit, adoremus, & procidamus ante Deum. Ex hac igitur historia totus ordo Christianæ uitæ colligitur. Primo enim uidemus hic, quod tentatio uel afflictio opus est diuinæ uoluntatis, nec semper propter peccata infligitur. Secundo uidemus hic, quis sit fructus tentationis, ut scilicet inde ueniamus in notitiã gloriæ Dei. Tertio uidemus, quod per uerbũ et attactũ Christi sanitas cõfertur. Sic spiritualiter per uerbum et Sacramenta. Quarto uidemus, quomodo Deus exerceat fidẽ electorum. Ita enim eos ducit, ut ipsi ignorent consiliũ uoluntatis eius. Quinto uidemus, quid ad uerã fidei confessionẽ requiratur, & qualis cõstantia. Sexto uidemus, qualiter mũdus affectus sit in pios. Septimo uidemus, quod eorũ qui Christi sunt, non est par fides. Nam sunt infirmi quidã, quos tamen Christus nõ aspernatur. Octauo uidemus, quod Christus solus est unicũ illud piorũ refugiũ, in quacũq; tribulatione.

In iudicium ueni in hunc mundum.]

Magna & iusta sententia, competenter & in suo tempore dicta est. Nam, quia factum fuerat iudicium iniquum, immo non iudiciũ, sed iniquitas, in hoc scilicet, quod Pharisæi sæpe dictum hominem
Ioan. 5. iecerant foras, recte is, cuius est omne iudiciũ, ad quẽ pertinet corrigere quæcunq; per iniqua iudicia fiunt, se ipsum in iudicium uenisse
Psal. 74. proclamat. Sic enim in Psalmo prædixit: Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Hoc igitur uerbo innuit, longe aliud esse iudicium Dei, quã iudicium hominũ. Quem enim ipsi damnarant, hunc Christus suscipit, & econtra ipsos damnat. Deinde subindicat, etiam eos qui alios iudicant, suũ iudicẽ habituros. Hinc Psalmista monet: Eru-
Psal. 2. dimini qui iudicatis terrã: Seruite Domino in timore, etc. Obseruan-
Ioan. 3. dũ, quod cũ alias se dicat uenisse, non ut iudicet mundũ, sed ut saluet.
Lucæ 19. Itẽ, ut quęrat & saluũ faciat quod perierat: Hic cõtra falsos illos iudices nõ saluatorẽ, sed iudicẽ se esse ostẽdit. Per hoc enim innuit, iudiciũ
Sapien. 6. durissimũ futurũ his, qui pręsunt, et potẽtes potenter tormẽta passuros. Potissimũ aũt hoc uerbo innuit, quã ab causam cæcũ in gratiam receperit, Pharisęos aũt nõ, quia in iudiciũ (inquit) ueni, quasi diceret. Ego quidẽ omnes saluare ueni, sed quorundã obstinata malitia facit,
Lucæ 2. ut iuste relinquãtur et excęcẽtur. Hoc iudiciũ olim prędixit Simeon. Positus (inquit) est hic in ruinã, & in resurrectionẽ multorũ. Et Pe-
1. Pet. 2. trus: Nobis quidẽ credentibus est lapis electus & precious: Nõ credẽtibus aũt, lapis offensionis & petra scandali. Obserua

Obserua autem, quod duplex est iudicium: Iudicium discussionis, quo singulorum merita discutiuntur & præmiantur. De hoc iudicio hic non loquitur. In primo enim aduentu non uenit merita discutere (alioqui omnes damnasset) sed gratiam præstare inmeritis. Ideo dicit: Non misit Deus filium suum, ut iudicet mundum, &c. Ioan. 3.

Est aliud iudicium discretionis, quo fideles ab infidelibus discernuntur. De hoc iudicio hic loquitur.

Vt non uidentes uideant, &c.]

Clarissimum solis lumen alijs est illuminatio, alijs excæcatio. Videntes illuminat, cæcutientes magis excæcat: Christi multo alia ratio est. Nam is illuminat cæcos, & excæcat uidentes.

Videntes autem sunt, qui in oculis proprijs sapientes sunt. Hi excæcantur, quia cum rationi suæ plus credant, quam uerbo Dei, merentur excæcari. Iuxta illud: Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. Matth. 11. Non uidentes sunt simplices & indocti, immo paruuli illi, quibus pater arcana sua reuelat. Ibidem. Vel per non uidentes, intelligi possunt Publicani & peccatores. Hi enim quoniam peccata sua agnouerunt, à Christo susceptisunt. Per uidentes autem, Pharisæi falsa iustitia tumentes, qui quoniam de propria iustitia præsumebant, nec medico se opus habere æstimabant, merito à Christo relicti sunt: Non (inquit) ueni uocare iustos, sed peccatores. Item cæ, Publicani (inquit) & peccatores præcedent uos in uitam æternam. Matth. 9. Matth. 21. Vel per uidentes intelliguntur Iudæi, diuina lege instructi. Per non uidentes autem, Gentium populus, unius ueri Dei agnitione carentes. Iudæis enim ob incredulitatem reiectis, ad Gentes peruenit salus. Iuxta illud: Auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus eius. Matth. 21. Vere magnum & terribile iudicium, naturales illos ramos excisos, & oleastrum insertum. Merito igitur monet Paulus, ut in hoc uno consyderemus & bonitatem & seueritatem Dei, &c. Roma. 11.

Nunquid & nos cæci sumus?]

Vide impiorum naturam, nec ad iudicia Dei terrentur. Aut enim ea omnino nihil esse putant, dicentes illud Iob: Circa cardines cœli perambulat, nec nostra cõsyderat. Item cæ illud: Non facit Dominus nec bene nec male. Iob. 22. Thren. 3. Aut ea iudicia ad alios pertinere putant, non ad se. Deinde ubi terreri debuerant, eleuantur contra Deum. Impius enim ante iudicium etiam Deo se resistere posse putat: Exemplo sint, Holofernes, Pharao, Anthiochus, &c. Præterea, uide qualis hæc sit superbia, Salomon sapientissimus, se puerum paruulũ & nihil scientem proclamat. Dauid item sanctissimus, petit à Deo instrui: Dirige me (inquit) ueritate tua, & doce me, &c. Hi autem talpis magis cæcutientes: Sapien. 9. Psal. 24.

cientes: Nunquid (inquiunt) & nos cæci sumus? Quo fatentur alios quidem cæcos esse, non autem se. Hæc est antiqua illa ludæorum arrogantia, de qua et Paulus loquitur: Gloriaris, inquit, in lege, Roma. 2. putas te esse ducem cæcorum, &c.

Si cæci essetis, non haberetis peccatum.]

Bene & laudabiliter moderatur sententiam suam, concedendo illis, quod uidentes sint, & hoc ipsum proficere comprobando ad cumulum damnationis, pœnamq; æternæ cæcitatis.

Dupliciter autem intelligitur uerbum hoc. Primo, *Si cæci essetis*, id est, si cognosceretis uestrã cæcitatem, non maneret in uobis peccatum incredulitatis. Vel, *Si cæci essetis*, hoc est, si peccata uestra agnosceretis, parata esset uobis peccatorum remissio. Secundo, *Si cæci essetis*, habendo ignorantiam inuincibilem, non haberetis peccatum, quoniam talis ignorantia excusat à peccato. Docemur ex hoc uerbo, quod humilis sui ipsius cognitio meretur gratiam. Psal. 130. Hinc Dauid clamat: Domine non est exaltatum cor meum, nec elati Psal. 17. sunt oculi mei, &c. Et in alio loco: Populum humilem saluum facies, Psal. 114. & oculos superborum humiliabis. Vere itaq; de se professus est: 1. Pet. 4. Humiliatus sum, & liberauit me: Quoniam Deus superbis resistit, 1. Reg. 9. humilibus autem dat gratiam. Sic Saul, cum esset humilis in oculis 1. Reg. 15. suis, dux super Israel factus est, cum uero in superbiam elatus est, à 2. Reg. 6. Deo abiectus & reprobatus fuit. Sic Dauid, cum humilis in oculis suis saltaret coram arca, mirum in modum Domino placuit: cum 2. Reg. 24. uero tumore animi inflatus, populum iussit numerari, uindicem Dei manum sensit. Hinc per Isaiam Dominus dicit: Ad quem respiciam, Isai. 66. nisi ad humilem & trementem, ad sermones meos?

Nunc uero, quia dicitis uidemus, peccatum manet.]

Hoc est, Quia uos iactatis sapientes, doctos & iustos, & obid me & doctrinam meam abijcitis, peccatum uestrum manet. Nisi Ioan. 8. enim filius nos à peccatis liberauerit, nunquam liberabimur.

Terribile autem est, quod dicit. Peccatum uestrum manet. Peccato enim manente, nulla salus sperati potest. Docemur ex hoc uerbo, quod plus peccat, qui scripturas cognoscit, & tamen impie uiuit. Scienti enim bonum & non facienti, peccatum est illi. Et melius Iacob. 2. esset non cognouisse uiam iustitiæ, quam post agnitio- 2. Pet. 2. nem retrorsum ire. Hinc & Christus: Seruus Lucæ 12. sciens uoluntatem Domini, & non faciens, plagis uapulabit multis.

Caput

CAPVT DECIMVM.

Actenus Christus multis similitudinibus homines ad se inuitauit, nunc panem se uocans cœlestem, unde qui ederet, uiueret in ęternum: nunc aquam uiuam, unde qui biberet, conciperet in sese fontem aquæ salientis in uitam æternam: nunc lucem mundi, quæ illuminat omnium mentes: nunc filium & legatum Dei Patris, cui qui crederet, salutem ęternam consequeretur. Hoc loco idem agit, hoc est, homines ad se inuitat alia parabola. Cur autem Christus tam crebro parabolis utatur, in Matthæo plenius dictum est. In hoc autem capite, ideo in exordio parabola animos auditorum suspendit, ut post expositionem altius animo insideat, quod initio non sine admiratione & cognoscendi desiderio audiuerant. Parabola autem sic se habet. Ioan. 6. Ioan. 4. Ioan. 8. Matth. 14.

Amen dico uobis, qui non intrat pro ostium.]

Vide quam humilibus parabolis Christus cœlestem suam doctrinam abscondit, ut declaret Euangelium fore mundi sapientibus stultitiam. Nam quid in hoc mundo pastore abiectius? Vnde & Ægyptij prudentissimi iuxta mundum uiri, pastores ouium abominantur. Et tanta est ouium stultitia, ut etiam prouerbio locum fecerit: Ouium mores. Sic autem cohæret hæc parabola cum fine superioris capitis. Dixerant Iudæi: Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Item, Nos scimus quia hic homo peccator est. Ad huiusmodi calumnias iam respondet, re ipsa probans se esse uerum pastorem. Secundo profitebantur Pharisæi, se audire & docere uerbũ Dei, atq; adeo ueros pastores esse: Nunquid (inquiunt) & nos cęci sumus? His Christus hic opponit, se solum esse pastorem uerum, se ostium, nec doceri, nec cognosci posse Patrem, nisi per se Christum intretur. Tertio dixerat Christus, peccatum eorum manere, ideo hic ostendit, quod sit illud peccatum eorum, nempe furtum & latrocinium. Quarto, quia ipsi ceu pastores hominem illum eiecerant, & in hoc, ut supra dictum est, potestate sua abusi erãt: congrue similitudinem sumit de ouili ouium, & tam illis quam omnibus, qui cum lupi sint, pastores uideri uolunt, & subditos suæq; potestati commissos, neq; per ostium admittunt, neq; per ostium emittunt, id est, non secundum Deum, sed secundum propriam uoluntatem anathematizantes condemnant, uel assumentes iustificant. Iuxta illud Prophetę: Viuificabant animas, quæ non uiuunt: & mortificabant animas, quæ non moriuntur. Omnibus, inquam, talibus edicit hoc loco, quod fures sint & latrones. Ioan. 9. Ioan. 9. Ibidem. Ibidem. Ezech. 13.

Sed

Sed age, quando Christus non dubitauit tam humiles res proponere, nec nos pudeat ea diligentius perscrutari. Primo igitur certum est, quod per oues non alios intelligit, quam fideles. Sic enim & frequenter in scriptura nominantur. Sic Dauid: Hi qui oues sunt, quid fecerunt? Idem: Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Sic in Ezechiele: Ego ipse requiram oues meas, &c. ad longum. Et in Zacharia: Percutiam pastorem, & dispergentur oues.

2. Reg. 24.
Psal. 94.
Ezech. 34.
Zach. 13.

Ideo autem oues nos nominat. Primo, ut admoneat nos propriæ infirmitatis. Oues enim inter omnia animalia plus indigent pastore, quia nec uires habent, qua se defendant: nec arma, quibus repugnēt: nec uelocitatem, ut fugere possint: nec industriam, qua se abscondant. Tales sumus & nos secundum naturam, &c.

Deinde oues nos nominat, ut doceat, quibus moribus præditos nos esse oporteat. Ouis enim simplex est animal, mansuetum, neminem lædens: subiectū, non reclamans ad omne quod ei fit. Denique & utile, lana, lacte, carne, intestinis, fimo. Tales debent esse Christiani, &c. Per ouile autem intelligit Ecclesiam fidelium, neq; id abire. Ouile enim debet esse firmum & munitum ad defendendum: Calidum, ne frigus noceat: Mundum, ne inficiantur oues: Molle stramento, ut accubare possint. Oportet & habere pabulum, ne fame pereant: Latum etiam sit & adunatum, ut plures recipere possit & simul conseruare. Has conditiones habere debet Ecclesia quælibet.

Curet igitur quilibet pastor Ecclesiasticus, ut ouile habeat firmū, ne rumpatur à lupis & Tyrannis, immo se ipsum opponat murum. Iuxta illud: Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.

Ioan. 10.

Secundo curet, ut adsit calor charitatis. Hinc Dominus traditurus petro curam ouium, requisiuit tertio, Num se diligeret.

Ioan. 21.

Tertio curet, ut mundū sit suum ouile. Iuxta illud: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Ne contingat illud, quod in Machabeis legimus: Templum, inquit, luxuria et comessationibus plenum erat, & scortantium cum meretricibus, &c.

Leuit. 19.
2. Mach. 6.

Quarto curet, ut molle stramentum substernat, hoc est, mansuetudinem ostendat. Sic Christus: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et Paulus: Corripite eum in spiritu lenitatis, &c. Sic Petrus: Vt quid tentatis Deum, imponere uolentes iugum super ceruices hominum, quod neq; uos, neq; patres uestri portare potuistis? Contrarium faciebant, de quibus dicitur: Cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, &c. Et impius Roboam: Pater meus cecidit uos flagellis, ego cedam uos scorpionibus. Quinto curet, ut adsit copia salutaris pabuli, uerbi scilicet Dei. Postremo curet, ut adunentur oues in unitatem fidei, ne dissentiant: Bonum enim & iucundum est, fratres habitare in unum. Hinc Paulus ubiq; monet, ut idem sentiamus, & non sint in nobis schismata.

Matth. 11.
Galat. 6.
Ezech. 39.
3. Reg. 12.
Psal. 132.
1. Cor. 1.

Ostium

Ostium in ouile est Christus, ut infra dicetur. Quia autem Christus est uerbum Dei, & scriptura sacra ostium dici potest, neq; id abs re. Ducit enim nos ad Deum, & eius nobis cognitionem aperit: Ipsa nos oues facit, ipsa custodit, nec lupos irrũpere permittit. Tanquam enim ostium fortissimum hæreticos arcet, & in tuto nos constituit, neq; nos (modo uelimus) unquam aberrare sinit. Præterea, quia aliqui nõ ut priuatę personæ, sed ut publici pastores in Ecclesiã ueniunt. Per ostium etiam intelligi potest legitimus ingressus ad Ecclesiastica officia, sed de hoc infra. Ostiarius itidem est Christus, qui tametsi ante glorificationem suam humilis ianua uidebatur, tamen nũc non solum ostium, sed & ostiarius est, ex quo ascendens in altum, dedit dona hominibus. Exinde nanq; ostiarius quoq; esse probatur, quia ipse dedit quosdam quidam Apostolos, alios autem pastores & doctores, &c. Nec absurdum alicui uideatur, quod Christus & ostium & ostiarius dicatur. Quemadmodum enim unus idemq; Dominus noster Christus, uia est, ueritas & uita, sic non solum ostium, sed & ostiarius, immo & pastor, denicq; etiam ipsa ouium pascua est. Psal. 67. Ephes. 4. Ioan. 14.

Est autem in ostio & ostiario nonnulla profectuum nostrorum distinctio. Nam dum per fidem Catholicam quisq; nostrum accedit ad Christum, Christus ei ostium est: quando autẽ iam recepto, gratiam aliquam idem gratiarum distributor largitur, iam ostiarius est. Deinde per ostiarium etiam Moysen intelligere possumus, cui credita sunt eloquia Dei: Vel ipsam legem, quæ quasi uiam aperit ad Euangelij gratiam, dum peccata ostendit, ad quærendum gratiam cõpellit. Accõmodatius tamen per ostiariũ Spiritus sanctus intelligitur, qui ut uerbum externum prodesse possit, auditorum corda per gratiam suam præuenit & emollit. Sic Paulo contigit, qui dicebat: Ostium mihi apertum est magnum & euidens. Sic & alteri cuidam promittitur: Dabo coram te ostium apertũ, quod nemo potest claudere, &c. Tunc autem Spiritus sanctus ostium magnũ aperit, quando perpendens intentionem cordis eius, intelligentiam sacri uerbi illi pandere dignatur, & labori eius ut fructum faciat, præueniente pariter & subsequente gratia, cooperatur. His præmissis, nunc ad ipsam parabolam accedamus. 1. Cor. 6. Apoc. 3.

Qui non intrat per ostium in ouile]

Probat hoc uerbo Pharisæos nequaquam esse pastores, uel ex hoc uno, quod per ostium non intrauerant. Primo enim Christum, qui solus ostium est, reijciebant: nec per eũ uel ipsi intrabant, uel alios intrare permittebant. Deinde nec scripturas recte docebant. Legem enim, quæ tantum ostendebat peccatum, coram Deo iustificare docebant, immo legi Dei proprias traditiones præferebant. Matth. 15.

Præterea, nec legitime ad sacerdotium peruenerant. Non enim

uocati erant à Deo, sicut Aaron, sed contendendo irruentes alter super alterum, uenale sacerdotium in partes annuas sciderunt. Hinc de
Ioan. 11. Caypha dicitur, quod erat Pontifex anni illius.

Nec tantum conuincit eos Christus, quod non sint pastores, sed insuper probat eos fures & latrones: quia & dolis fraudibusq; animas capiebant, & cum uiolentia ambitioneq; dominabantur gregi. Vides quàm terribile sit, cum Dominus loqui incipit contra peccaIoan. 9. tores. Vere siquidem dixit supra: In iudicium ueni in hunc mundum
Isa. 42. etc. Hinc in Isaia: Tacui, semper silui, Nũquid semper taceboꝫ ut parturiens loquar. Docet etiam Christus hoc primo uerbo parabolę, solos illos esse ueras oues, hoc est, uere Christianos, qui per Christum intrant, hoc est, in eum credunt. Qui autem in Christum non credunt, oues non sunt, sed lupi, immo fures & latrones, suo tempore ejciendi, etiam si in medio ouium uersentur. Dicetur enim cuilibet eorum:
Matth. 22. Amice quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? Potissimum autem tangit Christus hoc uerbo eos, qui non legitime intrant ad Ecclesiastica officia. Is autem non legitime intrat, qui non uocatur à Deo uel ordinaria potestate, sed seipsum intrudit aut ui & armis, aut Simoniaca labe pactoq; precio, non attendens uerbum
Act. 8. Petri ad Simonem Magum: Pecunia tua tecum sit in perditionem.
Heb. 5. Itemq; uerbum Pauli: Nemo assumit sibi hunc honorem, sed qui uocatur à Deo tanquam Aaron. Secundo illegitime intrat, qui nec Dei gloriam, nec animarum salutem quærit, sed uel cæca fertur ambitione ad aucupandos honores humanos, aut rapida exæstuans cupiditate lucri ad colligendas opes, sectatur ocium & uoluptatem.

Tertio illegitime intrat, qui falsa docet, aliamq; uiam ad salutem quàm per Christum struere nititur.

Horum ergo omnium alius Ecclesiasticam dignitatem emit, sicut
2. Mach. 4. Simon Magus & Iason, de quo in libris Machabæorum. Alius uen-
4. Reg. 5. dit, sicut Giezi seruus Helizęi.
2. Mach. 7. Alius rapit sicut Alchimus, de quo in Machabæis. Alius præsu-
Num. 16. mit sicut Dathan, & Abiron, & Chore. Alius usurpat sicut Ozias
2. Para. 26. rex. Merito igitur fures dicuntur & latrones, quia non quærunt ouium salutem, sed proprium tantum commodum, sinentes commissum sibi gregem dispergi atq; dissipari, fame contabescere, atq; in præcipitia uitiorum prolabi. Deinde etiam ideo fures sunt, quia Ecclesiastica bona ueris pastoribus debita, ad se rapiunt, cum interim nihil dignum pastore agant. Ex his uides, quàm periculosum sit in
Ezech. 34. ouile Dei irrumpere. Aderit enim suo tempore princeps pastorum, requiretq; sanguinem ouium de manu pastorum.

Qui autem intrat per ostium, pastor est]

De Christo intelligendum est. Is enim per ostium intrauit, quia

uocatus

uocatus & missus à Patre: Ego, inquit, constitutus sum rex ab eo super Sion, &c. Non enim seipsum glorificauit, ut Pontifex fieret, &c. Psal. 2. Heb. 5.

Deinde per ostium intrauit, quia uera docuit & certa: Scrutamini, inquit, scripturas, quoniam ipsæ testimonium perhibent de me. Ioan. 5.

Præterea ostiarius ei aperuit. Nedum enim Moyses omnisq; lex & Prophetæ testimonium ei perhibuerunt, sed & Pater ipse Spiritusq; sanctus ei aperuerunt: Hic (inquit Pater) est Filius meus dilectus, &c. Idem testatus est Spiritus sanctus in specie columbæ super ipsum manẽs. Oues etiam uocem eius audierunt. Accurrebant enim etiam Publicani & peccatores, ut audirent eum. Ad hæc Christus proprias oues uocat nominatim: nouit enim nomina prædestinatorum ad uitam. Iuxta illud: Nouit Dominus, qui sunt eius. Itemq; Ego noui quos elegerim. Hinc discipulis dixit: Gaudete, quia nomina uestra scripta sunt in cœlis. Matth. 3. 2. Tim. 2. Ioan. 13. Lucæ 10.

Idem Christus oues suas educit è tenebris ignorantiæ, ad lumen ueritatis: & de uia iniquitatis, ad rectitudinem iustitiæ. Vadit ante eas, quia recte uiuendi exempla quasi uestigia pedum oculis eorum obijciens, quid faciendum, & quid fugiendum sit, docet.

Demum & oues illum sequuntur, fide & desiderio clamantes: Ostende nobis faciem tuam, sonet uox tua in auribus nostris, etc. Sequuntur etiam ipsius humilitatem, mansuetudinem, patientiam, &c. imitando. Possumus deinde hæc uerba etiam de alijs pastoribus intelligere. Quamuis enim Christus unicus & uerus ille pastor sit, qui nostri curam gerit, &c. tamen etiam alijs nomen illud communicat. Cant. 2.

Sicut enim sibi subiectos gratiæ & donorum, ita quoq; & nominum suorum reddit participes. Sic cum ipse sit lux uera, tamen etiam discipulis suis lucis nuncupationem tradit, cum dicit: Vos estis lux mundi. Pastores autem eos nominat, ut per hoc admoneantur officij sui. Ad pastorem autem plura requiruntur. Ioan. 1. Matth. 5.

Primo industria, ut sciat oues pascere, & in omnibus prouidere, hoc est, errantes reducere, infirmos sanare, sanos conseruare, &c. Ezech. 34.

Secundo audacia, ut non statim fugiat, sed contra lupum se opponat. Tertio sollicitudo, ut non dormiat aut ocietur.

Quarto fidelitas, ut domino uero oues restituat, ac seruum se non Dominum agnoscat. Tripliciter autem Christus describit uerum pastorem: Ab ingressu, ab officio, ab exemplo. Primo, uerus pastor est, qui legitime ingreditur, qui scilicet uocatur, qui non se, sed ouium salutem quærit, qui uera docet, &c. Sequitur.

Huic ostiarius aperit]

Ostiarius Spiritus sanctus est. Is igitur legitime intranti aperit: quia diuinas ei ueritates reuelat, modumq; regiminis manifestat, & de omnibus necessarijs instruit, iuxta illud: Cum uenerit ille spiritus,

Ioan.16. docebit uos omnem ueritatem.

Secundo uero pastori Spiritus sanctus aperit, quia eum admittit, immo introducit in sanctuarium sapientiæ sempiternæ, ut discat & 1.Tim.3. sciat, quomodo oporteat eum conuersari in domo Dei, & illic dat ei gustare multitudinem dulcedinis suę: ita, ut rediens ad gregē suum, Psal.144. eructet illis memoriam abundantiæ suauitatis diuinæ, sicq; de plenitudine sibi collata illuminat & accendit etiam corda suorum. Tertio Spiritus sanctus ei aperit, quia auditorum corda per suam gratiam præuenit. Hac triplici apertione indiget omnis pastor, & tanto amplius, quanto pluribus præest.

Cum enim nemo possit suam ipsius salutem operari sine speciali gratia, quanto minus & suam & aliorum: Proinde oportet pastorem frequenter ad Deum recurrere. Væ ergo his, qui non attendūt, quàm graue pondus ipsis impositum sit. Non enim frustra dictum Sap. 6. est: Iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.

Et oues uocem eius audiunt]

Subditi enim conscij bonitatis sui pastoris, monita eius & uerba prædicationis libenter suscipiunt, atq; opere complent.

Et hoc plane dignum est, sicq; ipsis ouibus expedit, Christi siquidem oues non essent, si Apostolos Christi non audirent. Nam tali- Lucæ 10. bus ipse dicit: Qui uos spernit, me spernit, &c. qua fretus authorita- 2.Cor.13. te Paulus: An experimentum (inquit) quæritis eius, qui in me loquitur Christus?

Et proprias oues uocat nominatim]

Hic describit pastorem ab officio. Oues Christi propriæ sunt, tum quia eos creauit: tum etiam, quia redemit proprio sanguine. 1.Pet.1. Hinc in propheta dicit: Omnes animæ meæ sunt, &c. Eas tamen Ezech.18. fidelis pastor etiam suas facit uel dilectionis affectu, uel quia pastorum principi proprio labore illas, quæ non erant acquisiuit.

Vocat autem eas nominatim, quia singulos subditorum determinate cognoscit, ad meliora hortatur, omnium mores pensando, quid singulis expediat perpendendo, cunctis familiariter condescendendo, unicuiq; secundum propriam indigentiam prouidendo, Proue.27. quemadmodum Salomon docet: Diligenter agnosce uultum pecoris tui. Sicut enim medicus corporum dispositiones, complexiones ac morborum uarietates pensat, ut congruentia medicamenta apponere possit: sic agere debet pastor spiritualis. Hinc igitur patet, uere dixisse Gregorium: Ars artium, est regimen animarum, quia magna ualde perfectio, exercitatio, unctio, discretio, exigitur ad bo- Deut.1. num prælatum. Hinc Moyses: Date ex uobis uiros sapientes & gnaros, &c. & ponam eos uobis principes, &c.

Secundo

Secundo uocat eas nominatim. Semper enim pastor bonus clamat ad oues. Hinc in lege sacerdotibus præcipitur, ut cornibus arietinis clangant. Hinc ad Isaiam dicitur: Clama, ne cesses. Et ad Osee: In gutture tuo sit tuba. Leuit. 25. Isa. 58. Osee 8.

Tertio uocat eas nominatim, quia adeo familiarem eis se ostendit, ut secure accedere audeant. Quarto uocat eas nominatim, quia obliteratis nominibus pristinis eo nomine eas appellat, quod magnus pastor super eas scripsit, de quo in Propheta: Vocabo (inquit) seruos meos nomine alio, in quo qui benedictus est, benedicetur super terram. Bonus enim pastor non improperat ouibus priora uitia, quemadmodum Pharisæi fecerant, dicentes cæco: In peccatis natus es totus, nisi forte pro utili commemoratione gratiæ Dei, quemadmodum Paulus fecit: Hæc (inquit) fuistis, sed abluti estis & sanctificati, &c. Isa. 65. Ioan. 9. 2. Cor. 6.

Et educit eas]

Eo ipso quod oues Christi simus, educti sumus è tenebris errorum & uitiorum antiquorum. Eripuit enim nos Deus de præsenti sæculo nequam, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Galat. 1.

Nihilominus tamen est adhuc & plærunq; euenit, unde pleroscp nostrum, qui iam sumus oues Christi, oporteat educi, immo & clamore grandi euocari, sicut per Lazarū quoq; significatum est, quem iam fœtentem, & quatriduanum, legimus magno Domini Iesu clamore fuisse resuscitatum. Sordidantur enim oues etiam postquam tonsæ & salubri fluuio lotę fuerint, & ipsis suorum uitiorum morbis delectatæ, in praua conduduntur consuetudine, aut etiam hęretico (quod grauius est) sordidantur errore. Hic igitur laborandum est pastori, ut eas educat, ad quod interdum uti debet uocibus asperis, quemadmodum Paulus, cum dicit: Omnino auditur inter uos fornicatio, &c. Interdum uero blandis uerbis, quemadmodum Paulus: Os nostrum patet ad uos ò Corinthij, &c. Item, Filioli mei, quos iterum parturio, &c. Secundo educit eas ex ocio, ad ambulandum in uia mandatorum Dei clamans cum Paulo: Surge qui dormis, &c. Et iterum: Remissas manus & genua debilia roborate, &c. Ioan. 11. 1. Cor. 5. 2. Cor. 6. Galat. 4. Ephes. 5 6. Heb. 12.

Et cum proprias emiserit, ante eas uadit]

Hic describit pastorem ab exemplo, expedit enim ei, ut cum emiserit oues per uerbum exhortationis, uadat ante illas per exemplum boni operis, ne quando dicat illi Deus peccanti: Quare tu enarras iustitias meas, &c. Tu uero odisti disciplinam, &c. Hinc Paulus: Ego sic curro non quasi in incertum, &c. Castigo corpus meum, &c. ne forte alijs prædicans, ipse reprobus inueniar. Sic Timotheo scribit: Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium Psalm. 49. 1. Cor. 9.

in uerbo, in conuersatione, in fide, in charitate, in castitate. Et ad
Tit. 2. Titum: In omnibus teipsum præbe exemplum bonorũ operum, &c.

Et oues illum sequuntur]

Et hoc enim illis expedit. Si enim de Hypocritis & simulatis pa-
Matth. 23. storibus: Omnia (inquit) quę dicunt facite, &c. quanto magis sequi oportet eos qui dicunt & faciunt?
Sequuntur autem illum, quia sciunt uocem eius, quia ueram et sanam esse cognoscunt doctrinam eius.

Alienum autem non sequuntur, &c.]

Quia cum exploratum habent aliquem malis artibus, dolo, fraude, largitione, adeptum esse pastoris dignitatem, & idcirco à Deo alienum, huius uitam & mores (qui plærunq; corrupti sunt) non sequuntur, neq; tam gratam habent eius ab bonum exhortationem, neq; tam obtemperanter illi quicquam iubenti, morem gerunt, quoniam uiolenta illa in ouile irruptio multum ipsi detrahit reuerentiæ, facitq; ut minus ad illum afficiantur oues, minorisq; illum æstiment & faciant. Tripliciter igitur alienum intelligere possumus.
Alienus à Deo uel ab ouibus, qui non per ostium intrat: Alienus uoce, hæreticus scilicet, qui male docet. Alienus uita, qui impie uiuit.

Hoc prouerbium dixit eis Iesus, &c.]

Prouerbium est sermo utilis, aliquid utilitatis habens in aperto, plurimum uero in occulto. Vel prouerbium est, quando uerbum aliud pro alio dicitur, ut unum per aliud ualentius commendetur, & efficacius intelligatur. Hoc genus dicendi in scripturis usitatum est, tam ad delectandum diligentem auditorem, quàm etiam ad edomandam superbiam labore, & intellectum à fastidio renouandum, cui facile intellecta plærunq; usui esse solent.
Et sic maxime hoc loco fieri debuit, ut conuinceretur Iudæorum
Ioan. 9. superbia, qui dixerant: Nunquid & nos cæci sumus, id quod & factum est. Statim enim subditur: Et ipsi non intellexerunt, quo uel solo se ipsos produnt, cordisq; sui cæcitatem: Alioqui ex Ezechiele hæc satis discere potuissent.
Ezech. 34.

Ego sum ostium]

Nunc quod clausum fuerat aperit, et quod uelatis prius uerbis dixerat, aperte referat. Ideo autem parabolam exponit, ne impij prætendere possent, se uerba Christi non intellexisse. Deinde, ut ex hoc discamus rerũ significationes quærere, etiam in alijs parabolis, quas per seipsum Christus non exposuit. Bis autem se nominat ostium, ut ostenderet se unum eundemq; esse, qui antiquos pastores, Moysen

scilicet

ſcilicet & Prophetas dedit in ouile Iudæorum, & nunc electione ſua nouos emittat Apoſtolos in ouile Gentium. Vbi interim hoc obſeruandum, quod non uni ouili duo oſtia, ſed quod mirabilius eſt, unum oſtium duobus ouilibus attribuit, ut neceſſario conſequatur, quod infra dicturus eſt: Fiet unum ouile, & unus paſtor.

Vel ideo ſe bis nominat oſtium, non tautologia quadam, ſed neceſſaria duplicis oſtij explicatione. Eſt enim Chriſtus oſtium, quo bonus paſtor ad oues Eccleſiæ intrat. Eſt & oſtium, quo quiſq; fidelis ad cœleſtem Patrem intrat. Vel ideo bis oſtium dicitur, quia & ad preſentem gratiam, & ad futuram gloriam, per eum ſolum peruenitur. Itaq; principio Chriſtus oſtium eſt ad oues Eccleſię, propterea, quod nemo recte in Eccleſia doceat, niſi Chriſtū uere doceat Euangeliumq; annunciet. Nam credentium cor non uiuificatur, nec accipit conſolationem, niſi è ſolo Chriſti Euangelio.

Omnes quotquot uenerunt, fures ſunt, &c.]

Vniuerſalem præfert ſententiam hoc uerbum Domini, non tamen uniuerſaliter de omnibus intelligendum eſt, qui ante Chriſtum fuerunt: Alioqui & Moyſes & Prophetæ fures fuiſſent. Obſerua igitur quod nō de tempore hoc loco, ſed de doctrina ſermo eſt. Nam antè Chriſtū uenire, nō eſt tēpore Chriſtū præcedere, ſed aliā quàm Chriſti doctrinā docere. Fuerūt quidem Moyſes & Prophetæ ante Chriſtum, ſed è ſpiritu Chriſti Eccleſiam Domini docuerunt, Chriſtumq; annunciarunt, quàmuis adhuc ſub umbris latentē. Intelligitur igitur uerbum hoc primo de his, qui non uocati à Deo, nec electi ab Eccleſia uenerunt, ſeipſos intrudentes uel ab aliis intruſi, de quibus in Propheta: Non mittebā eos & ipſi currebant. Hi enim fures ſunt & latrones, nam plærunq; neglectis ouibus, ſeipſos tantum curant. Hier. 23
Secundo intelligitur uerbū hoc de his, qui homines docent confidere in mendacio, dicentes: Pax pax, ubi non eſt pax, hoc eſt, qui aliam uiam docent ad ſalutem, quàm per Chriſtum. Tertio intelligitur uerbum hoc de his, qui tunc in ouili tyrannizabant. Nemo enim illorū, ut & ſupra dictū eſt, intrauerat per oſtiū, quia non uenerant prædicando & ſeruando Dei uerbū, ſed uenerāt negando & blaſphemando Filium Dei. Ideo in præſenti dicit: *Fures ſunt*, non fures fuerunt, ut ſciamus eū ſpiritualiter hic Phariſæos tangere uoluiſſe. Ob eandem cauſam etiam ſimpliciter dixit: *Venerunt*, cum de Prophetis dicat ſcriptura, quod nō ſimpliciter uenerint, ſed quod in nomine Domini uenerint. Aliud eſt enim ueniſſe, aliud in nomine Domini ueniſſe. Quarto intelligi poteſt uerbū hoc de his, qui ſeſe uel pro Chriſto uel Prophetis uenditarūt, et uenditant, qualis olim fuit Teodas Magus, qui multos de populo Iſraēl decepit, dicens ſe eſſe Prophetam, quibus & promiſit ſe illis ſicco pede per Iordanem tranſitum præſtiturū, quemadmodū olim Ioſue fecerat, ſed tandē & ipſe & tota eius ſocietas periit. Act. 5.

Talis fuit & Iudas Galilæus, qui prohibens populum tributa pendere Romanis, itidem eos in interitum duxit. Talis fuit & Simon
Act. 8. Magus, de quo in Actis. Tales sunt & nunc Prophetæ Anabaptistarum alijq; seditiosi prædicatores, qui miserum populum nedum spiritualiter occidunt, sed etiam corporaliter in interitum ducunt. Merito igitur fures & latrones à Domino uocantur. Fures, quia quæstus auidi sunt: Latrones, quia Tyrannide uiolenti.

Sed non audierunt eos oues]

Ioan. 9. Sic cæcus ille, de quo supra dictum est, fures illos blasphemiam in Christū suadentes, audire noluit, potius eligens ab eis eiici, quàm ipsis consentire. Obserua quod oues non audiunt huiusmodi fures. Ergo, qui eos audiunt, non oues, sed hirci sunt fœtidi. Quod si ouium aliquę deceptę, ad tempus eos audiunt, tamen deprehensa eorum nequitia resiliunt.

Ego sum ostium]

Hoc ad omnes fideles pertinet, quibus Christus est ostium ad Patrem, & ad bona paterna, quæ sunt iustitia, salus, uita æterna. Nemo
Matth. 11. enim potest cognoscere Patrem, nisi per Christum. Nemo item potest assequi iustitiam, salutem, uitam æternam, nisi per Christum, qui
Ioan. 14. est Dei iustitia, salus, & uita. Hinc in Euangelio dicit: Ego sum uia,
Act. 4. ueritas et uita: Nemo uenit ad Patrem nisi per me. Et Petrus: Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi nomen
Ephes. 2. Iesu. Et Paulus: Per ipsum accessum habemus ad Patrem. Qui igitur per proprias uires tantum ad Deū eiusq; bona contendit, nunquam
Rom. 10. ad ea perueniet. Sic enim & Israël sectando legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit, quia non ex fide, sed ex operibus tantum eam quærebat.

Per me si quis introierit, saluabitur]

Vide Dei bonitatem. Non contentus est monstrasse uiam ad Patrem, sed insuper promissionibus nos allicit, non quod nostri in aliquo indigeat, sed ut ostendat, se salutis nostræ auidum. Hinc in
Osee 11. Propheta: Traham, inquit, eos in funiculis Adam, hoc est, donis & promissis, quibus facile capiuntur filij Adam. Primo aūt promittit salutem per se intrantibus: *Per me* (inquit) *si quis introierit, saluabitur.* Quo quid maius promittere potuisset? Per Christum autem intrat, qui in eum credit, omnemq; fiduciam suam in ipso ponit. Item, qui Christo intima charitate inhęret. Item, qui per fidē et gratiam Christi congregationi fidelium se iunxerit. Denicq; qui secūdum doctrinā et
Prouer. 8. uitam Christi, cōuersatus fuerit: Is, inquam, salutē consequetur. Iuxta illud: Qui me inuenerit, inuenerit uitam, & hauriet salutē à Domino. Nec quisq; saluari potest, qui non per hoc ostiū in Ecclesiā Dei intra-
Genes. 7. uerit. Sic in diluuio omnes perierunt, qui in archa inuenti non sunt:

Sic

Sic in Iericho sola domus Raab seruata est. Obserua autem, quod Iosue 6.
signanter dicit: *Si quis per me introiuerit*, quo uerbo paucitatem subindicat uere credentium, quasi diceret. Vix inuenientur & pauci, qui per hoc ostium intrabunt: Multi enim uocati, pauci uero electi. Matth. 20.

Et ingredietur & egredietur]

Hoc uerbo promittit ueram libertatem & securitatem, quasi diceret. In latitudine charitatis, et spiritus libertate uersabitur. Vbi enim spiritus Domini, ibi libertas. Nec erit illi periculum à latronibus & 2. Cor. 3.
furibus, sed hoc pastore tutus & securus aget ingrediens & egrediens, uiuens & moriens.

Vide quanta sit hæc promissio, hoc est quod toties in Prophetis prædictum fuit: Non nocebunt & non occident in monte sancto Isa. 11. Mich. 4.
meo, &c. Item, Sedebit quisq; sub ficu sua, & non erit qui exterreat, &c. Vel aliter, ingredietur fide, egredietur autem fidei confessione. Vel ingredietur in penetralia suæ mentis, ad consyderandam immensam bonitatem Dei circa salutem nostram, collectoq; animo re- Psal. 33.
uoluet secum, quàm suauis sit Dominus, quamquè magna multitu- Psalm. 30.
do dulcedinis, quam abscondit Deus diligentibus se.

Deinde egredietur extra contemplationis secretum, ad exterius boni operis exercitium, ad succurrendum proximo, subleuandamq; eius indigentiam. Egredietur denicq; leuando se super se, ut sit con- Phil. 3.
uersatio eius in cœlis, omnibusq; terrenis transcensis, sola cœlestia & spiritualia contempletur & amet, omnia alia arbitrans ut stercora.

Et pascua inuenet.]

Alia promissio, qua promittitur uerorum bonorum copia, quemadmodum & Dauid: Timentes Dominum, non deficient Psalm. 33.
omni bono. Pascua autem hæc sunt, Euangelium, uerbum uitæ, iustitia, salus, uita, & omnia Dei bona. Hæc pascua fidelis ubicq; inuenit ingrediens, & egrediens in uita & morte. Olim quicunq; ingrediebatur, siue indigena Israelites, siue aduena proselytus, pascua legis & Prophetarum inueniebat: sed egrediens à præsenti uita, quia Paradysus nondum reseratus erat, pascua non inueniebat. Deinceps autem etiam egredientes, hoc est, in Christo morientes, pascua inuenient.

Fur non uenit, nisi ut furetur, &c.]

Antithesi quadam seipsum opponit Diabolo, itemq; uerbum suum, quod est Euangelium, impiæ doctrinæ. Fur iste primus Diabolus est, qui primis parentibus stolam immortalitatis, & puritatem Genes. 3.
innocentiæ, fraudulenter abstulit, & in eis totum humanum genus mactauit & perdidit. Hinc Christus de ipso dicit: Ille erat homicida ab initio.

Deinde

Deinde fur est, qui Diaboli imitator dissipat ouile Domini. Non enim uenit in ipsius gregis suscipiendam gubernationem, nisi ut furetur bona subditorum, expilando nouis exactionibus & adinuentionibus. Deinde non uenit, nisi ut mactet potissimum animas, quos prauæ suæ uitæ exemplo plærunq; occidit, aut incuria corrigendi sinit ire in perditionem. Tot quidem animas perdere dicitur, quot ob inertiam permittit trahi in interitum. Vel aliter impius pastor fur est, quia salubria ouium pabula furatur & furtim corrumpit, quando scilicet scripturæ sensum corrumpit. Mactat corpora non cõsentientium, perdit animas consentientium. Atq; hi sunt fructus impiæ doctrinæ, quod nedum animas perdunt, sed & corpora mactant, ac malis obijciunt, ut uides in prima Sathanæ doctrina contigisse. Genes. 3.

Ego ueni, ut uitam habeant, &c.]

Sicut Diabolus impiaq; doctrina occidit, ita Christus & uerbum eius uiuificat. Obserua hic, in quem finem uenerit Christus, Nempe non ut perdat, sed ut saluet, sicut & supra dictum est. Ioan. 3.

Atq; hæc est summa consolatio nostra, quæ uel sola sufficeret in quacunq; tentatione, &c. Signanter autem addit: Et abundantius habeant, quasi diceret. Non solum uita sum, uerum etiam bonorum thesaurus, è quo petere licet quicquid uolueris. Sic enim ait: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Deinde hoc uerbo: Et abundantius habeant, indicat nos plus habere, quàm Patres ueteris Testamenti. Illi enim iuxta fidem defuncti sunt omnes, non acceptis promissionibus, sed à longe aspicientes eas, &c. Nos autem eas habemus. Vitam enim, quam illi habebant in spe, nos habemus in re, sicut & supra dictum est. Ioan. 16. Heb. 11.

Ego sum pastor bonus]

Nouit Deus impiorum etiam malefacta ordinare in bonum credentium. Sic ex uno illo Pharisæorum impio facto, nempe, quod cæcum immerito ejecerant, quantam occasionem accepit Christus, monendi, docendi, consolandi, nedum pastores, sed & pios quosq;, ut non immerito dicat Paulus: Scimus quod diligentibus Deũ, omnia cooperantur in bonum. Iudæorũ enim impietas ad hoc nobis utilis fuit, ut Christus tot tamq; insignia uerba loqueretur. Obserua quod Christus, qui hactenus seipsum & fontem uiuum, & panem uitæ, & lucem mundi dixit: Nunc alio titulo seipsum nobis proponit, nempe pastoris. Ideo aũt tot cognomina sibi usurpat, ut omnes uideamus, quid in ipso, & per ipsum habeamus, & ut cõscientiæ nostræ cõfidentius in ipsum credãt, tũ in morte, tũ in alijs erumnis. Obserua item, quod Christus non usurpat sibi cognomina, quæ terrere possent (Potuisset quippe seipsum nominasse, Iudicem, Dominum, Deum, Rom. 8.

fortem,

fortem, & zelotem, &c. sed ea plurimum terrent) Assumpsit igitur ea cognomina, quæ homines allicere possent. Sicut enim lex terret, & minis compellit, sic econtra Euangelium allicit & promissis trahit, quemadmodum in Osee dixit: In funiculis Adam traham eos, hoc est, donis & promissis, quibus facile trahuntur homines. Sic igitur hoc loco nomine pastoris, fides nostra ingentem consolationem accipit. Optimo iure autem se pastorem nominat. Nam secundum naturam diuinā is est, qui dat escam omni carni, in quem oculi omnium sperant, ut qui manum suam aperit omnecp animal benedictione implet. Deinde etiam secundum naturam humanam pastor est. Osee 11. Psal. 135. Psal. 144.

Ipsi enim potissimum oues commissæ sunt. Nam de ipso scriptum est: Suscitabo super gregem meum pastorem unum, Dauid seruum meum, &c. Hinc Petrus eum nominat principem pastorum: Cum apparuerit (inquit) princeps pastorum, percipietis immarcessibilem coronam. Paulus autem eum magnum pastorem appellat: Deus (inquit) qui eduxit de mortuis pastorem magnum, Dominum Iesum Christum, aptet uos in omni bono. Pastorem igitur se nominat Christus. Primo, ut ostendat se eum esse, qui omnia pascit (Nam pastor à pascendo dicitur) Pauit cœlesti manna populum in deserto quadraginta annis. Pauit supra naturam quadraginta diebus cibo inuisibili Moysen & Heliam. Pascit naturalibus alimonijs cuncta animantia. Pascit infideles simul & fideles, subditos & rebelles, et neminem repellit ab alimento naturali. Solem enim suum oriri facit super bonos & malos. In huius figuram olim Ioseph fratribus suis male de se meritis, et ultionem scelerum suorum timentibus, respondit: Nolite timere, ego pascam uos, &c. Specialiter autem Christus pascit fideles suos secretiori cibo, uerbo scilicet Dei & Sacramentis. Ezech. 34. 1. Pet. 5. Heb. 13. Exod. 16. Matth. 5. Genes. 50.

Secundo nomine pastoris subindicat, quanta sollicitudine nos curet. Est enim pastorium munus ingentis sollicitudinis. Pollicetur igitur nobis hoc uerbo suam curam & sollicitudinem, quo quid dulcius contingere posset? Sic & alibi idem pollicetur: Ego, inquit, ero murus igneus in circuitu eorū. Et iterum: Etiamsi mater obliuiscatur infantis sui, ego tamen non obliuiscar tui. Hanc Dei pro nobis curam & sollicitudinem, Dauid magnificis uerbis collaudat & extollit, non in uno loco: Dominus (inquit) regit me, & nihil mihi deerit, &c. per totum Psalmum. Et iterum: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? &c. Et iterum: Leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi: Auxilium meum à Domino, &c. Ecce non dormitabit necp dormiet, &c. per totum. Si igitur te agnoscis ouem periculis expositam, si times lupū, si desideras pastum accede ad Christum. Tertio pastoris nomine Christus nos admonet omnū laborū, quos pro nobis sustinuit, quasi diceret, Agnosce quāto Zach. 2. Isa. 49. Psalm. 22. Psalm. 26. Psal. 120.

labore

labore te quesierim, quam chare te redemerim, non corruptibilibus,
1. Pet. 1. auro & argento, sed sanguine meo. Vere enim dicere potest Chri-
Genes. 31. stus, id quod Iacob olim dixit: Nocte & die gelu urgebar & æstu,
& fugit somnus ab oculis meis, &c. Ideo aũt nos laborum suorum
passionisq; admonet Christus, ut uel hinc agnoscamus grauitatem
peccati, & magnitudinem diuinæ dilectionis, sicq; & gratias aga-
1. Cor. 6. mus, et à peccatis caueamus. Hinc Paulus: Empti estis precio magno:
glorificate & portate Deum in corpore uestro.

Quarto, nomine pastoris docet, se curatorem esse inertiæ nostræ & stultitiæ. Quod enim pastor est ouibus, hoc Christus nobis est. Omnis ouium salus à pastore pendet, alioqui facile seipsas perdunt.

Sic omnis nostra salus à Christo pendet. Gratias igitur Deo, qui pastorem talem nobis dedit. Demum etiam ideo se pastorem nominat, ut doceret Apostolos, eorunq; successores, officium eorum non esse dominationem, sed ministerium, nec ociosum, sed laboriosum hominem requirere.

Hoc uno igitur uerbo pulcherrime eos officij sui admonet. Obserua autem, quod non simpliciter dicit: *Ego sum pastor*, sed addit: *Bonus*, quo uerbo indicat, quod non omnes boni sint, qui pastores nomi-
Ezech. 34. nantur, id quod in Ezechiele clare indicatur. Optimo iure autem se
Mar. 10. bonum dicit pastorem: Est enim bonus in natura. Nemo enim bonus, nisi solus Deus. Est & bonus in gratia, teste Sapiente: O quàm bonus est Domine spiritus tuus. Est & bonus in pastorali cura, id quod in sequentibus probabit.

Vide igitur, quantum consolationis uno hoc uerbo comprehendatur. Hunc pastorem petebat Moyses, cum diceret: Prouideat
Num. 27. Dominus Deus spirituũ omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, ne sit populus iste sicut oues absq; pastore.

Obserua etiam hic, quod Christus in singulari dicit: *Ego sum pastor bonus*, quo uerbo non tam se alijs præponit, quàm paucitatem indicat eorum, qui ueri pastores sunt.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus]

Animam dat, hoc est, uitam corporalem exponit periculo pro salute ouium. Vel animam dat, hoc est, tanto affectu eas diligit, ut nedum sua, sed & seipsum, immo si fieri posset, cor et animã eis impartiretur. Sic Christus uere animã dedit pro ouibus: Mortuus est enim pro fidelibus. Atq; eo melior pastor est, quod pro impijs adhuc et peccato-
Rom. 5. ribus mortuus est: Commendat (inquit) charitatem suam Deus erga nos, quod cũ adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Poterat aũt Christus huius suæ bonitatis formam altius sume[illegible] quia cũ esset in forma Dei, propter nos populum suũ & oues pascuæ

suæ

suæ semetipsum exinaniuit, formam serui accepit. Et cum haberet oues nonaginta nouem, id est, omnem beatorum Angelorum multitudinem, relictis illis, uenit unam quæ errauerat quærere. Sic, inquam, poterat formam suæ bonitatis exponere, sed hoc exemplum nulli imitabile est. Bene ergo hoc solum proponit, quod imitabile est: *Bonus* (inquit) *pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Hoc enim pastoribus spiritum charitatis habentibus imitabile est, immo imitari dulce est. Vnde Paulus: Ego libenter impendam, & superimpendar pro uobis. Secundo ideo non alio medio, quàm morte sua probat se uerum pastorem, quia non est maior dilectio, quàm cum quis animam suam ponit pro amicis suis. Tertio mortis suæ meminit, ut ostendat, neminem in Ecclesia pastoris nomine dignum esse, nisi paratus sit nedum sua, sed & seipsum expendere pro salute ouium. Hinc Christus: Si quis uult post me uenire, & non odit animam suam, non potest meus esse discipulus. Phil. 2. Lucæ 15. 2. Cor. 12. Ioan. 13. Lucæ 14.

Mercenarius autem]

Hactenus & bonos & malos pastores descripsit: Nunc hoc uerbo aliud quoddam genus hominum proponit, qui nec omnino mali sunt. Non enim sunt fures aut latrones. Nam & per ostium intrant & bene docent: Nec tamen omnino boni sunt, quia plus seipsos suaq; quærunt & amant, quàm oues earumq; salutem. Vbi autem mercedis est ratio, ibi charitas aut nulla est, aut imperfecta: & si quod præstatur officium, non præstatur ex animo ueri pastoris. Hos Christus optimo cognomine mercenarios nominat. Mercenarius enim est, qui uentrem suum curat, & solum compendium suum spectat, alioqui nihil ageret. Iustum quidem est lac & lanam percipere eum, qui gregem pascit, sed nihil aliud quærere, nedum impium, sed & stultum est. Fidelibus enim pastoribus nedum quæ ad temporalem uictum & uestitum pertinent, conceduntur, sed & æterna præmia promittuntur, ut patet in parabola de seruis. Stultus igitur est, qui cum & temporalia & æterna habere posset, ipse solis temporalibus contentus est. 1. Cor. 9. Matth. 25.

Et qui non est pastor]

Declaratio est eius, quod dixerat. Pastoris enim nomine indignus est, qui plus seipsum quàm oues diligit. Vel hac additione aliud genus hominum in Ecclesia uersantium subindicat, eos scilicet, qui titulotenus sunt pastores. Non quidem sunt fures & latrones, sed tamen pastores dici non possunt: immo nec mercenarij, quia nihil laborant. De quibus in Zacharia: Ecce ego suscitabo pastorem, qui derelicta non custodiet, & dispersa non quæret, &c. Et ibidem: O pastor & idolum derelinquens gregẽ. De his etiam Amos: Optimo Zach. 11. Amos. 6.

(inquit) unguento delibuti, non compatiebantur super contritione
Isa.22. Ioseph, &c. Talis erat Sobna, cui per Isaiam dicitur: Quid tu hic, aut quasi quis hic? &c. quasi diceret, Non es quis, sed quasi quis. Habes igitur quinq; genera hominum in Ecclesia uersantium. Fur, qui non rite ingreditur: Latro, qui mala doctrina uel uita occidit: Mercenarius, qui uentrem suum curat: Pastor uerus, qui ouium salutem indefesse quærit: Et Idolum pastoris, qui scilicet tantum nomen habet, & præterea nihil.

Cuius non sunt oues propriæ]

Et hoc utiq; non sine grandi pondere dictum est: *Non sunt eius propriæ*, quia uidelicet non in eius pectore gratia mater eos parturi-
Gal.4. uit, quomodo in Paulo, qui dicit: Filioli quos iterum parturio, &c. Non possidet animum eius spiritus pastoris boni, & ideo non mi-
Isa.40. rum, quod non & ipse brachio suo colligat agnos, & in sinu suo portet eos.

Videt lupum uenientem]

Videt, inquit, instare periculum, scit quid faciat mala doctrina, scit plærosq; damnabiliter peccare: Hæc omnia mercenarius scit, & tamen tacet. Omnis igitur ei sublata est excusatio. Emphasim autem habet, quod dicit: *Videt uenientem*, quasi diceret. Adhuc longe posito lupo, ipse sibi cauit, nondum mali aliquid perpessus est, & statim fugit.

Dimittit oues, & fugit]

Non fugiunt oues à mercenario: non enim habent causam legitimam, cur non audiant uocem, uel cur eius communionem deuitent, cur illi lac suũ ad edendum, & lanam ad cooperiendum denegẽt, sed ipse fugit. Obserua quod non arguitur mercenarius, quod furatus sit, mactauerit, & perdiderit: sed tantũ quod uidet periculum & fugit, hoc est, uerbũ exhortationis subtrahit, nẽ si lupo resistat, temporale commodum, quod amat, amittat. Fugit, cum hæreticis non obsistit ex timore, ne quid incommodi patiatur. Fugit item, cum uitia subditorum non corripit, sed tacet, conniuet, dissimulat, ne quem offendat: Amant enim plærunq; oues suam perniciem. Præterea fugit, cum quod stulti gregis libidini adlubescit, hoc docet, hoc inculcat, ut gloriam uenetur & commodum.

Et lupus rapit, & dispergit oues]

Pulchre Diaboli natura hic describitur. Lupus siquidem est Diabolus, quantumcunq; se amicum simulet: Lupus, inquam, omnibus Dei operibus infestus, maxime tamen homini. Mortem enim &

exitium

exitium nostrum non minus optat, quàm lupus ouium. Vide igitur, ne illi credas: Non ignoramus, inquit, cogitationes eius. Hinc Petrus monet, ut sobrij simus, & uigilemus. Rapit autem Diabolus, dum gregem per falsas doctrinas, per peccata, per offendicula, & per mortem dilacerat: Rapit, cum à Deo abducit in suum regnum. Quos autem rapere non potest, dispergit: & ita errabundas facit, ut nesciant, ubi consistere debeant. Omnium horum malorum causam præstat mercenarius in hoc, quod fugit. Ob eam igitur causam, quamuis ipse non occidat, tamen quia fuga sua prodit oues lupo, sanguis perditarum ouium requiretur de manu eius. Hinc in Isaia: Principes tui infideles socij furum, non quidem fures, sed socij furum, quia diligunt munera. Hinc & Christus seruum infidelem in iudicio diuidet, & partem eius ponet cum hypocritis: Diuidet, inquam, hoc est, diuisum & duplicem fuisse redarguet. 2. Cor. 2. 1. Pet. 5. Ezech. 3. Isa. 1. Matth. 24.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est.]

Fugit interdum & uerus pastor, sed cum personalis tantum est persecutio: Fugit quidem, sed non dimittit oues, nec cessat ab officio. Sic Christus nonnunquam fugit. Sic & Paulus è Damasco fugit, &c. Mercenarius autem ita fugit, ut & omnino ouium curam ex animo ejciat, & omnino ab officio cesset. Act. 9.

Quia mercenarius est, & non pertinet ad eum, &c.]

Causam fugæ ponit. Primo, quia mercenarius est. Non enim quæ Christi, sed quæ sua sunt, quærit, existimatq; quæstum esse pietatem. Deinde non pertinet ad eum de ouibus. Cogitat enim, Quid tum si pereant? Mihi nihil perit, merces in tuto est: etsi quid perit mercedis, hoc perire malo, quàm pro pecudibus alienis decertare cum lupo: Reperietur alius grex, cui præficiar, &c. Phil. 2. 1. Tim. 6.

Ego sum pastor bonus.]

Repetit quod supra dixit. Primo, ut sciamus eum & prioris populi, & eorum qui nunc credunt, pastorem fuisse, ob quam causam & supra bis se dixit ostium. Secundo, ut fortius animis inhæreret, quod dixerat se esse pastorem: non enim parua consolatio ex hoc fidelibus profluit. Tertio ideo repetit quod dixit, ut doceat se solum, unicum, & uerum esse pastorem, qui à Prophetis prædictus est, qui & solus saluare potuit gregem suum. Sic enim in Ezechiele promisit Deus: Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, seruum meum Dauid, ipse pascet eas: Ego autem Dominus eorum, &c. Postremo ideo toties repetit se pastorem esse, ut ostendat Ezech. 34.

neminem sua culpa perire, quasi diceret: Ego quod in me est, paratus sum pascere, regere, adiuuare. Quod si quis perit, sua culpa perit, signum enim est, quod obsequi noluit.

Et cognosco oues meas]

Hoc uerbo primum eos terret, qui ouium uestimenta prætendunt, & in ouili sedent, cum interim sint lupi suo tempore eiiciendi: Non (inquit) me decipis externa specie: *Ego oues meas cognosco.* Ioan.13. Non omnes oues sunt, qui in ouili degunt. Sic alio loco dicit Discipulis: Non de omnibus uobis loquor, ego scio quos elegerim. Et Matth.7. iterum: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in 2. Tim.2. regnum, &c. Et Paulus: Dominus nouit qui sunt eius. Hæcigitur merito omnes Pseudochristianos terrere debent, quandoquidem scimus, quod hi qui inter oues non agnoscentur in iudicio, se- Matth.25. ueræ illi sententiæ subiacebunt: Ite maledicti in ignem æternum.

Secundo hoc uerbo pios omnes admodum consolatur. Siquidem nihil fortius hominem pium exhilarat, quàm cum audit & uidet, Deum sui curam agere, quemadmodum econtrà nihil adeo piorum animos excruciat, quàm cum à Deo nullam consolationem sen- Iob.42. tiunt. Exemplo sit Iob ille sanctus, qui nullam consolationem admittere uoluit aut potuit, donec Deum repropitiatum sentiret. Et Christus ipse omnium passionum, quæ tamen multæ erant, oblitus, hoc solum alta uoce conquestus est in cruce, quod nullam à Deo sentie- Matth.27. bat consolationem: Deus, Deus meus (inquit) ut quid me dereliquisti? Contra hanc tentationem Christus dicit: *Cognosco oues meas.* Vbi obserua, quod non tantum dicit, Diligo oues meas, sed: *Cognosco*, quod magnificentius est. Hoc enim uerbum cum significatione dilectionis, simul sonat affectũ compassionis, quasi diceret: Non solum diligo eas in corde, sed uideo ubi sint, quid ipsis desit, Pro.12. quid patiantur, &c. Sic Sapiens ait: Nouit sapiens animas iumen- Psal. 102. torum suorum, uiscera autem impiorum crudelia. Hinc & Dauid: Exod. 33. Dominus nouit figmentum nostrum. Sic Moysi dicitur: Noui te ex Iob.1. nomine. Hoc modo Deus cognouit ipsum Iob: Nunquit (inquit) consyderasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis? &c. Hoc modo cognouit & septem milia uirorum, qui non curuauerant 3.Reg.19. genua sua ante Baal. Hoc modo cognouit etiam Dauidem in medio 1.Reg.16. fratrum suorum: Elegi, inquit, mihi ex filiis Isai regem. Hinc Dauid Psal.138. ipse: Domine probasti me, & cognouisti me, &c. Hoc modo Ioan.1. Christus cognouit Nathanaëlem: Ecce (inquit) uere Israëlita, in quo dolus non est.

Et cognoscunt me meæ]

Hoc uerbo primum impios illos repercutit, qui dixerant: Hunc nescimus unde sit. Vult autem dicere Christus: Quid enim quod

uos

uos me non agnoscitis, meæ tamen oues me cognoscunt: Immo in eo, quod me non agnoscitis, nec ego uos agnosco inter meas oues. Qui enim ignorat, ignorabitur. Et quem mei puduerit coram hominibus, eius & filium hominis pudebit, cum uenerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. Deinde hoc uerbo ueram naturam Christianorum ostendit: Me (inquit) cognoscunt, qui mei sunt. Cognoscunt autem Christum, non qui nomen eius aut dicta uel facta eius memoria tenent, sed qui credunt & obsequuntur. Sicut econtra qui non credunt nec obediunt, nescire Dominum dicuntur, quemadmodum Pharao: Dominum (inquit) nescio, & Israël non dimitto, &c. Oues igitur uere Christum cognoscunt: habent enim Spiritum sanctum, quo & ipsum & uocem eius cognoscunt, iuxta illud: Deus est, qui cõfirmat nos, deditq; arrã spiritus in cordibus nostris. Cognoscunt autem pij Christum, hoc est, uere credunt, quod ipse sit pastor & saluator eorum, atq; hoc est, quod in Hieremia dicitur: Omnes cognoscent me à minore usq; ad maximum. Et in Osee dicunt credentes: Viuemus in conspectu tuo, sciemus & sequemur te. Ad eum modum & sponsa dicit: Dilectus meus mihi, & ego illi. Atq; hoc est uere cognoscere Christum. Iam uide, an ita eum cognoscas, ut in eum credas, eum timeas & ames, eiq; obsequaris. 1. Cor. 14. Luc. 9. Exod. 5. 2. Cor. 1. Hier. 31. Osee. 6. Cant. 6.

Sicut nouit me Pater, & ego, &c.]

Hoc uerbo indicat, quomodo cognoscat oues suas. Non (inquit) simplici notitia (qua & impios cognosco) sed: *Sicut me Pater nouit, & ego Patrem.* Iam Pater Christũ ita cognoscit, ut & summe diligat. Et Christus ita Patrem cognoscit, ut eum summe diligat. Consequitur igitur, quod cognitio, qua fideles suos agnoscit, adiunctam habeat summam charitatem. Vere fœlices, quos Christus sic cognoscit, ut & impense diligat. Infœlicissimi autem, quos tantum cognoscit, non autem approbat, nec ipsos, nec aliquid eorum, quibus & tandem dicet: Nescio uos, &c. Deinde hoc uerbo innuit, talem esse debere etiam cognitionem, qua fideles Christum cognoscunt, nempe coniunctam charitati. Oues meæ (inquit) me cognoscunt, non simpliciter, sed sicut nouit me Pater, hoc est, ut simul etiam diligant. Præterea his duobus uerbis: Ego cognosco meas, &: Cognosco Patrem, duo charitatis præcepta à se completa indicat, sine quibus nemo unquam pastor idoneus fuit aut esse potest. Primum & maximum est mandatũ de dilectione Dei, quod intelligitur in eo, quod ait: Ego agnosco Patrem. Secundum autem huic simile est: Diliges proximum tuum, &c. hoc intelligitur in eo, quod ait: Cognosco meas. Idcirco autem prius secundum & post signatum est primum, quia uidelicet per dilectionem proximi, ascen- Matth. 25. Matth. 22.

ditur ad dilectionem Dei. Qui enim non diligit fratrem suum
1. Ioan. 3. quem uidet, Deum quem non uidet, quomodo potest diligere?

Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc, &c.]

Ne quis putaret præmissas promissiones ad solos Iudæos pertinere, hoc addidit Christus, quasi diceret: Non te moueat, quod
Matth. 15. Deus hactenus Iudæorum Deus tantum fuit. Item, quod ego ad oues domus Israël potissimum missus, quodq; prædicta uerba ad Iudæos locutus sum, & inter eos: *Alias enim adhuc oues habeo.*
Psal. 2. Sic in Psalmo Deus Pater Filio dicit: Postula à me, & dabo tibi
Isa. 49. Gentes hæreditatem tuam, &c. Et in Isaia: Dedi te in lumen Gen-
Mal. 1. tium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Et Filius ipse: Ab ortu solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus. Et
Matth. 8. iterum: Multi uenient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, &c. Et Ioannes: Christus non solum moriturus erat pro
Ioan. 11. Gente, sed ut filios Dei, qui dispersi erant, congregaret, &c. Hac igitur sententia, Christus propriè uocationem Gentium prædixit.

Singula autem uerba suam habent Emphasim. Primo, quanquam nondum uocati essent Gentiles, tamen iam eos se habere dixit, ut
Eph. 1. ostendat prædestinatos ab æterno, quemadmodum Paulus dixit: Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem. Deinde oues nominat, qui adhuc in peccatis erant, nec pastorem agnoscebant: ut discamus, nullum condemnare propter præsentem statum, cum nesciamus, quis futurus sit. Tertio, *Non* (inquit) *sunt ex hoc ouili*, hoc est, Iudæorum populo, qui olim solus Dei populus erat: Hoc
Rom. 10. igitur uerbo conuersis ex Gentibus spes datur. Nunc enim non est Iudæorum Deus tantum, sed & Gentium. Et Euangelium est uirtus
Rom. 1. Dei ad salutem omni credenti, Iudæo simul & Græco. Quarto illas (inquit) oportet me adducere. Quanquam enim per Apostolos uocati sint Gentiles, tamen Christi potentia factum est, quod cre-
1. Cor. 3. diderunt: Ipse enim dat incrementum. Adducendas autem dicit, ut ostendat, non satis esse quod oues simus, nisi etiam in unitate Ecclesiæ permaneamus. Signanter autem dicit: Oportet me eas adducere, ut ostendat & suum & Apostolorum officium esse, ut adducant homines Deo. Non habet pastor Euangelicus, quod oderit. Sunt enim aliqui in ouili, sed ijdem adhuc multis malis obnoxij,
Ezech. 34. quæ Ezechiel enumerat, quibus sanandis fidelis pastor inuigilare debet. Alij extra ouile degunt, hi adducendi & attrahendi sunt.

Alij partim in Ecclesia, partim extra Ecclesiam sunt, qui uidelicet aut fide aut operibus deficiunt. Omnibus his succurrere debet pa-
Gen. 22. stor. Postremo ideo dicit: Me oportet adducere. Ipse enim est, per quem benedicuntur omnes Gentes.

Et uo-

Et uocem meam audient]

Hoc uerbo ostendit, se non ui aut uiolentia eos attracturos, sed uerbo suo. Errant igitur, qui expectant donec ui à Deo trahantur. *Vocem* (inquit) *meam audient*. Verbum Christi est attractio eius, hunc tractum sequuntur oues, nec alium expectant, sed cum Petro dicunt: Ad quem ibimus, uerba uitæ habes. Ioan. 16.

Et erit unum ouile, & unus pastor]

Ex hoc uerbo quidam colligere uoluerunt, post nouissimam iudicij diem, omnes & bonos & malos simul in unum æternæ uitæ locum congregandos esse. Sed falso colligunt. Non enim dixit Christus, omnes homines in unum stabulum congregandos, sed: *Erit unum ouile.*

Ad ouile autem, ut & supra dictum est, nec canes, nec hirci, nec porci admittuntur, sed solæ oues. Patet igitur, quod locus hic non de malis loquitur, sed tantum de bonis, qui oues dicuntur. Huc pertinet, quod Christus dicit: In iudicio oues ab hædis separandas, Matth. 25. & aliud iudicium ouium, aliud hædorum futurum: tantum abest, ut in unum ouile simul congregentur. Sic Paulus: Omnis, inquit, fornicator aut auarus, &c. non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. 1. Cor. 6. Et Ioannes: Foras, inquit, canes & malefici, &c. Quomodo igitur posset unum esse ouile bonorum & malorum? Igitur aliæ illæ oues, Gentes intelligendæ sunt, quæ non sunt ex ouili Iudæorum. Non enim habebant testamenta, non erant de progenie Patriarcharum, alieni erant à Christo, abalienati à Republica Israëlis, &c. Apoc. 22. Eph. 2.

Nihil igitur aliud uult Christus hoc uerbo, quàm quod paries ille inimicitiarum, qui hactenus Iudæos à Gentibus segregauerat, demoliendus esset, omniumq; electorum siue è Iudæis, siue è Gentibus futura esset una Ecclesia. Hinc Christus dicitur lapis angularis, propterea, quod duos in se populos tanquam parietes complectitur. Matth. 21. Hinc & Paulus: Ipse (inquit) est pax nostra, qui fecit utraq; unum. Et post pauca dicit Gentibus conuersis: Iam non estis hospites & aduenæ, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipsi summo angulari lapide Christo Iesu, &c. Sic & Zacharias: Ipse (inquit) ædificabit templum Domino, & consilium pacis erit inter duos illos, puta Iudæos & Gentes. Iam, cum Gentes statim post ascensionem Christi uocari cœptæ sint, constat, quod uerbum hoc Christi iam dudum impletum est, & quotidie impletur. Eph. 2. Zach. 6. Non igitur est, quod expectes, etiam malos finaliter ad ouile illud congregandos, cum Christus plane de ipsis dicat: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti uero in uitam æternam. Matth. 25. Quod autem omnium electorum, siue è Iudæis siue è Gentibus, una dicitur Ecclesia, nõ intelligẽdum est, quod omnes electi in uno loco

sint, uel conuenire debeant in hac uita. Sed ideo dicitur una Ecclesia propter fidei, spei charitatisq; unitatem. Ipsa est enim unum mysticum corpus Christi, quod ab uno capite Christo gubernatur, uno Eph. 4. Spiritu sancto uiuificatur, una lege regulatur, uno fonte purificatur, uno pane reficitur, ad unam patriam proficiscitur.

Ex hoc igitur uerbo colligitur. Primo, quod nemo saluatur, nisi 1. Pet. 3. in uno hoc ouili Ecclesiæ inueniatur, huius figura præcessit in arca Noe, &c. Secundo cõsequitur ex hoc uerbo, quod non satis est, corpore esse in Ecclesia, nisi ouis sis, & unum illum pastorem agnoscas Christum. Tertio consequitur, quod multi iam corpore sunt in Ecclesia, qui tamen non pertinent ad unum illud ouile. Et econtra multi iam non sunt in Ecclesia, qui tandem introducentur.

Propterea diligit me Pater, &c.

Hoc uerbo docet, nullum opus Deo acceptius esse, quàm aliorum salutem curare, bonum pastorem esse, & animam pro ouibus dare. Poterat quidem sic dicere: Propterea diligit me Pater, quod in principio omnia per me creauit, uerum hoc loco pastorem bonum instruere intendit, & illud notum facere, quod lucro animarum Deo nihil charius sit. Hoc itaq; uerbo omnes pastores allicere uoluit, ut diligenter inuigilent saluti animarum, cum audiant opus hoc tanti apud Deum meriti esse: Immo omnes Principes, Patresfamiliás, Christianos denique, hoc uerbo admonere uoluit, ut solliciti sint pro salute subditorum, familiæ, filiorum, &c.

Si non poteris ardua illa opera agere, quæ alij agunt, saltem hoc quod summe Deo placet, age: instrue filios, familiam: *Propterea* (inquit) *diligit me Pater, &c.* Admonemur etiam hoc uerbo, ut Matth. 18. summo studio uitemus aliorum scandala: Væ enim homini, per quem scandalum uenit. Præterea, uedum summe placet Deo, saluti animarum inuigilare, sed & summe à Deo remuneratur. Ob hoc enim opus, uedum Christum dilexit Deus Pater, sed & super omnia Phil. 2. eum glorificauit: Quia (inquit) factus est obediens, &c. propter hoc eum exaltauit, & dedit illi nomen, &c. Sic & Dauid prædixit: Psal. 109. De torrente (inquit) in uia bibet, propterea exaltabit caput. Et Isaias: Isa. 53. Si posuerit pro peccato animã suam, uidebit semen longæuum, &c.

Pono animam meam, & iterum sumo eam

Quod Christus hoc loco non semel animam nominat, uel ex professo percutit Appollinarem, qui asserere audebat, Christum non habuisse animam rationalem, sed corpus duntaxat humanũ, cui coniuncta diuinitas, animæ locũ obtinuit. Atqui hic non semel audis eum loquentem

loquentem de anima sua, &c̃. Deinde, quod dicit se animam ponere, non intelligas de separatione animę à uerbo. Nam etiam diseparatis post mortem anima & corpore Christi, uerbum Dei unigenitum utriq; seiuncto ab inuicem mansit inseparabiliter coniunctum, neq; ulla unquam facta est separatio uerbi, uel à sacratissimo corpore, uel à sanctissima anima. Ea igitur animæ positio, de separatione animæ à carne solum, accipienda est.

Quod autem non tantum dicit: *Pono animam meam*, sed statim infert: *Iterum sumo eam*, primo terret Iudæos, mortem suam affectantes. Secundo consolatur Discipulos, de morte sua contristandos, quemadmodum & alibi dicit: Iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, &c̃. Ioan. 16. Præterea hoc uerbo etiam ostendit, quale sit regnum suum. Sicut enim ipse Christus primo mortuus est, deinde exaltatus: Sic omnibus, qui in regno eius esse uolunt, primo moriendum est & descendendum, postea sequetur glorificatio. Hinc in Matthæo dicit: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, &c̃. Matth. 16.

Præbet hoc uerbum & aliam nobis consolationem, nempe, quod etsi moriendum nobis est, certi tamen sumus de futura resurrectione nostra: Scio (inquit Iob) quod in nouissimo die resurgam, &c̃. Ioan. 19.

Nemo tollit eam à me, &c.]

Indicat hoc uerbo, se ideo pati, quia sic suæ & Patris uoluntati placeat, non quia Cayphas aut Pilatus coegerint. Nisi enim sponte mori uoluisset, nihil potuissent contra eum omnes aduersarij, id quod euidenter in horto ostendit, cum uno uerbo omnes eos prostrauit. Ioan. 18. Docemur hinc, quod pij non ideo patiuntur, quia aduersarij sua potestate aliquid in ipsos possint: sed quia sic est uoluntas Patris, quam uoluntatem per impios exequitur, in extremum ipsorum exitium, in summam autem piorum utilitatem.

Potestatem habeo ponendi animam, &c.]

Hoc uerbo euidenter probat suam diuinitatem. Quis enim purus homo hoc potest: Alij moriuntur cum nolint, & mortui non reuiuiscunt. Et quamuis quisq; sibi manus adferre potest, ut scelerata morte pereat, non potest tamen uitam semel elapsam in corpus reuocare. Docemur igitur ex hoc uerbo, Christum esse Dominũ uitæ & mortis, id quod summe consolatorium est.

Hoc mandatum dedit mihi Pater]

Ostendit Patris uoluntatem esse, ut moriatur pro hominibus, ut uel hinc & Dei Patris erga nos uoluntatem discamus. Si enim proprio Filio suo nõ pepercit, quomodo nõ omnia nobis cum ipso donaret? Rom. 8.

Ostendit

Eccles. 17. Ostendit secundo hoc uerbo, Dei præceptum esse, ut pro nobis mutuo solliciti simus: Vnicuiq; enim mandauit Deus de proximo suo. Et Christus: Mandatum nouum do uobis, &c. Omnibus
Ioan. 13. enim nobis dicitur id, quod Ioseph fratribus suis dixit: Non uidebi-
Gen. 43. tis faciem meam, nisi adduxeritis fratrem uestrum minimum.

Dissensio iterum facta est, &c.]

2. Cor. 2. Christus semper est alijs odor mortis in mortem, alijs odor uitæ in uitam. Signanter autem dicit: *Iterum*. Nam & supra frequenter hoc contigisse audiuimus. In hac autem iudiciorum de Christo uariatione, uidemus mundi naturam. Est enim mundus à Christo iudicandus, sed ecce nunc de Christo iudicandi sibi authoritatem sumit. Quanta igitur est Christi humilitas, qui se patitur ab alijs, quorum ipse iudex est, iudicari?

Alij dicebant, Dæmonium habet, & insanit]

Matth. 21. O peruersitatem, hoccine erat, quod Paterfamiliâs de malis illis, & merito male perdendis, agricolis dixit: Verebũtur Filium meum? Vere igitur in Isaia dicit de uinea sua, hoc est, de populo illo: Expe-
Isa. 5. ctaui, ut faceret uuas, & fecit labruscas. Tripliciter autem contu-
Isa. 11. meliam Christo inferunt. Primo, eum, in quo habitauit septiformis
Ioan. 3. spiritus Domini, & cui à Deo Patre datus est spiritus non ad mensuram, quicq; solo uerbi imperio spiritus malos à uexatis hominibus propulsabat, dixerunt agitari Dæmonio, idq; non solum hoc loco, sed & alias sæpe. Quam graue autem & inexpiabile sit scelus hoc
Matth. 12. Iudæorum, ex eo patet, quod in Matthæo dicitur peccatum in Spiritum sanctum, & ideo irremissibile. Nec contenti hac blasphemia (impietas enim semper in peius excrescit) addunt aliud probrum, dum eum, qui est uirtus & sapientia Patris, in quo sunt om-
Col. 2. nes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, insanire dicunt.

Demum, quid eum audiis (inquiunt) indignum eum iudicantes qui audiatur, atq; cum stomacho indignantes illis, qui aures uerbis illius præbebant.

Omnia hæc tam diligenter describunt Euangelistæ, ne quis Christo inferior indignetur, si etiam sibi tale quippiam acciderit: Si Pa-
Matth. 10. tremfamiliâs (inquit) dixerunt Beelzebub, quanto magis domesticos eius? Immo ideo primo loco describit Ioannes eos, qui ex sermone Christi offensi sunt, ut quilibet Prædicator sibi persuadeat, nunquam defuturos, qui eius sermones carpant.

Alij dicebant: Hæc uerba non sunt Dæmonium habentis, &c]

Quantumuis multi offendantur ex uerbis Christi, eisq; reclament, semper tamen uel aliqui ex eisdem emẽdantur: Non enim reuertitur

uerbum

uerbum Dei uacuum. Hoc autem non paruam consolationem præbet Prædicatoribus, quod sciunt se non frustra laborare. Vide autem, quàm diligenter hi posteriores & uerba & facta Christi perpendunt: *Hæc uerba, inquiunt, non sunt Dæmonium habentis*. Omnino enim repugnant, Dæmonium habere uel insanire, & talia uerba loqui: Non sic loquitur aut loqui potest Dæmonium. Sic supra quidam dixerunt: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Ioan. 9.

Deinde, Nunquid potest Dæmonium cæcorum oculos aperire? Quanquam enim maligni spiritus præstigijs suis plærunq; oculos intuentium eludant, exhibentes coram rei speciem, quæ non adest, Exod. 7. aut repente aliqua aliunde adducant, ut in Magis Pharaonis uidemus: Miracula tamen quæ naturæ legem transcendunt, nequaquam ueraciter operari ualent. Immo Dæmonis opus est, homini nocere, excæcare, in cuius figura rex Ammonitarum ad filios Israël misit: In hoc, inquit, feriam uobiscum fœdus, ut omnium uestrum oculos dextros eruam, &c̃. 1. Reg. 11. Obserua quod Christus ad huiusmodi de se iudicia, immo ad manifestas illas blasphemias sibi irrogatas, nihil respondet: Superius enim se Dæmonium non habere satis ostendit. Ioan. 8. Deinde indigni erant impij illi, quibus responderetur, pręterea non opus erat, ut amplius à Christo arguerentur, cum inuicem dissiderent, & ipsi se mutuo reprehenderent. Demum etiam nos per hoc docuit, non esse semper contendendum cum improbis, & factis potius declarandum quid possimus, quàm uerbis. Et nonnunq; malorum furori cedendum esse, nec unquam Euangelicæ mansuetudinis oportere obliuisci. Iuxta illud: Discite à me, quia mitis sum, &c̃. Matth. 11.

Facta sunt Encœnia in Hierosolymis]

In Psalmo legimus Dauidem exclamantem: Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes Psal. 91. tuæ. Hæc autem uera esse nemo negabit, qui ea quæ hactenus in Ioanne audiuimus, ad mentem reuocabit. Verum nihilominus & illud uerũ est, quod in eodem Psalmo statim subditur: Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc, id quod hactenus plus satis in Iudæis uidimus. Non tamen ob id cessat Christus, immo magis ac magis opera sua coram oculis eorum magnificat, & cogitationes suas in auribus eorum reuelat, ut ostensa illis nos uideremus, & dicta illis nos intelligeremus, quatenus eodem igni humilium oculi illuminarentur, cuius fumo illorum superbia excæcaretur.

Congruè autem Ioannes argumenta diuinitatis Christi, in hac historia scripturus, præmittit tempus, diem & locum, quando & ubi ea dicta sint, ut eo certiores reddamur. Sicut & supra fecit, cum eiusdem diuinitatis testimonia quædam scripsisset. Hæc (inquit) dixit Ioan. 8. Iesus in Gazophylatio, &c̃.

Encœnia

Encœnia autem erant festa, quibus celebrabatur templi innouatio, quæ nos templorum Dedicationes uocamus. Iam, cum templum illud aliquoties uel destructum uel prophanatum fuerit, plures etiam legimus innouationes uel Dedicationes eiusdem. Primo
3.Reg.8. siquidem ipsum templum dedicauit Salomon, in mense septimo, hoc est, Septembri. Secundo, templum reædificatum, dedicarunt Neemias & Esdras, duodecimo die mensis primi. Postremo Iudas
1.Esd.3. Machabæus, templum ab Antiocho prophanatum emundauit, in
1.Mach.4. mense Casleu, qui apud nos est Nouember. Atq; legem posuit, ut posteri per octo dies hanc templi renouationem celebrarent.

Vt autem templum Hierosolymorum non erat uerum templum, sed tantum in hoc ædificatum, ut esset aliquandiu ueri templi (quod est Christus) umbra: Ita & Dedicatio eius templi, umbratica est. Vera enim Dedicatio apud nos fit, quando per Baptismum donamur Spiritu sancto, & restauramur per fidem in templum Spiritus
1.Cor.6. sancti, ut Paulus ait: Nescitis, quod corpora uestra templum sunt Spiritus sancti, habitantis in uobis.

Et hyems erat]

Ex hoc uerbo patet, quod de ea Dedicatione loquitur, quæ sub Iuda Machabæo facta est. Nam ea hyeme celebrabatur, in mense scilicet Nouembri. Mystice autem per hyemem, frigida Iudæorum significatur impietas: quia mentes illorum à diuino igne auersas, Diabolus tanquam glacialis Boreas afflauerat.

Hyems erat, ideo non sine causa Christus tam ignita uerba hoc loco dixit, ut sequitur.

Et ambulabat Iesus in porticu Salomonis]

Christus frequenter festis Iudæorum interfuit, tum ut ostenderet, se non contrarium Moysi: tum ut latius spargere posset doctrinam suam: tum etiam ad exemplum nostrum, ut discamus festis diebus pijs operibus insistere. Congrue autem in Dedicationis festo adest Christus. Ipse enim nedum innouator est legis, sed & noui templi, quod est Ecclesia architectus.

Quod autem hoc loco mentio fit de porticu Salomonis, non intelligas de ea, quam Salomon ædificauerat. Nam & porticus illa
4.Reg.25. & templum à Nabuchodonosor desolata sunt, sed quod locus ille rursus in porticum sub Esdra restauratus, pristinam appellationem retinuerit. In porticu igitur Salomonis uersatur Christus, ut locus ipse loqueretur adesse pacificum illum, omnia conciliaturum, quæ in
Col.1. cœlis, & quæ in terra sunt. Inambulabat autem Euangelicæ gratiæ author, Moysaica iam cessatura.

Circumdede-

Circundederunt ergo eum Iudæi.]

Sicut Christus festis diebus omnium maxime diuinis operibus insistit: sic Iudæi tunc uel maxime impios suos conatus exequuntur, donec tandem in summo ipsorum festo, eum cruci affigerent. Non igitur abs re eis dictum est. Sollemnitates uestras odiit anima mea. Circundederunt eum, non ut eum secum retinerent (id quod pij faciunt, qui dicunt: Tenui eum, nec dimittam) sed ut eum perderent. Hinc in Psalmo exclamat: Circundederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me. Isai. 1. Psal. 21.

Quo usquam animam nostram tollis?]

Torquetur ac rumpitur inuidus homo, quando non habet occasionem nocendi, id quod Iudæi suo hoc uerbo produnt. Hinc Sapiens: Spes quæ differtur, affligit animam. Prouer. 13.

Quærunt autem, Num ipse sit Christus, non ob aliud, quam ut ipsum coram Cæsare accusare possint. Pius autem homo quærit, Num ipse sit Christus ille à Deo unctus in regem, qui nos defendere: & in sacerdotem, qui nos Deo reconciliare possit, ut confidentius ei se credere audeat. Sic Ioannes quærit: Tu es, inquit, qui uenturus es, an alium expectamus? Matth. 11.

Loquor uobis & non creditis.]

Prudentissime respondet, ita temperans uerba, ut inuidis occasionem non præbeat, & tamen pijs satis ostendat, quis ipse sit.

Ostendit autem hoc uerbo, se non ex facie externa, sed ex solo uerbo cognosci, quasi diceret. Cum oculos uestros tantum conijcatis in meum contemptibilem habitum, & in abiectam conditionem, qua nō pro regia pompa, quemadmodum sperastis, uiuo inter uos, non potest fieri, ut in me credatis. Sed agite, personam nolite agnoscere, ut & lex iubet: Personam in iudicio non agnoscendam, & uerbum meum arripite, ac iuxta uerbum, non externam laruam iudicate, tunc fieri non poterit, quin credatis. Leuit. 19.

Opera, quæ ego facio in nomine Patris.]

Verbis adiecit opera, omnem naturæ uim transcendentia, propter imbecillitatem hominum, quasi diceret. Si nudis uerbis meis adhærere dubitatis, attendite miracula, quæ uerbi sigilla sunt. Hæc enim manifeste testimonium de me perhibent, quod sim Christus. Sic enim Isaias prædixit: Tunc aperientur oculi cæcorum, &c. Isai. 35.

Obserua quod Christus ex uerbis & operibus cognoscitur: Nihil igitur te moueat externa eius abiectio. Vtrumq; autem Iudæis obijcit: Loquor, inquit, & opera facio, ut conuincat eos contra legem facere, in qua scribitur, quod testimonium duorum uel trium Deut. 19.

uerum sit. Obserua item, quod Christus opera sua ad patrem refert: In nomine, inquit, patris, quemadmodum & supra. Opera, inquit, quæ dedit mihi pater, &c. ut doceat, omnem gloriam in Deum referendam.

Ioan. 5.

Sed non creditis, quia non estis ex ouibus.]

Hoc uerbo indicat, se scire, qui sint electi, id quod solius Dei est. Sic & infra dicet: Non de omnibus uobis loquor: ego scio quos elegerim. Durissimum autem uerbum est, quod dicit: *Non estis ex ouibus meis.* Consequitur enim, quod ad hædos pertineant, quibus dicetur: Ite maledicti in ignem æternum, &c. Verissime tamen Iudæis dixit: Non estis ex ouibus meis. Huiusmodi enim ouium simplicitas, docilis est. At Iudæi animos habebant ambitione turgidos, odio fermentatos, liuore corruptos, auaritia, uarijsq; mundi cupiditatibus infectos, ac plane diuersos ab ouium simplici natura.

Ioan. 13.

Matth. 26.

Oues meæ uocem meam audiunt.]

Non frustra repetit ouium & pastoris conditiones. Christum enim pastorem esse & nos oues, egregia consolatio est in aduersis, ut & supra dictum est. Vocem autem pastoris Christi audiunt oues, non tantum aure corporis, sed etiam fide & animo. Sic supra dixit: Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Sic Sapiens: Auris bona cum omni concupiscentia, audit sapientiam.

eodem c.

Ioan. 8.

Eccle. 3.

Et sequuntur me.]

Fide scilicet, spe & charitate, itemq; desiderio, uita, moribusq;, abnegatione sui ipsius, & gestatione crucis, denicq; & contemptu omnium terrenorum. Hæc est uera Christi sequela, hæc uia ad cœlum, per quam qui Christum non sequitur, non est eius ouis: Qui non accipit (inquit) crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, &c. Sed quid interim agit pastor? num ociatur? Audio (inquis) quid mihi præcipiat, sed interim nihil uideo, quid ipse faciat. Sic olim Abraham, postquam iussu Domini & patriam & cognatos reliquerat: Domine, inquit, quid dabis mihi? Sic Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, Quid ergo erit nobis? Iidem & hic quis dicere posset. Audi igitur, quid pastor agat.

Matth. 10.

Gene. 15.

Matth. 19.

Ego cognosco eas.]

Ingens consolatio, quemadmodum supra dictum est. Quod autem Christus suas oues ubicunq; sint cognoscat, ex eo patet, quod in Ezechiele eas signare iusserit signo Tau: Et in Apocalypsi, signo Dei uiui.

eodem c.

Ezech. 9.

Apoc. 7.

Ego uitam æternam do eis.]

Alia promissio, profecto egregia. Nihil magis desideramus, quam uitam: Nihil magis horremus, quam mortem. At Christus:

Ego

Ego uitam æternam do eis. Ipse enim est uia, ueritas & uita: Ipse item est ineffabile illud uerbum Dei, in quo ab initio uita erat. Quia igitur & uerbum suum & seipsum, corpus denicq; suũ & sanguinem, itemcq; spiritum suum, atcq; adeo se totum nobis communicat, recte dicit: *Ego uitam æternam eis do.* Sic in alio loco dicit: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Qui igitur consyderaret, uitam corporis breuem & corruptibilem esse, & iuxta hoc audiret Christum suis pollicentem uitam æternam, qui fieri posset, ut non contempta hac mortali uita, æternam illam quæreret? Sic sancti homines fecerunt. Nec aliud nos impedit, quam quod non attendimus præsentia esse transitoria, nec audimus, quid Christus promittat. Ioan. 14. Ioan. 1. Ioan. 12.

Non peribunt in æternum.]

Et hoc uerbum summam præstat consolationem. Videntur enim pij homines perire. Sic Rachel plorat filios suos, nec uult consolari, quod non sint. Sed quid ei dicitur? Cesset uox tua à lachrymis, &c. Reuocabo filios tuos. Sic Abel occisus à fatre, uidebatur periisse, interim tamen sanguis eius etiam post mortem clamare ad Deum legitur. Sic de Abraham, Isaac & Iacob legimus, quod mortui sunt: Nihilominus tamen post mortem eorum dixit Deus: Ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob, quo uerbo plane ostenditur, eos non periisse. Sic in exordio Ecclesiæ sancti occidebantur, non tamen perierunt. Nam Ioannes eosdem occisos uidit sub altari Dei, singulas stolas accipere, & maiora expectare. Hinc Sapiens: Iustorum animæ in manu Dei sunt, &c. uisi sunt oculis insipientium mori: Illi autem sunt in pace. Et iterum: Stabunt iusti in magna constantia, &c. Summa, oues Christi non pereunt, quia statuentur à dextris. Hinc Christus: Qui credit in me, non iudicatur. Quis igitur non libenter sequeretur Christum? Hiere. 31. Gene. 4. Exod. 3. Apoc. 5. Sapien. 3. Sapien. 5. Matth. 25. Ioan. 3.

Nemo rapiet eas de manu mea.]

Supra de se ipso dixit: Nemo tollet animam meam. Hic eadem promittit suis fidelibus. Est autem hoc uerbum ingens piorum consolatio. Habet quidem Diabolus uarias nocendi artes: habet et mundus ex una parte, Pharisæorum authoritatem, sacerdotum dignitatem: habet reges armatos, præfectos, iudices, tribunalia, carceres, catenas, uirgas, secures, eculeos, exilia, mortes, & quicquid terrorem constantibus animis solet immittere. Habet ex aduerso uoluptates, honores, dignitates, & quicquid animos quamlibet incorruptos solet corrumpere. His omnibus machinis utitur mundus, ut ex torqueat oues de manibus Christi. Hæc perpendens pius homo, simulcq; consyderans propriam infirmitatem, cadentiumcq; multitudinem, nunquam non timet. Verum audi Christum: *Nemo,* inquit, *rapiet eas de manu mea.* Huius figura præcesserat in Dauide; Pasce- eodem 6.

1.Reg. 17. bat (inquit) seruus tuus oues patris sui, & ueniebat leo uel ursus, & rapiebat arietem, & sequebar eos, & percutiebam eruebamq; de ore eorum, &c. Omnia hæc perfectius in Christo impleta sunt, qui oues suas etiam de ore Diaboli eruit. Cadunt quidem etiam
Psal. 36. iusti aliquando, sed non colliduntur: quia Dominus supponit ma-
Roma. 8. num suam. Secure igitur fideles dicere possunt: Quis nos separabit à charitate Dei?

Hoc igitur uerbo Christus mirabilem suã potentiã indicat: Me, inquit, protegente, tuti erunt, qui in me credunt: Non rebellabimus armis, non uenenis, non regeremus conuitia, sed absq; præsidijs huiusmodi, nouo genere uincemus tamen. Consequitur ex hoc uerbo, quod qui nunc perit, sua culpa perit, non potest casum suum ascribere dæmoni, cum Christus dicat: Nemo tam fortis, qui possit rapere de manu mea. Nec potest casum suum Deo imputare: Non enim
Isai. 59. abbreuiata est manus Domini, &c. Sibi igitur imputet, qui Dei gratiam non quærit, immo reijcit & fugit.

Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.]

Hoc addit, ut sciamus, unde tanta sit fortitudo in manibus eius. Itemq;, ne uideretur propriam gloriam quærere, omnia ad Patrem refert. Verissimum autem est, secundum utranq; naturam: *Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.* Secundum diuinam generationem dedit ei Pater, ut sit eius unigenitus, Deus de Deo, nec natura dissimilis, nec uirtute inferior, nec duratione posterior.

Et hoc gignendo dedit, quia Deus uerus Deum uerum genuit, lux æterna lucem coæternam, uita uitam. Hoc sane est, quod omnibus maius est, quia & angelicam & humanam excedit naturam.
Ioan. 3. Secundum humanam uero naturam, dedit ei Pater spiritum,
Ioan. 5. non ad mensuram. Fecit eum iudicem uniuersorum: Non enim Pater iudicat quenquam. Denicq; fecit eum sedere in dextera sua,
Ephe. 1. supra omnem principatum & potestatem, &c.

Noli igitur Christum attendere, ut nudum hominem. *Quod enim Pater ei dedit, maius omnibus est.* Non igitur mirum, quod plus omnibus potest. Græci legunt: Pater qui dedit mihi, maior omnibus est, quasi diceret. Non ego mihi usurpo oues alienas, nec frustra tanta eis promitto, sed ipse Pater eas mihi dedit. Postula, inquit, à me, &
Psal. 2. dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: Isq; Pater meus omnipotentissimus est. Huic consonat, quod sequitur.

Nemo potest rapere de manu Patris.]

Ipse enim est Deus gloriosus, fortis, terribilis atq; liberrimus: quem igitur ipse decreuerit saluare, nemo perdere poterit. Hinc Iob:
Iob. 23. Cogitationem eius nemo auertere potest, & anima eius quodcunq;

uoluit

noluit fecit. Sic in Hieremia dicit: Quis similis mei? aut quis sustinebit me? & quis est pastor, qui resistat mihi? Et in Isaia: Consilium meum stabit, & omnis uoluntas mea fiet. Et iterum: Ecce, inquit, in manibus meis descripsi te: Si potest mulier obliuisci infantis sui, &c. Hiere. 49. Isai. 46. Isai. 49.

Summa, cum Deus sit uirtus immensa, non potest ei à quoquam irrogari uiolentia. Et superius quidem dixit: Nemo potest rapere de manu mea. Hic autem dicit: *Nemo potest rapere de manu Patris*, ut liquido intelligeremus eandem esse prorsus suam & Patris uirtutem. Ipse enim est manus, & uirtus Patris.

Est autem hic locus ingens pro afflictis consolatio. Quicquid enim procellarũ afflicto accedat, si per fidem fuerit ouis Dei factus, possidet secum Patrem & filium, quorum potestate nulla maior inuenitur. Quid igitur formidaret pius, An egestatem? sed Deus ditior est. An Sathanam? sed Deus fortior est. Hinc Dauid: Deus noster refugium & uirtus, &c. propterea non timebimus, &c. Et Ioannes: Etiam si condemnet nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro. Et iterum: Vos ex Deo estis, & uicistis malignum, quia maior est, qui in uobis est, &c. Hinc Iob: Libera me, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Psal. 45. 1. Ioan. 3. 1. Ioan. 4. Iob. 17.

Potest & uerbum hoc aliter intelligi. Quod Pater mihi dedit, diuinitatem scilicet, & æqualitatem suam, nemo rapere potest. Conatus fuit Diabolus hoc rapere, itemq; primus homo, sed frustra. Filius autem non rapuit, sed Pater ei dedit: Non rapinam, inquit, arbitratus est, &c. Item, Quod Pater mihi dedit secundum naturam humanam, nemo rapere potest, abundantiam scilicet gratiarum, sed gratis dat hominibus quicquid dat. Phili. 2.

Ego & Pater unum sumus.]

Hoc addit primo, ne quis dubitaret Patrem idem uelle, quod ipse uult. Deinde ut ostendat, unde tanta sibi sit potestas. Nihil enim aliud uult hoc uerbo, quam quod sibi cum Patre una est diuinitas, una eademq; omnipotentia, una substantia, una natura.

Quod ne cui dubium uideatur, uel ex ipsis creaturis discere potest. Videmus enim propriam & naturæ consentaneam esse generationem, cum gignens eiusdem naturæ prolem ex se ẹdat, ut homo hominem, lux lucem, calor calorem: Cum uero in diuersitatẽ generis transit productum, et alterius quam producẽtis fuerit naturẹ, monstrosa generatio erit. Si igitur in diuinis alterius naturæ Pater Filium genuit (ut Arrius dicit) uera ibi & propria natiuitas non erit.

Præterea in rebus creatis, non solum eandem substantiam & naturam uidemus, sed & magnitudinem, figuram, qualitatem, ut colorem, saporem, motum, & agendi uirtutem gignentis & geniti.

Cur igitur solus Deus coẹqualem sibi non potuit gignere filium?

Nunquid ego (inquit) qui alios parere facio, ipse non pariam? Si
Isai. 66. ego, qui generationem aliis tribuo, sterilis ero? Hoc igitur uerbo Christus non solum Iudæorum quæstionem absoluit, sed etiam hæreticorum quos præuidit insaniam, quam sit detestanda monstrauit. Per hoc enim, quod ait: Vnum, substantiæ unitatem. Per hoc quod dicit: Sumus, personarum expressit pluralitatem.

Vtrunq; igitur audi, &: Vnum, &: Sumus, & à charibdi & Scylla liberaberis. Quod dixit: Vnum, liberat te ab Arrio, separante Filium à substantia Patris. Quod dixit: Sumus, liberat te à Sabellio confundente personam Patris & Filij. Ex uno igitur hoc uerbo, Ecclesia didicit, nec confundere personas, nec substantiam separare. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti, una est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

Quantum igitur uerbum hoc hæreticos confundit, tantum consolatur omnes in Christum credentes. Hinc enim uident, se non in arenam ædificare, sed supra petram firmissimam, &c.

Sustulerunt lapides Iudæi, &c.

Impietas semper in peius excrescit. Sic Iudæi, quem prius uerbis
Supra eodem c. molestauerant, dicentes eum dæmoniacum & insanum, nunc re ipsa molestare nituntur.

Mirari autem quis iure posset, quod in eum etiam qui tanta ipsis contulerat beneficia, tam ingrati fuerunt. Verum hæc est humani
Hiere. 17. cordis impietas: Prauum est cor hominis, & inscrutabile.

Nec minus mirum uideri posset, quod Christus tam benignum
Matth. 5. se exhibuit etiam ingratissimis. Verum hæc est Dei natura, quod etiam super impios solem suum oriri facit. Eius enim proprium est, mi-
Psal. 144. sereri & parcere: Et miserationes eius super omnia opera eius.

Iam terribile facinus est, quod Iudæi lapides sustulerunt, Christum lapidaturi. Multo autem magis horrendum est, quod qui eius nomine gloriantur, ne dum lapides leuant, sed & re ipsa eum lapi-
Heb. 10. dant, immo ut Paulus ait: Filium Dei pedibus conculcant.

An non Christum lapidant, qui uerbum eius tam impie dilacerant: qui membra eius, fideles scilicet tam immisericorditer tractant: qui passionem eius, tam impie blasphemant, nomenq; Christianum turpi uita commaculant?

Multa bona opera ostendi uobis, &c.

Ioan. 8. Superius cum iidem uellent eum lapidare, abscondit se: hic autem persistit & respondet. Atq; hinc discimus, quod non solum in magnis & præcipuis, sed in quotidianis quoq; eius actibus apud
Iob. 12. ipsum (sicut testatur Iob) est fortitudo & sapientia. Fortitudinis enim est, quod in medio furentium persistit & lapides quidē tollere,

manuſq;

manuſq; intendere, ſed non ultra procedere eis permittit. Atq; hoc facto comprobauit id, quod paulo ante dixerat: Nemo tollet animam meam, &c. Immo oſtendit ſe hunc ipſum eſſe, qui loquitur ad beatum Iob: Circundedi mare terminis meis, poſui uectem & oſtia, & dixi, Hucuſq; uenies, & non ultra procedes, &c. Supra eodem c. Iob. 38.

Sapientiæ autem eſt, quod placide reſpondet, ſuaq; ſponte irritatos non amplius irritat. Sicut enim aqua gelida efferuenti igni iniecta, continuo totum illius feruorem ac ebullitionem ſedat: ſic uerba placida ac mitia, iracundia commotum animum mitigant. Iuxta illud: Sermo mollis frangit iram. Veriſsime autem dicit: Prouer. 15. *Multa bona opera oſtendi uobis a Patre meo.* Pertranſiit enim benefaciendo & ſanando omnes infirmos, &c. docuit errantes, conſolatus eſt afflictos, pauit famelicos, mancos reſtituit, leproſos mundauit, ægrotos ſanauit, dæmoniacos liberauit, mortuos in uitam reuocauit, totamq; ſuam poteſtatem & authoritatem à Patre acceptam, iuuandis hominibus impendit, idq; gratis. Docet igitur hoc uerbo, omni reprehenſione dignos eſſe, qui pro benefactis nedum non gratias agunt, ſed inſuper mala retribuunt. Omnibus igitur nobis dictum putemus: *Multa bona oſtendi uobis, &c.* quemadmodum & alio loco dicit: Populе meus, quid feci tibi? &c. Acto. 10. Matth. 6.

De bono opere non lapidamus te, &c.]

Satis admoniti erant, uerum nedum non reſipiſcunt, ſed inſuper priorem impietatem excuſare & defendere conantur, atq; hoc eſt peccatum peccato addere, immo ad ſummum impietatis peruenire.

Dupliciter autem produnt impietatem ſuam. Primo, quod pro ſua ratione cauſas ſupplicio dignas, prætexunt ſuæ inuidiæ in Chriſtum & uerbum Dei. Prudentia enim huius mundi, non uult uideri ſe impie & iniuſte perſequi Chriſtum. Hinc Chriſtus accuſatus eſt blaſphemiæ in Deum & Cæſarem, Prophetæ accuſati ſunt defectionis à lege & ſeductionis. Sic & Apoſtoli, tantaq; de ipſis probabiliter coram mundi ratione ſpargebantur in uulgum, ut quicunq; eos interficeret, putaret ſe cultum præſtare Deo. Ioan. 16.

Deinde etiam in hoc produnt impietatē ſuam, quod bona opera fatentur Chriſtum feciſſe: nihilominus tamen uerba eius blaſphema iudicant, cum certum ſit, blaſphemum hominem nihil agere, quod Deo placeat, & uere bonum ſit. Vnde & cæcus ſupra dixit: Scimus, quod peccatores Deus non audit. Ioan. 9.

Præterea etiam opera Chriſti extenuant. Chriſtus ſiquidem in plurali dixit: Multa bona opera feci, &c. Ipſi autem quaſi extenuando ea in ſingulari reſpondent: De bono opere non lapidamus, &c.

Sed de blaſphemia.]

Leuit. 24. In lege iubetur blaſphemus lapidari. Blaſphemia autem eſt, cum quis ſibi bona Dei arrogat non ex fide, ſed ex ambitione aut animi ſuperbia, quemadmodum Nabuchodonoſor dixit: In cœlum Isai. 14. Ezech. 28. aſcendam, ſimilis ero altiſsimo. Et princeps Tyri: Deus ego ſum, & in Cathedra Dei ſedeo. Item blaſphemia eſt, cum quis Dei bona ſibi arrogat, quaſi per uires ſuas, per ſuam prudentiam, ſapientiam, & Deut. 32. potentiam parta, quemadmodum hi, qui dicunt: Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.

Ioan. 8. Chriſtus autem, quamuis ſupra dixerit: Antequam Abraham fieret, ego ſum. Et nunc dicat: Ego & Pater unum ſumus, non tamen blaſphemia eſt, propterea, quod natura ſit Deus, neq; ex arrogantia & falſo hæc dixerit, ſed in ueritate, id quod ex ipſius operibus palam uidebant. Blaſphemia autem eſſet, ſi alius quiſpiam à Chriſto ex arrogantia hoc dixiſſet. Sic fidelis, tametſi bona Dei, hoc eſt, iuſtitiam, ſanctificationem, redemptionem ſibi arroget: hoc tamen non facit ex arrogantia, ſed ex fide in Chriſtum.

Et quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum.]

Mirum, quod Arrius intelligere noluit id, quod Iudæi ſe in uerbis Chriſti ſe intellexiſſe fatentur, nempe quod de uera & naturali Pſal. 35. diuinitate ſua locutus ſit: Facis (inquiunt) te ipſum Deum. Verum impius ille Arrius noluit hoc intelligere, ut bene ageret. Sic & mira cæcitas, immo peruerſitas eſt, quod Valentinianus & Apelles, qui ſe Chriſtianos eſſe dixerunt, negarunt ueram humanitatem Chriſti, cum Iudei hic totam uim argumenti ad conuincendum, quod Chriſtus Deus non ſit, ex eo ſumpſerint, quod uerus erat homo, in uera ſubſtantia carnis. Vno igitur hoc Iudæorum uerbo, & Arrium & Valentinianos conuincere poſſumus.

Nonne ſcriptum eſt in lege uestra.]

Prudentiſsima reſponſio. Ea enim temperatura reſpondet, ut blaſphemiæ culpam procul abs ſe depelleret. Deinde, ut illorum inſaniam uerbis atrocioribus non irritaret, & tamen ſibi ſumma cum modeſtia uindicaret, quod negare non debuit, quia nobis non ignotum eſſe uoluit. Ad legem autem eos mittit, ut oſtendat, ſe non aduerſarium legis, atq; adeo non blaſphemum. Sic & ſupra dixit: Ioan. 8. Nonne in lege uestra ſcriptum eſt, quod duorum teſtimonium uerum ſit, &c.

Ego dixi dij estis.]

Pſal. 81. In Pſalmo hoc ſcriptum legimus. Chriſtus autem ideo in lege hoc ſcriptum eſſe aſſerit, quia omnes ueteris inſtrumenti ſcripturæ, aliquando lex appellantur generali uocabulo. Nonnunquam diſtincte per ſe lex accipitur, & à Prophetis diriimitur, ut cum dicitur:

Lex

Lex & Prophetę uſq; ad Ioannem. Plærunq; in tria membra ſanctę diſtribuuntur ſcripturæ, ut in illo loco: Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Prophetis, Lege & Pſalmis de me. Matth. 11. Lucæ 24.

Obſerua item, quod nomen Dei trifariam in ſcriptura dicitur. Primo natura. Vt: Audi Iſrael Dominus Deus tuus unus eſt. Item, Rex omnis terræ Deus, &c. Secundo, adoptione & participatione, qua qui in filios Dei adoptantur, & participes fiunt diuinitatis, uel diuinum aliquod officium habent, dij dicuntur. Vt: Deus ſtetit in ſynagoga deorum: *Ego dixi dij eſtis, &c.* Item, Conſtitui te Deum Pharaonis. Itemq;, Dijs non detrahes: Et applicabitur ad deos, id eſt, ad iudices. Tertio, falſo & ſola nuncupatione, quemadmodum dæmones & Idola, de quibus dicitur: Omnes dij Gentium dæmonia. Et Paulus: Quorum Deus uenter eſt. Et in alio loco: In quibus Deus huius ſęculi excæcauit mentes infidelium, &c. Deut. 6. Pſal. 46. Pſal. 81. Exod. 7. Exod. 22. Pſal. 95. Philip. 3. 1. Cor. 4.

Obſerua demum circa hoc uerbum Dei dignationem, qui non contentus dona ſua nobis communicare, inſuper etiam nomen ſuum nobis communicat.

Et non poteſt ſolui ſcriptura.]

Hoc eſt, ſcriptura errare non poteſt. Iuxta illud: Iota unum aut unus apex, non præteribit à lege. Item: Non excidit uerbum Domini. Vnde & Chriſtus: Cœlum & terra tranſibunt, uerba autem mea non. Vel, *Non poteſt ſolui ſcriptura.* Hoc eſt, manet nihilominus unius Dei maieſtas, manet ſcripturæ authoritas, quæ de uno Deo prædicat, & unum Deum colere iubet, etiamſi auditores uerbi Dei uocentur dij & filij excelſi. Matth. 5. Thob. ult. Lucæ 21.

Si illos dixit deos, ad quos ſermo, &c.]

Argumentum à minori eſt. Sunt enim duplices filij Dei: Vnus eſt natura filius Dei, qui eſt uerbum Patris. Alij ſunt filij adoptione, qui ex hoc Patris uerbo, filij renaſcuntur. Iuxta illud: Dedit poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen ipſius, Iam ſi filij Dei ſunt, qui ex uerbo naſcuntur, quantum magis ipſum uerbum Deus eſt? Ioan. 1.

Semper enim unde aliquid participatur, magis & uerius id habet, quod participatur, quam ipſa participantia: Vt ſol, à quo lucis eſt participatio in ſubiecta corpora, magis lucidus eſt, quam aer & aqua lucem participantia. Et ignis, à quo calor in externa deriuatur, uerius & uehementius habet calorem, quam ea quæ ab ipſo calorem participant. Obſerua quod filij Dei dicuntur, ad quos uerbum Dei fit, quicq; illud ſuſcipiunt: Voluntarie, inquit, genuit nos uerbo ueritatis, &c. Et hoc quidem generaliter de omnibus pijs hominibus intelligendum. Iacob. 1.

Nihilominus

Nihilominus tamen per eos, ad quos ſermo Dei factus eſt, ſignanter & ſpirituali quodam modo intelligere poſſumus, tres illos principes, ad quos ternario incremento ſermo Dei, de incarnatione uerbi, factus eſt. Hi autem ſunt Abraham, Dauid, Ioſeph. Promiſſio, quæ ad Abraham facta eſt, Chriſtum fore hominem in uera carnis noſtræ ſubſtantia, teſtata eſt: In ſemine, inquit, tuo, benedicentur omnes Gentes. Ad Dauid autem, non tantum ſemen Abrahæ, ſed et rex pronunciatus eſt: De fructu, inquit, uentris tui, ponam ſuper ſedem tuam. Tandem ad Ioſeph loquens Angelus, non iam tantummodo hominem & regem, ſed & Deum eſſe teſtatus eſt: Ipſe, inquit, ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

Gene. 22.

Pſal. 131.

Matth. 1.

Quem Pater ſanctificabit & miſit, &c.]

Hoc addit, ne quis putaret Chriſtum non aliter eſſe Deum, quam alij homines, adoptione ſcilicet et nuncupatione, non autem natura. Ideo ſe ipſum diſcreuit ab auditoribus uerbi Dei: Illi (inquit) dij nominantur, propter auditum uerbi Dei: Ego autem ex natura. Me enim ſpirituali modo Pater ſanctificauit, nec ego uerbum Dei tantum audiui, ſed ſum ipſum uerbum Dei. Quod autem Chriſtus non adoptione tantum, ſed natura Deus ſit, patet ex Prophetis: Vocabitur (inquit) nomen eius admirabilis Deus fortis, &c. Et iterum: Dedi ſpiritum meum ſuper eum, ut aperiat oculos cæcorum, &c. Et Hieremias: Hoc eſt nomen, quod uocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Sanctificauit autem Pater filium, non quod unquam ille ſanctus non fuerit, ſed quia ſanctum illum genuit, atq; ut ſanctus eſſet, gignendo ei dedit. Deinde ſanctificauit eum ſecundum humanam in eo naturam, id eſt, cum ſanctitate immunitateq; peccati eum incarnari conſtituit. Iuxta illud: Quod naſcetur ex te ſanctum, &c.

Iſai. 9.

Iſai. 42.

Hiere. 23.

Lucæ 1.

Præterea ſanctificauit eum, hoc eſt, ſanxit & conſtituit ipſum ſacrificari & offerri in oblationem pro ſalute mundi. Hoc modo loquitur lex de ſanctificatione: Sanctifica mihi omne primogenitum. Et Chriſtus: Pro eis ſanctifico me ipſum.

Exod. 13.

Ioan. 17.

Si non facio opera Patris mei, nolite credere.]

Hactenus & manifeſtis uerbis ſe Deum eſſe profeſſus eſt, & Iudæorum obiectiones diſſoluit: Nunc, quo minus de uerbis ipſius dubitari poſsint, ad diuina ſua opera eos mittit. Siquidem unaquæq; res operum ſuorum functione officioq;, quæ nam ſit cognoſcitur. Viuens enim à nõ uiuente, operibus diſcernitur, & qui uiuentis exercet opera, uiuens comprobatur: ſic ſanus ab ægroto, & arbor fœcunda à ſterili, fructuum productione interno ſcitur: A fructibus (inquit) eorum cognoſcetis eos: Nunquid colligunt de ſpinis uuas? &c. Sic Chriſtus: Si non facio opera Patris, id eſt, talia opera, quæ

Matth. 7.

hom inum

hominum nemo facere posſit, niſi cui Deus naturaliter Pater ſit, concedo, ut uerba mea reiiciatis. Si autem operum exhibitione omnia morborum genera, et ipſam denique mortem, potentifica uoce depellendo, uiuificamq; languidis & mortuis ſalutem inſpirando, me uitæ & mortis Dominum eſſe comprobo: Ex his, inquam, operibus credite me uerum Deum eſſe. Nam & lex ueſtra indicat, ei Prophetæ credendum eſſe, ſi quod locutus eſt in nomine Domini, fiat. Atqui ego quicquid hactenus de me locutus ſum, factis comprobaui. Deut. 18.

Docet etiam nos Chriſtus hoc uerbo, quid in tentationibus agere debeamus, cum fides uacillare incipit, nempe, ut opera Dei attendamus. Sic, qui dubitat de hoc uerbo: Ego ſum reſurrectio & uita, Ioan. 11. &c. attendat reſuſcitationem Lazari. Sic, qui dubitat de hoc uerbo: Qui credit in me, non iudicatur, attendat eos, quos fides in Chriſtum à uarijs morbis liberauit, quibus & dicitur: Fides tua te ſaluum fecit, &c. Sic, qui dubitat de hoc uerbo: Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur uobis, attendat quam benigne Chriſtus turbas pauit in deſerto. Sic ſancti patres in tentationibus ſemper ad memoriam reuocabant Dei mirabilia: Mementote (inquit Iudas) quomodo ſalui facti ſunt patres noſtri, &c. Huc pertinet, quod Chriſtus ſubdit: Si mihi non creditis, operibus credite, &c. Ioan. 3. Matth. 6. Matth. 15. 1. Mach. 4.

Deinde hoc uerbo nos docet Chriſtus, unde et per quid filij Dei ueraciter cognoſcantur, nempe non ſi magnifica de ſe ipſis prædicent, ſed ſi opera patris faciant, quæ Lucas enumerat: Eſtote miſericordes, remittite, date, diligite, &c. Se ipſos igitur ſeducunt, qui ſine bonis operibus, immo cum malis actibus, filios Dei ſe eſſe gloriantur. Lucæ 6.

Vt cognoſcatis & credatis, quod Pater in me eſt.]

Huc tendunt omnia & uerba & opera Chriſti, ut cognoſcamus eum uerum Deum eſſe cum patre. In hoc enim omnis ſpes noſtra conſiſtit, quemadmodum in principio Euangelij dictum eſt. Eſt autem Deus Pater in filio longe excellentius, quam in alijs ſanctis, quos tantum per gratiam inhabitat. Proinde uir ſanctus dicere quidem poteſt: Deus in me eſt, ſed nunquam dicere poteſt: Ego & Pater unum ſumus. Nec illud: Qui uidit me, uidet & Patrem. Ioan. 14.

In Chriſto autem Deus Pater eſt, per æqualitatem unius eiuſdemq; ſubſtantiæ, & per indigreſsibilem unius in altero immanſionem ob naturæ identitatem.

Deinde, Chriſtus non ita eſt in patre, ſicut uas minus in uaſe maiori: Nam, etſi uas minus in maiori poteſt eſſe, at econuerſo uas maius nequaquam in minori eſſe poteſt. Chriſtus autem ſicut ipſe in Patre eſt, ſic econtra Pater in ipſo eſt. Igitur quicquid in Patre naturaliter eſt, hoc ipſum & in filio naturaliter eſt, & econtra.

Obſerua

Obserua quid sit filium Dei esse, nempe & Deum in se manentem habere, & in Deo manere.

Quærebant eum apprehendere.

Impietas etsi sæpe confunditur, nunquam tamen emendatur.

Exiuit de manibus eorum.

Obserua quod Christus non ad primum insultum ab ipsis recedit, audierat eos blasphemantes, nec tamen recedit. Deinde uiderat eos lapides tollere, sed nec tunc recedit. Tertio autem, cum uideret eos obstinatos, se ab ipsis abscondit. Sic Deus non statim peccantes auersatur, sed patienter expectat, obstinatos autem relinquit.

Roma. 2. Hinc Paulus: Ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Vere autem Christus de manibus Iudæorum exiuit. Et ob id irritum est, quicquid homicida illa gens in cæremonijs suis facit:

Isai. 1. Cum extenderitis, inquit, manus uestras, non exaudiam uos. Sic & de manibus impiorum exit Christus, idcirco neq; uitam, neq; salutem inueniunt.

Et abijt iterum trans Iordanem.

Iterum, dicit, trans Iordanem abijt. Nam & longe superius semel hoc de ipso dictum est:

Ioan. 3. Post hæc uenit Iesus in Iudæam, & baptizabat, &c. In desertum autem pergit Christus, quasi pertæsus ciuitatum impietatem.

Deinde etiam populum ad solitaria loca, de perfidorum societate, & mundi fluctibus ac turbine eduxit, ut magis fructificent, sicut

Exod. 19. legem ueterem daturus eduxit populum in desertum.

Signanter autem ad Iordanem uenisse scribitur, quia relictis Iudæis, ad unum & uerum nouæ Ecclesiæ Baptisma transiturus erat.

Ioannes quidem signum fecit nullum, &c.

Quod multi Christum etiam in desertum usq; sequuntur, desidiam nostram arguit, illorumq; feruorem ostendit. Deinde etiam hoc pietatem ipsorum ostendit, quod ipse locus eos admonuit Ioannis, testimonijq;, quod Christo dedit. Duobus autem modis seipsos confirmant in fide Christi. Primo enim sic colligunt. Ioanni, cum nullum ediderit miraculum, fides adhibita est à Iudæis: Huic igitur multo magis fides præstanda est, qui tot prodigijs fidem conciliat suis uerbis. Secundo sic colligunt. Multa Ioannes de hoc testificatus est, quæ omnia uidemus in ipso impleri, immo res ipsa indicat, uerum fuisse testimonium Ioannis, cum hic Iesus plura præstet, quam ille de eo sit pollicitus. His igitur argumentis permoti: Multi (inquit) crediderunt in eum. Vbi uides, quid conferat locus desertus & à prauis discessio.

Cæterum,

Cæterum, quod Ioannes nullum signum feciſſe dicitur, nihil derogat ſanctitati eius, cum Chriſtus ipſe dicat: Inter natos mulierum, non ſurrexiſſe maiorem. Miracula enim facere, nihil confert ſanctitati hominis, cum etiam malis & reprobis id competat, dicente Chriſto: Multi uenient in illo die, dicentes: Domine, nonne in nomine tuo uirtutes multas fecimus? qui tamen audient: Non noui uos. Iuſta autem Dei prouidentia factum eſt, quod Ioannes nullum ſignum fecit: Alioqui, ſi ad doctrinam & uitæ ſanctitatem, donum miraculorum acceſsiſſet, uix auelli potuiſſet populus, ne ipſum eſſe Chriſtum crederent. Matth. 11. Matth. 7.

Ob eandem cauſam & corpus & ſepulchrum Moyſi Iudæis occultata ſunt, ne caro alioqui ſuperſtitioſula in Idololatriam incideret. Ex hoc autem textu uidere licet, quo pacto Deus ſua dona diſtribuat. Primo ea dona, quæ tantum ad propriam gloriam ſpectant, rariſsime pijs conceduntur, ut ſunt diuitiæ, potentia, gloria huius mundi. Deut. 34.

Deinde, dona illa ſpiritualia, quæ non ad iuſtificationem, ſed tantum ad ædificationem Eccleſiæ faciunt, ut ſunt ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, genera linguarum, operatio uirtutum, etiam fidelibus ſuis dat Deus, ſed differenter: nec enim omnibus omnia, ſed ſingulis ſingula, quemadmodum membra corporis nõ eundem actum habent. Immo dona, quæ iam enumerauí, interdum magis dat impijs quàm pijs. Sic multi mali ſigna fecerunt, cum tamen Ioannes ſanctiſsimus hoc non habuerit. Dona autem iuſtificantia, quæ ſunt, Spiritus ſanctus, & fides in Chriſtum, fidelibus ſolis communicat: Hæc enim ſumme neceſſaria ſunt. Non enim refert coram Deo multis donatum eſſe donis, ſed in Chriſtum credere. Hoc opus hic labor eſt: Et qui non habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius. 1. Cor. 12. Rom. 12. Rom. 8.

CAPVT VNDE-CIMVM.

DIVVS hic Euangelista, quemadmodum ea potissimum uerba describit, quibus Christus diuinitatem suam testatus est: sic & ea tantum miracula describit, in quibus insigniter relucet præ alijs diuina maiestas, quale est de cæco nato, & hoc de Lazaro resuscitato. Ideo autem Euangelista hic insigniora & diuiniora tantum & uerba & opera Christi describit, tum quia ad hoc speciali-

Ioan. 9. ter à Deo electus fuit, ut qui Christo intimior fuit, & ad finem usq; alijs fugientibus perseuerauit: tum, quod ultimus omnium, immo post omnium Apostolorum mortem, Euangelium suum scripsit, eo scilicet tempore, quo Ecclesia iam aliquantulum creuerat, iamq; ab hoste nedum aperta persecutione, sed etiam occultis insidijs impetebatur: ob quam rem & opus habebat solidiori cibo, quo muniretur contra tot machinas Diaboli. Ob hanc causam Ioannes altiora scripsit, quàm alij Euangelistæ, qui tantum lacte aluerunt rudem adhuc Ecclesiæ pueritiam. Ob eandem causam, & solus Ioannes miraculum hoc de Lazaro scribit, quod inter omnia alia supereminet, & quasi quendam obtinet principatum. Omnia quidem mira-

Psalm. 110. cula Christi, admiratione digna sunt: Magna enim opera Domini exquisita in omnes uoluntates eius. Verum parua sunt, si ad hoc comparentur. Hinc est, quod Ioannes tam diligenter et languidi nomen & locum, & cognationem describit. Hinc quoq; est, quod miraculum istud totum hoc caput occupat, cum potuisset breuibus & paucis admodum uerbis comprehendi. Nec tamen Euangelista iusto loquacior est, nec frustra tam copiosis uerbis hanc rem gestam de-

Rom. 15. scribit, sed omnia propter nos scripta sunt. Ex hac enim historia discimus fidei nostræ scopum, nempe, Christum esse Dominum uitæ & mortis: Christum posse nedum uiuentes saluare, sed & mortuos suscitare: Christum esse resurrectionem & uitam: mortem piorum non esse mortem, quæ omnia talia tantaq; sunt, ut maiora meliora q; nec optari possint.

Erat quidam languens]

Hoc primo uerbo & miseriæ nostræ, in quam cecidimus, nos admonet: & felicitatis, quam perdidimus. Vnde enim languor

Sap. 1. & mors, nisi è peccato? Non sic creatus est homo, immo nec Deus fecit mortem, nec lætatur in perditione uiuentium.

Iusto

Iusto autem Dei iudicio homo nunc ferre cogitur, quod non uult, qui prius fecit quod Deus non uoluit: Væ igitur nobis, quia peccauimus. Iam quamuis exordium historiæ huius admodum triste sit, finis tamen lætus est, propter Christi gratiam & uirtutem. Sic etsi in nobis sit quod doleamus, in Christo tamen habemus unde gaudeamus: Ipse enim est, qui in Propheta dixit: Consolare consolare populus meus, &c̄. Thren. 5. Isa. 40.

Obserua autem, quod Lazarus, qui quamdiu Christus præsens erat, optime ualebat: Christo autem uel ad punctum discedente, statim infirmari incipit, immo & mori, nec reuiuiscit, nisi redeunte Christo, ut uel hinc discamus uere dictum esse à Sapiente: Vana est gratia & fallax pulchritudo. Item ab Isaia: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ut flos fœni, &c̄. Hinc & Dauid: Auertente (inquit) te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, &c̄. Idem contingit homini interiori, assistente enim gratia Dei, uiget & ualet: Recedente autem uel ad modicum gratia, nedum insufficiens est uel boni aliquid cogitare, sed subinde in uitia prolabitur. Exemplo sint Dauid & Petrus. Sic enim & in externis absentia medici est causa morbi. Hinc Moyses: Vos, inquit, qui adhæretis Domino, uniuersi uiuitis. Pro. 31. Isa. 40. Psal. 103. 2. Cor. 3. Deut. 4.

Nemo igitur in se uel in sua fortitudine confidat, sed in Deo, ut dicere possit cum Dauide: Dominus firmamentum meum & refugium meum. Psal. 17.

Lazarus nomine]

Nomen languidi exprimit ad maiorem certitudinem. Erat enim Lazarus hic nedum apud suos, sed & apud exteros, maxime autem apud Hierosolymitas propter generis nobilitatem nominatissimus. Hinc infra dicitur, multos è Hierosolymis uenisse, ad sorores Lazari consolandas. Bene autem resurrectionis author Christus, diuinum hoc opus ostensurus, personam notam elegit, nimirum, ut pluribus manifestaretur gloria Dei. Inf. eod. c.

Obserua, quod qui prius mendicum cæcum illuminauit, is nunc diuitem & nobilem Lazarum resuscitat, ut ostenderet, se & diuites & pauperes creasse, & sine personarum acceptione omnibus subuenire paratum esse. Act. 10.

A Bethania castello Mariæ & Marthæ]

Etiam locum nominat, tum propter certitudinem historiæ: tum ut sciamus miraculum hoc non in angulo factum, sed in loco Hierosolymis proximo. Bethaniam autem nominat castellum Marthæ & Mariæ, admonens nos alterius historiæ, quam Lucas scribit de duabus his sororibus. Vere enim omnium sæculorum memoria Luc. 10.

dignum est, sanctarum illarum mulierum studium circa Christum, tum ut pij quicq; ad similia incitentur, tum ut desides arguantur.

Erat autem Maria quæ unxit, &c.]

Psal. 111. Quam uere dixit Dauid: In memoria æterna erit iustus, &c̄. Sic Ioannes nec hoc mulieris huius opus uoluit prætermittere, ut ostenderet, nullum bonum opus coram Deo perire, sicq; omnes Hier. 31. nos ad bonum extimularet, quemadmodum & in Hieremia dicitur: Cesset uox tua à lachrymis, est enim merces operi tuo.

De hac autem unctione, uariant sententiæ doctorum. Aliqui enim, ut Augustinus, Gregorius, & Beda, uolunt eius unctionis hic Lucæ 7. fieri mentionem, quam Lucas describit à peccatrice factam. Quod si hæc Maria peccatrix illa fuit, merito Ioannes hic eius unctionis uel breuiter meminit, tum ad maiorem commendationem huius mulieris, quæ tanto feruore pœnituit, ut quod in prima sui conuersione Christo placuisse senserat, ante mortem ipsius iteraret: Tum ut ostenderet, Christum nedum in Lazaro, sed & in sorore eius opera Patris fecisse. Sicut enim nunc Lazarum à morte corporis suscitat, sic prius sororem eius à morte animæ suscitauit, ut uerum probetur, quod Christus supra de utraq; resurrectione dixit: Venit, Ioan. 5. inquit, hora & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei, &c̄. Et paulo post: Venit hora, quando etiam qui in monumentis sunt, audient uocem Filij Dei, &c̄.

Primæ igitur resurrectionis argumentum habemus in Maria, secundæ in Lazaro. Alij tamen authores, ut Hieronymus & Chrysostomus, contendunt, quod Maria soror Lazari non fuerit illa famosa peccatrix, cuius meminit Lucas: tum, quod peccatrix illa, uidetur fuisse Galilæa, soror autem Lazari Iudæa: tum, quod Ioan- Lucæ. 7. nes hic nihil dicit de lachrymis, quibus peccatrix illa pedes Christi lauisse dicitur.

Volunt igitur hi Ioannem hic per anticipationem indicasse, quod post resuscitationem Lazari, factum esse infra dicetur.

Nec inconueniens uideri debet, quod Ioannes breuibus hic perstringat historiam, quam postea pluribus describet. Hoc enim pacto etiam alij Euangelistæ præoccupant & anticipant interdum rei gestæ Mar. 3. tempus, ut Marcus inter cæteros Apostolos nominans Iudam, continuo subiungit, Qui et tradidit illum, cum tamen Iudas eo tempore non tradiderat Christum, sed post aliquod annos.

Lucæ 6. Eodem modo & Lucas & Matthæus anticipant Iudæ proditio- Matth. 10. nem, antequam fieret.

Verum siue una fuerit mulier, siue duæ, nihil uel parum refert. Certum est ex Euangelistis, quod Christus bis unctus est à muliere.

Certum

Cerum item est, quod posteriorem unctionem perfecerit Maria soror Lazari, ut infra patebit: Hoc autem uel solum satis est ad commendationem huius mulieris, ut non frustra tam honorifice eius meminerit Ioannes. Ioan. 12.

Miserunt ergo sorores eius ad Iesum]

Quod non ipsæ pergunt, sed nuncium mittunt ad Christum, fœminei decoris & modestiæ signum est: Non enim decet mulieres hinc inde in publico uagari. Deinde, quod nedum per seipsas sedulo ministrant fratri, sed & externa auxilia expetunt, ueræ charitatis indicium est, quæ facit, ut carnem nostram, hoc est, proximum nostrum, qui eiusdem nobiscum naturæ est, non negligamus aut Isa. 58. despiciamus.

Quod autem potissimum ad Christum mittunt, fidem earum indicat. Vera siquidem fides, etiam cum omnia alia desperata uidentur, non tamen desperat, sed tunc uel maxime ad Deum currit. Sic Iosaphat: Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc reliquum habemus, ut oculos nostros ad te Deum leuemus, &c̃. 2. Paral. 20.

Obserua quomodo necessitas nos cogat, auxilium à Deo quærere. Fœlices sorores hæ, qui & Christum in proximo habuerunt, nec dubitarunt nuncium ad eum mittere: Non minus tamen fœlices nos, qui non minus Christum propinquum habemus: Vobiscum (inquit) sum usq; ad consummationem sæculi. Matth. 28.

Deinde fidelissimum etiam nuncium ad manum habemus, qui & Christo nostras necessitates insinuare, & ipsius auxilium impetrare potest. Nuncius hic, oratio est. Hæc enim etiam in terris existens, cœlo se ingerit: constituta in imis, alta pulsat. Oratio enim humiliantis se, nubes penetrat, nulla interualla locorum ei obsistunt, nulla munimenta ei obicem faciunt, à longe ut de prope loquitur. Eccle. 35.

Hoc nuncio quàm crebro usi sint sancti patres, scriptura ubiq; indicat, tam in ueteri quàm in nouo Testamento.

Ecce quem amas infirmatur]

Mirantur quod in morbum tam periculosum incidere potuerit is, quem Christus amabat. Sic plærunq; sancti etiam admirantur mirabile illud consilium Dei, quo frequenter pios affligit, impios autem bonis accumulat. Hinc Dauid: Mei pene moti sunt pedes, pacem peccatorum uidens, &c̃. Deinde sorores illæ nulla sua uel fratris merita allegant, sed tantum Christi dilectionem gratuitam: Fides enim in sola Dei bonitate confidit. Præterea nihil petunt, sed tantum necessitatem suam insinuant: Amanti enim satis est ostendere necessitatem. Sic & alibi Centurionem fecisse legimus: Domine (inquit) puer meus iacet in domo paraliticus, & Psal. 72. Matth. 8.

male torquetur. Ex hoc igitur loco discenda est orandi forma, nempe, ut solam necessitatem proponamus Domino, tempus autem & modum iuuandi ei non præscribamus. Hinc Iudith sacerdotes increpabat, quod statuissent quinq; tantum dies misericordiam
Iudith. 8. Domini expectare: Non est hic (inquit) qui prouocet misericordiam, sed potius iram.

Infirmitas hæc non est ad mortem]

Hoc est, finalis causa huius infirmitatis non est, ut Lazarus moriatur. Tunc enim infirmitas ad mortem est, quando nihil præter mortem quæritur, & in ipsa morte finis constituitur.

Diligenter hoc loco obseruanda sunt, singula & uerba & facta ueri medici Christi. Hinc enim uidebimus, quid ab ipso expectare debeamus. Primo igitur, iam per se afflictos non plus affligit, sed consolatoriis uerbis demulcet: Infirmitas (inquit) hæc non est
Isa. 42. ad mortem. Sic de ipso prædixit Isaias: Calamum quassatum non confringet, &c. Deinde, quamuis sciret Lazarum ea infirmitate moriturum, ita tamen de ipsa infirmitate loquitur, quasi nihil periculi sit: quo uerbo indicat, nullum morbum tam pertinacem, tamq; periculosum esse, quem ipse non facillime sanare possit.

Hæc igitur est noua illa concio, à sæculo inaudita, qua summus ille medicus Christus, quoslibet quacunq; necessitate pressos, siue corporali, siue temporali, siue etiam spirituali alloquitur: Noli, inquit, desperare, infirmitas tua uel malum, quod te angit, non est ad mortem: Me respice, non magnitudinem mali tui. Hæc est uox illa,
Cant. 2. quam sponsa tantopere cupiebat audire: Sonet, inquit, uox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, &c. Christus igitur talis medicus est, qui & ægrotos blande & consolatorie alloquitur, & cui omnis morbus curatu facilis est.

Sed pro gloria Dei]

Per hanc enim infirmitatem uel etiam mortem, non quæritur interitus uel perditio Lazari, sed gloria Dei. Hoc autem uerbo Christus corrigit rationis humanæ iudicium. Sapientia enim rationis humanæ, negat Deum respicere res humanas, & ascribit aduersa
Iob. 22. prosperaq; casui seu fortunæ. Hinc in Iob dicitur: Circa cardines
Thren. 3. cœli perambulat, nec nostra considerat. Et Hieremias: Quis est iste qui dicit: Ex ore altissimi, non egredientur nec bona nec mala.

Hic autem Christus palam affirmat, afflictiones non casu nobis accidere, sed uoluntate Dei. Immo quod magis est, ex hoc loco manifeste colligi potest, afflictiones non simpliciter ex uoluntate
Sap. 1. Dei, sed ex bona & misericordi uoluntate pijs accidere. Non enim lætatur Deus in perditione nostra.

Quod

Quod autem afflictiones non sint irati Dei signa, hoc argumento constat, quod Lazarus pius & Christo amicissimus, infirmitate affligitur, & tandem moritur. Huc pertinet, quod Sapiens ait: Quem Dominus diligit, corripit. Prouer. 3. Hæc igitur est uere Euangelica concio. Nam ante Christum lex docebat, afflictiones, calamitates, & mortem, esse irati Dei signa: Quia, inquit, audisti uocem uxoris tuæ maledicta terra, &c̄. Et iterum: Percutiet te Deus ulcere pessimo, &c̄. Et quis non exhorresceret huiusmodi mala, audiens ea esse irati Dei signa? Gen. 3. Deut. 28.

Econtra quis non patientissime ferat, quæcunq; etiam aduersa, cum in Euangelio audiat, ea à pio & benevolo Patre ad nostram salutem immitti? Signanter autem Christus hoc uerbo indicat afflictiones piorum, esse gloriæ Dei instrumenta, id quod & supra de cæco nato asseuerauit. Ioan. 9.

Gloria autem Dei est, quod misericors, pius, uerax, potens est, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, &c̄. Hæc autem gloria eius tanto magis excrescit, quanto è pluribus & maioribus malis suos eripit. Et quis non libenter aduersa ferre debet, ut hæc gloria Dei apud omnes manifestetur. Psal. 9.

Vt glorificetur Filius Dei per eam]

Hoc est, ut omnibus manifestetur diuinitas Filij Dei. Dixerat Christus supra: Venit hora, quando omnes qui in monumentis sunt, audient uocem Filij Dei, & procedent, &c̄. Contra autem Iudæi de eo dixerunt: Dæmonium habet & insanit, quid eum auditis? Vt ergo glorificetur, & insaniæ non arguatur Filius Dei, uoluit in hoc uno Lazaro experimentum dare uirtutis & ueritatis suæ, hoc est, ostendere in uno homine, quid uel quomodo facturus sit in uniuerso hominum genere. Ioan. 5. Ioan. 10.

Diligebat autem Iesus Martham, &c.]

Vere diligebat. Nisi enim diligeret, non tantam in illis gloriam suam ostenderet, non se ita per illos Filius Dei glorificaret. Quanta enim gloria est, quod in Maria quidem resurrectionem animarum, in Lazaro autem ostendere dignatus est, quàm uere, quàm potenter uniuersalem facturus sit corporum resurrectionem? In Martha quoq; & Maria præsignare uoluit præsentis Ecclesiæ statum, id quod ex historia Lucæ colligi potest, ubi altera Dominum suscipit, altera audit. Diligebat ergo eos, sicut uasa gloriæ suæ. Hic obserua, quomodo Christus suos diligat, nempe, quod gloriam suam in eis ostendit, itemq; opera uirtutis suæ. Deinde obserua, quos Christus diligat, hæ tres personæ, quas Christus dilexisse dicitur, fraternitatis & charitatis uinculo sibi inuicem coniunctæ erant. Lucæ 7. Lucæ. 10.

Christus igitur primo eos diligit, qui charitatem inter se habent & exercent mutuam. Deinde, cum Lazarus infirmus fuerit, & utraq; soror eius tristis & lugens, & tamen Christus eos dilexisse dicitur, consequitur, quod Christus diligit lugentes, & qui gaudia mundi contemnunt, sua mala deplorant, & ad cœlum suspirant.

Matth. 5. Hinc in alio loco dicit: Beati, qui lugent, &c̄.

Præterea cum certum sit, Christum non esse acceptorem, sic nec dilectorem personarum, sed uirtutum: obseruandum, quid in his personis uirtuosum fuerit, ut hinc discamus, quos diligat Christus,

Lucæ 10. De Martha autem legimus, quod Domino ministrauit: Ergo à Christo diliguntur, qui ei in membris suis ministrant. Iuxta illud:

Matth. 25. Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.

De Maria legimus, quod diligenter audierit uerbum Dei: Ergo à Christo diliguntur, qui uerbum Dei cum deuotione suscipiunt, & Domino uacant. De Lazaro autem nihil tale legimus, sed tantum quod Dominus eum dilexerit, atq; hoc est, quod omnium maxime nos consolatur, nempe, quod Deus etiam diligit eos, qui nihil boni de se meriti sunt, immo qui male meriti sunt, hoc est, peccatores. Nisi enim & hos diligeret, non pro eis mortuus esset, nec eos tam benigne inuitaret, tamq; patienter expectaret.

Vt ergo audiuit, quod infirmaretur, mansit ibi, &c.]

Hactenus consolatoria fuerunt, quæ de Christo dicta sunt: hoc autem durum esse uidetur, & supradictis contrarium, quod amicum audit infirmari, nec tamen festinat, quinimmo duos adhuc dies expectat. Hoccine est diligere amicum, posset quis dicere? Verum audi causas.

Ideo Christus tardat, ut moreretur & sepeliretur languidus ille. Non enim uolebat eum sanare languidum adhuc, nec mortuum

Matth. 9. in domo adhuc iacentem, sicut Archisynagogi filiam, aut ad tumu-

Lucæ 7. lum deportari incipientem, sicut filium uiduæ resuscitare. Experimen-

Ioan. 5. tum quippe eius uerbi parabatur, quod dixerat: Omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei & procedent, ut ergo ad hoc peruenireturtam diu tardauit, donec mortuus terræ gremio reconderetur, ubi puluis in puluerem conuertitur, & omnis caro in suam originem redigitur, ut inde clamore illius euocaretur, unde in

1. Thes. 4. iussu & uoce Archangeli & tuba Dei, illo ad iudicium descendente de cœlo, omnes euocandi sumus.

Deinde ideo mansit, quia expectabat copiosius argumentum ædendi miraculi, quo simul ipse paulo post moriturus, discipulorum adhuc imbecillium roboraret animos ad spem resurrectionis, ne dubitarent eum resurgere posse, quem uiderant alios resuscitantem.

Duos

Duos autem dies adhuc expectat, ut miraculum conſpectius & certius fieret, ne quis dicere poſſet, non mortem fuiſſe, ſed ſtuporem. Item, ut diſcipuli in fide magis roborarentur. Præterea, ut Iudæi uiſo tanto miraculo, inexcuſabiles fierent. Denicq; ut alij, qui non dum in Chriſtum credebant, hoc ſigno ad fidem traherentur.

Hinc igitur diſcamus naturam Dei. Plærunq; enim ſuos in medijs malis relinquit, ut uideatur eorum oblitus, ſed poſtea glorioſius eos è medijs malis eripit. Sic reliquit Abelem in manu fratris, ſed poſt mortem clamat eius ſanguis. Sic Ioſephum reliquit longo tempore in ſqualore carceris, ſed poſtea ſublimius eum extulit. Gen. 4. Gen. 41.

Differt autem Dominus auxilium, donec omnia conclamata ſint, partim ut fidem tentatione exerceat, partim ut ſolus auxiliatoris titulum poſſideat. Vult enim Deus exerceri fidem noſtram, uult intelligi dona ſua quæ petimus, uult denicq; agnoſci ſuam miſericordiam. Ideo Abacuk: Adhuc uiſus procul, & apparebit tandem, in finem non mentietur. Abac. 2. Docet igitur hic locus, etiam in media morte ſanctis ſpem eſſe.

Deinde poſt hæc dicit diſcipulis]

Non ſine cauſa Ioannes duo hæc uerba poſuit (*Deinde & Poſt hæc*) cum unum ſufficere uideatur. Ad maiorem enim rei expreſſionem, hæc duo coniunxit. Prima enim dictio (*Deinde*) refertur ad id, quod proxime præcedit, quaſi diceret. Deinde quamuis nuncium ferme ſine reſponſo dimiſerit, quamuis duos adhuc dies in eodem loco permanſerit, nihilq; amplius de Lazaro dixerit, iamq; uideretur omnino eius oblitus, iterum tamen uel tertio die eius mentionem facit, nec qualemcunq;, ſed ita, ut oſtendat ſe ei auxilium laturum: *Deinde* (inquit) *dicit diſcipulis*.

Hinc igitur diſcamus naturam Dei, nempe, quod ſuorum nunquam obliuiſcitur, etiamſi uideatur oblitus, quemadmodum in Iſaia dicit: Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantis ſui, &c. Iſa. 49.

Sic & Deus non in finem nos deſerit, etiamſi diu differat. Sic diu diſtulit promiſsionem Adæ, factam de muliere & eius ſemine, caput ſerpentis contrituro, & tamen ſuo tempore præſtitit. Gen. 3.

Idem contigit de promiſsionibus alijs, Abrahamo, Ioſepho, & Dauidi factis, &c. Quod autem Ioannes non contentus dixiſſe: *Deinde*, etiam addidit: *Poſt hæc*, remittit nos ad finem decimi capitis, ubi ponitur cauſa, cur Chriſtus è Iudæa ſeceſſerit. Poſt hæc quæ ſupra dicta ſunt de perfidia Iudæorum, quamuis expertus eſſet eorum ingratitudinem, ſciretq; ſibi certiſsime imminere mortem à Iudæis: *Poſt hæc*, inquam (quod magnum & à metu mortis alienum eſt) dixit, Eamus. Sup. c. 10.

Vides et hoc uerbo Chriſti benignitatẽ, nempe quod etiam peſsime tractatus

tractatus & abiectus, tamen etiam ad ingratos & peccatores subinde redit, si forte in melius conuertantur & uiuant. Deinde uerbum hoc indicat, Christum nequaquam timuisse mortem. Præterea insigne etiam charitatis exemplum Christus hic nobis expressit in eo, quod proprium periculum contemnit, immo periculis se offert, ut Lazaro subueniat. Sic enim charitas non quærit, quæ sua
1. Cor. 13. sunt, sed quæ proximi.

Eamus in Iudæam iterum]

Tacuissent omnino discipuli timore mortis, nec in Iudæam reuersi essent, quantumcunq; Lazarus auxilio indigebat (Sic enim carnalis homo multa etiam bona interdum omittit ex timore, quemadmodum & Petrus alibi uolebat Christum in deserto loco retinere, non obstante, quod turba hominum, præsentiam Christi ut necessariam efflagitaret: Domine (inquit) bonum est nos hic esse) Verum
Matth. 17. Christus ipse incipit loqui illis tacentibus: *Eamus, &c.*

Docet per hoc, ne timore temporalis periculi omittamus benefacere. Obserua quod Christus sicut propter impios Iudæam reliquit, sic propter pios iterum eam repetit. Impij enim tolerantur propter pios. Obserua item, quod Christus non dicit in singulari: Ego ibo ad Lazarum, sed: *Eamus*. Qui enim mihi ministrat, me
Ioan. 12. sequatur, &c̄. Et in alio loco: Qui uult uenire post me, abneget
Matth. 16. semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Signanter autem dicit: *Eamus*, quasi diceret. Quandoquidem nedum mihi, sed & uobis speciale quoddam officium à Patre demandatum est, non licet nobis quiescere, sed eundum est, quo uocatio nostra nos ducit. Quo uerbo admonet eos, qui Ecclesiæ præpositi sunt, ut non cessent in officio suo. Immo unumquenq; nostrum monet, ut uocationi suæ diligenter inuigilet: *Eamus* (inquit) scilicet ad cœlum. Vide autem, quo suos ducat Christus. Non ad uoluptatem aut mundanas delitias, sed: *In Iudæam* (inquit) Nimirum ubi persecutores erant. Ad crucem igitur suos ducit, immo per crucem ad gloriam. Nec enim alia uia est ad gloriam. Nam sicut Christum
Luc. 24. oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam: sic per multas tribulationes oportet etiam nos intrare in regnum Dei. Monet igitur hoc
Act. 14. uerbo, ut nedum crucem nō fugiamus, sed etiam patienter feramus.

Postremo, non sine causa dicit: *Eamus iterum*. Non enim satis est, semel bona fecisse aut patienter mala pertulisse, nisi perseueres.

Vide quam pulchre breui hoc uerbo Christus uocationis nostræ nos admoneat.

Rabbi, nunc uolebant te Iudæi lapidare]

Hoc

Hoc loco uidemus exemplum humanæ infirmitatis in Apostolis. Nedum enim ipsi timent, sed & Christum, quantum in ipsis est terrere conantur, in eo, quod periculum præcedens ad memoriam ei reuocant, idq; cum Emphasi. *Nunc*, inquiunt, *uolebant te occidere*. Sic enim timidis semper ob oculos uersantur pericula, quæ timent.

Ex hac autem Apostolorum infirmitate, confirmare debemus corda nostra, ut credamus Deum etiam infirmos, insipientes, & peccatores tolerare. Deinde discamus, ut & nos aliorum in fide & moribus infirmitates toleremus: Vnusquisq; inquit, nostrum proximo placeat ad ædificationem. Et: Alter alterius onera portate, &c̃. Quantumcunq; enim hoc loco infirma fuerit Apostolorum fides, tamen excusat eos charitas erga Christum. Nolebant eum perire, cuius & ipsi & alij adhuc indigebant. Sic olim serui Dauid nolebant, ut cum ipsis exiret ad bellum: Ne (inquiunt) extinguas lucernam in Israël. Rom. 15. Galat. 6. 2. Reg. 21.

Et iterum uadis illuc?]

Nesciebant eum pati non posse, nisi quando & quatenus uellet, ideo dehortantur eum, ne periculis se obijciat. Verum hoc Apostolorum consilium, è prudentia carnis natum est. Stultum enim rationi humanæ uidetur, si quis se præsentibus periculis exponat. Nam cum prudentem æstimemus, quem faciunt aliena pericula cautum, quanq; accusatur imprudentiæ, quem nec propria pericula cautum reddunt? Sic & Petrus alio loco prudenter quidem pro sua opinione admonet Christum, ne se passioni offerat: Absit (inquit) à te Domine, non fiet istud. Sed audit à Christo: Vade retro Sathanas. Non enim sapis quæ Dei sunt. Vel aliter: *Iterum uadis illuc?* Vox est admirantium, quod adeo non timeret mortem. Ob quam causam & Pilatus miratur in passione Christi, quod adeo nihil responderet accusantibus, nec deprecaretur mortem. Non est humanæ uirtutis, non timere mortem: Non est enim fortitudo nostra, fortitudo lapidum: nec caro nostra ænea, &c̃. Matth. 16. Matth. 27. Iob. 6.

Nonne duodecim sunt horæ diei?]

Antequam Lazarum à morte suscitet, prius discipulos sanat à pusillanimitate. Nullus enim tam sanctus est, qui non indigeat huius medici ope & manu.

Sensus est: Quamuis prius mala contra me cogitauerint, fieri tamen potest, ut nunc aliter affecti sint. Secundum enim temporum uariationem, & horarum distinctionem, uariatur humana uoluntas, & diuersificantur opera.

Vide igitur, quam bene sentiat & loquatur Christus, etiam de

de inimicis suis pessimis. Docet autem nos, ne desperemus de alicuius salute & emendatione, quamdiu hic uiuit. Sunt enim duodecim horæ diei: Et sæpe contingit, ut qui malus fuit, emendetur, id quod uidemus in Paulo, & alijs. Vel aliter: *Nonne duodecim horæ diei sunt?* quasi diceret: Habet dies suum terminum, & quantumcunq; clara sit, tamen ad occasum fertur, nec semper durat. Sic ego ob id ueni in mundum, non ut semper uisibiliter uobiscum sim, sed ut definito tempore, ad Patrem redeam. Non est igitur, quod hac de re solliciti sitis. Sicut enim diem ultra præscriptum suum, retinere non potestis, sic nec me. Vel aliter, Quid timetis me præsente, qui sum sol iustitiæ? Nox formidinem habet, non dies. Timeant qui solem iustitiæ non uident. Vel aliter: *Nonne duodecim horæ,*
Ioan.15. *&c.* quasi diceret: Quid mihi consilium datis, cum non uos me, sed ego uos duodecim elegerim, & sic debeatis sequi nutum magistri, sicut sequuntur duodecim horæ motum solis diei. Vel aliter: *Nonne duodecim sunt horæ, &c.* quasi diceret, Scriptum est: Sol
Psal.105. cognouit occasum suum, nullius excutietur incursu, nec occidet antequam ueniat hora eius. Sicut igitur sol uisibilis non est in hominis potestate, ut occidat antequam ueniat duodecima hora eius: ita scitote, quia non me occident Iudæi, antequam ueniat hora mea, in qua mori decreui. Vel aliter: Dies hic pro officio uel ministerio sumitur. Iam ut dies pro communi consuetudine duodecim horis constat, & quamdiu quis interdiu ambulat, non offendit pedem: Qui uero post duodecim diei horas ambulauerit, uix euadet illæsus. Ita quisq; habet statutum ministerij sui tempus, & quamdiu duodecima hora, hoc est, ministerij completio, nondum aduenerit, non læditur, non occiditur: Finito autem ministerij tempore, prævalet potestas tenebrarum.

Est igitur sensus uerbi, deponite uanum timorem, nondum compleui ministerij mei cursum, quamuis iam ferme undecima hora sit, nondum tamen est duodecima, proinde nihil in me poterunt omnes aduersarij. Vel aliter: *Nonne duodecim horæ, &c.* quasi diceret: Duodecim mysteria mihi peragenda sunt. Et nouem quidem peregi, incarnationis scilicet, natiuitatis, circumcisionis, oblationis, apparitionis, Baptismi, ieiunij, Prædicationis, & miraculorū ostensionis. Restant adhuc tres horæ, passio scilicet, mors, & sepultura, ea quoq; peragenda sunt, ut completus fiat dies.

Si quis ambulauerit in die, non offendit.

Si de Christo intelligitur, hunc habet sensum. In die adhuc ambulo, ideo non debeo uacare, nec timere habeo periculum, quia ante finem officij mei nihil contra me poterunt aduersarij.

Potest & generaliter de omnibus accipi. Vita corporalis suis certis

certis limitibus à Deo definita & circunscripta est: Numerus (inquit) mensium eius apud te est: Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt, &c. Si enim capilli nostri coram Deo numerati sunt, quanto magis uitæ nostræ momenta & tempora? Iob. 14. Matth. 10.

Proinde, quàm diu quis intra duodecim diei horas, hoc est, statutum uitæ suæ tempus ambulauerit, nullum uitæ detrimentum à periculo quantumuis ingenti accipiet. Finito autem statuto tempore, si non alia re, certe uel leuissima musca occiditur: Non tamen ideo quibusuis periculis obuijs nos exponere debemus. Statuit quidem Deus uitæ nostræ terminum, sed interim iussit ne eum tentemus.

Consolatur igitur nos Christus hoc uerbo, contra timorem mortis, &c. Vel aliter intelligi potest uerbum hoc, ut dies sit ueritas, nox falsitas. Qui in ueritate ambulat, non offendit, dicente Sapiente: Adducam te per uias æquitatis. Qui autem in falsitate ambulat, offendit. Hinc Sapiens ibidem: Via impiorum tenebrosa, &c. Et Psalmista: Via illorum tenebræ & lubricū, &c. Hinc Hieremias: Date gloriam Deo, antequam tenebrescat, & offendant pedes uestri, &c. Vel dies, rectus amor, nox falsus amor: Vel dies tempus gratiæ, nox tempus post mortem: Vel dies, Christus uerbum Dei, nox ratio humana. Proue. 4. Psalm. 34. Hier. 13

Lazarus amicus noster dormit, &c.]

Hactenus Christus exemplo boni medici, cum uideret discipulos ceu amaram medicinam abhorrere reditum in Iudæam, pluribus uerbis allicere conatus est. Primo enim ostendit, se simul iturum, immo prius bibiturum calicem passionis: Eamus (inquit) Secundo ostendit ipsis impune non cessurum, si renuant: Nonne (inquit) duodecim sunt horæ diei? quasi diceret. Et mihi & uobis certum ministerium impositum est, quod omittere non licet. Tertio ostendit nihil mali illis obuenturum: Qui ambulat (inquit) in die, non offendit, &c. Nūc quarto etiam fructum prouenturum ostendit: Nostro (inquit) reditu amici salus & uita conseruabitur, qui fructus omnium maximus & Deo gratissimus est. Quatuor igitur per ordinem hic posuit, quæ quæcunq; etiam aduersa, leuia reddere possunt. Primo enim patienter ferendo crucem, conformas uoluntatem tuam diuinæ uoluntati. Secundo, Non solus pateris, sed Christus prior passus est, omnesq; sancti. Tertio fugiendo crucem in æterna mala te præcipitas. Aut enim hic, aut in futuro patiendum est. Quarto & tuam animam saluas, & proximi quoq; per bonum exemplum. Deinde sicut Christus non simpliciter dixit: Eamus in Iudæam iterum, sed insuper eos pluribus, ut iam dixi, admonuit, ne dubitarent sequi: Sic non satis est, Christiano populo simpliciter proponere dogmata Christi, cum enim plæraq; grauia & carni aduersa sint, facile resilirent homines. Dicant igitur pastores: Eamus & nos, hoc est, ante-

cedant populum, & obseruent quod docent. Secundo admoneant desides. Tertio ostendant fructum prouenturum. Quarto insinuent etiam, quanta pericula eos maneant, qui non sequuntur.

Lazarus amicus noster dormit]

Ne uideretur temeritatis esse, quod Iudæam repetere uolebat, hoc uerbo iustissimas causas suæ profectionis ostendit. Non, inquit, temeritas propria, sed charitas proximi, me ad hoc urget. Lazarus enim amicus noster dormit eo somno, quo nemo excitare eū potest præter me unum. Deinde me urget gloria Patris, quæ per illam excitationem magnificabitur. Docemur hic, ne temere nos in periculum demus, nisi absint iustæ causæ. Iustæ autem causæ sunt, si id exigat uel proximi necessitas, uel charitas, uel gloria Dei. Vbi uide nostram impietatem, propter commodum proprium, non dubitamus nos in quecunq; pericula dare: propter Dei autem gloriam prouehendam, & proximi necessitatē subleuandam, ne tantillum facimus. Obserua autem uerborum emphasim. Primo Lazarum nominat, ne uideretur ficta causa, quasi diceret. Eius res agitur, qui & uobis facie notus est, & notior esse debet propter eandem fidem & spem: Mihi quidem notissimus est, ut cuius nomen scriptum est in libro uitæ. Deinde, Non ad Iudæos hostes pergo, quod uos formidatis, sed ad amicum. Amici res agitur, quem negligere in necessitatibus, turpe etiā Gentilibus uisum est: Amicus uerus in necessitate maxime probatur. Propter amicos etiam Gentiles plærique se in pericula, & mortem sponte obtulerunt. Denique ueram amicitiam etiam Gentes, ut inæstimabile bonū, magnis libris commendarunt. Quin et Sapiens
Eccles. 5. noster dicit: Amico fideli nihil cōparari potest. Non igitur licet nobis amicum in necessitate deserere

Vide quàm efficaciter eos admoneat officij sui. Præterea addit: Non meus tantum amicus est, sed & uester, immo noster in cōmuni.

Hoc autem uerbo ineffabilis illius misericordiæ & condescensionis nos admonet, qua factum est, ut in amicos nos receperit, qui indigni eramus, ut serui eius diceremur. Vnde nobis hoc, ut ad Dei amicitiam peruenerimus, nisi quod Filius Dei ad nos descendit?
Exod. 33. Moyses amicus Dei dictus est, non aliunde, quàm quod Deus ad
Exod. 19. ipsum descendebat. Ascendebat quidem Moyses in montem, sed ad Deum peruenire non potuisset, nisi Deus prior descendisset.

Deinde hoc uerbo (*Amicus noster*) ostendit ueram Christi membrorūq; suorum unionem, ueramq; sanctorum communionem, qua fit, ut qui amicus Christi est, is & omniū fideliū amicus sit, & econtra. Hinc est, quod tam Christus quàm Apostoli, Lazarum agnoscunt amicum. Sic & nos certi sumus, & Christum & omnes sanctos pro nobis curare. Atq; hæc est summa consolatio nostra.

Cæterum,

Cæterum, quod Christus se amicum nostrum profitetur, monet nos, ut ei consulenti obediamus, eum amantem & benefacientem redamemus, eique uicissim studeamus placere, quemadmodum ipse seruiuit nobis.

Dormit]

Obscure loquitur Christus, ut eos excitet. Somnus enim uariis modis in scriptura accipitur. Primo est somnus naturalis, qui & bonis & malis communis est.

Secundo etiam mors corporis in scriptura somnus dicitur. Hinc illa uox crebro legitur in libris Regum: Dormiuit cum patribus suis.

Immo etiam impiorum mors somnus dicitur: Nam & hi in nouissimo die resurgent. Hinc de impio Achas dicitur: Dormiuit cum patribus suis. Et Dauid generaliter de impijs: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt diuitiarum in manibus suis. 2. Para. 28. Psal. 75.

Tertio accipitur somnus pro dormitione peccati, iuxta illud: Hora est nos de somno surgere. Et iterum: Surge qui dormis, &c. Rom. 13. Ephes. 5.

Quarto accipitur somnus pro ignauia. Sic Isaias: Speculatores eius cæci omnes, dormientes, &c. Et Dauid: Non dormitabit, neq; dormiet, &c. Et Petrus: Sobrij estote, & uigilate, &c. Isa. 56. Psal. 120. 1. Pet. 5.

Quinto accipitur somnus pro quiete contemplationis. Iuxta illud: Ego dormio, & cor meum uigilat. Christus autem hic somnum accipit pro morte. Ideo autem Christus mortem Lazari non mortem, sed somnum appellabat, propter futuram resurrectionem. Quamuis enim Lazarus alijs mortuus erat, Christo tamen dormiebat. Cant. 5.

Ob eandem causam & scriptura sanctos dormire dicit, non quod omnino dormiant, ac nihil de seipsis uel alijs sciant, sed quia suo tempore certissime resurrecturi sunt.

Secundo ideo Christus Lazarum dormire dixit, ut assuefaceret discipulos loqui & cogitare, quemadmodum scriptura loquitur.

Qui enim scripturæ uerbis assuetus esset, nec mortem timeret, nec mortuos impense defleret: Potissimum autem Christus ideo Lazarum non mortuum, sed dormire dixit, ut sciamus, mortem aculeum suum perdidisse, & proinde eam in posterum non timeamus, ut quæ iam non est amplius mors, sed tantum somnus, maxime credentibus. Quis autem timet somnum? Immo maxime appetimus somnum, præsertim post laborem. Ob eam causam sancti nedum mortem non timuerunt, sed summis uotis exoptauerunt, ut Dauid: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Et Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. 1. Cor. 15. Psal. 119. Phil. 2.

Hæc est igitur noua illa concio, à sæculis inaudita, quam nemo principum huius sæculi ante Christi aduentum sciuit, nempe mortem non esse mortem, sed somnum. Hinc Paulus: Nolumus, inquit, 1. Thess. 4.

1. Theſſ. 4. uos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini, &c. Vide autem, quanta ſit oſcitantia noſtra. Quantumcunq; ſcriptura clamet, mortem non eſſe mortem, ſed ſomnum: tamen mortem omnes timemus, ut ſummum malum. Ad eam uitandam nihil non facimus, &c. Interim autem peccatum, quod ipſiſsima mors eſt, & certiſsimus interitus, nedum non timemus, uerum etiam nec minis, nec promiſſis, nec flagellis inde abduci nos permittimus.

Sed uado, ut à ſomno excitem illum]

Iterum conſolatur diſcipulos: Non, inquit, ad diſceptandum cum Iudæis, ſed ad ſubueniendum amico pergo. Deinde indicat officij ſui eſſe, dormientes & mortuos ſuſcitare. Poſtremo docet etiam nos hoc uerbo, ut curemus proximos noſtros in peccatis dormientes ſuſcitare, uel admonitionibus, uel increpationibus, uel ſaltem oratione Eccleſ. 17. nibus. Vnicuiq; enim mandauit Deus de proximo ſuo.

Si dormit ſaluus erit.]

Hoc eſt, ſanitatem recuperabit, bene enim ſolemus de infirmo ſperare, ſi dormiat. Hoc igitur uerbo diſcipuli produnt ſuam ignorantiam, ut qui neſcirent uel non cogitarent, modum loquendi ſcripturæ ſanctæ, quemadmodum & ſupra ſuam infirmitatem prodiderunt. Videmus autem hic, quod caro non niſi carnaliter & pro ſuo captu, intelligit uerbum Dei.

Videmus inſuper, quod affectus impediunt intellectum uerbi Dei. Sic Apoſtoli triſtitia & timore pleni, non intelligũt, quid Chriſtus uelit. Bene igitur monet Boëtius: Si cupis claro lumine cernere Boëtius uerum, gaudia pelle, pelle timorem, nec dolor aſsit, &c.

Lazarus mortuus eſt]

Pergit adhuc Chriſtus diſcipulos inſtruere, antequam ad Lazarum pergat. Qui enim ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit: Contra eos, qui aliena tantum curant, ſe 1. Tim. 5. & ſuos negligunt, cum tamen ſcriptum ſit: Miſerere animæ tuæ placens Deo. Eccleſ. 30. Hoc autem uerbo iterum condeſcendit Chriſtus Apoſtolorũ infirmitati & ignorantiæ, quia enim intelligere non poterant, quod de morte Lazari dixerat ſecundum morem ſcripturæ: Nunc de eadem morte loquitur more humano. Sic enim ſapientia Dei linIſa. 28. guam mutauit, ut nos intelligere poſſemus, quemadmodum in Iſaia prædixit: Lingua (inquit) alia loquar ad populum iſtum, &c. Quod autem Chriſtus hic abſens tam certo prædicit mortẽ Lazari, oſtenHeb. 4. dit ſe Deum eſſe, cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt. Et diſcipulis enim & omnibus fidelibus notum eſſe uoluit, ſe abſentia ut præſentia

sentia uidere. Immo & cogitationes cordis, ad consolationem piorum, itemq; ad terrorem Iudæ, & omnium impiorum, qui dicunt: Quis uidet me? tenebræ circundant me, & parietes operiunt me, quem uereor, &c. Sicut autem impius Iudas nihil horum curauit, sic nec alij, qui iniustitiæ student. Eccle. 23.

Et gaudio propter uos, quod non eram ibi]

Non simpliciter gaudet Christus de morte Lazari. Non enim lætatur Deus in perditione uiuentium, &c. Nec ideo gaudet se non affuisse, quod quasi inuitus homini succurrat, sed propter uos (inquit) ut credatis. Primo, ut audientes me scire absentia, ædificemini in fide diuinitatis, ac sciatis me omnia scire & uidere, dicentes cum Iob: Scio Domine, quod nulla te latet cogitatio. Sap. 1. Iob. 42.

Secundo, ut ex uiso miraculo sciatis me omnia posse, & dicatis: In ditione tua uniuersa sunt posita, & non est qui resistat uoluntati tuæ, &c. Tertio, ut ex meo affectu, quem erga Lazarum ostendo, discatis, uere dictum esse: Ego diligentes me diligo, uosq; ex meo exemplo ædificemini ad charitatem. Gaudium igitur Christi est, si credamus eum omnia scire, omnia posse, & optime nobis affectum esse. Hester 13. Proue. 8.

Sed eamus ad eum]

Iterum admonet discipulos, tum ut uideamus, quàm paratus sit suis subuenire (Vere enim non est alia natio, quæ sic habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis: Inuoca (inquit) me in die tribulationis, eruam te, &c.) Tum ut Apostolos omnesq; fideles, ad charitatem mutuam suo exemplo extimulet. Deut. 4. Psal. 49.

Vide autem, qualis medicus sit Christus. Alij medici tam diu ægrotum uisitant, quàm diu uiuit, eo mortuo, sciunt se frustra uisitare eum: Christus autem etiam post mortem seruare potest & eripere. Nunquam frustra uenit Christus, etiam si in articulo mortis adueniat. Sic Latroni, etsi in extremis agenti, satis tamen tempestiue aderat Christus. Nemo tamen propter hoc pœnitentiam suam differat. Promittere tibi possum te saluum futurum, si Christus adueniat, etiam in extremis posito: sed promittere non possum, Christum semper eo tempore uenturum: Vnum tantum lego, cui Christus sic subuenit. Vis igitur securus esse, age pœnitentiam in tempore. Lucæ 23.

Eamus & nos, & moriamur cum, &c.]

Videtur hoc uerbum Thomæ, insignem quandam animi fortitudinem, & charitatem non uulgarem erga Christum præ se ferre. Atq; in eum modum plærique uerbum hoc interpretantur. Verum,

si attendamus, quales eo tempore fuerint Apostoli, palam fiet, hoc uerbum plus temeritatis & præsumptionis, immo etiam desperationis habuisse quàm fidei. Est enim sensus. Quandoquidem hæc illi sedet sententia, sese suosq; in manifestum uitæ periculum adducere, cum posset utrorumq; incolumitati consulere: Age eamus & nos, & moriamur, &c. Cæterum, quod sanctus hic Apostolus nunc quasi ex temeritate & desperatione dixit, hoc postmodum & ipse & alij ex uera fide dixerunt, & insuper factis præstiterunt.

Fuit igitur hoc uerbum præsagium fortitudinis sanctorum Martyrum, quibus hæc uox semper in ore & corde erat: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Fœliciſsimum enim iudicabant cum Christo mori: Miserrimum autem, sine ipso uiuere.

Deinde uerbum hoc summam Christianæ perfectionis comprehendit, quæ in his tribus consistit: Sequi Christum. Mori primum sibi ipsi. Deinde etiam si res exigat, Mori pro Christo.

Venit ergo, et inuenit eum quatuor dies habentem]

Loquitur de Christo, in quantum homo erat. Nam secundum Deitatem, semper cum Lazaro fuerat. Ad magnitudinem autem miraculi facit, quod inuenit eum quatuor dies in monumento habentem. Ideo autem Christus aduentum suum magis in quartum, quàm in quintum aut sextum diem distulit: quia quarto tandem tempore resurrectio mortuorum perficienda est, in cuius testimonium Lazarus hic resuscitatus est.

Primum tempus fuit ante legem, quo tempore ita regnabat mors,
Rom. 5. ut nulla resurrectionis spes esset. Secundum tempus sub lege, quo tempore resurrectio promissa est, & à lege ac Prophetis testificata.

Tertium sub gratia, quo tempore Christo primogenito mor-
Apoc. 1. tuorum resurgente, resurrectionis nostræ fides peracta & dedicata est. Quartum tandem ipsum erit tempus futuri sæculi, cuius dilu-
1. Thess. 4. culo apparente Domino, iussu eius omnes resurgent mortui.

Bene ergo Dominus, postquam infirmari cœpit Lazarus, duos mansit dies, ut in tertio proficiscens, quarto ipsum suscitauit: quia tertio quidem tempore mundi, ad dandam resurrectionis gratiam descendit, quarto autem ad sepulchra nostra, imperiosa eius maiestas perueniet. Allegoricè autem, quarto tandem die suscitauit mortuum, quia quatuor præcedere debent, antequam peccatorem è morte peccati resuscitet: Videlicet, timor, labor, dolor, pudor. Vbi hæc quatuor in peccatore concurrunt, non amplius differt Christus, alioqui in desperationem incidit homo. Vel aliter, Quadriduanum quidem suscitat, non autem legitur, quenq; suscitasse, qui quatriduum excesserit, ut ostenderet, omnia peccata hominibus dimitti, quantumcunq;

eunq; grauia sint, dummodo humana sint: Non autem Diabolica.

Quatuor autem sunt gradus peccatorum: Consensus, Opus, Consuetudo, Complacentia, hoc est, infœlix illud quatriduum, sed tamen adhuc spes est. Si autem quintus dies adiungatur, obstinatio scilicet & impœnitentia, iam nulla spes est. Hinc toties in Amos dicitur: Super tribus sceleribus & super quatuor, non conuertam eum, &c. Amos 1.

Est autem Bethania iuxta Hierosolymam]

Hoc addit ad certitudinem miraculi, itemq; ad damnationem Iudæorum, ad quos non frigida de longinquo, sed recens fama ex propinquo loco peruenit huius miraculi.

Mystice autem Bethania, domus scilicet obedientiæ, hoc est, Ecclesia militans, quamuis nondum habeat perfectam pacem, tamen non longe distat à Hierusalem cœlesti, in qua est perfecta uisio pacis, immo adeo uicina est, ut ex una in alteram facile commigrare liceat.

Multi autem ex Iudæis uenerant, &c.]

Facit etiam hoc ad certitudinem miraculi, quod multi affuerunt etiam ex Hierosolymitis.

Hic igitur consydera rationem operum Dei. Congregantur multi ex Iudæis diuino cõsilio, ad consolandas sorores, & ecce insperato præter suam ipsorum opinionem, fiunt resurrectionis Lazari testes. Hæc est enim ratio operum Dei, ut initio longe aliud præ se ferant, quàm in fine præstent.

Vt consolarentur eas de fratre suo]

Charitatis opus est, consolari afflictum. Hinc Paulus: Flete cum flentibus. Et Sapiens: Ne desis plorantibus, &c. Immo opus Spiritus sancti est, consolari mœstos. Nam propter hanc causam dicitur Paracletus. Vnde & apud Paulum, lenitas, bonitas & benignitas erga proximum, numerantur inter fructus spiritus. Rom. 12. Eccles. 7. Galat. 5.

Quanquam fieri possit, ut consolationis opus in impijs non proficiscatur è Spiritu Domini sancto, sed è ciuilitate, uicinitate, aut sanguinis propinquitate, ut patet in amicis Iob, & in his Iudæis. Quemadmodum etiam Ethnicorum charitas, qua benefactores suos complectuntur, è carnali affectu manat: In pijs tamen è fide & uera charitate manans, Spiritus sancti non carnis opus est. Iob 2.

Martha ergo, ut audiuit, quod Iesus uenit]

Non sine causa & Ioannes hic & etiam Lucas, harũ mulierũ ne dum nomina, sed diuersa etiam exercitia describunt. Per eas enim duplex Lucæ. 10.

genus uitæ significatur: Actiua scilicet & contemplatiua, ut & supra dictum est. Bene igitur Martha occurrente, Maria domi sedet.

Vel per has mulieres natura charitatis & fidei expressa est. Fides
Rom.10. ociosa uidetur, domi sedet: corde enim creditur ad iustitiam, cor autem non uidetur, sed soli diuino aspectui patet. Quamuis interim fides etiam suos actus habeat, sed internos: Immo & suo tempore etiam externe operetur per charitatem.

Charitas autem officiosa est & negociosa, uagatur foras circa proximum. Vbicunq; enim est, semper inuenit quod operetur, quandoquidem multæ sint necessitates proximi. Vbicunq; igitur hæ duæ sorores, fides scilicet & charitas, in unam domum conuenerint, illic libenter Christus commoratur.

Vide autem piam Marthæ mentem. Primo, quamuis consolatores secum haberet, & multos & non infimæ conditionis, tamen audito Christi aduentu, omnes alios consolatores spernit, & ad solum Christum currit. Nec mirũ, uidebat enim consolationes aliorum, uerbis tantum constare, non re ipsa, deinde causa tristitiæ maior erat, quàm ut per quemcunq; hominem tolli posset.

Atq; hæ duæ causæ, etiam nos ad Deum cogere deberent. Primo enim certum est, quod omnis consolatio mundi uana est, cur non
Isa.55. igitur ad uerum consolatorem currimus? Quare appenditis, inquit,
Matth.11. argentum, & non in panibus, etc. Et Christus: Venite ad me omnes, ego reficiam uos. Deinde, plærunq; in tanta mala incidimus, quæ solus Deus auferre potest: Nec tamen ad eum currimus. Sic ei, qui in peccatis mortuus est, & sepultus in terrenis, denicq; assueuit peccatis,
Thren.1. corq; habet impœnitens; nulla restat spes, nisi à solo Deo. Non est qui consoletur eum ex omnibus charis eius: Benedictus autem Deus,
2.Cor.1. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Obseruandum & hoc in Martha, quod quamuis audisset Christum aduentare, non tamen expectat, sed occurrit illi. Sic & nos Deo, qui semper paratus est succurrere, debemus occurrere precibus: Præparare in occursum
Amos 4. Dei tui, ait Propheta. Præterea, tanto desiderio & festinantia Christo occurrit, ut nec sorori idipsum significare potuerit. Ad Deũ enim non tam gressibus corporis, q̃ affectu cordis & fidei properandum est. Ad Christum aũt perueniens, tota fiducia effundit cor suũ, & tri-
Psalm.141. bulationẽ suã ante ipsum pronũciat. Et unde tanta illa fiducia, nisi ex ipsius bonitate sæpius experta? Ideo enim se tam benignũ omnibus ostendit toto tempore, quo in mũdo fuit, ut etiam posteri eo fiducialius auderent accedere ad eum. Hinc Paulus nos monet, ut cum fidu-
Heb.4. tia accedamus ad thronum gratiæ.

Est & aliud pie mentis indicium in Martha. Sicut enim ab exordio statim Christo denunciauit fratris infirmitatem, sic hic primo omnium conqueritur, quod Christus non affuerit. Vere enim omnibus

lachrymis

lachrymis dignum est, si Christus desit. Quid enim boni sine illo esse potest: Causa omnium malorum est absentia Christi. Cæterum Christus pie uiuentibus nunquam abest, etiamsi uideatur abesse: Prope est Dominus his, qui recto sunt corde, &c. Psalm. 33.

Deinde etiam fratris mortem apud Christum deplorat. Vere enim omnibus lamentis dignum est, hominem tam nobiliter conditum, eo deueniſse propter peccatum, ut ipsi uelit nolit moriendum sit. Vt uel hinc discipossit, quanta sit pernicies peccati, cuius tam fœdus est fructus, ut non immerito Sapiens admoneat: Tanquam à facie colubri fuge peccatum, &c. Eccles. 21.

Postremo ita demum Martha suam fratrisq; necessitatem deplorat, ut tamen bene speret de bonitate Christi. Verum uerba ipsius audiamus.

Domine si fuisses hic, frater meus non, &c.]

Ex hoc uerbo uidere licet, quomodo affecti simus in tentatione. Quamuis enim nonnullam fidem præ se ferat, quod Martha dicit & credit, præsentiam Christi solam sufficere potuisse contra mortis uim & potentiam, iuxta hoc tamen multipliciter prodit fidei suæ infirmitatem.

Primo enim ita loquitur, quasi Christus absens fuerit, cum tamen diuina uirtus nullo circumscribatur loco, nullo limite claudatur, immo efficax sit in cuncta etiam corpore distantia & præsens uniuersis: Nunquid (inquit) è uicino tantum sum Deus? &c. Eandem fidei imbecillitatem etiam in nobis experimur. Semper enim cogitamus, Si Deus adesset, hoc uel illud mihi non contingeret. Item, Si scirem à Deo hæc accidisse, aut Deum præsentem esse, facile hoc aut illud ferrem. Vera autem fides non dubitat, Deum ubiq; præsentem esse, omniaq; pro sua bona uoluntate agere, ideoq; fidutialiter audet eum inuocare, nec retrospicit, quid sibi mali acciderit, sed sursum aspicit in manus Domini auxiliatoris. Sic Dauid: Dominus (inquit) mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, &c. Hic non dicit: Domine, si fuisses hic, sed tota fidutia: Dominus (inquit) mihi adiutor, &c. Hier. 23. Psal. 117.

Summa, quia Deum non uidemus, semper putamus eum abesse. Deinde etiam in hoc prodit infirmitatem fidei suæ Martha, quod credit Christum non nisi corporaliter præsentem posse auxiliari. Fides uera scit, eum etiam in cœlis sedentem, in terris regnare. Præterea est & hoc infirmæ fidei indicium, quod credit Christum uno tantum medio posse succurrere, quasi non habeat & alia media.

Huiusmodi autem imbecillitas è prudentia carnis nascitur. Accepto enim incommodo, solemus nobiscum sic ratiocinari: Si tentasses hanc uiam, successisset tibi conatus; si illam occasionem arripuisses,

arripuisses, periculum euitasses, quasi Dominus auxilium suum dare consueuerit mediis, à prudentia carnis nostræ conceptis & excogitatis, & non potius liberum sibi reseruauerit, ut uel hoc uel illo medio sua bona distribuat.

Sed & nunc scio, quia quæcunq;, &c.]

Hæc sunt uerba ueræ fidei: *Scio* (inquit) *& quæcunq;*. Vera enim fides certa est, nec dubitat Deum subuenturum, nec in uno aut altero, sed in quacunq; necessitate. Quanquam & hic nonnihil addat imperfectionis, quod putat Christum non aliter, quàm oratione & precibus operari miracula, cum tamen ut Deus propria uirtute omnia operatus sit. Vide autem, quomodo in homine pio sibi inuicem succedant carnis & spiritus prudentia. Cum enim seipsum suaq; mala consyderat, quasi desperabundus dicit: Domine, si fuisses hic, &c. Cum autem Dei promissiones attendit, iterum spem concipit, & dicit: *Sed & nunc scio*, &c.

Huiusmodi certamen quilibet in se experitur. Nemo enim tam fortis est, qui in aduersis non aliquando deficiat. Econtra nemo tam pusillanimis, qui non animum resumat, cum attendit Dei promissiones. Hanc pugnam pulchre in seipso ostendit Dauid in Psalmo 29. Vbi aliquando satis fidenter de Dei bonitate loquitur, interdum
Psalm. 29. aũt insignem cordis pusillanimitatem præse fert, ut cum dicit: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus, &c. Item: Quæ utilitas in sanguine meo, si descendo in corruptionem? Obseruandum & hoc, quod soli Christo uere dicitur: Quæcunq; popposceris à Deo,
Ioan. 17. dabit tibi Deus. Ipsius enim sunt omnia quæcũq; habet Pater, ipsiq; non tanquam seruo particulare aliquod gratiæ suæ Xenium dat, sed tanquam filio cuncta quæ habet: Quanquam & hoc ipsum, sicut & cætera, Christus nobis communicauerit. Ideo infra dicit: Quicquid
Ioan. 16. petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis.

Resurget frater tuus]

Isa. 42. Ex hoc uerbo uidemus, quàm uere dictum sit de Christo: Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.

Poterat arguere Martham propter fidei imbecillitatem, uerum afflictæ non addit afflictionem, sed potius consolationem.

Nihil ab ore eius procedit, quod non sit consolatorium. Nec mirum: Ad hoc enim à Deo unctus & missus erat, ut consolaretur lu-
Isai. 61. gentes, &c. Est aũt sensus huius uerbi. Quid adeo, ò Martha, ploras fratrẽ mortuũ, quasi omnino perierit? An ignoras, quod animæ iustorũ
Sap. 3. in manu Dei sunt? Nescis quod Deus nedũ uiuentiũ, sed etiam mor-
Exod. 3. tuorũ Deus est? Ego (inquit) sum Deus Abraham, Isaac & Iacob, qui

tamen

tamen ante multos annos mortui erant. Neſcis, quod Deus etiam mortuos poſsit ſuſcitare? Non audiſti etiam me aliquos ſuſcitaſſe? Si igitur ſcripturis non credis, me uide, me attende, ego ſum, qui dico: *Reſurget frater tuus*. Hoc breue Chriſti uerbum cordi inſcriptum, docebit nos, ne tam inconſolabiliter lugeamus mortem charorum. Deinde etiam nobis mortem minus formidabilem faciet, ſpe futuræ reſurrectionis, quemadmodum Iob: Scio (inquit) quod redemptor meus uiuit, &c. Præterea in eo, quod futuræ reſurrectionis meminit, ſollicitos nos reddet etiam hoc tempore ad amplectendam pietatem, ut in illa reſurrectione inter ſanctos & electos inueniri mereamur. Vide aũt, quomodo Chriſtus temperet ſermonẽ. Non dum plene conſolatur, nec enim dicit: Hodie reſurget frater tuus, ſed in generali: *Reſurget* (inquit) *frater tuus*. Per hoc autem eam excitare uult, ut feruentius deſideret & petat. Iob. 19.

Scio quod reſurget in reſurrectione, &c.]

Ex hoc uerbo primum apparet, fidem futuræ reſurrectionis generalis non nouam eſſe, ſed etiam apud ueteres fuiſſe: *Scio* (inquit) &c. Sic & Iob: Scio, quod in nouiſsimo die reſurrecturus ſum, &c. Iob. 19.

Hæc fides ueterum arguit eos, qui etiam nunc parum ſolide credunt futuram reſurrectionem. Deinde hoc uerbo Martha iterum prodit fidei ſuæ imbecillitatem. Sic enim & opera & uerba oſtendunt nos imperfectos, quantumuis diſsimulemus. Primo enim quanquam inſignem promiſsionem acceperat (Reſurget, inquit, frater tuus) tamẽ nondũ quieta eſt, quàmdiu non uidet fratrem uiuere. *Scio* (inquit) *quod reſurget*, quaſi diceret. Generalem illam futuram reſurrectionem ſemper credidi, ſed quid hoc mihi ad præſentem dolorem confert? Si ſpes eſſet nunc reſuſcitandum, illud me conſolaretur, ſed uideo id fieri non poſſe: Oportet me expectare generalem reſurrectionem. Sic nimirũ infirmus fide, quantumcunq; ei ingerantur diuinę promiſsiones, quietus tamen non eſt, donec conſequatur, quod quærit. Pio autem homini & uere credenti, ſatis eſt, ſi habeat diuinas promiſsiones: nec curat, ſi differantur, cõtentus eo, quod aliquando complendæ ſunt. Quid enim, ſi non ſtatim accipiant, quod petunt? cum certi ſint, ſe aliquando accepturos, & cum fœnore. Hæc fidei conſtantia, & longanimitas omnium maxime cõmendatur in Patriarchis. Pręterea, eſt et hoc infirmæ fidei ſignũ in Martha, quod quàmuis promiſsionem haberet, nihil tamen expectare audet ultra communem ſortem. Sic Achas, etiam cum promitteret ei Dominus auxilium, negabat ſe tentaturum Dominum: quia nihil ultra ſortem communem expectabat. Heb. 11. Iſa. 7.

Vera aũt fides nõ dirigit oculos in cõmunem curſum, ſed in uerbum Domini. Sic Araham non dubitabat ſibi naſciturũ filium, quantumuis Geneſ. 15.

uis id supra communem cursum esset. Sic filij Israël habentes uerbum Domini, cõstanter ingressi sunt mare, cũ tamen contra cõmunem cursum esset, per mare siccis pedibus transire. Sic Gedeon non dubitabat, cũ trecentis contra centũ milia hominum pugnare. Non enim attendebat communem cursum, sed uerbum Domini. Sic Dauid congressurus cum Goliad, coram Saule commemorabat, qualia quantaq; sibi etiam antea acciderant, præter communem sortem, è quibus etiam nũc spem concipiebat sibi non defuturum Dominum.

Exod. 14.
Iud. 7.
1. Reg. 17.

Ego sum resurrectio & uita]

Hic se plane aperit Christus. Atq; hoc est Euangelium longe omnium acceptissimũ, quod uel solum nos consolari posset in quacunq; necessitate. Est enim sensus, ubicunq; & quandocunq; ego præsto sum, uita & resurrectio regnat: Proinde non ad communem tantum cursum respicias, huc potius refer oculos ad me. Quamdiu euentus cõmunes et casus creaturarum consyderas, nihil uides: Me uide, qui sum resurrectio & uita. Iuxta illud: Ero mors tua ò mors, &c.

Osee 13.

Deinde credis quidem ò Martha, quod precibus meis nihil non possim à Patre impetrare, atq; in hoc me uel æquas, uel quo ad hoc prẽfers alijs sanctis. Verũ non satis est, me alijs sanctis æquare: Nec satis est, quo ad aliquid etiam præferre sanctis, nisi in totum me præferas ac credas me esse eũ, qui natura Deus est, nullius ope indigens, & proinde omnia ex propria uirtute & faciens & potens: *Ego sum resurrectio*, &c. Propria uirtute hæc operor, non ut sancti, qui precibus tantum hæc aliquando impetrarunt, ut Helias & Helizæus.

3. Reg. 17.

Præterea, generalem quidem resurrectionem confessa es & credis, nescis tamen adhuc, cuius uirtute perficienda sit. Igitur ut fides tua perfecta sit, etiam hoc credere debes, eos qui resurgent in nouissimo die, per me reuicturos: nec quenq; omnino uiuere, nisi per me: necq; quenq; reuiuiscere, nisi per me.

Ego enim sum resurrectionis & uitę fons. Itẽq; *Ego sum resurrectio*, id est, resurrectionis causa. Si enim credimus quod Iesus resurrexit, sic & Deus eos, qui dormiunt, per Iesum adducet cum eo, &c. Ego sum uita, id est, causa uitæ. Iuxta illud: Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant.

1. Thess. 4.
Ioan. 10.

Signanter autem hæc duo coniungit: Resurrectionem & uitam, ut ostenderet, & uiuis & mortuis in ipso spem repositam esse. Ad consolationem igitur uiuorum dicit: *Ego sum uita*. Ad consolationem autem mortuorum: *Ego sum resurrectio*. Qui uiuunt, uitam continuare cupiunt: Qui mortui sunt, resurgere desiderant, utriq; in Christo inueniunt quod quærunt. Hoc itaq; uerbo docemur, ubi quærenda sit uita, & resurrectio. Itemq;, unde sumendæ sint uires contra mortem & infernum.

Immo,

Immo hoc uerbo Christus nobis donat resurrectionem & uitam, quæ sunt optima & maxima bona. Hoc est illud Euangelium, quo in mortis angustia conscientiæ nostræ muniendæ sunt, aduersus omnes mortis & Inferni portas. Ne autem quis putet, uanum esse hoc uerbum, obsignatum est & confirmatum. Primo resuscitatione Lazari, & postea etiam ipsius Christi resurrectione. Quid igitur horres mortem, cum Christus dicat: *Ego sum resurrectio?*

Quid formidas, ne tei ngentia mala in altero mundo maneant? Audi Christum: *Ego sum uita.* Vbicunq; enim sumus, siue in uita, siue in morte, defendere & auxiliari nobis potest Christus. Hinc Paulus: Siue uiuimus, siue morimur, Domini sumus. Quæ au- Rom. 14.
tem hactenus de uita & resurrectione corporali diximus, etiam de spirituali uita & resurrectione intelligenda sunt. Per Christum enim resurgit peccator à morte peccati, per ipsum accipit uitam gratiæ, per ipsum iustificatus conseruat uitam gratiæ, per ipsum adipiscitur etiam uitam gloriæ. Nemo igitur desperet propter præterita peccata, Christus enim est resurrectio. Nec quisquam cõtremiscat propter futuras tentationes, Christus enim est uita. Fidenter igitur cum Paulo clamemus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui iustificat, Rom. 8.
quis est qui condemnet? &c.

Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, &c.

Hoc uerbo (ne quis dicat, Quid mihi prodest, quod Christus tanta bona in se habet?) ostendit, se prædicta bona fidelibus communicaturum. Deinde, ne quis timeat, magno precio & labore sibi ea bona comparanda, ostendit se modico precio, immo gratis ea nobis communicaturum: *Qui credit*, inquit, *in me, &c.* quasi diceret, Non magnum exigo precium, sed sicut gratis promisi, sic gratis dabo, tantum si mihi credere potes. Fides igitur medium est, quo & uitam & resurrectionem, omniaq; bona Christi acquirimus.

Ideo autem fidei tribuuntur hæc bona, quia fides non innititur propriis meritis, sed tantum Christo, qui fallere non potest. Duo autem dicit, Primo: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet.* Hoc est, si mortuus fuerit carne, uiuet spiritu. Non enim est Deus Matth. 22.
mortuorum, sed uiuentium. Quicunq; enim in Christum credit, etiamsi carne moriatur uniuersorum hominum debitum persoluendo, uiuit tamen in anima, Christo, qui uita est animæ, inhærendo. Deniq; suo tempore reuiuiscet & corpore.

Secundo addit: Et omnis, qui uiuit & credit in me, non morietur inæternum. Hoc est, qui carne uiuit, & credit in me, etsi mortuus fuerit ad tempus morte corporis, non morietur in æternum propter uitam spiritus, & immortalitatem resurrectionis. Vtrunq; autem uerbum etiam de spirituali morte & uita intelligendum est, quemad-

modum & supra dictum est. Mystice ostendit hoc uerbo, & Iudæis & Gentibus salutis spem in ipso repositam esse. Mortuus erat Gentilis populus (qui enim sine Deo est, uere mortuus est) sed non
Eph. 2. desperet, quanquam enim mortuus fuerit, id est, à Deo alienus, credendo tamen in Christum, uitam gratiæ adeptus est.
Psal. 75. Viuebat autem Iudaicus populus, quia notus in Iudæa Deus erat, quem qui habet & possidet, uere uiuit. Ad conseruandam autem eam uitam, quam habebant Iudæi, opus eis erat fide in Christum. Hinc subdit: Viuis quidem ò Iudæe, quia Deum habes, sed eam uitam cito perditurus es, nisi ad me conuertaris. Igitur qui uiuit & credit in me, non morietur: Consequitur, quod qui non credit, quantumuis uiuat, morietur non credendo, sic econtra, qui mortuus
2. Cor. 3. fuerat, reuiuiscit credendo. Sic Iudæi non credentes in Christum, uere mortui sunt, nec aliqua spes eis restat, nisi ad Christum conuertantur.

Credis hoc?]

Hic uides, quid Christus à nobis exigat, nempe fidem, ut ei confidamus, & omnia bona ab ipso speremus: Secundum enim fidem
Mar. 9. nostram contingit nobis. Hinc Christus in alio loco: Si potes, inquit, credere, omnia possibilia sunt credenti.

Immo, nedum fidem cordis exigit, sed etiam confessionem fidei: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad sa-
Rom. 10. lutem. Hinc est, quod quamuis sciret Martham credere, nihilominus tamen quærit, An crederet, ut ad confessionem eam perduceret.

Ego credidi, quia tu es Christus]

Hæc est uera & perfecta fidei confessio, ac per omnia similis
Matth. 16. ei, quam & Petrus fecisse legitur, cum dixisset Christus: Vos autem, quem me esse dicitis? Tu (inquit Petrus) es Christus, Filius Dei uiui. Hæc fides, sicut Petrum, immo Ecclesiam, firmauit contra omnes portas Inferorum: sic hoc loco claustra Inferorum, quæ defunctum detinebant, aduersus istam fidem nihil ualuerunt, sed defunctum, quem absorbuerant, reddiderunt.

Ab utroq; autem sexu hanc fidei confessionem Christus requi-
Heb. 11. uit, quia sine hac fide nemo saluabitur. Impossibile est enim, sine fide placere Deo. Singula autem uerba suam Emphasim habent. Primo enim signanter dicit: *Ego credidi*. Non enim te (si adultus fueris) fides aliena saluabit, nisi & tu credas.

Deinde: *Ego credidi, quod tu es Christus*, hoc est, Messias.

Iam Messiam esse, est, Dominum peccati, afflictionum, mortis, & Inferni, adeoq; harum rerum uictorem esse. Nam propter hanc causam promissus fuit Messias, ut uincat omnes aduersarias potestates.

ſtates, Iuxta illud: Semen mulieris conteret caput tuum. Nec hoc contenta, inſuper addit: *Tu es Chriſtus, Filius Dei uiui*, quaſi diceret, Non tantum credo, per te euadere poſſe mortem & Infernum, ſed inſuper credo, per te poſſe adipiſci gratiam, uitam, & adoptionem filiorum, Patriſq; hæreditatem. Tu enim es uerus Filius Dei, tibi hæc omnia ex natura competunt, ideo & aliis ea communicare potes. Gen. 3.

Poſtremo addit: Qui in hunc mundum ueniſti. Quo uerbo ſummam illam Dei dignationem breuiter complectitur, qua noſtri miſertus, mundum intrauit.

In his igitur quatuor, uera confeſsio fidei conſiſtit. Atq; utinam hæc uerba tempore mortis, nouiſsima uerba noſtra eſſent. Fieri enim non poteſt, ut mala mors ſequatur, ubi uita in hac confeſsione terminatur: Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur. Apoc. 14.

Abijt & uocauit ſororem ſuam ſilentio]

Hic iterum piam huius mulieris mentem uidemus. Fidei enim eſt, quod non amplius contendit, ſed uerbo, quod dixerat Chriſtus, confirmata adhæret. Charitatis autem eſt, quod propria conſolatione non contenta, etiam pro ſorore curat, eamq; ad Chriſtum conſolatorem adducit. Sciebat enim hoc Chriſto placere, quantumuis non legatur, Chriſtum iuſsiſſe, ut ſororem uocaret: Vnicuiq; enim mandauit Deus de proximo ſuo. Hinc & in Apocalypſi dicitur: Qui audit, ſcilicet à Deo conſolationem, dicat (proximo ſcilicet) ueni. Et Iſaias: Loquimini ad cor Hieruſalem, &c. Diſcretionis autem & modeſtiæ eſt, quod Martha ſororem uocat ſilentio, tum quia Iudæi Chriſto contrarij, cum ea erant, quibus nolebat Chriſtum prodere: tum quia decet mulierem, non eſſe clamoſam. Eccleſ. 17. Apoc. 22. Iſa. 40.

Magiſter adeſt, & uocat te]

Lætiſsimum hoc nuncium eſt afflicto homini. Eſt enim ſenſus, Quid tam diu audis homines illos oneroſos conſolatores? En uerus ille conſolator adeſt: nec ſolum adeſt, ſed & uocat te. Sic uere Chriſtus nobis adeſt ſemper, ac inſuper conſolationes ſuas nobis offert. Congrue autem Magiſtrum eum nominat: Vnus eſt enim Magiſter noſter, Chriſtus. Matth. 23.

Illa ut audiuit, ſurgit cito, &c.]

Hactenus Maria (per quam uel fides uel uita contemplatiua ſignificatur) uidebatur ocioſa ſedere: hic tamen etiam ipſa prodit ad externa opera. Sic enim & fides & uita contemplatiua uidentur

quidem ociari, sed tamen suo tempore ad opera prodeunt. Quatuor autem per ordinem hic de Maria scribit Ioannes, in quibus perfe-
Rom. 10. ctio Christiana consistit. Primum est audire: Fides enim ex auditu. Nam quomodo crederent in eum, de quo non audierunt?

Secundum est surgere. Nihil prodest auditus uerbi, si non sur-
Eph. 5. gas à peccatis, & pristina conuersatione? Hinc Paulus: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, &c. Tertium est festinare: Cito, inquit, surrexit. In uia enim Dei nedum retrocedere uitiosum est,
Psal. 118. sed etiam stare aut tarde progredi. Hinc Dauid: Viam mandato-
Heb. 4. rum tuorum cucurri. Et Paulus: Festinemus ingredi in illam requiem. Quantum est, uenire ad Iesum. Hic est finis debitus, quem nisi attingas, frustra audis, surgis, & ad tempus festinas. Hinc
1. Cor. 9. Paulus: Sic currite, ut comprehendatis. Et Christus: Qui perseueraueris usq; in finem, saluus erit. Sic igitur etiam Maria desidiam nostram confundit. Sunt enim inter nos plærique, qui ne audiunt quidem: Pauci autem, qui audiunt & surgunt: Pauciores, qui festinant: Paucissimi autem, qui ad Iesum perueniunt, ut uerum
Matth. 22. sit illud: Multi uocati, pauci uero electi.

Nondum uenerat Iesus in Castellum]

Non festinat Christus ad sepulchrum, sed expectat, donec ipsi dicant: Veni & uide, ne uideretur propriam gloriam quærere.

Docemur hic fugere ostentationem & iactantiam.

Iudæi ergo, qui cum ea erant, secuti sunt]

Referebat enim gloriæ futuri miraculi, ut multi eius testes adessent, quamuis hi Iudæi alia intentione Mariam sequerentur.

Sic enim semper mundus in suis operibus alio respicit, Domino interim opus suum tacite exequente. Obserua quod sola Maria uocatur: Nihilominus tamen etiam alij testes assunt in perfectione huius miraculi. Per hoc enim significatum est, opera Dei coram bonis & malis fieri, fructum tamen & consolationem ad solos peruenire uocatos.

Vadit ad monumentum, ut ploret ibi]

Vocarat Christus Mariam non ad plorandum, sed ad consolationem. Verum hoc nesciebant Iudæi. Atq; hic pulchre descripta est opinio mundi de sanctorum operibus. Opinatur enim, sanctos non nisi ad luctum tendere, quandoquidem plærunq; affliguntur, cum tamen interim per luctum & afflictiones, ad summam consolationem & liberationem, ab oculis mundi absconditam, penetrant.
2. Cor. 6. Hinc Paulus: Quasi morientes, & ecce uiuimus: quasi dolentes,

semper

semper autem gaudentes, &c. Sic Israëlitæ uidebantur in desertum ire, sed per desertum penetrabant ad terram lacte & melle manantem. Sic Abel uidebatur in mortem ire, sed adeo non est mortuus, ut sanguis eius etiam post mortem in cœlum clamauerit. Gen. 4.

Videbatur & Christus in horrendissimas tenebras ire Inferni, sed adeo non fuit tenebris captus, ut per eas in summam lucem penetrarit. Summa, Mundus nescit, quod sancti & pij ad consolationem pergant, ideo mundus eos non sequitur: Putat enim eos in interitum ire.

Maria ergo, cum uenisset ad Iesum, &c.]

Obserua etiam hic pia opera in Maria, immo hic uidebis & radicem & uerum ordinem bonorum operum. *Cum uidisset* (inquit) *Iesum*. Hæc est radix omnium bonorum operum, cognitio scilicet Christi. Qui enim eum non uidet, hoc est, cognoscit, nunquam procidet ante eum, nec eum orabit. Deinde procidit ante Iesum. Cognitionem enim Dei, primo omnium sequitur humiliatio sui ipsius. Fœliciter cadit, qui coram Domino procidit: Econtra autem, male stat, qui coram Deo se non humiliat, sed erigit, quemadmodum primus ille Angelus & Pharisæus ille in Euangelio, qui nedum corpore, sed & animo stans, sua bona iactabat. Hinc Petrus: Humiliamini, inquit, sub potenti manu Dei. Deus enim secũdum Iacobum superbis resistit, humilibus dat gratiam. Hinc & Dauid: Adoremus & procidamus ante eum, &c. Procidit autem Maria coram Iesu, nihil uerita Iudæorum præsentiam, ad confusionem eorum, qui in secreto quidem se humiliant coram Deo, in publico autem erubescunt se humiliare. Signanter autem dicitur ad pedes Domini procubuisse, nec immerito. Apud pedes enim Domini, remissionem peccatorum inuenit. Ibidem etiam consolatoriam illam uocem audiuit: Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Denique apud pedes Domini sedens, audire meruit: Optimam partem elegit sibi Maria, etc. Quid ni igitur ad eosdem Domini pedes etiam nunc accurreret? Lucæ 18. 1. Pet. 5. Iac. 4. Psal. 94. Lucæ 7. Lucæ 10.

Mystice caput Christi Deitas est: Pedes autem ipsius, humanitas. Qui igitur attingere non potest sublimem Deum, apprehendat humilem hominem Christum, ei adhæreat fide, charitate, imitatione. Vel, Pedes Christi ipsius membra sunt, hoc est, fideles. Quam igitur reuerentiam personæ Christi exhibere non potes, eam membris eius impende. Quod enim uni ex minimis eius facis, ipsi facis, quemadmodum in Matthæo dicit. Matth. 25.

Domine si fuisses hic, &c.]

Eadem uerba sunt, quæ & Martha prius dixerat. Nihil autem aliud conqueruntur pij omnes, quàm absentiam Christi. Sic &

Thren.1. Hieremias: Ideo (inquit) ego plorans, &c. quia consolator longe factus est. Habet autem uerbum hoc non nihil fidei, sed iuxta hoc non parum imbecillitatis. Fidei est, quod tam indubitanter pronunciat, præsentiam Christi potuisse obstare etiam morti. Est enim sensus: Quamdiu nobis præsens fuisti, nec mors, nec infirmitas nobis appropinquare ausa fuit, apud quas uitam hospitari nouerat: At ubi abscessisti, affuit mors, quæ fratrem nostrum acerbo funere rapuit. Imperfectæ autem fidei est, quod Christum putat abfuisse. Item, quod putat eum non posse seruare, nisi præsens sit. Item, quod ita Lazarum fratrem suum nominat, quasi ipsa sola pro ipso curet, non autem Christus. Cum certum sit, quod ipse plus pro nobis curet, quàm nosipsi: Ipsi, inquit, cura est de uobis. 1.Pet.5. Quod autem Maria solum hoc uerbum dixit, factum est partim ex uehementia doloris, de morte fratris: Partim autem ex abundantia gaudij, de aduentu Christi. Quemadmodum enim magnus dolor, sic & magna & insperata lætitia uerba abrumpit & præscindit. Cæterum, quod uerbis non exprimit Maria, hoc lachrymis ostendit. Atq; hoc Psal.94. est, quod Deus potissimum attendit in oratione. Hinc Dauid monet, ut ploremus ante Dominum.

Iesus ergo uidens eam plorantem]

Nihil ei respondet Christus, tum quia plena erat luctu, qui ubi cor occupat, frustra fiunt plurima uerba: tum quia non sola erat, sicut Martha fuerat: tum tertio, quia iam tempus erat præstandi ea, quæ Marthæ promiserat. Obserua quod Christus hic non arguit Matth. 9. plorantes, quemadmodum fecerat in suscitatione filiæ principis. Planctus enim super mortuos, si ex charitatis affectu procedat, prohibitus non est. Hinc Ecclesia planxisse dicitur mortem Stephani. Act. 7. Idem legimus de patribus ueteris Testamenti. Vnde & Sapiens ait: Super mortuum plora, defecit enim lux eius. Verum continuo Eccles. 22. addit: Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit, &c.

Immo ex toto non compati nec mœrere, ferinum est & durum: Nimium autem dolere, muliebre est, immo & Ethnicum.

Moderate itaq; lugendi sunt mortui, ne uideamur dubitare uel de immortalitate animæ, uel de futura resurrectione. Hinc Paulus: 1. Thess. 4. Nolumus uos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, &c. Secundo moderate lugendi sunt mortui, ne Matth. 6. contra Deum facere uideamur, cum tamen quotidie oremus, ut eius uoluntas fiat. Tertio, quia quantumuis lugeas, tamen mortuum ad uitam tuo luctu reuocare non potes. Imitare itaq; exemplum Dauidis, qui infirmo quidem adhuc filio, plorauit: eo aũt mortuo, 2. Reg. 12. cessauit à luctu. Ego (inquit) uadam ad eum ipse nõ reuertetur ad me. Immo uel gentilium quorundam exemplo discamus, fortiter ferre

mortem

mortem charorum. Vide in Valerio Maximo. Quid enim plangis mortuum? Si peccator est, gaudendum potius, quia malitia eius abscisa est: Si iustus, quod in tuto collocatus & liberatus est futura formidine: Si iuuenis, quod ex medio malorum ereptus: Si senex, quod eo diutius usus es. Quod si plorare uis utiliter, deplora peccata tua & aliorum.

Infremuit spiritu]

Hunc fremitum, aut quamcunq; aliam passionem siue affectionem, non accipiamus uel intelligamus in ipso fuisse Christo, cum animi præcipitatione aut effreni impetu, sed cum summa & placida animi tranquillitate, rectæ rationis semper directi moderatione: Fuit enim in eo uirium omniū ordinatissima ratio. Neq; sicut in nobis, passiones illæ suo motu rationē præuenerūt in Christo, sed consecutę sunt ipsam, & excitatę à uoluntate et ratione: Proinde, quando & quomodo uoluit, illis affectus est. Ideo autem huiusmodi innocuis passionibus sponte assumptis (ut turbatione, tristitia, pauore, horrore, &c.) interdum moueri uoluit Christus, & humanam conditionem in se, quod suum erat, prosequi, quo se ostenderet non solum humanam carnem uere assumpsisse, sed & humanæ naturæ proprietates omnes, ex quibus non apparens aut phantastica in eo carnis assumptio, sed uera prorsus comprobaretur. Congrue autem hoc loco Euangelista diuersos, & quasi contrarios affectus, Christo tribuit, ad ostendendam naturarum in eo diuersitatem. Quod enim fremuit, fortitudinis est, & fortissimæ diuinitatis: Quod autem eodem fremitu turbatus est, humanæ infirmitatis est.

Cæterum fremitus iste, nihil aliud est, quàm indignatio quędam, qua commouetur Christus, aduersus potentiam peccati, mortis, & Inferni, immo aduersus ipsum Diabolum, cuius inuidia, peccatum, & mors, intrarunt in orbem terrarum, cuiusq; Tyrannide omnes homines ab orbe condito pressi erant. Hoc autem fremitu ostendit, se odire regnum mortis, & Diaboli Tyrannidem, nec uelle ut pereat peccator, sed ut conuertatur, & uiuat. Sap. 1. Atq; hic uides, quid sit illud: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum. Ezech. 18. Sap. 1. Itemq; illud: Ira in indignatione eius, & uita in uoluntate eius. Psal. 29.

Deinde hoc fremitu ostendit, se unum esse, qui regnum Diaboli euacuare possit, & ob eam causam in mundum uenisse, ac iam tempus esse, ut destruatur Tyrannis Diaboli. Atq; hoc est, quod Dauid petebat in Psalmo: Accingere, inquit, gladio tuo super femur tuum potentissime, &c. Et iterum: Tu exurgens misereberis Sion, quia uenit tempus miserendi eius. Psalm. 44. Psalm. 101.

Summam igitur consolationem nobis præbet hic fremitus Christi in omnibus aduersis, præcipue autem in horrore mortis.

Ex hoc enim Christi facto, certi sumus, Deum fremere aduersus Tyrannidem omnium aduersitatum.

Iam si Deus irascitur morti & Inferno, Diabolocp, qui poterunt coram credentibus constare, quandoquidem nulla creatura iræ Dei resistere potest? Antequam Christus inciperet contra Diabolum fremere, nullus homo eum uincere poterat: Nunc autem, postquam Christus nobiscum stat, facile etiam à pueris & puellis uincitur Diabolus. Hinc est, quod toties in scriptura dicitur:
Rom. 8. Dominus pugnabit pro uobis, &c. Hinc & Paulus: Si Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos?

Et turbauit seipsum]

Turbatio hæc nihil aliud est, quàm commiseratio miseriæ nostræ. Nec enim eadem erat cæterorum flentium, & Iesu turbati ratio: Illi humano quodam affectu mortem corporis deplorabant, Iesus magis indignabatur peccatis hominum, per quæ tam multæ perirent animæ. Turbabatur, quod in tantam miseriam deuenisset tam nobilis creatura, homo scilicet. Non enim tantum in Lazarum respiciebat, sed in totum humanum genus. Turbabatur item ob ludæorum incredulitatem, qui corporis mortem flebant in amico, non autem mortem animæ in seipsis. Turbabatur item, in multis perituram doctrinam, miracula & mortem suam.

Congrue autem Ioannes utruncp expressit, & fremitum Christi, & turbationem, lachrymascp, quorum illud iræ, hoc charitatis indicium est: Vt ostendat, Christum odisse quidem peccatum & mortem, sed tamen amare peccatorem & mortuum, ut resipiscat & uiuat. Ex hoc igitur affectu uidemus eius charitatem erga
Heb. 4. nos, commonemurcp, ut nos ei tuto credamus, &, ut Paulus docet, cum fiducia accedamus, &c. Deinde discamus & nos fremere contra peccatum: sed ita, ut tamen diligamus peccatorem.

Potest etiam hæc Christi turbatio referri ad eius passionem, in qua ipsius humanitas adeo turbata fuit, ut diceret: Tristis est
Matth. 27. anima mea usc; ad mortem. Item, Deus meus ut quid me dereliquisti. Hæc autem turbatio, post fremitum secuta est. Propterea enim in passionem mortis deuenit Christus, quod nostri misertus, contra Diabolum infremuit, ac ei se opposuit. Poterat quidem eum solo fremitu, hoc est, sola diuinitatis potentia uincere, sed noluit: quin potius ut immensam nobis ostenderet dilectionem suam, etiam turbari uoluit. Hinc & aptè dicit Ioannes: *Turbauit seipsum,*
Ioan. 10. alioqui quis eum turbare potuisset? Nemo, inquit, tollit animam meam à me, sed ego à meipso pono eam.

Obseruandum & hoc, quod infra iterum fremuisse dicitur post illam turbationem. Vere enim post passionem suam iterum fremuit,

cum

cum scilicet in resurrectione sua, tanquam leo fremens & rugiens, Gen. 49.
ad prædam ascendit, ac mortis principem spoliauit.

Vbi posuistis eum?]

Non hoc inquirit, quasi ignorans sepulchrum eius. Qui enim absens sciuit mortuum, scit & ubi sit sepultus: sed ideo inquirit, quia non uult ipse se injcere ad faciendum miraculum, quin potius omnia ab alijs discere & rogatus facere, ne ostentationis causa quicquam feciſſe uideretur. Deinde etiam ideo inquirit, ut omnes præsentes excitet & attentos faciat, ad expectationem gloriæ Dei.

Præterea hac interrogatione etiam nos admonet miseriæ nostræ, in quam prolapsi sumus, quasi diceret, Videtis nunc finem mundanarum opum. Sic & olim dixit ad primum hominem, post præuaricationem: Adam ubi es? quasi diceret, Agnosce unde Gen. 3.
ceciderit, & quo peruenerit, &c.

Veni & uide]

Pia precatio, & omnino similis ei, quam Hieremias facit, cum dicit: Intuere & respice opprobrium nostrum. Itemq; Isaias: Num- Thren. 5.
quid super his te continebis Domine? Isa. 64.

Et lachrymatus est Iesus]

Vel hic unus locus insigniter nobis ostendit charitatem Christi, ac plane confirmat id, quod Paulus ait: Non habemus Pontificem, Heb. 4.
qui non possit compati nobis, &c. Quanquam nihil mirum sit, quod lachrymas pro nobis fuderit, qui tam copiose pro nobis etiam sanguinem fudit.

Fleuit autem Christus non tam ob id, quod Lazarus mortuus erat, quàm quod resuscitandus erat ad miserias huius uitæ, quas iam euaserat. Immo non ipsum Lazarum tantum, sed in ipso omne humanum genus defleuit, quod eo prolapsum erat, ut ei uelit nolit moriendum sit. Hoc autem fletu suo, Christus leuitatem nostram arguit, qui in tantis miserijs & periculis positi, etiam rium ridemus: Risum (inquit Sapiens) reputaui errorem, & gaudio Eccle. 2.
dixi: Quid frustra deciperis?

Deinde etiam intempestiuas nostras lachrymas hoc suo fletu arguit, ut qui ploramus in morte hominis, qua homo à miserijs huius uitæ liberatur, cum magis plorandum esset in natiuitate hominis, qua ad innumeras miserias ingreditur. Sic enim Christus non in morte Lazari, sed in ipsius resuscitatione lachrymatus est.

Præterea etiam hi intempestiue flent, qui in alijs mortem corporis deplorant, non autem mortem animæ, immo nec in seipsis mortem

animæ

Lucæ 23. animæ curant. Contra hos loquitur Christus: Nolite flere super me, sed super uosipsos. Obseruandum autem, quod fleuisse quidem legitur aliquoties, nunquam autem legitur risisse. Per hoc nos docuit, non esse locum gaudij, nec tempus in hac uita, sed potius tempus & locus fletus & tristitiæ.

Lucæ 19. Signanter autem legitur Christus ter fleuisse: Super ciuitatem scilicet Hierusalem, In suscitatione Lazari, Et in cruce, ubi (ut Heb. 5. Paulus ait) cum clamore ualido & lachrymis, supplicationes suas Deo obtulit, &c̃.

Primo fletu docuit nos deflere peccati occasionem, quæ est in mundi uana concupiscentia. In secundo docuit nos deflere æternæ uitæ priuationem, quæ fit per peccatum. In tertio docuit nos flere in deuotione orationis, quemadmodum Dauid: Psal. 6. Laboraui, inquit, in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo, &c̃.

Ecce quomodo amabat eum]

Verissime iudicabant. Ex maxima enim charitate processerant uel perfluxerant hæ lachrymæ. In hoc tamen errabant, quod putabant Christum pro more humano & ex carnali affectu fleuisse. Item, quod putabant eas lachrymas soli Lazaro impensas esse, cum ueraciter toti generi humano impenderentur. Hoc autem mundus ignorat, uel non credit. Hinc Paulus orat, ut detur nobis Eph. 3. agnoscere quanta sit longitudo, latitudo, profunditas, & sublimitas charitatis Dei, &c̃.

Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, &c.]

Sensus est, Nonne hic nuper aperuit oculos cæci mendici, qui cum nihil erat illi familiaritatis? Quur igitur non effecit, ne tantus amicus moreretur? Si noluit, cur nunc lachrymis testatur intempestiuum amorem? Si non potuit id, quod facilius est: quomodo præstitit id, quod difficilius est? Ægrotum sæpenumero medicus in uita retinet, cæco nato nullus unquam aperuit oculos.

Hoc modo solet mundus de operibus Dei iudicare. Cum enim non statim succurrit aut præstat quod petitur, iudicat mundus, quod aut non uelit aut non possit præstare, sicq; uel de Dei uoluntate, uel de eius potentia diffidit.

Matth. 27. Sic & Iudæi impotentiæ ascribebant, quod Christus non descenderet de cruce: Alios (inquiunt) saluos fecit, seipsum non potest saluum facere, &c̃.

Qui autem operum Dei rationem nouit, non ascribit hæc impotentiæ uel inuidentiæ, sed admirandę ipsius prouidentiæ & dispensa-

tioni

tioni, qua illud facit, quod nostræ saluti condecentius est & utilius: Ideo, siquidem opera Dei prima fronte stulta uidentur, ut nouissime magnificentiora fiant. Sic Christus non præseruat Lazarum à morte, maius enim opus erat facturus.

Sic olim Israelitas non uno momento traduxit ex Ægypto ad terram promissam, sed per mare, per desertum, per uaria discrimina rerum, ut ex stulto inceptio gloriosius Dei opus fieret. Et Dauidem non mox ab ouibus ad regnum perduxit, sed per plura mala, &c. Obserua quod Christus hoc loco calumniatoribus nihil respondet, ut doceret nos diuersa hominum iudicia de nostris factis sufferre. Proinde, quando nemo calumnias impiorum effugere possit, hoc solum conandum est, ut digne iuxta uerbum Domini ambulemus, & calumnias interim ortas, surda aure transeamus, certi confusos iri calumniatores. Siquidem confusio est ipsorum germanum iudicium. Exod. 14. 1. Reg. 19.

Iesus autem rursus fremens in seipso]

Hoc secundo fremitu exprimit indignationem animi in Iudæorum maleuolentiam & improbitatem, qui non desistebant iugiter calumniari opera eius. Obserua quod Christus bis fremuisse dicitur, sed differenter. In primo fremitu additum est: Et turbauit seipsum. In secundo autem nihil tale additum est, siquidem cum primum fremuit Dominus spiritu fortitudinis suæ, id est, quando Infernum debellaturus intrauit, uera passione mortis turbatus est. Quando autem fremet iterum, scilicet ad iudicandum ueniens, non turbabitur, quia iam impassibilis est, & mors illi ultra non dominabitur: Tunc uociferabitur, & clamabit, & magno fremitu super inimicos suos confortabitur. Illo, inquam, fremitu suo mouebit uirtutes cœlorum, rumpet somnum mortuorum, rapiet ad se in nubes agmina uiuorum, quos unus idemq; terror ualidę tempestatis occidet, & eodem momento rursus excitatos uiuere faciet. Rom. 6. Matth. 24. 1. Thess. 4.

Venit ad monumentum]

Præsens Lazarum suscitare uoluit, ut constaret per ipsum factum miraculum hoc. Obserua quantum se demiserit summa illa Maiestas, quod etiam ad monumenta nostra descendere dignata sit.

Erat autem spelunca & lapis superpositus]

Faciunt & hæc ad miraculi fidem, ac præstigij suspitionem excludendam. Ex hoc autem loco uidemus, sanctos ueteris Testamenti sepulchra sibi ante mortem præparasse, quemadmodum & de Abraham, Isaac, & Iacob legitur. Hoc autem fecerunt non ex curio- Gen. 23.

sitate,

sitate, sed ex fide, ut uel per hoc testarentur infidelibus, inter quos habitabant, se credere futuram resurrectionem.

Tollite lapidem]

Poterat per seipsum uel solo nutu amouere lapidem (qui enim mortuum corpus mouere, & animam inspirare solo uerbo potuit, quomodo non potuisset mouere lapidem?) sed noluit, ut miraculum certius redderetur, si res non ipsius aut discipulorum, sed cognatorum manibus perageretur, in quos nulla cadebat præstigij suspitio. Immo potuisset eum citra amotionem lapidis, atq; adeo per ipsum lapidem educere, sed & hoc noluit, ne dicerent, quod supra de cæco Ioan. 9. dixerunt: Non est hic, sed alius similis ei. Nunc autem, cum præsentes affuerint, lapidem tulerint, cum ligatus exierit, cum amici ipsum uiderint, & ex uestibus agnouerint, &c. hæc omnia sufficientia erant, quæ uel impudentibus silentium imponerent. Præterea etiam ideo non per seipsum amouit lapidem, quia non opus hic erat miraculo, cum per homines præsentes amoueri posset. Procul enim à sapiente & matura eius omnipotentia omnis curiositas. Decet nanq; ut in his tantum fortitudinem suam utiliter exhibeat, in quibus operari humana infirmitas non ualet. Quo facto etiam nos docuit, ut ibi tantum diuinam præstolemur potentiam, ubi humanam constat deficere industriam, alioqui contra illud præceptū faci- Deut. 6. mus: Non tentabis Dominum Deum tuum. Demum ex hoc loco uidemus, Deum in suis operibus non excludere opera nostra uel industriam, quin potius exigere: Immo sub operibus nostris, atq; adeo sub communi cursu rerum, & naturæ ordine, sua opera, hoc est, ingentia miracula perficit. Sic sub nostro labore, quo terram colimus, ipse absconditè suum opus perficit, hoc est, incrementum dat. Hoc modo etiam in spiritualibus, quamuis ipse operetur omnia in omnibus, ac nostris operibus non egeat, tamen ea exigit, & sub ipsis sua opera perficit.

Domine iam fœtet, quadriduanus, &c.]

Hoc dicit, uel quod pudet fœtoris in fratre, uel quod timet, ne Christus alijq; astantes fœtore offenderentur. Iam enim oblita erat & sermonis, quem dixerat Iesus: & confessionis, quam ipsa fecerat. Potest etiam dici, quod præ admiratione, raritate, & inaudita talis miraculi nouitate, dubitare incœperit humanum aliquid passa. Sic enim solet accidere hominibus ex quadam debilitate rationis. Vnde Genes. 45. & multum læta uix creduntur, quemadmodum Iacob uix credere potuit, quod Ioseph uiueret. Et quotidie experimur, quod licet narrantibus magnam prosperitatem affuturam credamus, tamen cum in proximo est, ut sic eueniat, hæsitare incipimus. Hic igitur iterum uidemus, quam ardua res sit fides. Eadem enim Martha, quæ supra

tam

tam magnifice de Christo confessa est: nunc dubitare incipit, ac sapere quæ hominum sunt. Idem contigit Petro, qui Christum egregie confessus, paulo post labitur, cum Christum increpat, ne se in passionem tradat. Sic enim in fide imbecillibus solent sibi alternis succedere carnis & spiritus prudentia, donec fuerint reuelatione Patris confirmati. Quod autem Martha dicit Lazarum fœtere, qui tantum quatuor dies mortuus fuerat, insigniter probat id, quod Isaias magno clamore denunciauit: Omnis, inquit, caro fœnum. Matth. 16. Isa. 40.

Sapientissime autem (ut interim de iustitia taceam) à Deo constitutum est, ut terra in terram resoluatur, corporaq; nostra putrescant. Nam si corpora nostra nullo fœtore inquinata conseruarentur, primum perniciosissimum superbiæ malum magis uigeret. Deinde non facile aliqui sibi persuaderent, terrena esse corpora nostra. Tertio, magis ab hominibus corpora diligerentur. Quarto, homines non multum desiderarent statum futuræ uitæ. Quinto, non facile cognosceretur, quanta sit uirtus animi, nec quantum ipsi corpori affert anima, cum ei coniuncta est. Sexto, multi amore suorum, cœtibus hominum spretis, ut continuo suos uiderent, sepulchra inhabitare non erubescerent, &c.

Nonne dixi tibi, si credideris, uidebis, &c.

Hactenus leniter cum Martha locutus est: Nunc duriusculè ei loquitur, eamq; increpat. Merito enim increpantur, qui multa uiderunt & audierunt, & tamen dubitant. Quanquam & hæc ipsa increpatio admodum mansueta sit. Quamdiu enim hic sumus, non in finem irascitur nobis Deus. Væ autem his, quibus in alia uita irascetur. Sensus autem uerbi est, Nonne, o Martha, habes uerbum: Resurget frater tuus? Crede huic uerbo, & miranda uidebis. Item, Nonne dixi tibi: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei? Quam autem putas me promisisse gloriam Dei, nisi inauditam hactenus resuscitationem quatriduani? Gloria Dei est, quod omnia potest & solo uerbo uel nutu, quod bonus est, quod uerax, &c. Obserua, quod cum supra dixisset coram discipulis, Filium Dei per infirmitatem Lazari glorificandum: hic præsentibus Iudæis, tacet de Filio, & tantum dicit: Videbis gloriam Dei, ne scilicet Iudæi offenderentur, & ne uideretur propriam gloriam quærere.

Obserua item ex eo, quod dicit: *Si credideris, uidebis*, quàm magnum bonum sit fides, quantaq; efficiat. Sic & in alio loco dicit: Omnia possibilia sunt credenti. Mar. 9.

Iesus autem eleuatis sursum oculis

Oculos in cœlum leuat, ut ostendat, se operari non arte Magica, sed uirtute diuina. Deinde, ut nos doceret oculos mentis in cœlum

seuare, a omnia à Deo petere, omniaq; in eum demuo referre. Sic
Thren. 3. Hieremias: Leuemus corda nostra cum manibus, &c.

Sæpius autem legitur Christus in cœlum suspexisse: Multiplica-
Matth. 14. turus quinq; panes, in cœlum suspexit, ut doceret à Deo quærenda,
Mar. 7. quæ ad uictum pertinent. Surdum & mutum curaturus idem fecit,
ut doceret à Deo esse, ut audiatur & obediatur uerbo Dei. Sic pro
Ioan. 17. clarificatione sua oraturus, in cœlum suspexit, ut doceret ueram glo-
Ioan. 11. riam non è terra, sed è cœlo quærendam. Sic & hoc loco in cœ-
lum suspiciens, docuit, uirtutem resurgendi non aliunde esse, quàm
à Deo.

Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me, &c.]

Christus & magna & humilia de se loquitur, sed differenter. Alta enim & magna raro, & ea quidem abscondite: Humilia autem & abiecta, frequenter loquitur. Qui enim perfecti futuri erant, ex uno alte & magnifice dicto, totum intelligere poterant. Hi autem cum rudes essent, nisi sæpenumero eadem audissent, nullum cœpissent emolumentum. Cæterum hæc ipsa uerborũ Christi humilitas, hæreticos ualde offendit, præsertim Arrium, qui inde colligere noluit, Christum hominem tantum esse, & miracula sua precibus à Deo obtinuisse, quemadmodum cæteri sancti. Atqui, si preces ei quid contulerunt ad Lazarum suscitandum, quomodo alia mi-
Mar. 9. racula fecit sine precibus: Surde, inquit, & mute spiritus, ego tibi
Matth. 8. præcipio, exi ab homine isto, &c. Item: Volo mundare. Item:
Ioan. 5. Surge, tolle Grabatum tuum, &c. Deinde, si precibus solis obtinuisset miracula, non potuisset Apostolis dare uirtutem faciendi
Matth. 10. miracula. Atqui certum est, quod eam potestatem ipsis tribuit, quodq; Apostoli inuocato nomine Iesu, miracula fecerunt: In no-
Act. 3. mine Iesu (inquit Petrus) surge, &c. Denicq; hic idem locus manifeste indicat, quod Christus non precibus, sed propria uirtute Lazarum suscitauit. Primo enim, nemo gratias agit de eo, quod adhuc non recepit: Christus autem hic ante miraculum gratias agit.

Deinde, nemo scit ante orationem se exaudiuum esse: Christus autem ante orationem se exauditum dicit. Postremo, nemo scit se semper fore exaudiendum, præter unum Christum. Constat igitur, quod maior homine fuit, immo quod miracula propria uirtute perfecit. Non igitur nos offendat humilitas uerborum, sed hinc potius gratias agamus, quod summa illa Maiestas, propter nostram salutem, etiam dignitatem suam quodammodo contemnit.

Facturus autem miraculum Christus, prius gratias agit de præteritis, erudiens nos & de acceptis beneficijs gratias agere, ut ad maiora suscipienda reddamur idonei.

Obserua quod quamuis effectus nondum impletus esset, tamen

Christus

Christus dicit se exauditum, quia certificatus erat de eius impletione. Sic piùs homo non dubitet orationē suam à Deo exauditam, etiamsi effectus non statim sequatur. Stat enim sententia: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Ioan. 16. Sed interim ipse Pater nouit, quando dandum sit, hoc igitur tempus patienter expectandum. Sic Thobiæ oratio dicitur fuisse exaudita, cum tamen effectus diu post sequeretur. Thob. 3.

Ego autem sciebam, quoniam semper audis me]

Sensus est. Ego, inquit, cum sim æternus Filius tuus, scio me tibi per omnia dilectum, cui & omnia bona tua ab æterno dedisti, quomodo igitur fieri posset, ut mihi quicquam denegares? Semper audis me, id est, non in tempore uel hora, sicut participes meos iustos homines, quorum in nullo mansit spiritus gratiæ, quorum nullus sicut potestatem habens, sed sicut donum accipiens operatur opus gloriæ tuæ. Nulli enim semper adest manifestatio spiritus ad utilitatem, nec semper se audiri, nec semper sibi adesse sentit uirtutem. 1. Cor. 12. Igitur singulariter sum ego in eo, quod semper me audis, quod nunquam mihi deest uirtus operandi.

Verum huic contrarium uidetur, quod in Psalmo dicitur in persona Christi: Clamabo per diem, & non exaudies, &c. Sic enim non exauditus est in eo, quod deprecabatur calicem passionis. Psal. 21. Matth. 26.

Respondendum, In his quæ absoluta & simplici uoluntate citra annexam conditionem uoluit Christus & petiuit, semper ipsum esse exauditum. Si enim aures Domini ad preces iustorum inclinantur, quanto magis in preces Christi, qui summa est iustitia? De his loquitur hic. Psal. 33. In his uero, quæ non absolute nec simpliciter, sed annexa tantum conditione Christus orauit, non est semper exauditus, ut cum calicem deprecaretur, conditionem addidit: Non sicut ego uolo, &c. Et de ijs orationibus loquitur Psalmus. Matth. 26.

Sed propter populum, qui circumstat dixi]

Quasi diceret, Non est quod meæ gloriæ gratia quicquam miraculorum operer, satis iam ante mihi apud te celebritatis est, nec ego cuiusquam egeo testimonio, sed quod miracula operer, turbæ gratia fit, quo habeant sigillum uerbi mei. Deinde quod tam humiliter de meipso loquor, non ideo fit, quod minor te sim in natura; sed ne populus offendatur, si aperte me dixero Deum esse tibi coæqualem. Deinde nec ego pro me indigeo oratione, sed propter populum orauí, ut ipsi per me tibi reconcilientur. Itemq; ut eorum quoq; orationes efficaciores sint.

Tunc autem orationes nostræ efficaces sunt, cum orationi

Christi ceu basi & fundamento innituntur.

Vt credant, quia tu me misisti]

Vt credant, quod ego sim salus, lux, uita, & resurrectio omnium credentium: talem enim te decet mittere. Deinde, ut credant me tibi non esse contrarium. Praeterea, ut credant me credentibus affuturum, etiamsi ab omnibus creaturis derelinquantur. Demum, ut credant te eadem erga ipsos flagrare charitate, quam ego ipsis ostendi. Haec sunt quae Christus cupit nobis inculcare, ac ob eam causam omnia & dixit & fecit.

Clamauit uoce magna]

Hactenus & uerbis & gestibus humilitatem praetendit Christus: Nunc econtra ipso clamore uocis & re ipsa ostendit potestatem diuinae naturae. Clamat autem uoce magna, quia à magno affectu, à magno mysterio, pro magno miraculo, pro magno auditu, pro diuulgatione magna, pro magna memoria. Voce magna in
Lucae 23. hanc uitam reuocat mortuum, qui pendens in cruce uoce magna tradidit spiritum, quoniam aeque magnus est moriens & uiuens.

Praeterea magna uoce clamauit ad significationem futurae resurrectionis, quae magno coelorum fragore, magna coelestium uirtutum commotione fiet. Deus enim noster tunc manifeste ueniet,
Psal. 49. & non silebit: Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu tempestas ualida, &c.

Lazare ueni foras]

Sicut uerbo mundum condidit, sic & uerbo miracula perficit, ut
Ioan. 1. ostenderet, se Deum esse, immo ipsum Dei uerbum, per quod omnia facta sunt. Lazarum autem nominatim exprimit, alioqui hac uoce omnes mortui excitati fuissent. Nec dicit, Surge tu, sed: *Veni foras*, ut uiuenti loquens ei, qui mortuus fuerat, nec tanquam mortuum, sed tanquam sanum, tanquam uiuum, tanquam audire paratum de sepulchro uocans. Ipsi enim Christo omnia uiuunt, &
1. Cor. 1. uocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt. Nec dixit, In nomine Patris mei ueni foras, aut, Resuscita eum Pater. Sed haec omnia dimittens, postquam orantis formam acceperat, per res authoritatem ostendit, quoniam & hoc sapientiae suae est, per uerba quidem condescensionem, per res uero ostendere potestatem.

Statim prodiit, qui fuerat mortuus]

Ecce nunc, ô Iudaei, si uerbis non creditis, operibus credite, ut cognoscatis, quod Pater in me est, & ego in Patre. Conuincit hoc miraculum uestram impietatem. Num adhuc blasphemiam iudica-

tis,

tis, quod dixit, Filius Dei sum? Potest ne blasphemia & mendacium suscitare mortuum quatriduanum, & non potius uiuentes deducere in Infernum? Dathan quippe & Abyron, per superbiam uiui ad Inferos demersi sunt. Saul quoq; cum esset christus Domini, superbiendo meruit Diabolo mancipari. Semper enim Deus superbis resistit: Huic autem Deus Pater, ut uidetis, in omnibus condescendit. Constat igitur, quod Deo contrarius non est. Num. 16. Iac. 4.

Ex hoc autem loco discamus potentiam uerbi Dei, & quod uerè dixerit Paulus: Euangelium est uirtus Dei, ad salutem omni credenti. Quemadmodum enim Lazarus hac uoce Christi excitatus è mortuis, prodijt uiuus: ita quicunq; fide audierit Euangelij uerbum, prodit è peccato ad iustitiam, è morte ad uitam. Fides enim est auris cordis, per quam Euangelium audiendum est. Rom. 1.

Statim autem prodijsse dicitur Lazarus, sic enim & futura resurrectio fiet in ictu oculi. Prodijt autem ligatus manus & pedes, &c. Mira res. Sic enim ligatus, nec pedibus ambulare, nec saltem manibus reptare, sed nec oculis quo prodiret uidere poterat: Erat enim etiam facies eius obuincta sudario. Hoc autem facto innuitur, magnam fuisse fortitudinem clamoris, qui mortuum ligatum ad uiuos excusit, & excutiendo è mortuo uiuum fecit. Quod si magnum & incomprehensibile est, quantum erit illud, cuius hoc præconium est: Quomodo exilient mortui de sepulchris ad rugitum leonis immortaliter regnantis, si ita nunc exiliuit iste, ad balatum agni, morti appropinquantis? 1. Thes. 4.

Soluite eum, & sinite abire]

Hoc iussit, ut nihil deesset ad miraculi fidem. Primo, ut tangentes redituum scirent ipsum esse, qui mortuus fuerat. Deinde, ut motus & alacer incessus ostenderet hominem etiam ualere, non solum uiuere. Potuit Christus efficere, ut uincula suapte sponte soluerentur. Poterat suis manibus eum soluere, sed noluit, ob easdem rationes, quibus supra non nisi per alios uoluit lapidem amoueri. Vide ibidem. Quod autem præcipit, ut sinant eum abire, etiam humilitatem Christi indicat: Non enim ducit eum, nec iubet secum ambulare ad sui demonstrationem.

Per hoc autem nobis exemplum reliquit, ne ex bonis operibus nostram gloriam aut ostentationem quæramus, sed solam Dei gloriam, dicentes: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Psal. 113.]

ALLEGORIA HVIVS *historiæ.*

Bethania quæ domus obedientiæ interpretatur, Ecclesiam significat huius temporis, ut supra dictum est. Domus Marthæ, congregationem electorum significat. Nam aliàs etiam malos continet præsens Ecclesia, in fine mundi eijciendos. Inter eos, qui ad æternam uitam electi sunt, aliqui sani permanent, siue Christus adsit, siue absit: hi scilicet, qui uel ardenter uerbo Dei delectantur, quemadmodum Maria, uel strenue Christo ministrant in se, uel in suis membris, quemadmodum Martha.

Matth. 13.

Qui autem his exercitijs non occupantur, facile in languorem incidunt, maxime cum Christus abest. Cum enim obliuisci incipiunt beneficiorum & promissionum Christi, languescit in eis fides, remittitur charitas, imminuitur timor Dei & feruor deuotionis.

Atq; tunc uere infirmatur homo spiritualiter: Vtinam (inquit) calidus esses aut frigidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere, &c. Ex huiusmodi torpore facile sequitur mors animæ. Vbi enim fides & charitas, timorq; Dei tepescit, facile in peccatum cadit homo.

Apoc. 3.

Peccatum autem certissima mors est animæ, quia hominem à Deo, qui est fons omnis uitæ, separat: Peccata (inquit) uestra diuiserunt inter uos & Deum. Hinc in Ezechiele dicitur: Anima quæ peccauerit, morietur. Et Sapiens: Homo per malitiam occidit animam suam. De huiusmodi mortuis loquitur Christus, cum ait: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Isa. 59. Ezech. 18. Sap. 16. Matth. 8.

Lazarus igitur mortuus peccatorem significat, spiritualiter mortuum. Quia autem nedum mortuus dicitur, sed & quadriduanus, non quemcunq; peccatorem significat, sed eum tantum, qui grauissime & periculosissime peccauit, ac proximus est desperationi, cui & uix succurri potest. Quales sunt, qui nedum peccant, sed & mala consuetudine se implicant, quæ non permittit hominem intelligere malum quod fecit, qua denicq; nonnunquam defendit malum quod fecit, & irascitur cum reprehenditur.

Sunt enim tres gradus peccatorum, in quorum typum Christus tres mortuos suscitauit. Aliqui uoluntate tantum & cogitatione peccant: hi siquidem mortui sunt coram Deo, quamuis per operis consummationē nondum publicati sint. Atq; hi signantur per filiam principis, quam adhuc domi iacentem Christus suscitauit à morte. Alij nedum uoluntate, sed etiam opere peccant: hi signantur per adolescentem, qui cum iam per portas efferebatur, à Christo suscitatus est. Alij opera peccati etiam in consuetudinem uertunt, & omnino famam perdunt: hi per Lazarum quadriduanum & iam fœtentem signantur. Qui enim peccata in consuetudinem uertit, uere quatuor dies habet: quia ad consuetudinem peccandi quadruplici gradu peruenitur.

Matth. 9. Lucæ 7.

Primus dies est delectatio consensus, & completa uoluntas.

Secundus

Secundus dies mala operatio. Tertius peccati perpetrati in corruptionem aliorum propalatio. Quartus consuetudo. Huiusmodi quadriduanus peccator, præter hoc quod Deum fontem uitæ perdidit, etiam ab hominibus ejicitur, à communione scilicet sanctorum, & participatione bonorum Ecclesiæ. Deinde in sepulchro iacet fœtidæ conscientiæ, morsibus uermium lacerandus. Immo in spelunca horribili & tenebrosa, hoc est, in Barathro desperationis iacet. Impius enim, cum in profundum uenerit, contemnit. Pro. 18.

Quam horribilis autem sit illa spelunca, Isaias ostendit: Formido (inquit) & fouea & laqueus super te, qui habitator es terræ. Præterea, facies huiusmodi peccatoris sudario est ligata, quia mens eius tenebris est obnubilata, ne periculum uideat, in quo uersatur: nec malum, quo gratuatur, quemadmodum Sapiens de huiusmodi dicit: Excæcauit eos malitia eorum. Ad hæc ligatus est institis & uinculis, quia consuetudine peccandi, tanquam grauibus cathenis est constrictus, & usq; adeo irretitus, ut nullo modo se possit explicare. Dicit enim Sapiens: Funibus peccatorum suorum constringitur peccator. Et Dauid: Funes peccatorum circumplexi sunt me. Hanc cathenam abijciendam esse monet Isaias: Si abstuleris, inquit, de medio tui cathenam, &c̄. Insuper & lapidem habet superpositum, tum quia lege reus tenetur: tum quia cor habet omni lapide durius. Vnde & Dauid monet: Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Vndiq; igitur clausus iacet peccator talis, superne & inferne, dextrorsum & sinistrorsum, quia obstinatam eius uitam nec Inferni pœnæ terrent, nec superna alliciunt, nec circumstantia eum inducunt ad amorem Dei & iustitiam. Postremo etiam fœtet, mala siquidem fama ceu tetro aliquo odore alios offendit & inficit. Iam uide, quàm misera creatura sit homo, peccatis assuetus. Inter omnia hæc mala summum est, quod peccator non sentit nec credit se adeo miserum esse. Vnde fit, ut non curet, quomodo euadere possit. Interim tamen sorores eius pro eo sollicitæ sunt: agnoscunt enim eum fratrem esse, tametsi infirmus, immo mortuus sit. Sic pij homines non dedignantur peccatores, sed agnoscunt ut fratres, quoad naturam & etiam uocationem, ob id eorum miseriam commiserantur. Ac primo cum uident aliquem infirmari, adhibent exhortationes, consolationes, correptiones. Si nihil proficiunt, orationes ad Christum dirigunt pro infirmo fratre. Pro. 5. Psal. 118. Isa. 58. Psal. 94.

Quod si mori eum contigerit, non cessant eum deplorare, donec Christus misereatur.

Difficulter autem suscitatur, qui in peccatis consueuit uiuere. Hinc est, quod Christus multa difficilia fecit in suscitatione Lazari. Fremuit, turbatus est, plorauit, clamauit, &c̄.

Quamuis & his ipsis rebus ostendere etiam uoluerit, quid ipsi

peccatori faciendum sit, uidelicet ut primo contra peccatum fremat per compunctionem. Deinde lachrymis peccata abluat, id quod
Iohel. 2. Propheta docet: Conuertimini, inquit, ad Dominum in ieiunio, fletu & planctu. Postremo iterum fremat, contra reliquias peccati.

Clamat autem Christus uoce magna. Primo, quia talis peccator
Psal. 118. longe à Deo est, iuxta illud: Longe à peccatoribus salus.

Secundo, quia talis peccator profunde dormit. Iuxta illud:
Eph. 5. Surge qui dormis, &c. Tertio, quia aures huiusmodi hominum,
2. Tim. 4. plærunq; alijs delectantur. Iuxta illud: A ueritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Ideo opus est clamore magno apud huiusmodi. Quarto, quia talis peccator faciem habet à
Hier. 2. Deo auersam. Iuxta illud: Verterunt ad me terga & non facies.

Quinto, quia occupantur alijs negocijs, ideo opus est clamore: Mundo enim seruiunt. Sexto, quia plærunq; talis peccator omnino surdus est ad auditum uerbi Dei, id quod crebro in Prophetis legimus. Magna autem uoce clamat Christus, quia magnis comminationibus & magnis promissionibus.

His uocibus excitatus peccator, uitam accipit per Christum, in eum credendo. Prodit per confessionem peccatorum. Sed tamen adhuc ligatus est. Primo, quia etsi Deus remiserit peccata, nescit tamen hoc homo, donec sententiam audierit à sacerdote.

Secundo, etsi huiusmodi homo iam Deo reconciliatus sit, nondum tamen Ecclesiæ reconciliatus est: Ideo ad Apostolos soluendus mittitur. Tertio, etsi à culpa liberatus sit, nondum tamen ab omni pœna. Quarto etiamsi à peccatis absolutus sit, tamen adhuc in se habet reliquias peccati, quæ subitnde expurgandæ sunt. Nec solum præcipit, ut eum soluant Apostoli, sed etiam ut sinant, immo doceant ac cogant abire à sepulchro, in quo iacuit, ne iterum inuoluatur pristinis peccatis, &c. Obseruandum etiam hoc, quod Christus tum primum iussit Lazarum solui, cum iam uiueret, ut discant Apostoli eorumq; successores, ne quenquam ligent, nisi mortuum, nec quenquam soluant, nisi uoce confessionis significante eundem reuiuum esse de sepulchro productum. Alioqui implebitur in eis illud
Ezech. 13. Propheticum: Viuificabant animas, quæ non uiuunt, & mortificabant animas, quæ non moriuntur.

Multi ergo ex Iudæis, qui uenerant, &c.]

Post descriptionem miraculi, hic paucis ostendit, quales fructus protulerit in cordibus hominum. Ponit autem diuersos fructus. In his qui boni erant, protulit fructus bonos, & ualde bonos: hi enim
Ioan. 12. non tantum crediderunt, sed postea etiam Christo Hierosolymam uenienti obuiam processerunt, &c. In malis autem protulit fructus malos, & ualde malos. Hinc enim permoti, Concilium illud impium contra Christum collegerunt, &c.

Sic enim Christus alijs est sanctificatto, alijs uero petra scandali, & lapis offensionis. Et Euangelium alijs est odor uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem. 1.Pet.2. 2.Cor.2.

Multi, inquit, crediderunt, non tamen omnes. Iucundius quidem sonaret, si omnes credidissent, sed non omnium est fides. Vtinam hoc tempore multorum esset. Horrendum autem est, quod Christus ait, Vix paucos saluandos: Multi, inquit, uocati, pauci electi. Qui uenerant, inquit, ad Mariam. Propter Mariam aduenerant, & ecce Christum repperiunt. Opus charitatis & misericordiæ afflictis sororibus exhibebant, & ecce misericordiam à Domino consequuntur. Sic enim solet Dominus pietatis opera præmiare, iuxta illud: Beati misericordes, &c̄. Crediderunt, inquit, in eum. Hic est fructus, quem Christus quærit. In hunc enim finem omnia locutus est & fecit, & adhuc loquitur & facit, ut in eum credamus. Hoc, inquit, est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit. Matth.20. Matth.5. Ioan.6.

Quidam autem abierunt ad Phariſæos]

Textus non exprimit, qua intentione hoc fecerint, bona uel mala. Si bona intentione hoc fecerunt, insigne est exemplum fidei & constantiæ, sed admodum rarum. Magni enim periculi res erat, Christum coram inimicis eius confiteri, qui iam conspirauerant, quod quicunq; eum confiteretur, extra synagogam fieret. Ioan.9.

Si autem mala intentione ad Phariſæos ierunt (id quod magis uidetur) insigne exemplum est humanæ impietatis, quod uiso tanto miraculo, non modo in admirationem & fidem non conuersi sunt, sed insuper ex hoc Christo insidias struunt.

Sic impij, etiamsi apertissime Deus suam uel bonitatem uel iram ostendat, nihil mouentur. His etiam delatoribus similes sunt, qui uidentes bona seruorum Dei opera, illa odijs insectantur, & infamare conantur, quæ tamen admirari, prædicare, & imitari deberent: Quo quidem conatu se uirtutis hostes ac inimicos produnt, quam persequi & extinguere pro uiribus studeant.

Obserua autem, quod delatores illi, quamuis malam haberent intentionem, tamen interim etiam aliud cogitantes, gloriam Christi promouent. Sic enim Deus etiam impijs bene uti nouit.

Collegerunt ergo Pontifices, &c.]

Ad hos tam impios Iudæorum conatus, nemo pius non obstupescit. Dici enim non potest, quàm horrendum peccatum sit, contra manifestam ueritatem, atq; adeo contra Deum ipsum pugnare.

Hoc consilium à longe præuidens sanctus Iacob, abominatus est: In Concilium, inquit, illorum non ueniat anima mea, &c̄. Et Dauid: Gen.49.

Quare,

Psalm. 2. Quare, inquit, fremuerunt Gentes, &c̄. Et principes conuenerunt in unum aduersus Dominum. Summa, à sæculo non fuit tale Concilium, atq; ob eam causam Ioannes tam diligenter idipsum describit. Primo nominat personas: Non, inquit, Gentiles illud fecerunt Concilium, sed nec turba indocta. Verum Pontifices & Pharisæi, quorum erat & scientia & pietate alios præcellere.

Hinc discimus, quod gratuita illa Dei dona, si non adsit fides,
2. Cor. 8. magis obsunt quàm prosunt. Sic scientia donum Dei est, uerum si non adsit fides, inflat hominem, ut Paulus ait.

Sic potestas, Dei donum est, sed sine fide magis obest quàm prodest: quo enim quis potentior est, eo magis mala perpetrare potest. Exempla sint Antiochus, Nabuchodonosor, & alij, &c̄.

Non igitur satis est, habere dona illa gratuita, nisi simul habeas & iustificantia, fidem scilicet, spem, & charitatem. Hæc enim faciunt, ut etiam externa illa & gratuita prodesse possint. Deinde ex hoc loco uidemus, quod plærunq; sapientes & potentes huius mundi nihil aliud sunt, quàm uasa iræ Dei. Sic Paulus de sapientibus di-
Rom. 1. cit: Tradidit eos Deus in reprobum sensum, &c̄. Et de potentibus:
Rom. 9. In hoc ipsum (inquit) excitaui te, ut ostendam in te fortitudinem meam. Noli igitur gloriari de sapientia uel potestate, nescis enim in quem finem tibi hæc data sint, immo time. Quandoquidem scriptura inter præcipua Dei opera connumerat, quod ipse dispergit
Lucæ 1. superbos mente cordis sui: Deponit potentes, diuites dimittit inanes.

Collegerunt, inquit, Concilium. Ad concilium non una tantum & altera, sed plures personæ requiruntur. Sic enim impij certatim & cateruatim ad malum festinant. Hinc Hieremias: Coniu-
Hier. 11. ratio, inquit, inuenta est in uiris Iuda. Et iterum: A minori usq; ad
Hier. 6. maximum omnes auaritiæ student. Et iterum: Filij colligunt ligna,
Hier. 7. & patres accendunt ignem, &c̄.

Sed quam ob causam Concilium illud collegerunt? In alijs rebus interdum spes, interdum metus cogit Concilia. Hic autem quid?

Ergo, inquit, nempe, quia Christus tale miraculum fecerat tam euidens & clarum, propter quod multi in eum crediderant: Hæc fuit causa huius Concilij.

Et quidem si mens in eis non leua & impia fuisset, commendandi essent, si in unum contulissent, num hoc miraculum dignum esset, propter quod in eum crederetur. Item, quo honore dignus esset, qui miraculum hoc fecit. Sed nihil horum cogitant, non de honore Christi consultant, sed de ipsius occisione. Sic enim peruersis
Rom. 8. omnia in malum cedunt etiam optima, quemadmodum pijs econuerso omnia cooperantur in bonum. Sed quis (inquies) Iudæos ad tam horrenda consilia induxit?

Primo

Primo eos induxit horrendum Dei iudicium, quo iam iusto iudicio dati erant in reprobum sensum, ut ea perficerent contra Christum, quæ manus & consilium Domini destinauerat: Erant enim 2. Tim. 2.
uasa ad contumeliam. Deinde eos extimulauit Diabolus ipse, qui iam inde ab exordio tanto plus insaniuit, quanto gloria Dei clarius emicuit. Sic & nunc post tam clarum miraculum, plus insanire incipit. Præterea aderant Iudæis & alij duo pessimi consultores, qui eos ad tantum flagitium extimulabant, ambitio scilicet & auaritia: timebant enim & gloriam & quæstum sibi peritura.

Qui hos duos consultores audit, in omnia peccata se præcipitat. Sic ambitio effecit, ut & Chore cum suis contra Moysen se Num. 16.
erigerent: Et Absolon proprium patrem persequeretur. Sic auaritia effecit, ut Iudas Christum uenderet. 2. Reg. 15.

Ambitio & auaritia effecerunt, ut Nabuchodonosor, Cyrus, Alexander magnus, Cæsar, &c. tantum sanguinis humani effuderunt. Auaritia & ambitio principes prophanos ad bella & discordias incitant. Ambitio & auaritia omnium malorum semina Ecclesiæ inuexerunt. Nec aliud quicquam etiam nunc obstat, quo minus Ecclesia in pristinum decorem restituatur, quàm ambitio & auaritia. Hinc igitur discamus, quantopere fugiendæ sint hæ pestes. Homo quidem naturaliter magna appetit, utpote gloriam & diuitias, sed in hoc errat, quod nec ueram gloriam, nec ueras diuitias quærit, nec eo modo, quo quæri debent.

Gloriam & diuitias ueras non inueniunt, qui anxie ea quærunt, sed qui contrà ea contemnunt. Si ueram gloriam cupis, fuge gloriam humanam. Si ueras diuitias cupis, expende & distribue falsas illas diuitias in egenos.

Quid facimus?]

Hic etiam consultationis modum describit, propter causam superius dictam, uidelicet, quod à mundo condito nullum tam impium Concilium fuit.

Legimus quidem & aliàs frequenter impias consultationes contra iustos factas. Sic enim & contra Ioseph sui ipsius fratres, contra Israëlitas Ægyptij, contra Dauidem Achitofel & Absalon, contra Hieremiam impij sacerdotes, contra Susannam impij iudices, impia Concilia habuerunt. Verum hoc omnia alia excellit, quia non contra hominem tantum, sed contra Filium Dei celebratum est, nec ob aliud quàm ob diuinum illud opus, à Christo factum in suscitatione Lazari.

Hoc igitur uerbo primo produnt angustiam cordis. Solent enim angustiati sic loqui: *Quid facimus?* Hæc autem angustia prouenit uel ex auaritia, ut in diuite illo, qui dicebat: Quid faciam, quia Luc. 12.
non

non habeo ubi reponam fructus meos? Vel prouenit ex inordinato
Lucæ 16. timore perdendi honorem, ut in uillico qui dicebat: Quid faciam,
quia dominus meus aufert à me uillicationem? Vel prouenit ex in-
Act. 4. uidia, ut in Iudæis, qui dicebant: Quid facientus hominibus istis?
quia notum factum est signum, &c. Omnia autem quæ iam dicta
sunt, hic simul concurrunt, auaritia scilicet, timor & inuidia, non igi-
tur mirum, quod dicunt: *Quid facimus?*

Deinde his uerbis seipsos etiam hortantur mutuo, ad perpetran-
dam cædem ac homicidium. Est enim sensus, Quid cessamus eum
perdere? cur torpescimus? quin expergiscimur, dum nobis licuerit,
ne torporis nostri tandem dignas persoluamus pœnas. Sic enim
impijs non sufficit propria malitia, ac præterita peccata, nisi subinde
& maiora addant, & etiam alios ad mala extimulent. Præterea
hoc uerbo plane ostenditur, quod hæc ipsorum consultatio uere fuit
Psal. 25. Concilium illud uanitatis, cum quo Propheta non sedit: immo Ec-
clesia illa malignantium, ad quam neq; lex, neq; Propheta quispiam
intrauit. Alioqui si in hoc Concilium admissus fuisset Moyses &
Prophetæ, quid aliud respondissent, quàm: Credite in eum, quan-
doquidem ipsi fatemini eum magna signa facere? Verum illi con-
sultando nequaquam ueritatem agnoscere, sed ueritati resistere quæ-
rebant. Ob eam causam de uoluntate scripturarum, sine qua legiti-
mum non est Concilium, omnino tacuerunt. Et unde est, quod
etiam in nostris Concilijs & Conuentibus, multa quidem hinc inde
consultamus, nemo tamen de emendatione uitæ cogitat, nisi quod
scripturam sacram non admittimus ad consultationes nostras?

Hic homo multa signa facit]

Ex contemptu & inuidia, proprium eius nomen tacent. Deinde
adhuc eum hominem uocant, qui tantam susceperant Deitatis eius
demonstrationem. Interim tamen uelint nolint confitentur, quia
ille, quem quasi hominem despiciebant, sicut Deus signis & miracu-
lis corruscabat. Verum his uerbis latentem occultumq; animi sui
morbum, quo uexabantur, detegebant, liuorem scilicet atrum, quo
gloriæ eius inuidebant. Hoc enim uel maxime inuidum eorum tor-
quebat animum, quod tot fulgeret miraculis, quibus splendor sui
nominis magis ac magis hominibus innotuit. Vide autem per-
Matth. 12. uersitatem, cum aliàs signa ab ipso efflagitassent, nunc propter signa
eum perdere conantur. Deinde pro crimine ipsi obijciunt, quod
omni laude & admiratione dignum erat. Præterea, quantumuis
ei inuiderent, & perditum eum uellent, tamen nihil mali ei obijcere
potuerunt, immo econtra fateri coguntur ipsius benefacta. Tanta
fuit innocentia Christi, tanta debet & Christiani innocentia esse, ut
aduersarij non habeant, quod ueraciter accusare possint.

Deniq

Denicq; & contra seipsos loquuntur, & seipsos damnant. Quo enim plura signa sciunt Christum fecisse, eo maior erit eorum damnatio, quemadmodum Christus dicit: Si opera non fecissem inter eos, quę Ioan. 15. nemo alius fecit, peccatum non haberent, &c.

Si dimittimus eum sic, omnes credent]

Vide quomodo impietatem suam palliant specie bona. Prætendunt se consultare de communi salute totius gentis, itemq; de seruanda fidelitate Romani imperij. Ergo hunc hominem interficere apud tribunalia quidem Cæsaris, uidebatur fore tutum, apud iudicium populi fingebatur esse necessarium. Sic intenderunt arcū con- Psal. 63. uentus ille malignantium, & multitudo operantium iniquitatem: sic firmauerunt sibi sermonem nequam. Sub occasione timoris uel fidelitatis Romani imperij, absconderunt laqueos, dixerunt: Quis uidebit eos? Quem enim putarent tali causa proposita, posse ipsorum intentionem reprehendere, uel illum unum hominem auderet defendere. Huiusmodi exempla etiam nostro tempore passim uidentur, ubi bona quidem species prætenditur, cum tamen longe aliud in corde uersetur. Solum hoc curamus, ut bona specie homines fallamus, nihil interim de diuino iudicio cogitantes, quasi plus timendum sit iudicium hominum quàm Dei, cum tamen scriptum sit: Horrendum est incidere in manus Dei. Quid tibi prodest miser, si homines Heb. 10. fallas, cum Deum & conscientiam tuam fallere non possis? Deinde, quod summis uotis optare debuerant, nempe ut omnes in Christum crederent, hoc ipsi timent, ut uel hinc discere possimus, quales pastores fuerint, nempe, qui non ouibus, sed sibi consulerent. O impij pastores, nonne satis uobis uidetur lac & lanam ab ouibus habere, nisi insuper etiam uitam eis auferatis, non quamcunq;, sed æternam?

Et uenient Romani, & tollent nostrum, &c.]

Hoc potissimum allegant, quia carnales erant, ac summum damnum æstimabant, perdere gloriam et temporalia bona, cum interim de spiritualibus damnis & incōmodis nihil curarent, id quod mundani omnes faciunt, &c. Deinde etiā ideo hoc allegāt, ut populū ludaicum plus æquo terrena diligentem, magis contra Christum incitarent. Vide autem quanta ignominia his uerbis afficiant Filium Dei, dum eum ne dum seductorem & seditiosum iudicant, sed etiam tam damnosum hominem, propter quem si uiuere permittatur, necesse sit totum populum perire. Non igitur immerito Christus eis dixit: Vos inhonorastis me. Et iterū: Multa habeo de uobis loqui Ioan. 8. & iudicare, etc. Ex hoc autem impio Iudæorum Concilio, plura bona colligere possumus: Diligentibus enim Deum, omnia cooperantur Rom. 8. in bonum, etiam mala. Hinc enim uidemus, quod sine fide nunquam

bene administratur Respublica. Primo enim ubi non est fides, ibi tantum in temporalibus prospicitur Reipublicæ, id quod in Gentilibus uidemus. Atqui nondum consultum est Reipublicæ, etiam si in temporalibus nihil illi desit, nisi & spiritualia habeat. Secundo, ubi non est fides, plærunq; delinquitur metu, id quod hic uides. Tertio, ubi non est fides, tantū quæruntur media secundum carnem, & plærunq; arripiuntur mala media. Hinc est, quod regibus Israël præci-
Deut. 17. pitur, ut semper secum habeant Deuteronomium legis. Quarto, ubi non est fides & timor Dei, ibi ut plurimum res tantum obiter tractatur, nec consyderatur quæstionis caput & status, quemadmodum hic uides in ludęis. Timent quidem loco & genti suæ, id quod prudentis est Magistratus. Deinde statuunt seditionis autorem tollendum esse, atq; hoc quidem satis sapienter consultum est. Nam ob hanc causam Magistratus gladium portat, ut tollat malos, ne bonis
Rom. 13. obsint. Verum hoc non est quæstionis caput, nec consultationis status. Scimus, boni Magistratus esse rem populi curare; Scimus item, seditionis authorem tollendum esse, sed non hoc quæritur. De alijs rebus ipsis cōsultandū erat. Primo an Christus sit seditionis author, an doceat defectionem à Romano imperio. Hanc quæstionē si consyderassent, uidissent utiq; omnia & uerba & facta Christi contrarium ostendere. Nusquam enim legitur, quod satellitibus armatis stipatus incesserit, quod armis aut propugnaculis se munierit, quod
Ioan. 6. censum aut tributum Cæsari prohibuerit dare, &c. Sed hoc legimus, quod cū regem ipsum uellent facere, renuit, quod Cæsari reddenda censuit quæ exigebat, quod ipsemet tributum soluerit, atq; adeo nullam seditionis uel minimam suspitionē præse tulit, ut etiam domo alijsq; necessarijs carens, humilem & abiectam in paupertate uitam duxerit. Vt interim taceam, quod ubiq; mansuetudinem docuit, ala-
Matth. 5. pis cæsos non ulcisci, iniuria affectos tolerare, potiusq; ad perferendum quàm ad inferendum alijs malum promptiores suos esse uoluit & admonuit. Hæc autem omnia non constituentis tyrannidem, sed tollentis potius sunt opera atq; officia, & ipsam penitus damnantis. Quod si Christus alicubi se Messiam aut regem dixisset, uidissent utiq; ex lege ipsum quidem regem esse, sed non talem, qui non secum ferat Romanorum regem. Est enim Christus rex iustitiæ, pacis, salutis & uitæ æternæ, ac dominatur super peccatum, mortē, Sathanam, afflictionem & infernum. Quid hoc ad Cæsarem? Dominetur ille
Ioan. 18. super regiones & populos, Christi regnum non est de hoc mundo: regnat super cœlestia bona, relinquens bona terrena suis Magistratibus gubernanda.

Verum enimuero inuidia nihil uidet, & cæcat hominem. Secundo consultandum ipsis erat, num gens peritura sit, si in Christum crederet; Et num ideo ciuitati periculum immineret, si Christus inter ipsos

permaneret,

permaneret. Hic si scripturas eõsuluissent, uidissent nõ propter bona opera, sed propter mala, gentes & populos perire. Vidissent item, quod piorum in terris conuersatio non est causa malorum aut periculorum, sed quod mali & iniusti & Deum prouocantes in terra habitant. Hæc est causa omnium malorum: Ipsorum enim scelera, Dei indignationem prouocant. Præterea consultandum ipsis erat, num propter temporale incommodum Reipublicæ, occidendus esset innocens. Hic statim uidissent, nõ facienda esse mala, ut eueniant bona, nec propter creaturam impie agendum esse in legem Dei. Ita, siquidem Reipublicæ commodis prospiciendũ est, ut non impie agatur contra Deum. Verum nihil horum consyderarunt hi consultores. Vides igitur, sine fide nunquam recte administrari Rempublicam.

In potestate igitur constitutis necessaria est Dei gratia, alioqui nunquam in omnibus recte agent. Hinc est, quod Paulus iubet, ut primo omnium fiant orationes pro regibus & in potestate constitutis, &c. Deinde ex euentu huius Pharisaicæ consultationis, uidemus uerum esse, quod in prouerbijs dicitur: Impio accidunt quæ timet. Timebant Iudæi, ne per Romanos deuastarentur, id quod alijs acciderat. Quia autem hoc periculum non fide, nec resipiscentia, sed impio homicidio effugere conabantur, accidit ipsis quod timuerunt. Nemo igitur conetur pericula â se depellere homicidijs, alijsq; impijs aduersus Dominum operibus, sed timore Domini, fide, & resipiscentia, alioqui nunquam effugiet, sed quod timet ei continget. Præterea ex hoc Iudæorum Concilio uidemus, quod qui alij struit laqueum, iusto Dei iudicio incidit in illum ipsum laqueum. Hinc toties in Psalmo dicitur: Incidit in foueã quam fecit. Sic contigit Amam, sic & Iudæis hoc loco. 1. Tim. 2. Prouer. 10. Psal. 7.

Demum ex euentu huius Concilij uidemus, quod qui propter temporale aliquod lucrum uel damnum, impie agit, grauiora mala incurrit. Stat enim sententia: Qui timet pruinam, irruet super eũ nix. Iob 6.

Sic Iudæi propterea quod impie in Christum egerunt ex timore Romanorum, duplici postea contritione contriti sunt (id quod Hieremias eis imprecatur) Nam & Romani eis abstulerunt locum & gentem, & maligni Dæmones etiam animas eorum abstulerunt. Vide igitur ne propter temporale damnum uitandum, impie agas, alioqui maius incurres.

Vnius autem ex ipsis Cayphas nomine]

Sicut scriptura, nedum in generali piorum studia & uitam indicat, sed etiam aliquos insigni pietate præditos exempli causa nominat: sic econtra nedum impiorum uitam & studia in generali describit, sed etiam aliquos ad terrorem aliorũ nominat. Ob eam causam hic nominatur & Cayphas.

Iam sicut insignis pietatis est indicium, si quis inter multos bonos

emineat: Sic extremæ malitiæ indicium est, si quis inter impios primatum habeat, qualis fuit hic Cayphas, qui nedum unus ex illis, sed præcipuus inter illos erat in re tam iniusta.

Cum esset Pontifex]

Quasi admirando hæc dicit Ioannes, nimirum ut magnitudinem impietatis ac gratuitatem sceleris eius monstraret. Quasi diceret, Cum cæteris dignitate Pontificali & authoritate præstaret, debuisset maiori pietate & religione in Deum effulgere, quo cæteris exemplo esset uirtutem colendi, sed ecce, is ipse reliquis immanior, promptior ad scelus, & ad eædem paratior inuenitur. Vide aũ quam sibi non conueniant in eodem homine, summum officium & summa impietas, maxime si attendas, quo ritu, quibusq; cæremonijs Moyses
Exod.28. & 29. sacerdotes consecrauerit ex præcepto Dei. Nedum enim ipsum summum sacerdotem sanctificauit, sed & manus eius, item q; filios, caput & uestes eius consecrauit, & non alibi quàm in tabernaculo, usumq; uini tempore ministerij sui interdixit, ac insuper contactum mortuorum, &c. Quæ omnia indicant, insignem munditiam requiri ad summi sacerdotis officium. Nihil eorum consyderauit Cayphas, cõtentus eo, quod officium habebat. Quod si uitam suam cum officio contulisset, quomodo non uel coram se ipso erubuisset?

Atqui non solus Cayphas tam male respondit officio suo. Nemo non uidet, quàm non conueniat impia uita sancto officio, præter solos illos, quos hoc negocium tangit. Debemus quidem non personam, sed officium attendere. Atqui difficulter fieri potest, ut eum ex animo diligamus et suspiciamus, cuius apertam malitiam detestamur. Sicut enim bona uita authoritas conciliatur, sic mala uita amittitur.
Rom.11. Et quidem Paulus gloriatur, se nedum officium suum non dehonestasse, sed gloriatur, quod ministerium suũ honorificauerit. Nec aliunde est, quod sacerdotes adeo contẽnuntur, nisi quod ipsi suũ ministerium nedũ non honorificant, sed insuper dehonestant. Sibi ergo imputent, quod contemnuntur.

Anni illius]

Hoc addit, quasi diceret. Non est mirum, quod tam impius fuerit Cayphas, ut qui non erat Pontifex secundum legem, hoc est, perpetuus, sed tantũ illius anni. Ex lege enim unus duntaxat erat summus
Exod.28. Pontifex, cui non nisi post mortem succedebat filius eius. Eo aũt tempore illa lex Domini non obseruabatur apud eos, abrogata per ambitionem ludæorum & auaritiam Romanorũ, qui in annos singulos tũc sacerdotium uenditabant. Hanc morũ corruptelam tũc synago-
2.Mach.4. gæ irrepsisse, facile ex historia Machabæorũ deprehẽdere possumus, ubi nonnulli memorantur ad summũ sacerdotium data grandi pecunia cõtendisse. Iam quamuis Ioannes nõ expresse dicat, Cayphan emisse

emisse sacerdotium, sunt tamen alij probati historici, qui affirmant eum precio, unius anni sacerdotium redemisse ab Herode. Non igitur ut uerus Pontifex et pastor, per ostium intrauerat hic Cayphas in ouile, sed tanquam fur & latro aliunde ascendit. Vnde & nunc non contentus ouium cæde, etiam ipsum pastorem mactare intendit, ut furta sua licentius agere possit. Quamuis aũt Paulus dicat: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Merito tamen culpatur Cayphas, omnesq; eũ sequentes, tum quod pecunia sacerdotium redemerit: tum quod magis sua cõmoda quàm ouium salutẽ quęsiuit. Aliud enim est desiderare opus, aliud desiderare opes. Si opus Episcopi desideras, bonũ opus desideras: Sin autem opes desideras, uide quomodo rationem reddas iudici Deo. Qui attenderet quàm periculosum sit ouibus Christi præesse, nunquam ad id se ingereret. Ioan. 10. 1. Tim. 3.

Vos nescitis quicquam, nec cogitatis]

Aliorum consilia fastidit superbus ille. Sic enim solet carnis prudentia, non nisi aliorum contemptu sibi laudem uendicare. De quibus Isaias: Væ qui sapientes estis in oculis uestris, &c. Deinde ignauiam eorum increpat, ut qui lentis consilijs adhuc deliberarent, an Iesus esset occidendus, quum id omnibus rebus omissis, quàm primum esset agendum. Isai. 5.

Apud hunc impium Pontificem parui momenti res erat, hominem occidere. Impio enim Magistratui iucundum spectaculum præbet, effusio humani sanguinis: Neq; aliter iudicat mortem hominis, quàm interitum canis. Denicq; quia gladium habet, putat sibi licere quoscunq; uult, quacũq; de causa interficere. Sed longe errat. Primo enim non iocus, sed res admodum seria est, humanum sanguinem effundere. Stat enim sententia: Quicũq; effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis eius. Deinde, quantumcunq; alios contemnas præ te, non minus tamen ualet anima cuiuslibet pauperis corã Deo, quàm anima Principis. Præterea gladium quidem habet Magistratus, sed tantum ad uindictam malorum, laudem uero bonorũ. Iam, quamuis Cayphas sibi uideatur irrefutabile consilium dedisse, tamen si recte attẽdat, hoc ipsum eius consilium in pluribus uitiosum est. Primo enim uitiosum est, quod censet Christũ quamuis innocentẽ, citra tamen peccatum posse occidi, ut periculum à Romanis effugiat Respublica. Non enim sunt facienda mala, ut eueniant bona. Reipublicæ prouidendum est, sed non contra Deum. Deinde uitiosum est, quod nõ dubitat, quin occiso Christo, securi sint ab imminenti periculo. Per occisionem enim innocentis, non uitatur periculum, sed incurritur. Verum hanc Christi quasi necessariam occisionem, consuluit impius Cayphas, nõ tam propter timorẽ à Romanis, quàm ut mors Christi iustior uideretur, & ipse populus magis animaretur & incitaretur Genes. 9. Rom. 13. Rom. 3.

in odium Christi. Non enim dubitabat, quin populus eũ relicturus esset, si persuasi essent, se propter illum à Romanis perdendos.

Hoc autem à semetipso non dixit, &c.]

Miratur Euangelista tam piam uocem, è tam impio ore prolatam. Verba enim hæc plane indicant, unius Christi morte, toti populo salutem et pacem prouenturã, quo quid magnificentius de Christo dici potuisset, magisq; consonum fidei nostræ. Quid enim uiuens & regnans non poterit Christus, si moriendo etiam tantum boni conferre potuit? Verum hoc tam eximium de Christi passione prœconium, impius ille nescius, immo contra suam ipsius uoluntatem dixit. Nihil enim aliud sentiebat, quàm Christum è medio tollendum, ne quę foret inde materies belli Romani. Hoc ipse intendebat, nec Christum credebat suâ morte redempturum populum. Ideo Ioannes non ipsi, sed Spiritui sancto hanc ueritatem ascribit.

Cum esset Pontifex anni illius, prophetauit]

Iterum repetit annum impij illius Pontificatus, quasi non satis admirari ualens, tantam hominis impietatem, &c. Dupliciter autem exponitur uerbum hoc. Primo in bonam partem, quasi ob ipsum officium Spiritus sanctus per eum loquutus sit. Aderat siquidem Spiritus sanctus sacerdotio Iudæorum, donec in Christum manus non extenderent, postea autem iuste eos deseruit, in cuius figuram uelum templi in passione Christi scissum fuit. Vnde & Christus dixit: Relinquetur uobis domus uestra deserta. Secũdo intelligi potest uerbũ hoc in malum, ut sit sensus. Quia tam impius erat hic annualis ac simoniacus Pontifex, iuste in reprobum sensum datus est, ac uas iræ effectus, & adeo excæcatus, ut propria uerba non intelligeret. Erat igitur uerbum Cayphæ uera Prophetia, licet ipse nequaquam esset Propheta: sed ita locutus est, ut asina Balaam. Non enim Spiritus sanctus cor illud Cayphę tam immundum tetigit, sed tantũ lingua eius usus est. Summa, Cymbalum fuit magnum, & tynnitum sonorum ædidit, quem tamen ipse non sensit. Talis erat & illa Prophetia, cũ dicerent: Sanguis eius super nos et super filios nostros: nesciebant enim quanta mala sibi ipsis imprecarẽtur. In hũc modũ prophetant & mali Prędicatores. Nam quod alijs persuadere conantur, hoc ipsi nõ audiunt, quia opere non perficiunt quæ docent.

Matth. 27.
Matth. 23.
Num. 22.
Matth. 27.

Quia Iesus moriturus erat pro gente]

Exponit Euangelista, quare hoc uerbum dixerit esse Prophetiam à Spiritu sancto profectam. Veraciter enim moriturus erat hic Iesus, non pro seipso, sed pro gente scilicet Abrahæ, hoc est, pro his qui ex eadem gente prędestinati erant.

Et

Et non tantum pro gente]

Scilicet Abrahæ, sed pro cunctis prædestinatis. Ideo in Isaia dicitur: Parum est ut suscites mihi feces Israël: Dedi te in lucem gentium, &c. Non enim Iudæorum Deus tantum, sed & Gentium, quia scriptum est: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Isa. 49. Rom. 10.

Sed ut filios Dei, qui erant dispersi, &c.

Filios Dei nominat propter prædestinationem: Alioqui nondum erant filij Dei, sed ipse pro eis moriendo fecit eos ex filijs Diaboli, filios Dei, & ex lupis agnos. Sic Isaias prædixit: Lupus & agnus habitabunt simul, et leo sicut bos comedet paleas, hoc est, mutabunt naturam suam, ut qui ante mali erant, boni efficiantur. Isa. 11.

Congrue autem dicit: *Qui dispersi erant*, nedum in diuersas regiones, sed in diuersos cultus, uarios errores, diuersas uoluntates, & modos uiuendi. Congregat autem Christus dispersos filios Dei, non in unum corporalem locum, sed in unam Ecclesiam & corpus spirituale, in unam fidem, quemadmodum Paulus ait: Vnum corpus, & unus spiritus, una fides, &c. Ita pij, quamuis longissimo uiæ spacio inter se distent, semper tamen sunt in unum congregati in Domino. Ephes. 4.

De hac congregatione dicitur in Psalmo: Congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini tuo, &c. Et in Ezechiele: Tollam uos de Gentibus, &c. Et in Hieremia: Non dicent ultra, etc. uiuit Dominus, qui eduxit patres nostros ex Ægypto, sed uiuit Dominus, qui eduxit & adduxit semen Israël de terra Aquilonis, &c. Sic & Isaias: Congregabit profugos Israël. Et Christus: Alias oues habeo, illas oportet me adducere. Psal. 106. Ezech. 36. Hier. 23. Isa. 11. Ioan. 10.

Ab illo ergo die, cogitauerunt interficere]

Insignem hoc loco uides Iudæorum & malitiam & cæcitatem. Primo enim si exordium huius Concilij attendas, nihil eo iustius uidetur. Quid, inquiunt, facimus, quia hic homo multa signa facit? Quis hic non speraſſet, finem bonum secuturum? hic autem uides peruersissimum huius Concilij exitum. Quis tantam impietatem sub prætextu tam bono expectasset? Merito igitur exclamat Isaias: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? &c. Deinde insignis cæcitas est, quod de cõmodis Reipub. consultare se simulantes, omnium pessimum arripiunt consilium. Nihil enim pernicioſius facere potuissent, quàm quod Christũ occiderunt. Verum hoc est iudicium Dei, de quo in Isaia dicit: Perdã sapientiam sapientum, & prudentiam prudentũ reprobabo, &c. De eodem & Maria in suo cantico dicit: Dispersit superbos mente cordis sui. Omnia hęc eo tendũt, ut in timore Domini ambulemus, &c. Initium enim uerę sapientiæ, timor Domini, & sine timore Domini, nihil recte consulitur. Isa. 1. Isa. 29. Lucæ 1. Psalm. 110.

Sed ad textū. Legimus quod etiam ante hoc Concilium, non semel cogitauerunt Christū interficere, ut est Luc. 4. Ioan. 5. et 8. & 10. Nihilominus tamen uere nūc dicitur, quod ab illo primū die cogitauerūt eum interficere. Antea siquidem aliqui Iudæorū tantum per turbam & tumultum eum occidere uolebant, & soli Pharisæi & magnates; Nunc autem unanimiter consentiunt. Deinde, non per tumultū, ut prius, sed quasi per legitimū iudicij ordinem eū interficere conantur, causam se nactos rati, qua eum commode accusare possent. Præterea ab illo die ne dum primores Iudæorum, sed etiam populus in Christum concitatus est, nimirum persuasus à Caypha, eum toti Iudaicę genti pernicioſum esse: Nec quicquam aliud sic populum à Christo alienauit, quàm hoc improbum consilium Cayphæ. Hic uides, quàm pernicioſa res sit impius magistratus. Vnus enim hic Caiphas, plus damni intulit Iudaico populo, quàm omnes quos unquam habuerunt hostes. Quid enim potuerunt hostes eorum? Bona diripere temporalia, corpora necare, terram deuastare, &c. Atqui hæc omnia temporaria mala sunt, hic autem Cayphas hoc suo cruento consilio, animas eorum necauit, Deum ipsis aduersarium fecit, denicę & cœlum ipsis abstulit & clausit. Sic enim agit Deus, puniturus gentem aliquam aut regionem, dat eis impium Magistratum. Sic de
Oſee 13 Iudæis dicit: Dabo eis regem in furore meo. Sic etiam excæcaturus gentem aliquam propter ingratitudinem, dat eis impios & falsos
Iob. 34. doctores. Propter peccata enim populi, Deus facit regnare hypocritam. Et quidem satis iuste in reprobum dantur sensum, ut credant
2. Tess. 2. mendacio, qui charitatem ueritatis non receperunt.

Nostris igitur peccatis imputemus, si uel malos habemus principes, uel impios prædicatores. Facile enim Deus bonos dabit principes & rectores, si nos boni fuerimus. Deinde ex hoc loco etiam uidemus, quàm periculoſum sit alijs præesse. Quicquid enim subditi delinquunt, in caput illorum recidit, qui ea uel præcipiunt uel consulunt, aut conniuent dissimulantę. Stat enim sententia: Sanguinem eius,
Ezech. 3. qui tua negligētia uel impulsu perit, de manu tua requiram. Sic Cayphas reus fuit omnium peccatorum, quæ populus impie in Christum commisit. Ob eam causam etiam Petrus populum excusat: Scio, in-
Act. 3. quit, quod per ignorantiam feciſtis, &c. Discant hic superiores, ne præcipites sint, sed mature secum perpendant, num quod iubent, legi Dei consentiat, &c. Discant & subditi fideliter orare pro Magistratibus, quandoquidem tanta ipsis imminent pericula, ut iam dictum
Sap. 9. est. Ob eam causam etiam Salomon sibi ipsi nihil aliud à Deo petijt, quàm sapientiam, &c.

Iesus ergo iam non palam ambulabat]

Psal. 34. Conuenit hic locus cum eo, quod in Psalmo ex persona Christi dicitur: Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, &c.

Quo

Quo magis enim illi sæuiunt, eo mansuetiorem se Christus ostendit. Poterat quidem Christus etiam palam inter eos illæsus ambulare, ac diuina uirtute se protegere, sed fugit, non metu mortis aut impotentia, sed quia nondum uenerat hora eius. Deinde etiam ideo à publico abstinuit, ne adderet ipsis furorem, nos interim docens, ut demus locum iræ. Præterea hoc suo facto docuit, non licere, ut quis Rom. 12. sua temeritate se in præsens periculum inijciat, si possit citra offensam Dei effugere. Ideo autem Euangelista toties inculcat fugam & latibula Christi, ut hinc fiduciam concipiamus, nihil in nos posse aduersarios ante constitutam à Domino horam, quemadmodum intra horam Christo ne minimus quidem capillus lædi potuit.

Abijt autem Christus à Hierusalem interfectrice Prophetarum. Abijt in desertum, per desertum innuit desertionem Iudæorum, quam alibi prædixit: Relinquetur uobis domus uestra deserta. Per Matth. 23. regionem iuxta desertũ, innuit electã habitationem gentium, apud quas mansurus erat. Nec tamen alibi moratur, quàm in Effrem, quę frugifera interpretatur. Maledicta enim infrugifera situ, Iudaico scilicet populo, in Ecclesia faciente fructum multiplicem commoratur. Matth. 21.

Ibi morabatur cum discipulis suis]

Sic olim ad Dauidem morantem extra Iudæam, in Sicelech uenerunt uiri fortissimi, quos postea rex factus constituit in principes. 1. Paral. 12.

Immo sic ad eundem Dauidem in deserto latitantem, uenerunt omnes, qui amaro erant animo, & oppressi ære alieno, & factus est eorum princeps. Insigniter autem hoc secessu Christi, tentata fuit fides Apostolorum, cum uiderent Christum ab omnibus desertum, fuga salutem quærere. Quis hic non dubitasset? Sed Apostoli permanent. Deinde etiam egregium exemplum est charitatis, quod à Christo etiam fugiente & latitante, auelli non potuerunt. Merito igitur audierunt: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono uobis, &c. 1. Reg. 22. Lucæ 22.

Proximum autem erat Pascha Iudæorum]

Hoc uerbo innuit, Christum non diu delituisse. Sciebat enim hoc ipsum Pascha, tempus suum esse, quo pati cupiebat, quod & desiderabat. Iuxta illud: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare, &c. Lucæ 22. Signanter autem dicit: *Pascha Iudæorum*, quia post hoc tempus, cessauit Pascha Iudæorum. Quicquid enim ex tunc Iudæi sanctificant, pollutum est. Iuxta illud propheticum: Maledicam benedictionibus uestris. Sic in Isaia: Qui offert bouem, quasi qui occidit hominem. Malach. 1. Isa. 66. Proinde, qui Pascha celebrare uult, non Iudaico more hoc faciat, sed uerum, qui pro nobis immolatus est, agnum adhibeat, Christum scilicet, ac uere transeat è peccato in iustitiam &c.

Et

Et ascenderunt multi de regione, &c.]

Exod. 34. Præceptum enim legis erat: Ter in anno apparebit omne masculinum in loco, quem elegit Dominus. Ad hoc etiam Dauid spirituale fecit Psalmū, quo ascendentes ad festa, seipsos mutuo ad deuotionem excitarent: Lætatus, inquit, sum in his, quę dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus, &c. Obserua quod multi ascendunt ad festum, soli aūt Christus & Apostoli latent. Sic omnes quantumcunq; etiam facinorosi locum inuenerunt in Hierusalem, præter unū Christum & discipulos suos. Hinc & supra dixit ad cognatos suos: Vos ascendite ad diem festum, ego non ascendam: Non potest mundus odisse uos, me aūt odit, &c. Sic mundani homines in hunc usq; diem, solos illos tollerare non possunt, qui eos arguunt, ac ad pietatem ad ducere conantur. Cogitauerunt (inquit) impij: Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris. Improperat nobis peccata legis, &c.

Leuit. 23. Psalm. 121. Ioan. 7. Sap. 2.

Vt sanctificarent seipsos]

Num. 9. 2. Para. 29. Num. 19. Matth. 15. Heb. 9. Rom. 13. 1. Cor. 7.

Nullus enim immundus poterat Pascha immolare Domino, immo ne templum quidem intrare. Hinc Ezechias coactus fuit phase secūdo mense facere, quia sacerdotes primo mense sanctificati non erant. Immunditia autem legalis contrahebatur ex contactu rei immundę, ut mulieris menstruatæ, morticini, &c. Immo non erat uera immunditia (nam hæc non inquinant animam) sed tantum quædam inabilitas, impediens accessum templi. Sanctificabantur autem per aspersionē aquæ expiationis, &c. Summa, lex tantum habuit carnales purificationes, quæ non iustificabant spiritum. Erant autem umbra uerę iustificationis per Christum fiendæ. Vera enim immunditia est peccatū: Hoc enim inquinat animam. Peccatum aūt non tollitur ludaica aspersione, aut oblatione aut uitulorum sanguine, sed solo sanguine Christi, qui mūdat animas nostras ab operibus mortuis, &c. Obserua, si tantā exegit Deus munditiam ab his, qui externo templo & umbris deseruiebant, quanta requiritur in nobis munditia, qui in uerita-te & die sumus? Merito igitur monet Paulus: Nox prœcessit, &c. Abijciamus ergo opera tenebrarū, &c. Nobis enim potissimū competit illud: Sancti estote, quoniam sanctus sum. Arguit etiam hæc ludæorum diligentia nostrā desidiam, qui nunquam curamus, ut sanctificemur. Potest etiam locus hic aliter accipi: Vt sanctificarent seipsos, hoc est, ut ieiunijs, & orationibus se præpararent ad festū. Sic enim etiam Ecclesia festiuitatibus summis premittit ieiunia, ut per abstinentiam magis idonei reddamur ad orationem & gratiarum actionem. Ob eandem causam etiam Paulus uult, ut coniuges pro tempore abstineant à carnali opere, ut uacare possint orationi.

Quærebant

Quærebant ergo eum]

Non exprimit qua intentione eum quæsierunt. Et fieri potest, quod aliqui bona intentione eum quæsierint. Verum circunstantiæ liberæ uidentur innuere, quod mala intentione eum quæsierunt, propterea, quod subditur. Dederant aût Pharisæi mandatum, &c. Quilibet ergo intẽtus erat, illorum habiturus gratiam, si indicasset eum, quippe cum & precium dare prompti essent, quod & discipulo eius dederunt. Solliciti igitur erant, ne forte propter hoc ipsum non ue- Matth. 26.
niret ad festum. Signanter aût ante festũ quærunt eum. Prçuiderant enim Pharisæi, ne hoc fieret in die festo. Ne forte tumultus fieret in Ibid.
populo. Hic iam uide præposteram, immo irreligiosam Iudæorũ religionẽ. Primo magna superstitione cauent, ne cęremonias à Moyse aut Pharisæis præscriptas prætereant: Interim tamen non abhorrent ab eo, quod est omnium impiissimum, nimirum ab effundendo sanguine hominis innoxij. Itidem nos facimus, qui cæremonijs externis seruatis, omnia nobis salua putamus, etiamsi interim tota uita sit impia, &c. Non quidem malum est seruare cæremonias, sed non satis est: Longe maiora requirit Christiana iustitia.

Deinde facinus tam impium in sanctissimo tempore meditantur, & cum magis uirtutibus incumbendũ, magisq; à sceleribus abstinendum esset, tunc innocentem capere conantur.

Hanc autem Iudæorum improbitatem & amentiam, etiam nos Christiani strenue imitamur, ut qui diebus ad exercenda opera seruilia concessis, abstinemus à crapula alijsq; peccatis. Cæterum festis diebus ad omnia uitia prorumpimus, &c. Verum enimuero indulgere uenuri & inconcessis uoluptatibus, frena laxare diebus festis, non conuenit Christiano. Si enim prohibetur festo die opus externum, quod sine peccato fieri potest: multo magis prohibita sunt ea, quæ non nisi cum peccato committi possunt.

Et colloquebantur ad inuicem in templo]

Vides etiam hic quæ fuerit religio Iudaica. Templum ordinatum erat, ut esset domus orationis: ipsis autem iam non aliud erat, quàm spelunca latronum. Impius enim neq; loci, neq; temporis sanctitatem curat, dummodo intentum suum impleat, &c. id quod Dauid pulchre exprimit, cum dicit: Dixit impius in corde suo, non Psal. 9.
mouebor à generatione in generationem sine malo, &c. ad longum.

Quid putatis, quia non uenit ad festum]

Non sine causa Christus non in exordio festi uenit, sed certo mysterio. Non enim primo die agnus immolandus segregabatur, sed decimo, quo etiam Christus Hierosolymam intrauit. Verum hoc populus ignorabat, ideo murmurant.

Cæterum

Cæterum, quod mirantur eum non adesse festo, signum est, quod festa non neglexit, non quidem debitor erat legis, sed ne offenderet alios, legi obediebat. Discamus etiam nos communem pacem, unitatem & proximorum salutem pluris æstimare, quàm nostram libertatem. Sic Paulus: Vnusquisq; proximo placeat ad salutem, sicut & Christus, &c.

Rom. 15.

Dederant autem Pontifices mandatum]

Mira cæcitas. Toties tentauerant in eum præsentem injcere manus, et diuina uirtute cohibiti, frustra id conati sunt, nec tamen adhuc cessant. Sic impij, etiamsi sentiunt Deum sibi aduersari, et conatus eorum impedire, non tamen cessant: Exemplo sint Balaam, Pharao, & alij, &c. Quod autem Pharisæi hic mandatum dant, ut Christum prodant, qui scirent ubi esset, figuratum fuit in Saule persequente Dauidem, &c. Discamus nos Christum quærere, non ut Iudæi, sed ex toto corde, tanquam saluatorem. Discamus de Christo colloqui, non ut ipsi, sed pie: habemus enim quæ de ipso loqui possumus. Discamus Christum etiam alijs indicare ad salutem, non ad perditionem, ut Iudæi.

1. Reg. 21.

CAPVT DVODECIMVM.

IN hoc Capite ostenditur Christus tripliciter honoratus, & à tribus generibus hominum. Primo à fidelibus, qui erant Bethaniæ. Deinde à turba, quæ ad festum conuenerat Hierosolymis. Postremo à Gentibus, qui eum uidere cupiebant. Per hæc aũt ostensum est, Christum ab omnibus populis & linguis honorandum fore. Deinde præostensum est, quo potissimum honore à nobis coli uelit.

Ante sex dies Paschæ uenit Bethaniam]

Tempus & locum suo more præmittit Ioannes huic historiæ, ut nos excitet & quasi certos reddat, magnũ aliquid & notatu dignum secuturũ. Ac primo per coniunctionem (Ergo) hanc historiam connectit ei, quod præmiserat. Nempe, quod Pharisæi dederant mandatum, &c. Nunc igitur subdit: Iesus ergo. Ergo (inquit) quia apud se statuerant tantum facinus perpetrare, & sanguine Filij Dei se ipsos commaculare: iamq; tempus aderat è Deo Patre præfixum, non amplius latuit, sed ad Iudæam regressus est, immo recto itinere uersus Hierosolymam

Sup. c. 11.

Hierosolymam perrexit. Nec enim alio loco pati uoluit, quàm ubi pro maiori parte occisi erant Prophetæ. Iuxta illud: Non capit Prophetam perire extra Hierusalem. Et quàm timidum se ostendit in fuga, antequam ueniret hora eius, tam intrepide nunc eadem hora aduentante, se offert manibus persequentium. Interim docens nos, licere quidem periculum & mortem fugere (ita tamen, ut nihil eorum omittamus, quę præcepta sunt) cum autem tempus nostrum aduenerit, quo ex hac uita uocamur, intrepide et incunctanter mortem suscipiamus. Quemadmodum Paulus, cum diceret: Quid facitis (inquit) affligentes cor meū? Ego non solum ligari, sed & mori paratus sum. Et Iudas Machabæus: Absit (inquit) à nobis, ut istam rem faciamus & fugiamus. Sed si appropinquauit tempus nostrum, moriamur in uirtute, &c. Signanter autem dicitur, quod Bethaniam uenerit: illac enim transeundum erat. Verum Christus Bethaniam non pertransijt, quemadmodum plura alia castella, sed illic diuertit. Luc. 13. Act. 21. 1. Mach. 9.

Primo, ut renouaret memoriam miraculi ibidem facti in Lazaro. Secūdo, ut conuersando cum Lazaro, spem resurrectionis suæ discipulorum animis imprimeret, quos sciebat de morte sua plurimum perturbandos. Tertio, ut turbis illuc ad se confluentibus, maiori cum sollennitate postea Hierosolymam intraret. Præterea etiam ideo in Bethaniam diuertit, quia dilectos ibi habebat amicos, quos sciebat de se sollicitos esse, propter Iudæorum inuidiam: Hos igitur sine consolatione præterire noluit. Sic enim Deus nunquam suorum obliuiscitur. Iuxta illud: Si potest mulier obliuisci infantis sui, & ego obliuiscar tui, &c. Fœlices ad quos Christus diuertit, cum enim sit omnium bonorum fons, omnia etiam bona secum portat. Hinc Sapiens de sapientia Dei dicit: Venerunt mihi omnia bona, pariter cum illa, &c. Demum non sine mysterio ante passionem suam Bethaniæ diuertit Christus. Bethania siquidem domus obedientiæ dicitur. Et quid aliud Christum ad mortem adegit, nisi obedientia ad Patrem. Hinc Paulus: Factus est obediens usq; ad mortem, &c. Isa. 49. Sap. 7. Phil. 2.

Docemur hic Deum illic potissimum diuertere, ubi præceptis eius obeditur. Hinc est, quod tam crebro patres ueteris Testamenti uisitauit, quia erant obedientes, ut patet in Araham & Iacob.

Hinc cuilibet fideli animæ dicitur: Audi filia, & uide & inclina aurem tuam, per obedientiam scilicet, & concupiscet rex speciem tuam. Psalm. 44.

Nec aliud nos huiusmodi diuinis uisitationibus indignos reddit, quàm quod inobedientes sumus. Sic Sauli dicitur: Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus. Hinc tam crebro nos scriptura monet, ne recedamus à Deo, ut patet 1. Reg. 10. &c. Cæterum, quoniam & hic & in sequentibus frequenter Paschæ meminit Euangelista, paucis indicabo eius festi rationem. 1. Reg. 15.

Duo quidem beneficia Iudæi olim eo die acceperant à Deo. Primo,

Exod.12. quod ea nocte liberati sunt ab Angelo percutiente primogenita
Exod.14. Ægypti. Deinde, quod eadem nocte ex Ægypto educti sunt, submersis eorum aduersarijs. Vtrunq; horum beneficiorum, factum est quinta decima die primi mensis, simul computando noctem præcedentem. Ob hoc idem dies dictus est Phase, id est, transitus Domini, & quod Angelus transierit domus Israëlitarum, & quod ipsi mare rubrum transierint.

Exod.12. Ne autem huiusmodi beneficiorum obliuiscerentur, uoluit Deus eum diem annuatim celebrari. Et ut utriusq; beneficij eo die admonerentur, duo quędam externe uoluit ab eis eo die obseruari. Primo in memoriam, quod per sanguinem agni liberati olim essent ab Angelo exterminatore, uoluit ut annuatim eo die agnum immolarent, ac ederent eodem ritu, quo in Ægypto comederant patres eorum. Secundo in memoriam egressionis ex Ægypto, qua coacti ab Ægyptijs consperſam farinam fermentare non poterant, instituit Deus ut à comestione agni, per septem dies azimis uescerentur.

Totum igitur hoc tempus à uespera quartędecimæ diei, usq; ad uicesimam primam, dicebatur festum Paschæ, quamuis primus dies celeberrimus esset, itidemq; ultimus. Cæterum, cum dicitur Pascha celebratum quintadecima die primi mensis, obseruandum, quod Iudæi aliter & menses & annum incipiunt, quàm nos. Annum nos incipimus à Ianuario, ipsi autem à lunatione, quæ proxima est equinoctio uernali. Menses autem semper incipiunt ab incensione lunæ.

Vnde consequitur, quod primus mensis apud Iudæos est ut plurimum lunatio Aprilis. Quartadecima autem dies, est plenilunium eius mensis. Quacunq; igitur die occurreret plenilunium eius mensis, celebrari oportebat Pascha.

Hæc de ratione eius festi dicta sufficiant. Iam si Christus sexto die ante Pascha uenit Bethaniam, certum est, quod eadem dies fuit nona dies mensis: subtrahe enim sex à quindecim, remanent nouem.

Deinde, quia clarum est, quod Christus sexta feria passus est, quo die ipsum festum erat, constat, quod Sabbatum fuit, quãdo Bethaniam uenit.

Ideo autem nona die Bethaniam uenit, ut decima die qua segregandus secundum legem erat agnus Paschalis, Hierosolymam intraret. Deinde ideo Sabbato Bethaniam uenit, nolebat enim nisi dominico die Hierosolymam intrare, ut gloriam resurrectionis hoc facto præsignaret, & Iudaicum Sabbatum in dominicam diem mutaret. Congrue etiam sexta die ante mortem suam, se accinxit ad iter uersus locum passionis, ut scilicet opus redemptionis correspondere operi primæ creationis. Sicut enim sex diebus omnia creauit, et septima die quieuit: sic & Christus his sex diebus redemptionem nostram peregit, ac septima in sepulchro quieuit. Vides quàm nihil temere factum

sit,

sit, quàmq; sapienter sapientia Dei cuncta perfecerit. Nemo igitur Deũ in operibus suis arguat. Omnia enim sapienter disponit, etiamsi nobis non uideatur. Vides etiam, quàm diligenter Ioannes hunc Christi reditũ describit. Nec mirũ: Eo enim itinere dixit Apostolis: Ecce ascendimus Hierosolymã, & consummabuntur omnia quę scripta sunt de filio hominis, &c. Quis aũt cogitare sufficiat, quanta gravitate uultus, quantoq; desiderio animi, hoc dixerit? Vnde & in alio loco dicit: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam? Lucę 18. Lucę 12.

Fecerunt ei cœnam ibi]

Paucis indicat Euangelista, quomodo Christus Bethaniæ susceptus sit. Et quidem leuicula uidentur, quæ Christo exhibuerunt, si solam externam speciem: Ingentia aũt sunt, si fidem & charitatẽ eorum attendas. Cæterũ, quis hanc cœnam parauerit non exprimitur. Nec satis constat, in qua domo hæc facta sint. Videtur quidem hæc cœna in domo Marthę exhibita, ex eo, quod Ioãnes tam diligenter & eam et sororem simulq; fratrẽ eius nominat, ipsaq; etiam aliàs Dominum suscepisse legitur in domum suam. Verũ Matthæus & Marcus reclamãt, qui expresse dicũt, Christũ in domo Simonis leprosi recubuisse, cum mulier illa eum ungeret, & discipuli murmurarent: Nisi uelimus dicere, quod alia est historia hic & illic, id quod quidam senserunt. Lucę 10.

In eo autem, quod cœnam ei instruunt. Primo gratos se ostendunt erga doctorem. Dignum enim est, ut qui spiritualia accipit à doctore, temporalia ei non deneget. Secũdo ostendunt se hospitales erga eos, qui domo carebant. Non enim habuit Christus, ubi caput suum reclinaret. Hæc aũt sunt opera Christo gratissima, id quod patebit in iudicio, cum dicet: Esuriui, & dedistis, &c. Obserua quod Matthæus à Christo conuersus & uocatus, non cœnã, sed conuiuium magnum parasse dicitur: Hi aũt cœnam faciunt. Vtrũq; gratũ Christo fuit, sed hoc ultimum maxime. Conuiuium exhibent Christo, qui à peccatis conuertuntur ad pœnitentiam, qui bene incipiunt, sed nondum satis est. Sicut enim post prandium appetitur cœna, ita Christus ultra conuersionẽ, etiam aliud quiddam exigit, nempe perseuerantiam in bono, quam qui habet, is uere cœnam gratissimam Christo exhibet. Obserua quod Christus gratũ habuit, etiã quod corporaliter ei exhibebat, nõ quod huiusmodi rebus afficeretur, sed propter fidẽ ipsorum & charitatem. Sic quamuis parua sint, quæ Deo offerre possumus, ipse tamẽ si adsit fides ea grata habet. Sic enim in Apocalypsi dicit: Si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, & cœnabo cũ eo, hoc est, boni consulam, quæ in honorem meum fecerit, etiamsi parua sint. Deinde ipse cœnabit mecum, hoc est, etiam mea bona illi communicabo. Hinc est, quod etiam calicem aquæ frigidæ porrigens propter Christum, non perdit mercedem suam. Matthe. 8. Matth. 25. Lucę 5. Apoc. 3. Matth. 10.

Hoc igitur summe nos consolari debet, & incitare ad quæcunq; bona. Cur enim cessamus, cum uideamus Deũ etiam minima quęq; (si fides absit) boni cõsulere? Deinde, quamuis Christus is ipse sit, qui dat escam omni carni, qui aliorum cibis non indigebat, tamen etiam ab alijs uoluit pasci. Sic quamuis gratis nobis uitam & salutem conferat, operumq; nostrorum non indigeat, tamen etiam à nobis cibari uult, hoc est, etiam nostra opera exigit, ut gratitudinem & obedientiam nostram experiatur. Errant igitur, qui de mortua fide sibi blandiuntur.

Martha ministrabat.]

Vbicunq; huius mulieris mentio fit, semper in bono opere inuenitur. Fœlices igitur, qui bonis operibus memoriam sibi apud posteros faciunt. Cæterũ quamuis non magnæ laudis uideatur esse, quod ad mensam Christo ministrasse dicitur, tamen si circũstantias attendimus, aliter iudicabimus. Primo enim non curat Pharisæorum inuidiam, & mandatũ de prodendo Christo, sed quemadmodũ prius fecerat, sic & nunc ministrare non cessat. Deinde ministerium hoc non famulis aut ancillis committit, sed per se ipsam exhibet. Sciebat
Lucæ 9. enim Christum dixisse: Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam & ego eum coram Angelis Dei. Quàm dissimiles ei sunt, qui mala quidem per seipsos faciunt, ad bona autem facienda uicarios conducunt, & plerunq; post mortem primum: Miseri qui seipsos negligentes, alijs suam salutem committunt. Demum Martha etiam in aliena domo Christo ministrat. Omnia autem hæc insigniter indicant, eius tum fidem, tum charitatem in Christum.

Lazarus erat unus ex discumbentibus]

Ostenditur per hoc, quod non fuit phantasma, quando è sepulchro prodijt, ueramq; eius resuscitationem probat, quod tam diu superuixit, cum alijs colloquens & conuescens. Vide autem Christi benignitatem, quàm non abhorreat ab eo, quem fœtidum è sepulchro eduxerat, ut etiam eũ conuiuio & ad mensam suam admittat, immo ministrantibus sororibus præferat.

Eandem benignitatem etiam nobis exhibet, postquam è peccatis surrexerimus: adeo enim non abhorret à nobis, ut & filios & amicos atq; adeo omnium bonorum suorum participes faciat.

Immo nonnunquam benigniorem se à peccato conuersis exhibet, quàm his, qui non peccauerunt. Sic uix aliquem quantumuis iu-
Lucæ 23. stum & sanctũ, tam benigne allocutus est, ut latronem illum in cruce. Huc pertinet parabola illa de filio prodigo, quem pater adeo beni-
Lucæ 15. gne receperat reuertentem, ut alter frater indignaretur, &c.

Maria

Maria ergo accepit libram, &c.]

Vide quanta sollicitudine Christo ministrant, nemo in hac domo ociosus est, singuli pro uiribus certatim ministrant, ac se mutuo superare contendunt. O pium studium. Sic in Ecclesia quilibet debet laborare. Sic, inquit, currite ut comprehendatis. Studeant desides alios preeuntes imitari. Qui autem fortiores sunt, tanto feruentius ad altiora tendant, quanto diligentius alij eos imitantur. 1. Cor. 9.

Vide autem, quanta fiducia ad Christum accedat mulier illa, quem Ioannes ille sanctus in Iordane tangere formidabat. Hanc fiduciam non aliunde hausit, quam ex perspecta ac toties experta Christi benignitate. Sic nimirum fideles, etiam si nondum omnino sine peccato sint, fidutialiter tamen audent Deo dicere: Pater noster, qui es in cœlis, &c. Deinde temeritas uidetur, quod Christum in pleno conuiuio unguento perfundit. Verum non temeritas est, sed ingens charitas & amor impotens, nesciens quidem quid ageret, sed tamen hoc officio Iesu mortem prenuncians, & Ecclesiæ typum gerens, quæ spretum à synagoga Dominum diuinis honoribus amplecteretur. Matt. 3.

Sed age consyderemus huius mulieris animum. Primo benefacit, nihil territa Pharisæorum diris execrationibus, nihil mota aliorum uel irrisionibus, uel murmurationibus, eo contenta, quod Christus boni consuleret ipsius ministerium. Sic fides nihil curat mundum, dummodo Deo placeat.

Deinde non qualecunq; unguentū affert, sed precioſum & optimum, denicq; etiam totam libram. Sic enim charitas modum non habet, largiter effundit quicquid optimū habet in Christum, non attendit quid expendat, sed cui & pro quo. Præterea non tantū pedes Christi ungit, sed & caput, parata in omnibus ei ministrare. Quia aūt caput Christi unxit, secundum Matthæū constat, quod non fuit crassum aliquod unguentū (hoc enim magis Christum fœdasset) sed liquor aliquis gratus & odoriferus, uel aqua aliqua pretiosa. Quod si eadem fuit illa Maria, cum peccatrice illa, de qua Lucas scribit, dupliciter ex hoc commendanda uenit. Quod enim prius laudabiliter inchoauerat, nunc etiam in eo perseuerat, immo laudabilius perficit. Primo enim tantum pedes unxit, hic autem pedes & caput. Hinc autem docemur, nedum in bono perseuerare, sed indies ad perfectiora tendere. Demū etiam capillis tersit pedes Christi, quasi amore ebria, nesciens quomodo ulterius ei ministraret, ac parata etiam plura addere, si posset. Merito igitur audiuit: Quod potuit hæc, fecit. Interim autem Christus hæc permittit & silet, immo gratum habet hoc obsequium, non quod huiusmodi uoluptatibus caperetur, nec ideo quod opus ipsum in se tantū esset, sed quod ex magna fide et deuotione procederet. Hoc enim Christus in operibus nostris attendit. Deinde etiā ideo se ungi permisit, quia unctio illa præfigurabat eius mortem & Matt. 26. Luc. 7.

sepulturam, ut infra dicetur. Quantumuis aũt Christus per omnem uitam humillime se gesserit, mortem tamẽ, quam nulla necessitate, sed sua sponte pro totius mũdi salute passurus erat, et qua deuicturus erat Diabolũ, uoluit honestari. Hinc est, quod proximus morti cũ triumphali pompa Hierosolymis inuectus est. Mortuus aũt, in sepulchro nouo excisо lapide recondi uoluit, & syndone mũda inuolui, & nobilis uiri cura sepeliri. Ideo aũt mortem suam potius honestari uoluit, quàm uitam, ad consolationem suorũ, ut scirent pretiosam esse mortem sanctorũ, etiamsi uita ingloria sit, & tunc nos uerę glorię appropinquare, cum ad mortem appropinquamus.

Psalm. 115.

Et domus impleta est ex odore unguenti.]

Vere odorifera domus, in qua tam pię personæ habitant, tam bonis actibus studentes: Huius domus odor in hunc usq; diem pios homines recreat & allicit. Cæterum, hęc Christi unctio quodammodo repræsentatio est eius unctionis, qua à summa Trinitate in regem & sacerdotem unctus est præ participibus suis oleo lætitiæ, spiritu scilicet sancto & plenitudine gratiarum, ut Isaias prædixit: Requiescet, inquit, super eum spiritus Domini. Eius unctionis stillas capilli capitis Dei extergunt, hoc est, omnes electi. De plenitudine enim Christi, omnes accipimus. Merito autem sancti, dicuntur capilli capitis Christi. Sicut enim capillus res quidem in se mortua est, tamen adhæret capiti, & ipsum caput ornat: Sic sancti in se quidem mortui sunt. Mortificant enim membra sua super terram, tamen Deo ut capiti adhærent, & in eo uiuunt, immo ipsum caput ornant. Deũ enim glorificant uerbo & opere, & in ipsis glorificatur Deus.

Psal. 44.
Isa. 11.
Ioan. 1.

Hinc igitur duplex nobis consolatio consurgit. Primo, quod certo scimus hunc eundem Christum tantopere à Iudæis contemptum, à Deo Patre unctum, idq; pretiosissimo unguento, cuius uel solus odor totum mundum recreat. Secundo, quod scimus etiam in nos peruenisse eius unctionis stillas, & adhuc peruenire posse. Deinde hæc historia etiam totum statum Ecclesiæ adumbrat.

Simon leprosus, in cuius domo hæc facta sunt, secundũ Matthęum, quicq; audiens uel obediens interpretatur, Iudaicũ populum significat, qui primo uerbum Dei audierũt. Ipsis enim commissa sunt eloquia Dei, &c. Sed tandem leprosus factus est idem populus, ob incredulitatẽ. Habuit idem populus, dum adhuc sanus esset, egregiam domum, in qua Deus libenter habitabat, congregationem scilicet fidelium: tunc enim in Iudæa tantum notus erat Deus. Leprosus aũt factus, è domo illa electus quidem est ille populus, sed domus mãsit, immo magnificata est. Ex synagoga enim Iudęorum, facta est Ecclesia uniuersalis credentium. In hac domo sunt tria genera hominum. Aliqui è morte peccati resurgunt, & conuertuntur: hi signantur per

Matth. 26.
Rom. 9.
Psalm. 75.

Lazarum.

Lazarum. Aliqui in laboribus uiuunt propter externa, quæ tamen ipsa ad gloriam Dei ordinant: hi per Martham signantur. Aliqui tantum Deo & spiritualibus uacant: hi signantur per Mariam. Imo quilibet Christianus has tres personas in seipso gerere debet. Primo sit Lazarus, à peccatis fugiendo. Secūdo Martha, in bonis se occupando. Tertio sit Maria, Christum ungendo. Vnguentum, quo ungi debet & unit, fides est, non quæcunq;, sed quæ optima est, nempe Christiana. Debet autem eadem fides ex Nardo confici, hoc est, habere feruorem, ut scilicet per dilectionē operetur, deinde oportet ut non sit adulterata, per admixtionē erroris. Insuper ut sit plena, libram scilicet habēs, ne scilicet in aliquo articulo dubitet. Vngere aūt debemus & caput & pedes Christi, hoc est, credere ipsum Deum & hominem. Hæc sunt quæ Christo exhibere debemus in persona propria: Verū ne sic quidem totum Christū honorasti. Habet enim etiam corpus mysticum, cuius ipse est caput, pedes autem sunt credentes in ipsum. Vnguentum, quibus ungi debet hoc Christi corpus, est charitas. Vngendū igitur et caput & pedes, quia diligendus Deus & proximus. Non sufficit autem charitas in corde, sed addendi etiam capilli, externæ scilicet diuitiæ, quæ merito capillis comparantur, idq; ob multa. Primo, quia tantum externe ornant. Deinde, quia nec uiuunt, nec uitam dant, nec à morte liberant. Tertio, quia plerunq; ad superfluitatem habentur, quemadmodum & capilli. Et quemadmodum sine dolore capilli abscinduntur, sic minime grauare nos debet, externa bona pro proximo impendere, cum Christus seipsum impenderit nobis. Vel aliter, capillus mortuum quid est. Sic si mortuum aliquid in te habes, peccatum scilicet, fac quod Daniel præcipit: Peccata tua eleemosynis redime. Dan. 4. Omnia autem hæc ante Pascha fieri debent, hoc est, antequam transeamus ex hoc mūdo, qui sex diebus conditus est.

Dicit ergo unus ex discipulis eius]

Hactenus respectum diuinæ misericordiæ habuimus in Maria, & alijs: Nunc in hoc Iuda uidemus respectū diuini iudicij. Hi enim sunt duo oculi Dei, quibus homines intuetur, misericordia scilicet & iudicium. Et sicut Ioannes utrunq; respectū ponit ante passionē Christi, sic Lucas in duobus latronibus idem ostendit in fine passionis, ut ex respectu misericordiæ in pios, discamus in Deū sperare, et ex respectu iudicij in impios, discamus timere Deū. Iam alij quidem Euangelistæ pluraliter dicūt, Apostolos indigne tulisse unguenti effusionē, quod differenter intelligere possumus, uel quod communiter fecisse dicantur quod unus eorum fecit, sic enim uulgo loquimur: uel quod etiam alij Apostoli uere murmurauerunt. Luc. 23.

Non enim in omnibus excusandi sunt sancti, homines fuerūt & permāserūt, etiā post acceptū Spiritū sanctū. Quod si forte ex incitatione

impij illius, nonnihil indignati sunt, longe tamen alia intentione hoc fecerunt, quàm ille. Illi sciebant Christū huiusmodi delitijs non delectari, sciebant item summe ei placere misericordiam in pauperes: Iudas autem, ut infra dicitur, longe aliud quærebat. Idcirco Ioannes solum eū nominat, qui impio animo hæc dixit. Tremendum autem est, quod in tam sancto collegio, tam impius homo inuenitur. Nemo igitur in homine, in sanctitate status uel officij uel habitus confidat. Si Iudam Apostolatus sanctum non fecit, nec te sanctum faciet status, uestis aut officium sanctū: Immo nisi sanctitatem prius habueris, et à Deo quæsieris, fieri potest, ut ex officio magis impius euadas.

Item, Si Iudas non ideo bonus fuit, quod inter bonos conuersatus, bonum officium habuit: sic nec tu ob id melior es, quod sanctam uestem aut statum aut officium habes. Præterea, si in tam paruo collegio, quod ipse Christus instituerat, inuentus est malus, non mirum est, si in collegijs magnis, ab hominibus institutis, mali inueniantur.

Quilibet autem uideat, ne id sit, quod Iudas fuit inter Apostolos. Cæterum, quis non miretur, quod Christus, ex his, qui secum uenerant, secum honorifice suscepti erant, secum reficiebantur, unum inuenit, qui tantillam consolationem ipsi inuideret? Hoc enim est, quod in Psalmo queritur: Si inimicus, inquit, meus maledixisset mihi, sustinuissem utiq, &c. Tu uero homo unanimis, dux meus, & notus meus, &c.

Psal. 54.

Quemadmodum autem Christus in terra commorans, inter suos inuenit qui eum traderet, sic profecto à suis grauiora pertulit, quàm à Iudæis & Gentibus. Iudæi corpus quidē eius conciderūt, at uestem ipsius intactā relinquerūt, Christiani aūt nedū membra Christi blasphemando lacerāt, sed etiam tunicam eius, fidei scilicet unitatem, miserabiliter scindunt. Postremo, quamuis durū sonet, quod in consortio Christi inuēti sunt mali, è regione tamen iucūde sonat, quod tantum unus fuit malus. Immo eo maior est aliorum Apostolorum gloria, quod tam impium hominē inter se habuerint, nullus tamen eorū motus est. Nam dubium non est, quin & ipsos contra Christum incitare conatus sit. Econtra autem, eo maior est Iudæ damnatio, quod inter tam sanctos uiuens, nihil emendatus sit. Huic igitur uni odor ille unguenti, quo alij reficiebantur, fuit odor mortis in mortem. Immo, quia iam mortuus erat, & sepultus in malitia sua, odorem uitæ ferre non ualuit.

2. Cor. 2.

Signanter autem Ioannes exprimit & nomen eius, & cognomen, ut discerni possit ab altero Iuda, qui Thadæus cognominabatur.

Quare hoc unguentum non uæniit, &c.]

Qui iniquum eius animum nesciret, non posset non sanctum & iustum eum ex his uerbis iudicare. Primo enim uidetur zelari magistri hon-

honorem, quasi diceret. Quid tam bonũ magistrũ nostrũ molestamus, his nugis scimus eũ nõ delectari in huiusmodi, etc. Secũdo uidetur zelare honorẽ totius collegij, quasi diceret. Nostro conuiuio non conuenit ista magnificentia, paupertatẽ professi sumus, Christũ pauperem sequendo, paupertas nos decet. Quid si homines hæc resciuerint, nonne in nobis scandalizabuntur? &c. O hypocritam. Tertio uidetur zelare pauperes, quasi diceret. Si decretũ erat fœminę largiri rem tam charam, poterat donata uendi, & precium dari pauperibus: Hoc nimirũ sanctius erat, ac magistro nobisq; dignius. Vide quàm bona specie auaritiam suã palliat. Atq; hęc est prima uirtus Iudæ, quę apud plærosq; nunc frequentissime cernitur. Deinde, perditũ opus mulieris putat, eò, quod nihil cõmodi uel gloriæ hinc ad ipsam redierit. Sic enim hypocritæ æstimant opera tantũ secundũ externam laruam, bonũ opus iudicantes, quod multũ commodi uel gloriæ adfert operanti: malum aũt uel inutile, unde nihil gloriæ humanæ sperare possis. Prętera zelum quidem prætendit, sed non secundũ scientiam pauperibus consultũ uult, sed interim Domini obliuiscitur. Atqui ita diligendus est proximus, ut tamen potior sit Deus. Sic plærique nunc sunt, qui audent affirmare, ea tantũ bona opera esse, quæ proximo impendũtur. Hinc est, quod damnant omnes homines, status & opera, quæ proximo nullum externũ commodum afferũt. Hi autem dupliciter peccant. Primo, quod tantum uolunt seruiri proximo, quasi tria prima mandata legis nihil sint.

Scimus præceptum de diligendo proximo, à Christo commendari, sed interim etiam scimus eundem Christum dixisse: Hoc est primum & maximum mandatum, nempe, Diliges Dominum Deum tuum, &c. Matth. 22. Sic non tantum dixit: Reddite quæ sunt Cæsaris cæsari, sed addidit: Et quæ sunt Dei Deo. Sic Paulus: Reddite, inquit, non hominibus tantum, sed omnibus debita, &c. Rom. 12. Non igitur tantum bona sunt, quæ proximo fiunt, sed etiam quæ Deo fiunt, quia æque à Deo præcepta. Deinde etiã in hoc peccãt, quod putant proximos externis tantũ auxilijs egere. Hinc enim est, quod ea opera, quibus spiritualiter iuuatur proximus, nihil esse putant. Atqui corpori humano non sola manus, quę uictũ parat necessaria est, sed etiam oculus, qui etsi uictum non parat sicut manus, tamen aliam commoditatem adfert corpori. Sic proximo non tantũ illi deseruiunt, qui uxores & liberos nutriũt, sed etiam, immo plus, qui orant, docent, &c. Nemo igitur alterius statum & opera (dummodo non aperte mala sint) contemnat, sed quilibet secundum uocationem suam Ecclesiæ commodis prospiciat.

Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat]

Sicut qui in ueritate ambulat, & Deo & hominibus commendabilis est, Sic econtra, qui malitiam suam bono prætextu palliat, merito

apud

apud Deum & homines male audit, id quod Iudæ contigit, quem nedum Christus arguit, sed Euangelista quoq; eius duplicitatem omnibus prodit. Verissime autem de ipso dictū est, quod non pertinebat ad eum de egenis. Quomodo enim pauperibus compatere-tur, qui ipsam pauperum misericordiam, in mortem tradere non uereretur? Excesserat animus eius omnes terminos humanarum miserationū, ramq; alieni pectoris erat, ut ipsam pietatem trucidaret. Quid autem est homo charitate & compassione uacuus, nisi crudelis bestia? Atqui multi sunt, qui in deliciis uiuētes nihil cōpatiuntur super cōtri-
Amos 6. tione Ioseph, ut Propheta ait: Nec curāt, quod idē Propheta Vę illud horrendū, eis imprecatur, nec saltē infœlici exemplo Iudæ mouentur.

Sed quia fur erat.

Hic habes causam, quare maluisset hoc unguentū uęnisse trecentis denarijs, quia scilicet uoluisset, et potuisset furtū facere de ipsis trecentis denarijs. Potuisset aūt utiq; satis commode, quia loculos habebat, etc. Iam quod Ioannes furem eum nominat, posset forsan uideri immodestius dictum. Verū, qui rem ipsam attendit, uidebit modestissime dictū esse: Potuisset enim eū atrociori titulo denotare. Non enim simpliciter fur erat, sed sacrilegus. Si iudicium sæculare grauius punit furtum Reipub. quod dicitur peculatus, quām furtum rei priuatæ: quanto detestabilior est fur sacrilegus? Etsi grauius punitur, qui proprio domino infidelis est & furatur, quanto magis qui Deo furatur? Atqui Iudas proprio Domino infidelis fuit, eaq; furabatur, quæ Christo & pauperibus debebantur, quod utiq; sacrilegiū fuit. Modestissime igitur Ioānes peccatū eius descripsit, quod summe exagge-
1. Cor. 13. rare potuisset, si uoluisset. Verū charitas non gaudet super iniquitate, nec de alieno malo. Iam sunt & in Ecclesia Iudæ similes, qui indignissime ferrent, si furti arguerentur: interim tamen maiora committūt, eademq; infidelitate loculos Christi (bona scilicet Ecclesiastica ministris Ecclesiæ & pauperibus oblata) tractant, qua Iudas. Alius enim per fas nefasq; congerit, & ad se rapit quæcūq; potest, nihil interim curans uel de pauperibus, uel de his, qui Ecclesiæ ministrant, quibus ea bona potissimum debentur. Alius ad pompam & luxum eisdem bonis abutitur. Peccāt & sęculares circa loculos Christi, dum alius renuit dare quod debet, alius etiam ad se & suos Ecclesiastica bona rapit. Hoc uidentes prophani principes, etiam ipsi quæq; ad se rapiunt, impleturq; illud Psalmi. Si uidebas furem, currebas cum eo,
Psal. 49. &c. Nemo autem attendit id, quod in eodem Psalmo sequitur: Hæc fecisti, & tacui: Arguam te & statuam contra faciem tuam: Intelligite hæc, qui obliuiscemini Deū, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Sic & is, cui moriēs aliquis bona sua cōmittit, immo quasi animā suā commendat, ut uel debita soluat, uel male parta restituat, uel in pau-

perum

perum usum bona relicta distribuat: Is tamen nihil horum facit, sed omnia in suum commodum conuertit, quid aliud facit, quàm quod loculos Christi defraudat? Atqui hæc adeo frequenter fiunt, ut in prouerbium & iocũ abierint, nec amplius putentur esse peccata. Sed ad Iudam reuertamur: *Fur* (inquit) *erat*. Quo uerbo innuit, eũ etiam antehac furtis assuetum. Deinde indicat, eum non tunc primum periisse, cum Christum uendidit, sed perditus iam Christum sequebatur corpore, non animo. Præterea, quod peculium iam sibi prospiciebat, unde postea uiueret, signum est, quod destinarat Christum relinquere: Alioqui quid opus ipsi erat pecunia, si cum Christo perseuerare uoluisset, cum Apostoli plane confessi sint, nihil ipsis defuisse, Lucæ 22. quamuis Christus eos sine sacculis & pera emisisset.

Et loculos habens, ea quæ mittebantur portabat]

In Luca legimus quasdam mulieres è Galilæa de facultatibus suis Lucæ 8. Christo ministrasse: Idem credendum est de alijs pijs hominibus. Quamuis autem Christus terræ & maris, & omnium quæ in eis sunt, uel ex eis nascuntur, creator & Dominus esset: tamen ex eleemosynis hominum sustentari uoluit, & Euangelium annuncians, de Euangelio uiuere uolebat. Primo, ut uel ex hoc discamus, quantũ sese exinaniuerit. Vere enim cũ diues esset, propter nos egenus factus est. 2. Cor. 8. Secundo, ut ipso facto suo ostenderet, securiorem esse uiam ad cœlum in paupertate & humilitate, quàm in multis diuitijs. Tertio, ut doceret administrantibus spiritualia, licere uictus necessaria recipere ab his, quibus ministrãt. Sic enim et alibi dicit: Dignus est mercenarius cibo Lucæ 10. suo. Ad hoc Paulus etiam uerbũ legis adducit: Non alligabis os boui 1. Cor. 9. trituranti, &c. Cæterum quærunt hic aliqui, cur Christus Iudæ loculos permiserit, cum sciret eum furem esse. Item, cur eum permiserit inter Apostolos, cur eũ non corripuerit, &c: Respondeo. Num rarum quid tibi hoc uidetur? Nonne usq; hodie etiã multos in Ecclesia permittit esse præpositos similes Iudæ? Nonne usq; hodie malos sustinet inter pios? Nonne usq; hodie temporalia dat etiam male usuris? Cũ igitur uideamus, quod Dominus multa permittit, quæ tamẽ non uult, nõ temere de illo uno discutiamus, præsertim cũ ignoremus utrũ Domino electione sua loculos illi cõmiserit: an certe (quod credibilius est) ille sese ingesserit, sicut plerique nũc tãta importunitate, Ecclesiasticis ministerijs se ingerũt, ut nisi admittant, penè grauiora per discordiam animabus scandala, quàm si admittantur, damna rebus Ecclesiasticis inferant. Volunt tamen aliqui, quod Iudas eo tempore non fuit malus, quo in Apostolum electus est, et loculos à Domino accepit. Alij uolunt, ideo ei commissos loculos, ut ex aspectu et attactu pecuniæ, auaritia eius aliqualiter sedaretur.

Alij uolunt, quod loculi ei cõmissi sunt ut Apostolorũ postremo ac minus idoneo ad spiritualia. Indignũ enim erat, ut tã uile ministerium

sanctis

ſanctis Apoſtolis imponeretur, quibus tam magna commiſſa erant,
Act. 6. Sic & Petrus: Non eſt æquum nos derelinquere uerbum Dei, & miniſtrare menſis. Quanquam nūc contrarium fiat, adminiſtrationem temporaliū maximus quiſq; appetit: ſpiritualium aūt adminiſtationē uiliſsimis interdum hominibus commendamus. Alij uolunt ideo Iudæ loculos præ alijs commiſſos, ut magis moueretur ad redamandum Chriſtum. In fine igitur tria ex Iuda diſcimus.

Primo paucos eſſe, qui adminiſtrent temporalia ſine peccato,
Eccleſ. 13. Qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea. Hinc Paulus: Qui uo-
1. Tim. 6. lunt diuites fieri, incidunt in laqueos, &c.

Secundo, quod nemo ſit idoneus diſpenſator Euangelicæ doctrinæ, cuius animum occupat pecuniæ cupiditas.

Tertio, quod auaritia radix eſt omnium malorum: Ea enim ex Apoſtolo furem, deinde & proditorem fecit. In ſumma, Iudas exemplum eſt perſonatorū Chriſtianorum, qui ſpeciem habent, bona opera faciunt, ſed cor habent inuidia & æmulatione obcæcatum, quemadmodum & Iudas inter Apoſtolos obambulat, Chriſti diſcipulum ſe fingit, cum tamen ex animo odiat eum. Similes item ſunt Iudæ, qui in his, quæ alij expendunt, ſtatim clamant, cur non datum eſt pauperibus? cū interim ipſi ſua turpiter prodigant, nec tamen unquam de pauperibus cogitent.

Sine illam, ut in diem ſepulturæ ſeruet]

Non ſe ipſam excuſat mulier, contenta teſtimonio propriæ conſcientiæ, quam ſciebat Chriſto optime notam. Gloria enim noſtra &
2. Cor. 1. cuſatio, debet eſſe teſtimonium bonæ conſcientiæ: Chriſtus autem eam defendit. Ipſe enim nedum iudex eſt, ſed etiam aduocatus ſuorum, eoſq; defendit, non tātum contra calumnias mundi et Diaboli, ſed etiam coram iudicio Dei. Hinc eſt, quod Paulus tam fidenter loquitur: Chriſtus (inquit) qui mortuus eſt, qui & reſurrexit, interpel-
Rom. 8. lat pro nobis. Quis ergo accuſabit aduerſus electos Dei, &c. Nihil nocet calumniator, ſi te & opera tua probat Deus. Obſerua autem, quod Chriſtus partim in ſingulari, partim in plurali numero reſpondet. Vnde datur intelligi, quod etiam alij Apoſtoli nōnihil obmurmurarunt, licet alia intentione quàm Iudas, ut ſupra dictū eſt. In ſingulari autem loquens, dure reſpondet. *Sine* (inquit) *illam*. In plurali autem admodum modeſte: Pauperes (inquit) ſemper habetis, &c. quia Iudas malo animo murmurauit, alij aūt diſcipuli bona intentione. Vel poteſt dici, quod Chriſtus etiam ideo à ſingulari numero repente tranſierit ad pluralē, quia tūc unus quidē erat Iudas nūc autem multi, & cū Chriſtū fideles diſcipuli ſemper habeant per præſentiam
Matth. 28. diuinitatis. Iuxta illud. Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus, &c. illi qui Iudæ ſimiles ſunt, nequaquam ſint illum habituri: Tollatur
Iſa. 26. (inquit Propheta) tollatur impius, ne uideat gloriam Dei, ut quo-

modo

modo Iudas non meruit uidere faciem resurgentis, nec tunc fuit cum Apostolis, quando pacem illis Christus attulit, sic nunquam habeant uel uideant gloriam eius quicunq; similes Iudæ sunt. Est autem sensus uerbi: *Sine illam, ut seruet, &c.* quasi diceret, Non est perditū opus, ut tu putas, effusio huius unguenti, nec sine causa ego illud permisi, magnum aliquid portendit & significat, nempe me propediem moriturum, et sepeliendum in fragrantiam omnium electorum. Solent quippe mortuorum corpora ungi, quod igitur mortuo mihi facere non poterit, hoc nunc, quamuis nescia, præuenit.

Ideo autem & hic & alias crebro passionis suæ meminit, ut persuaderet ipsis, se sua sponte moriturum. Vel etiam ideo, ut impium traditorem pungat, quasi diceret. Molestus tibi sum & inuisus, sed expecta paulisper, subducetur tibi ex oculis ne dum præsentia mea, sed etiam gratia. Docet autem Christus hoc uerbo, ne obsistamus ad bona tendentibus: Noli, inquit Sapiens, prohibere eum, qui bene facit, &c. Sic Christus: Sine eam benefacere, si tu non uis. Prouer. 3.

Secundo docemur, non reprehendere aliorum opera, etiam si non exactissime fiant, ne territi desistant omnino, sed fauore nostro ad altiora ipsos promoueamus: Sine, inquit, illam, mulier adhuc est, non uir: expecta donec grandescat, & maiora faciat. Tertio docemur, non temere aliorum opera iudicare, cum ignoremus, qua intentione facta sint: Quis tu, inquit, es, qui iudicas alienum seruum, &c. Roma. 14. *Sine*, igitur, *illam*, non tuum est corda & intentiones iudicare, sed meum. Quarto docemur ex hoc uerbo, etiam boni consulere ueterum liberalitatem & magnificentiam, in construendis & ditandis Ecclesijs, &c. *Sine*, inquit, *illam*, quod habuit & potuit fecit, qualiacunq; sint externa illa, certe testantur in eis fuisse gratum et deuotum animum, paratum omnia in seruitium Dei expendere. Quinto docemur, non solum bona opera esse, quæ proximo impedimus, sed etiam quæ Deo, id quod & supra admonui: Sine, inquit, ut etiam Deo seruiat. Vtrunq; enim præceptum est, & Deum & proximum diligere. Præterea, hoc uerbo ostendit, quod nedum corde & spiritu, sed etiam corpore & rebus externis sibi seruiri uelit à nobis, ut uel sic testemur, quod omnia hæc ab ipso acceperimus. Demum uidemus ex hoc uerbo, quod opera nostra, quantulacunq; sint, Deo placent, si ex fide et dilectione procedant. Sicut econtra, ingrata sunt etiam maxima opera, si desit fides & charitas, id quod Paulus diffuse ostendit. Hinc Christus: Quidam dicent in iudicio, Domine nonne coram te manducauimus & bibimus, &c. & respondebo: Non noui uos. Matth. 22. 1. Cor. 13. Lucæ 13. Matth. 7.

Pauperes semper habetis uobiscum, me autem non, &c.

Dupliciter exponi potest hoc uerbum. Primo sic, *Pauperes habetis*

uobiſcum, habetis item & me. Illis tenemini ſubuenire, ut fratribus eiuſdem naturæ & fidei: mihi tenemini ſeruire, ut creatori & redemptori. Iam nunquam uobis deerit occaſio miniſtrandi proximo, mihi autem non ſemper poteritis corporale miniſterium exhibere. Non enim ſemper habebitis me in iſta uiſibili forma. Nolite igitur indignari, quod mulier hæc, dum corpore præſens ſum, corporale mihi exhibuit miniſterium: ueniet hora, qua & uos ſimilia facere op-
Lucæ 17. tabitis, ſed non poteritis. Deſiderabitis, inquam, uidere unum diem filij hominis. Docemur hoc uerbo, ut non ceſſemus bene operari, quandocunq; & quam diu occaſionem habemus: Non enim ſem-
Eccle. 9. per id poterimus. Hinc Salomon: Non ceſſet manus tua, immo quodcunq; poteſt manus tua inceſſanter operare, &c. Aliter exponitur textus hic: *Pauperes ſemper habetis, &c.* quaſi diceret. Non prohibeo pauperibus benefacere, id enim Domini mandatum eſt, at nõ ſatis eſt pauperibus benefacere. Hoc enim poſſunt & hypocritæ. Hoc tempus, quo me iam habetis, maius aliquid exigit: Perſequuntur me nunc Iudæi, & proſcribunt quotquot in me credunt. Hic igitur neceſſarium eſt, ut qui in me credunt, teſtentur fidem ſuam aperte. Non dum autem aperte me confitetur ſaltem hoc tempore, qui pauperibus benefacit, ſed qui ſic mihi benefacit, ut mulier hæc fecit. Hoc enim opere palam teſtatur fidem ſuam, id quod benefaciendo pauperibus hac tempeſtate tam commode fieri non poſſet. Hinc igitur diſcamus confeſsionis Chriſti modum. Tempore ſiquidem perſecutionis, non ſatis eſt pauperibus miſericordiam impendere, ſed tenemur aperte Chriſti fidem confiteri, alioqui Chriſtum negamus.
Lucæ 9. luxia illud: Qui me erubuerit corã hominibus, erubeſcam ego eum coram Deo. Sic tempore hæreſum & ſchiſmatum, non ſatis eſt fidem ueram in corde tenere, ſed oportet eam confiteri. Hinc igitur uidemus, quam ob cauſam Chriſtus apud Matthæum tam excellen-
Matth. 26. ter commendauerit opus illud Mariæ: Bonum (inquit) opus operata eſt in me, &c. Primo enim opus illud unctionis, ex magna deuotione proceſsit, id quod Deus potiſsimum attendit. Secundo opus illud fuit confeſsio fidei in Chriſtum, & ob id maius fuit, quam ſi omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogaſſet. Nam qui erogat, facit quidem pium opus, & confitetur eo opere Deum, ſed nullo periculo, nec priuata, ſed publica confeſsione, ad hæc laudem meretur, tantum abeſt, ut propter confeſsionem ſe cuipiam periculo exponat: hæc autem mulier hoc opere ſe & ſua ſummo periculo expoſuit. Atq; ea demum eſt uera & libera cõfeſsio: hoc enim eſt propter Chriſtũ omnia relinquere, & periculo exponere. Tertio ideo opus hoc commendatur, quia ſepulturam Chriſti præfigurauit, quemadmodum & ueteris Teſtamenti cæremoniæ Domino placuerunt, non quia opera, non quia precioſa erant, ſed quia Chriſtum adumbrabant,

brabant, & ex fide in Christum bona fiebant opera. Demum, etiam si nihil aliud accederet, tamen uel ob hoc unum cõmendationem meretur hæc unctio, quod præfigurauit totam Ecclesiam implendam fragrantia mortis Christi & Euangelij odere. Item, quod præostendit, quales se erga Christum exhibituri essent fideles quicq; usq; ad finem mundi. Quod autem Christus dicit: Me non semper habebitis, non sic intelligendum est, quasi Christus iam non sit in mundo, aut quasi tantum spiritu & diuinitate nobiscum sit, non etiã corpore præsens, signanter in Sacramento. Sed ita dicit, se non semper futurum in mundo, quemadmodum tunc eum habebat Maria, uisibilem scilicet, tangibilem, passibilem & mortalem: Me, inquit, non semper habebitis, sicut me modo habet mulier hęc, nec sic me habebitis quemadmodum pauperes habetis, quibus corporalia beneficia præstare potestis. Huc pertinet quod post resurrectionem dixit: Hæc sunt uerba, quæ dicebam cum apud uos eram. Aderat quidem etiam tunc cum ipsis corporaliter, sed tamen non sicut prius mortalis & passibilis. Sic corpus Christi non est in Sacramento uisibiliter, sensibiliter aut passibiliter, nihilominus tamen fatemur ibi esse corpus Christi. Iuxta illud: Accipite hoc est corpus meum. Nec ualet consequentia, si dicas, Corpus Christi aliquo modo, hoc est, uisibiliter, non est in Sacramento, ergo simpliciter non est in Sacramento, sicut nec hic ualet consequentia. Rex non sedet coronatus in mensa, ergo nõ sedet in mensa. Est enim fallacia secundũ quid ad simpliciter. Lucæ 24. Matth. 26.

Cognouit autem turba multa ex Iudæis.]

Mira res, ubicunq; pium aliquod opus describitur, turbæ mentio fit, non autem diuitum, potentum & sapientum, ut uel huc referri possit illud Dauidis: Valles abundabunt frumento. Sicut enim è montibus uidemus defluere imbrem, neq; in illis fruges crescere conspiciuntur: Econtra autem ualles & imbrem retinent & fructum afferunt. Sic qui uel scientia, uel diuitijs, uel potentia tument, neq; diuinæ gratiæ imbrem percipiunt, neq; fœcunditatem afferunt bonæ operationis. Humiles autem & simplices & gratiam percipiunt, & fructũ ferunt copiosum. Sic turba Bethaniam usq; uisura Christum currit, cum interim principes nec pedem quidem mouent. Sic nimirum diuitiæ, scientia, potentia, bonis quidem sunt adiumenta uirtutum, impijs autem nihil nisi incitamenta peccati. Sic Saul antequam in regnum asciscereturnon erat uir melior eo in Israel: Rex autem factus, longe alius factus est. Qui igitur huiusmodi externa Dei dona habet, oret Deum, ut recte his uti possit. Psal. 64.

Venerunt non propter Iesum tantum, sed ut, &c.]

Venerunt attracti & allecti bono illo odore Christi, qui nedum Bethaniam, sed totam Iudæam impleuerat. Quis enim non libenter uideret eum, qui tanta signa faciebat: quis non libenter audiret eum,

cuius uox mortuos ſuſcitat! quis nō libenter uideret eum, qui quaſi ex Inferis ad ſuperos ſupra conſuetum morem naturæ redijt? Venit
Matth. 12. Regina auſtri è finibus terræ, audire ſapientiam Salomonis: Hic autem pluſquam Salomon. Per hunc autem concurſum populi ad Bethaniā prçoſtenſum fuit, quod ex omnibus mundi partibus concurſus futurus eſſet ad Eccleſiam, quæ uere domus obedientiæ eſt, quę ſola odore bono plena eſt, in qua licet uidere Chriſtum. Itemq; non unum Lazarum, ſed innumerabiles, qui è mortuis ad uitam gratiæ reſuſcitati ſunt. Quem autem non delectaret hæc domus? Hinc
Matth. 24. Chriſtus dicit: Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilę. Et ani-
Cant. 1. mæ fideles: In odore (inquiunt) unguentorum tuorum currimus.
Zach. 8. Hinc in Zacharia dicitur: Apprehendēt decem uiri ex omnibus linguis Gentium, fimbriam uiri Iudæi, dicentes: Ibimus uobiſcum, quia Dominus uobiſcum eſt. Quod autem dicitur, Non propter Ieſum tantum eos ueniſſe, imperfectionem notat. Sic enim nos occupat uetus ille Adam, ut etiam in bonis quæ facimus, non ſemper in unum & ſolum Deum intendamus. Plærunq; enim ſiniſtro oculo etiam ad alia reſpicimus, ad commodum ſcilicet proprium.

Sed ut Lazarum uiderent, &c.]

Is enim ob nobilitatem & diuitias multis cognitus, nunc propter recentis miraculi famam multis notior factus erat. Ad hunc igitur uidendum quidā uenerunt bona intentione, ut ſcilicet in fide confirmarentur: cum enim etiam oculus teſtis ſit eorum, quæ auditus percipit, fides firmiores radices acquirit, et indubitatior ſit. Sic Thomas,
Ioan. 20. oculis uidens quod auribus audierat, exclamauit: Dominus meus et Deus meus. Fieri autem poteſt, ut aliqui tantū ex curioſitate Lazarum uidere uoluerint. Eſt enim homo natura ſua nouarum rerum cupidus, magiſq; nouitatibus quā ueritate delectatur. Proinde tantiſper Chriſtum ſequitur, dum noua quædam & inſolita audierit ex ipſo: Cum autem nouum eſſe ceſſauerit, & homo ſpe ſua fraudatur, à Chriſto dilabitur.

Cogitauerunt ergo Pontifices, ut & Lazarum, &c.]

Et Bethaniæ & Hieroſolymis, inuenti ſunt boni & mali, ut ſciamus nunquā & nuſquā defuturos malos. Stat enim ſententia: Sinite
Matth. 13. utraq; creſcere uſq; ad meſſem, &c. Vide autem impietatem Pontificum. Primo non contenti prioribus, peccata peccatis addunt, ni-
Eccle. 5. hil moti ſcripturæ uerbis, quæ toties monet, ne peccata peccatis addamus. Secundo in peius proficiūt. Ab exordio enim uerbis tārum-
Lucæ 13. modo corripiebāt, ad Chriſtum accedentes: Sex, inquiunt, dies ſunt, in quibus operari oportet, in his uenite & curamini, &c. Progreſſu
Ioan. 9. temporis cæcum, qui fortiter Chriſto patrocinatus fuerat, è ſynagoga eiecerunt, nunc eo malitiæ creuerat eorum inuidia, ut Lazarum uirum nobilem ac potentem, à quo nullo facto dictoue prouocati

fuerant,

fuerant, & in quem ne fingere quidem quicquã poterant, uoluerint occidere: Sic enim ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper. Pſal. 73.

Non ſimpliciter autẽ cogitauerunt eum interficere, ſed cogitando decreuerunt, alioqui cogitare malum ſine conſenſu nõ eſt peccatum, hic autẽ fuit conſenſus & deliberatio. Vnde autẽ gens illa ſubiuga, quæ Pilato dixit: Nobis non licet interficere quenquam, tantã fiduciam cõcepit, ut nõ ſolum unũ hominẽ interficere uelle auderet, quia mortuos ſuſcitabat, ſed etiam alium qui reuixerat, niſi ex impia illa fictione, qua ſimulabant ſe omnia hæc facere propter fidelitatem Romanis ſeruandã. Hinc enim præſumebant, Romanos nequaquam ipſis ſuccenſere poſſe, tanquam fidelibus ſubditis. Nam et Herodem illa cauſa eripuerat à gladio Romanorum, qui tot pueros occiderat, quod ſimulabat ſe non tam ſibi quã Romanis cõſuluiſſe, in eo, quod perſecutus fuit Iudæorum regem natum. Sic impios homines fortiores & audaciores ad malum reddit, impunitas & fauor magnatum. Sic ſerui Abſalon in gratiam Domini ſui occiderunt Amon filium regis Dauid. Audierant enim ab Abſalon: Nolite timere, ego ſum qui præcipio. Inſigniter autem hi Pontifices nedum malitiam ſuam, ſed etiam ſtultitiam produnt, in eo, quod non cogitant, Chriſtum reſuſcitare poſſe, quem prius ſuſcitauerat tam mirabiliter. Sic igitur impĳ quiq; non ſolũ in Deum impĳ ſunt, ſed etiam immites et iniuſti erga homines, maxime ergo iuſtos, quibus rebus & ipſi ſe nedum malos, ſed & ſtultos oſtendunt. Si enim ſapientes eſſent, nequaquam his, quorum Deus uindex eſt, moleſti eſſent, multo minus Deo. Sed uera eſt ſententia: Omnis malus ignorans. Verum, qua de cauſa in Lazarum plus inſaniant quam in cæcum, audi. Matth. 2. Ioan. 18. 2. Reg. 13.

Quia multi propter illum abibant, &c.]

Vide malitiam, crimen iudicant, & capitale crimen, beneficium accepiſſe: Væ qui dicunt malum bonum, &c. Non dubium, quin & propter miraculũ in cęco factum, multi crediderunt in Chriſtum, ſed hic plures. Primo, quia miraculum hoc in ſe maius & admirabilius erat, quã præcedentia quæcunq;. Secundo, quia cæcus uilis erat perſona, nimirũ mendicus: hic aũt Lazarus diues & potens, ideo ipſius ſuſcitatio famoſior erat & latius diuulgabatur. Tertio, quia quantumcunq; eſſet miraculum in cæco factum, calumniam tamen præbebat, quod in Sabbato factum fuerat: Hic autem nihil tale calumniare poterãt. Demũ hoc miraculũ, iam inſtante ſolennitate Paſchali, & turba aſcendẽte è regione factũ eſt, ideo latere non potuit, quin multi hoc uiderent, audirent, & ſic crederent: Hoc ipſos torquebat. Vide igitur inuidiã omni fera crudeliorẽ, & omnibus exitiũ minitantẽ. Sic ut enim charitas ad benefaciendũ extimulat, ſic liuor edax, nil niſi pernicĳẽ et cędẽ cogitat. Sic ex inuidia Cain occidit fratrẽ ſuũ. Ex eodem morbo filĳ Iacob uendiderunt fratrem ſuum: Immo inuidia Iſai. 5. Gene. 4. Gene. 37.

Diaboli, omne hominū genus perdidit. Cęterū hic iterū uides, prudentiā mundi nihil boni exequi, si non aſsit fides. Prudenter enim conſuluiſſe uidentur, quod malū radicitus tollendū eſſe decernūt, ſed quia fides aberat, prudētia illorū cū ſumma iniuſtitia cōiuncta erat. Prius enim conſultandū erat, num malū ſit in Chriſtū credere. Itē, an iuſte poſſent occidere eum, in quo nihil aliud accuſare poſſent, niſi quod beneficiū acceperat. Verū impius homo temere fertur, ſola ratione & carnali prudentia ductus, quaſi errare non poſsit, cum tamen ſcriptum ſit: Omnis homo mendax.

Pſal. 115.

In Craſtinum.]

Si attendamus quo die Chriſtus Bethaniā uenerit, id quod ſupra oſtendimus, euidēter apparet, quod Chriſtus decima die mēſis Hierosolymā intrauit. Itemq; prima die Hebdomadę, quā nos Dominicā dicimus, & octaua die ante reſurrectionē ſuā. Nihil horū ſine cauſa factū eſt. Ideo aūt decima die menſis locū paſsionis intrauit, ut eis,

Exod. 12.

qui eo die iuxta legē agnū in Paſcha immolandū ſegregarent, oſtenderet ſe uerū eſſe agnū à Patre deſtinatū, ut in feſto iā inſtanti immolaretur pro genere humano. Prima aūt die Hebdomadę, hoc eſt, in Dominica intrauit, ut recreationē inciperet eadē die, qua cœpit creatio. Octaua aūt die ante reſurrectionē intrauit, ut uel ſic præfiguraret illud tripudiū, quod de uictoria eius habitura erat ſpiritualis illa

1. Reg. 17.

Hieruſalē. Sicut enim cū Dauid reuerteretur occiſo Goliath, mulieres ei occurrerunt cum tympanis, &c. ſic ſuperato Diabolo, exiturę erant animæ ſanctæ, laudantes & gloriam regi ſuo cantantes.

Turba multa, quæ conuenerat ad diem feſtum.]

Etiam hic nulla fit mentio diuitū & potentum. Huiuſmodi enim homines cū in diuitijs & potentia confidant, nihil curant de pietate aut gloria Dei. Deinde quamuis ad feſtū et propter feſtū ueniſſent, nunc tamē aduenientę Chriſto feſtū relinquunt, et Chriſto occurrūt, quaſi prętendentes ſe certius aliquid deſiderare, quam ſit Iudæorum templum & cæremoniæ, ac iam ſatis diu umbræ deſeruitum eſſe.

Acceperunt ramos palmarum.]

Matth. 21.

In Matthęo dicitur, quod cedebant ramos de arboribus, & ſternebant in uia, idq; ſine dubio factum eſt. Hic aūt Ioannes aliud quiddam & maius dicit: Non enim ſimpliciter nominat ramos quarumcunq; arborū, ſed miratur eos accepiſſe ramos palmarum. Nec dicit, quod in uia eos ſtrauerint, ſed quod manibus portauerint. Palma autem uictoriæ ſignum eſt, tum ex natura arboris, quæ contra onus impoſitū ſurgere dicitur: tum quia olim uictoribus dabatur palma.

Apoc. 7.

Hinc & de ſanctis dicitur, quod amicti ſint ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, quo uerbo ſignificatur eos perfectam uictoriam de Diabolo & mundo adeptos eſſe. Hic igitur mira uidemus. Primo

non

non dum cœperat Christus bellare, immo iam primum se parabat ad bellum, & tamen iam ei uictoria & triumphus celebratur. Nec mirum. Ipse enim certus erat de uictoria: Non sic autem alij ad bellum procedentes, ideo nemo ante uictoriam triumphare potuit aut potest, nisi solus Christus. Immo nullus unquam iustius cum palmis susceptus est, quam Christus: solus enim ipse maximos illos hostes, quos nemo alius uincere potuit, uicit, peccatum dico, mortem, mundum, Diabolum, &c. Deinde Apostoli nondum sciebant Christum cum Diabolo conflicturum, et morte sua deuicturum eum, qui mortis habebat imperium. Quis igitur non miretur turbam, nedum bellum, sed uictoriam Christi præsensisse. Verum Deus est, qui hæc per illos egit. Ipse, inquam (ut Christus allegat) ex ore huiusmodi infantium, hoc est, simplicium, hanc sibi & Christo suo laudem perfecit. Iam sicut Christus ante mortem quidem triumphauit, perfectius tamen in resurrectione triumphus ipsius inclaruit. Sic fideles etiam nunc, quamuis adhuc in bello sint, triumphant & gloriantur, sed in spe: Cum autem octaua dies uenerit, perfecte triumphabunt in re. Matth. 21. Psal. 8.

Processerunt obuiam ei, & clamabant: O*sanna.*]

Cuius instinctu ramos palmarum tulerunt, eius etiam instinctu hæc ei potissimum acclamarunt. Immo sicut nemo iustius cum palmis susceptus est, sic nulli iustius acclamatum est uerbum hoc quam Christo. Hoc enim uerbo & aduentum ipsius præcedentes, & nos subsequentes ei acclamamus, nec quicquã interest, nisi quod qui præcesserunt, dixerunt: Benedictus qui uenturus est, &c. Hi qui eum susceperunt præsentem, dixerunt: Benedictus qui uenit in præsenti, &c. nos autem in præterito pronunciamus. Primo igitur eum inuocant. Hosianna enim idem est, quod saluifica obsecro: Cui autem iustius sic acclamatur quã Christo? Deinde ei bene precantur auspicaturo regnum suum, non quod Christo quicquam accedat, si ei bene precemur, uerum nostra agitur res: si enim regnum Christi procedat, etiam nobis bene consultum est. Ob eam causam etiam ueteres ei bene precati sunt, ut Dauid cum diceret: Intende, prospere procede & regna. Congruit & illud Christo, quod benedictus dicitur. Nunquam enim eum attingere potuit maledictio, immo ipse est, qui tollens maledictionem, confert benedictionem. Venit autem in nomine Domini, tũ quia nomẽ Domini habuit. Iuxta illud: Erit nomen meum in ipso: tum, quia non suam, sed Dei gloriam quæsiuit: tum etiam, quia Deo contrarius non uenit, sed ex ipsius præcepto. Demum non uenit in potentia humana, sed uirtute & nomine Dei. Dicitur & rex Israel, non carnalis illius, sed omnium uidentium Deum, uel qui Deum uidere digni sunt. Psal. 117. Psal. 44. Exod. 23.

Breui igitur hac acclamatione, confitentur eum Deum & regem,

redemptorem, & ſaluatorem. Hinc diſcamus, quo honore Chriſtus uelit à nobis coli. Primo, cũ palmis, hoc eſt, laude & gratiarum actione, uictoriam eius recolamus. Secundo, uirentibus ramis uirtutum nos ornemus. Tertio, eum cõfiteamur Deum et hominẽ. Quarto, eũ inuocemus. Quinto, ei per deſideriũ cordis & obedientiã præceptorum obuiemus. De his uide latius quę in Matthęo diximus.

Matth. 21.

Et inuenit Ieſus Aſellum.]

Hæc omnia diffuſius in Matthæo dicuntur. Emphaſim autẽ habet quod dicit: *Inuenit*, quaſi diceret. Adeo non aluit equos, &c. ut ne Aſellum quidem haberet proprium, ſed fortuito & caſu quaſi oblatum inuenit & aſſumpſit, quamuis apud Deum nihil caſu fiat. Inſigniter igitur hic damnat pompam mundanorum, &c. Vel etiam ideo dicitur Aſellum inueniſſe, ut oſtendatur genus humanum, maxime autem Gentilem populum, qui per Aſellum ſignificatur, omnino periſſe & periturum fuiſſe, niſi Chriſtus eum inueniſſet.

Et ſedit ſuper eum.]

Hoc facto & Prophetarum oracula impleuit, ut ſequitur, & præfigurauit futura, nempe, quod etiam indomitum animal Gentilis populus, uel etiam caro noſtra, ſuo ſeruitio ſubiugandum eſſet, &c.

Noli timere filia Syon, Ecce rex tuus.]

Vno uerbo expreſsit, quis ſit Chriſtus, & propter quid uenerit. Primo conſolatur eos, qui deplorabant, quod Chriſtus tantopere aduentum ſuum differret: *Noli*, inquit, *timere*, &c. Secundo promittit eum omnino uenturũ, immo iam iam adeſſe: Ecce inquit. Tertio, oſtendit eum non uacuis manibus uenturum: Rex (inquit) ueniet. Itẽ per hoc monet, ne offendamur humili eius ſpecie. Quarto oſtendit, eum omnino propter nos ueniſſe, nõ ſimpliciter (inquit) rex eſt, ſed tuus. Poſtremo oſtendit, eũ non Tyrannice acturũ cum ſubditis. Item nõ pro more regũ huius mundi regnaturũ: Veniet (inquit) humilis & manſuetus. Omnia hęc diffuſius declaraui in Matthæo.

Hoc non cognouerunt diſcipuli eius primum.]

Sicut quæ Deus in Chriſto ęgit, ne diſcipuli quidem cognoſcere potuerunt quid ſibi uellent, donec Chriſtus miſſo Spiritu ſancto glorificatus eſſet. Sic nec nos ſcimus aut intelligimus ea, quæ Deus nobiſcum agit, ſciemus autem poſtea, in reſurrectione ſcilicet futura.

Teſtimonium ergo perhibuit turba, &c.]

Oſtendit quam ob cauſam hoc potiſsimum tempore et nõ prius, Chriſto hunc honorem impenderunt, nempe quia tam inſigne miraculum fecerat in reſuſcitatione Lazari. Si igitur unum illud opus in tantum eos permouit, quanto magis nos mouere debent tot ſimul opera, quæ Chriſtus nobis oſtendit ex patre ſuo?

Ioan. 10.

Phariſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos.]

Sunt

Sunt qui exponunt hoc de his Pharisæis, qui in Christum credebant, qualis fuit Nicodemus & alij. Hi igitur uolentes alios à tam nefario scelere, quod in Christum cogitabant absterrere, dixerunt: Videtis, quia nihil proficimus. Pium certe opus, impios pro uiri retrahere à malo. Pium & illud, quod factum hoc in bonam potius interpretamur partem, quam in malam: quandoquidem Euangelista non expresserit, qui fuerint hi Pharisæi, boni uel mali. Alij tamen solum de malis intelligunt locum istum, nec temere tamen, satis enim supra prodiderant impietatem suam. Ad semetipsos igitur loquuntur, cum quibus enim tam impia consilia tractarent, nisi cum sui similibus? Omnes alij cum Christo gaudebant, læti quod tantus eis uir contigisset, qui mortuos suscitare posset, nec dubitabant, quin & in totum eos liberare posset. Soli Pharisæi huius gaudij expertes sunt, immo quod alios exhilarat, ipsos cruciat. Hac enim pœna etiam in hac uita impij percelluntur, quod coguntur uidere piorum bona. Sic in Isaia: Serui mei comedent, & uos esurietis, &c. Et in Psalmo: Peccator uidebit, & irascetur. Et in Moyse: Ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, hoc est, his quos ipsi maxime contemnunt benefaciam, ipsis uidentibus. Inuidum enim cruciant aliorum bona. Sic cum in Stephano uiderent insignem Dei gratiam & opera, dissecabantur cordibus, & stridebant dentibus, & continuerunt aures suas. Sic inuidia se ipsam cruciat: Putredo enim ossium inuidia. Isai. 65. Psal. 111. Acto. 7. Prouer. 14.

Videtis, quia nihil proficimus.]

Hoc uel uno uerbo manifestissime produnt impietatem cordis sui. Primo enim, cum gratias agere debuissent, quod hactenus à tanto malo impediti fuissent (Vere enim magna gratia est, impediri à malo, sicut magna ira est & iudicium Dei, si homo sibi ipsi permittatur) Hi autem non gratias agunt, sed irascuntur & insaniunt. Et o uere infœlix stipula, hic Deus noster ignis consumens est, et tu illum opprimendo proficeres? Deficies potius & consumeris, quia non stipula ignem, sed econtra stipulam ignis consumit. Deinde etiam in hoc reprobam suam mentem indicant, quod uident Deum ipsis resistere, fatenturq; se nihil proficere, non tamen cessant. Idem fecerunt Saul & Pharao, ideo pius quisq; ad huiusmodi exempla contremiscat, oretq;, ne & ipse in reprobum detur sensum. Qui autē simile quiddam in se reppererit, confestim ad diuinam misericordiam confugiat, ne eum iudicium diuinum, quod huiusmodi hominibus inuisum est, opprimat. Deut. 4.

Ecce mundus totus post ipsum abijt.]

Hic uides, quod non alio morbo, quam inuidia laborabant. Inuidus enim profectum aliorum, putat esse suum defectum: & econtra aliorum damnum, iudicat suum esse lucrum.

Longe

Longe autem aliter per Paulum Christus nos instruit: Gaudete, inquit, cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Quod autem dicunt: Mundus totus post eum abiit, non minus Prophetia est de futuro, quàm quod supra Cayphas de morte Christi dixit. Vere enim
Danie. 7. totus mundus post ipsum abiit, sic enim in Daniele definitum legi-
Psal. 18. mus. Omnes Tribus & linguæ seruient ei. Et Dauid: In omnem ter-
Isai. 60. ram exiuit sonus eorum. Et Isaias: Filij tui de longe uenient, &c.

Erant autem quidam Gentiles.

Quamuis ante Christum, notus potissimum fuerit Deus in Isra-
Psal. 75. el, tamen non pauci etiam inter Gentes Dei notitiam habuerunt, & pietatem coluerunt: Id quod uidemus in Iob, Cornelio, & Eunucho Candacis. Ascenderunt autem ad Hierusalem, tum quia iam olim etiam in Gentibus auditū erat, Deum esse in Israel, id quod Achior
Iudith 5. princeps Amonitarum plane testatur: Tum quod etiam Gentibus persuasum esset, Dei uirtutem esse in templo Hierosolymitano, id
2. Mach. 3. quod Heliodorus re ipsa expertus est: Tum quia iam in Græcam linguam translatis Hebræorum scripturis, etiam poterant legere, quid pietatem colentibus promissum sit. Maxime autē, quia & Salomon precibus obtinuerat, quod etiam Gentiles in templo illo adoran-
2. Reg. 8. tes exaudirentur. Confundit autem hęc Gentium deuotio, Iudęorum, immo & nostram desidiam, ut non immerito dixerit Christus:
Matth. 12. Regina austri in iudicio condemnabit generationem istam, &c.

Sic enim quos oportebat uel maxime iustitiam colere, hi impiissimi sunt, & econtra ut uerum sit illud: Publicani & meretrices
Matth. 21. præcedent uos, &c.

Accesserunt ad Philippum.

Modestia eorum ex hoc apparet, quod non temere ad Christum introrumpunt. Sic enim appetendus est Deus, ut tamen interim adsit timor quidem & reuerentia.

Domine uolumus Iesum uidere?

Gentiles hi statim primo accessu præstiterunt, quod nos tam diu Christum audientes, uix præstamus. Primo enim ut uere pauperes ad magnam magnorum diuitum ianuam accesserant, cupientes saturari de micis, quæ cadebant de mensa illorum, immo & tanquam catelli sub mensa dominorum residua fragmēta colligere uenerant. Quantam enim redolet humilitatem, quod quasi stantes à longe, dicunt: *Domine uolumus Iesum uidere?* Quanti estimabant Dominum ipsum, cum ipsius discipulum Dominum uocarent? Deinde modestissime loquuntur. Non enim petunt, ut in consortiū Domini (quo indignos se arbitrabantur) admitterentur, sed tantum ut Iesum uidere possent. Nec tamen paruum aliquid hoc uerbo petierunt, uidere enim Iesum, nedum initium est salutis, sed et consummata iustitia, immo uita æterna. Sic enim Christus dicit: Hæc est uita æterna, ut cognoscant

gnoscant te solum Deum, et quem misisti Iesum, &c. Hi autem Gentiles præsignarunt Gentium ingressum in ouile Christi, quemadmodum in Isaia prædictum fuit: Quæsierunt me, qui ante non interrogabant me, &c. Item in Osee: Erit, ubi dicetur eis, Non populus meus, uocabuntur filij Dei. Ioan. 17. Isai. 65. Osee 1.

Philippus dixit Andreæ, &c.]

Supra idem Philippus cum primū cognouisset Christum, statim adduxit Nathanaelem, nihil cunctatus. Idem hoc loco fecisset, si ex Iudęis hi fuissent. Cum autem essent Gentiles, paululum addubitauit, nec mirum. Primo enim non leue erat hospites testamentorum promissionis spem nō habentes, incircūcisos homines admittere ad promissiones, semini Abrahæ factas. De hoc enim etiam post acceptum Spiritum sanctū, discipuli dubitabant. Deinde Christus aperte dixerat: In uiam Gentium ne abieritis, &c. Rem igitur ad Andreæam defert, ut qui maioris authoritatis erat: nam primus à Christo uocatus est, uel Christum secutus. Iam quod Gentiles hi per Apostolos ad Christum introducuntur, figura fuit, quod Apostoli omnes Gentes ad Christum adducturi essent. Cæterum, etiā nobis opus est ductore, qui nos ad Christū ducat. Est autē in nobis intellectus et affectus. Intellectus adducitur per ueritatem: Affectus per charitatem. Acto. 11. Matth. 10. Ioan. 1.

Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.]

Sensus est, quasi diceret. Nunc agnosco tempus meę glorificationis aduenisse, Iudæi me lata sententia eiecerūt, & Gentes summis uotis me exoptant. Quid igitur restat, nisi ut mox glorificer? Primo in corpore, assumendo immortalitatē in resurrectione. Secundo in nomine, manifestius me ipsum ostendendo, ut quē hactenus uiderunt hominis filium & humilē, deinceps uideant esse filium Dei, & super omnia exaltatum. Hoc modo primum glorificatus est in morte, cum uisis tot signis Centurio exclamaret: Vere filius Dei erat iste. Alij autem percutientes pectora sua, reuerterentur. Deinde, glorioſior apparuit in ascensione & Spiritus sancti missione, Apostolorumq; publica prædicatione & miraculis: adeo, ut una die tria milia crederent in ipsum. Tertio uenit hora, ut etiam inter Gentes, quibus hactenus ignotus fui, gloria mea publicetur. Quarto, ut etiam in Iudæorū dejectione gloria mea appareat. Non enim minus ad gloriam Dei pertinet iustitia quam misericordia. Hinc & alibi dicitur: Glorificabor in Pharaone, & in seruis eius. Hinc igitur discamus & nos agnoscere tempus nostrū. Primo, sicut Christus proximus morti primum dixit adesse glorificationem suam, sic & tempus nostrę glorificationis sciamus post mortem esse, non in hac uita. Nemo igitur hic quęrat glorificari, sed expectet. Secundo, Christus non ante dixit, tempus esse admittendi Gentes ad gratiam, quam ipsi cupide accurrerent. Sic iam prius præstatur gratia, quam eam quæramus. Matth. 27. Lucæ 23. Acto. 2. Exod. 14.

Tertio

Tertio ſicut tempus Iudaicæ abiectionis tunc erat, cum oblatam gratiam reſpuerent. Sic in Ianuis eſt iudicium Dei, quando non amplius ex ignorantia, ſed malitia peccatur.

Amen amen dico uobis, Niſi granum, &c.]

Poſt mentionem factam glorificationis ſuæ, ſtatim paſsionis & crucis mentionem facit. Primo, ne diſcipuli audita clarificatione, talem quid præſumerent, quale filij Zebedæi, qui audientes Chriſtum de regno ſuo loqui, petierunt, ut alter ad dextram, alter ad ſiniſtram ipſius ſedere poſſent. Secundo, ut oſtenderet ſe alia uia perrupturum ad gloriam, quam mundus conſueuerit, uel diſcipuli ſperarent.

Matth. 20.

Mundus ſiquidem ad gloriam perrumpit diuitijs, fauore principum, &c. Chriſtus autem per crucem & mortem. Deinde, quoniam diſcipuli uidentes eum à turbis ut regem honorifice ſuſceptum, audienteſq; eum de glorificatione ſua loquentem, ſperabant eum iam regnaturum, & deinceps ab omnibus honorandum: Immo, inquit, contrarium eueniet. Nunc uel maxime contemnendus ſum & occidendus, adeo, ut nedum aduerſarij mei, ſed etiam uos diſcipuli putabitis me omnino perijſſe. Verum nolite timere, accidet mihi quod in grano frumenti uidetis euenire, cum in terram proiectum fuerit & mortuum, iamq; non amplius uidetur, immo perijſſe putatur, exurgit in ſpicam & fructum multiplicem profert, idem mihi continget, &c. Bis autem dicit: *Amen amen*, ut certi ſint ipſum & moriturum, & cum fructu ſurrecturum. Comparat autem ſe grano frumenti. Primo ad differentiam aliorum principum, immo hominum quorumcunq;, qui ut plurimum palea ſunt, hoc eſt, foris ſpecioſi, intus uacui. Item ad nihil aliud, quam uel ad ignem, uel ad cibum iumentorum apti. Chriſtus autem granum eſt ſolidum in ſeipſo, item ad cibum hominum ordinatum. Iuxta illud: Ego ſum panis uitæ, &c. Hoc eſt granum illud unicum ſpei noſtræ præſidium, noſtræq; inopiæ ſolatium: omnia alia grana uel putrefacta erant, uel à uermibus corroſa. Omnes enim declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum. Vnus tamen hic Chriſtus, unum hoc granum horrea impleuit Eccleſiæ. Vere mirabile granum, mirabiliter ortum ſine ſemine, nec corrumpi potuit per originale aut actuale peccatum, ſolum ſufficiens ad refectionem totius humani generis, ſolum denique & Eccleſiam & cœlum repleuit, ut uere dixerit Ioannes, ſe uidiſſe turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ſtantem ante thronū Dei. Hoc granum prius beatos Angelos immortaliter pauit: Nunc autem granū frumenti, hoc eſt, etiam hominum cibus factum eſt. Hoc granum foeliciter exortum eſt de terra illa, quam benedixit Dominus, uirgine ſcilicet glorioſa. Solum autem manſiſſet, niſi morte ſua pro peccatis noſtris

Ioan. 6.

Pſal. 13.

Apoc. 7.

Pſal. 84.

noſtris ſatisfeciſſet, Patrem reconciliaſſet, et cœlum nobis aperuiſſet.

Sic etiam nunc ſolus manet Chriſtus, niſi ſeminetur in corda hominum. Tunc autem fructum affert, ſi ſeminetur ordinate debito tempore, in terra non lapidoſa, aut inculta, ſed in terra culta, pingui & humectata, &c. In terram autem proiectum fuit & mortuum, non quod peccati uel mortis debitor eſſet Chriſtus, ſed ut una mors eius multorum uitam fructificaret, ſicut granum frumenti non idcirco proiicitur in terram, quia uitioſum eſt, ſed ut fructum afferat.

Morte autem ſua Chriſtus plurimum fructus attulit, quia debitum ſoluit, Patrem reconciliauit, cœlum aperuit, &c. ut iam certatim irruant etiam peccatores, & regnum cœlorum uim patiatur. Denicq; effecit, ut à ſolis ortu uſq; ad occaſum laudabile ſit nomen Domini, et quod non ut olim tantum in uno, ſed in omni loco offertur ei oblatio munda, &c. Hunc fructum præuidens Iſaias dixit: Si poſuerit pro peccato animam ſuam, uidebit ſemen longæuum, &c. Matth. 11. Pſal. 112. Malach. 1. Iſai. 53.

Docet igitur Chriſtus hoc uerbo, mortem ſuam fuiſſe neceſſariam, adeo, ut nihil profuiſſet eius incarnatio, niſi ſecuta eſſet paſsio, & per paſsionem redemptio. Docet ſecundo, ſe non ſui ipſius cauſa moriturum, ſicut granum non ſui ipſius cauſa in terram proiicitur, ſed ut alia inde naſcantur. Docet tertio, crucem eſſe uiam ad gloriam, per multas enim tribulationes, oportet nos intrare in regnum cœlorum. Docet quarto, nos ideo affligi, ut magis fructificemus. Non igitur deſperandū in afflictione aut murmurandum. Docet quinto, mortem eſſe frugiferam, immo initium uitæ & gloriæ. Eſt enim quaſi quædam tranſplantatio è ſterili ſolo in terram feraciorem. Summā igitur hæc parabola conſolationem affert contra horrorem mortis & aduerſitatum, quare ſummopere obſeruanda eſt. Acto. 14.

Qui amat animam ſuam, perdet eam.]

Supra parabolam de grano in terram proiiciendo, de ſeipſo dixit: Nunc eandem ad nos transfert, idq; optimo ordine. Alioqui putare poſſemus, ad ſolum Chriſtum pertinuiſſe mori, pati, & crucem ferre, nihil autem ad nos, immo nobis licere in deſidia et luxu uiuere. Verum non ſic ſe res habet (ait) Chriſtus: Ego quidem ſingulare illud granum ſum, & permanſi: Nunc autem ideo in terram proiicior, ut deinceps mei ſimiles ex me naſcantur, qui non inanes paleæ ſint, ad ſolum ignem aptę, ſed grana ſolida. Deinde ego quidem pro uobis mori uolo, ſed ad hoc, ut & uos moriamini peccato. Ego id expetij & elegi, quod uobis, non quod mihi utile erat: Itidem & uobis faciendū erit. Summa, ſicut nihil contuliſſet uobis mea incarnatio, niſi ſequeretur mea paſsio: ſic nihil uobis proderit in grana renatos eſſe, niſi omnino in uobis occidatur quod ueterē illam uitā redoleat. *Qui amat animam ſuam, &c.* Animæ uocabulo plærunq; intelli-

gimus alteram partem compoſiti. In ſcriptura autem ſæpius pro toto homine ponitur, ut cum dicitur: Erant in naui ducentæ ſeptuaginta ſex animæ. Aliquando autem ponitur pro uita corporali & naturali, ut cum dicitur: Nolite ſoliciti eſſe animæ ueſtræ quid manducetis. In hunc ſenſum accipi debet hoc loco. Amare autem eſt alicui bonum uelle. Amat igitur animam ſuam, qui uitæ corporali permittit quæcunq; deſiderat & appetit, econtra autem ei parcit in omnibus, quæ ipſi contraria ſunt.

Act. 27.

Matth. 6.

Appetit autem uita corporalis, quæ iucunda & delectabilia ſunt, luxum ſcilicet & uoluptatem, diuitias, delitias, ocium, &c. Econtra fugit quæcunq; dura ſunt, laborem ſcilicet, crucem, mortem, etiam ſi ſciat Deum talia præcipere.

Mundanus igitur homo, animæ ſuæ & uitæ optime conſultum putat, ſi concupiſcentijs frena laxet, quantumcunq; prohibitis, omniaq; triſtia longe repellat, etiam ſi aliud ſuadeat gloria Dei & charitas proximi. Atqui hoc modo anima ſeu uita non ſeruatur, ſed perditur. Qui enim concupiſcentijs ſuis obſequitur in omnibus, facile in morbos incidit corporis. Secundo huiuſmodi rebus non ſedat, ſed excitat ſitim & deſiderium rerum concupiſcibilium: Nulla enim externa res poteſt ſedare, & ſatiare appetitum noſtrum. Quemadmodum enim hydropicus quo plus bibit, eo plus ſitit: ſic, Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Itidem in alijs rebus contingit, quæ appeti ſolent, ut ſunt uoluptates, honores, poteſtas: hoc autem non eſt ſeruare animam, ſed cruciare & perdere.

Præterea, etiam ideo talis perdit animam ſuam, quia ædificat & confidit in fundamento ruinoſo. Nec enim diuitiæ, nec quæcunq; alia externa præſeruare poſſunt à morte, multo minus prodeſſe poterunt in die ultionis.

Prouer. 11.

Poſtremo huiuſmodi amator animæ ſuæ, etiam æternaliter eam perdit: Nunquam enim uidebit uitam. Hinc Sapiens: Si animæ præſtes concupiſcentias ſuas, faciet te gaudium inimicis tuis. Et Dauid: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Eccle. 18.

Pſal. 10.

Ex grano igitur tritici diſce, quomodo ſeruare poſsis animam tuam. Granum non ſemper ſeruare poteris, ſi arcæ aut granario recondas ac ei parcis, fortaſsis enim aut à muribus deuorabitur, aut alio modo peribit, ſi autem terræ recondas, tunc optime ſeruaſti, perit quidem unum granum, ſed reſurgunt uiginti aut triginta: Sic uitam iſtam uelis nolis amittes. Iam ſi eam impenſe diligas & carnaliter, & eam perdes & futuram non conſequeris: Si autem eam pro Chriſto impendas, aut alioqui mortifices, perit tibi quidem hæc uita, ſed ſuccedet melior. Ideo ſubdit.

Qui autem odit animam ſuam in hoc mundo.]

Non

Non hoc uult, ut nos ipsos occidamus, uitamq; hanc uiolenter nobis ipsis abrumpamus, id quod quidam male suspicati sunt.

Quomodo autē odienda sit anima aut uita, ab ipso externo odio discе. Qui aliquem odit, nec uocem eius audire sustinet, nec uisum uidere, nec in aliquo illi obsequitur, immo contraria semper ei facit. Sic anima cum contraria legi Dei suadet, non audienda est, non obsecundandum concupiscentijs eius, sed quæ ei displicent facienda, qualia sunt crucem portare, abstinentia domare carnem, abnegare propriam uoluntatem, &c. Qui sic animam suam odit, uere eam custodit. Primo enim non tot morbis eam obnoxiam habet. Secundo, quia concupiscentias non sequitur, quietam agit uitam. Tertio, quia non in ruinoso fundamento ędificat.

Postremo, seruat eam in uitam æternam, & si enim præsens uita deficiat, tamen succedit melior & æterna. Hic uides quantum inter se differant doctrina Christi & studium mundi. Hoc enim uno uerbo Christus damnat, quicquid mundus miratur: Commendat autem quæ mundus maxime abominatur. Vere igitur dixit Christus, se non ęsse de mundo.

Deinde uides, quam cæci simus, qui dum omnibus modis uitæ præsenti consuimus, & hanc & futuram perdimus.

Qui mihi ministrat me sequatur.]

Ne quis ab his quæ iam dicta sunt resiliat, cum his qui dicebant: Durus est hic sermo, &c. duo addit calcaria. Ioan. 6.

Primo admonet nos uocationis: *Qui mihi* (inquit) *ministrat*, quasi diceret. In disciplinam meam uos tradidistis, restat igitur, ut non resiliatis, etiam si ardua uidentur quæ præcipio. Ministros Dei uos nominatis, restat igitur, ut re ipsa hoc ostendatis: Signum crucis in fronte suscepistis & gestatis, non decet ut crucem fugiatis & suauia sectemini: In Baptismo iurastis mecum uos morituros, restat ut promissum impleatis, ne fidefragi inueniamini, &c.

Secundo admonet nos sui exempli: *Me sequatur*, non (inquit) solus est, ego præcessi. Non præcipio, nisi quæ per meipsum feci & facio: Nemo tam timidus, qui si uiderit ducē in prima acie pugnare, non animum recipiat, &c.

Hæc igitur duo nos ad odium uitæ præsentis, & amorem crucis, quasi duo calcaria excitare debent: Consyderatio scilicet uoti, quod in Baptismō fecimus, et exemplum Christi.

Cæterum duo quædam hic ponit, ad discipulum Christi pertinentia, Ministrare Christo, & sequi Christum. Non quidem exprimit certum aliquod ministerium, sed simpliciter: Qui (inquit) mihi ministrat. Quilibet enim in suo statu & officio Christo ministrat, si officium suum diligenter exequitur.

Ministrare autem debemus non nomine tantum, sed officio, insuper & affectu, ut dicamus: Domine quid me uis facere. Et iterum: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, &c.

Act. 9.
Psal. 107.

Christum autem in eo sequi debemus, ut si talis nobis hora ingruerit, qualis tunc Christo, malimus propter Christum in terram cadere & mori, ut bono exemplo simus proximis, quam negando fidem & uitæ corporali consulendo, cedamus persecutori, & sic paleæ potius esse quam grana, & leui uento circunferri. Si autem defuerit tempestas persecutionis, tunc quoq; odiamus animas nostras, hoc est, abnegemus uoluntatem propriam, abhorreamus & suffocemus concupiscentiam nostram, præteritamq; uitam odientes, in profundam pœnitentiæ fossam nos abscondamus, ac Christi uestigijs insistamus. Sic enim Petrus monet: Christus, inquit, passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum. Et Ioannes: Qui, dicit, se in Christo manere, debet ambulare sicut ipse ambulauit. Hæc autem tanta sunt, quæ sine gratia nunquam implentur. Qui igitur monet ut faciamus, det ut possimus: Dabit autem, si instanter petierimus.

1. Pet. 2.
1. Ioan. 2.

Et ubi ego sum, illic & minister meus erit.]

Duas nunc addit promissiones, ut facilius persuadeat. Potest autem hic locus primo referri ad crucem, ut sit sensus, Ego multis afflictionibus afficior in mundo, nihil igitur melius speret minister meus: Non est seruus maior Domino suo.

Ioan. 13.

Secundo potest referri ad consolationem in cruce, quasi diceret. Non diffidat minister meus, nam ut Pater semper fuit mecum in cruce, ita & ego adero cum eo, qui mihi ministrat in cruce, ut una glorificetur.

Tertio referri potest ad præmium futurum, nec obstat quod Christus non dixit: Vbi ego ero. Quamuis enim adhuc in mundo esset & in afflictionibus, tamen tam prope erat finis angustiæ eius, ut recte etiam tunc dixerit: Iam non sum in mundo.

Ioan. 17.

Cum Christo igitur perpetuo erunt & manebunt sancti. Hinc ipse dicit: Dispono uobis regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam. Et iterum: Veniam & assumam uos ad me ipsum, &c. Item: Qui uicerit, dabo ei sedere mecum, &c. Et Paulus: Si commorrui sumus, & conuiuemus.

Lucæ 22.
Ioan. 14.
Apoc. 3.
2. Thim. 2.

Non leue autem præmium est, esse cum Christo, ubi enim male esse poterit cum ipso? Ipse uita, salus, lux, & hæres omnium bonorum Dei, &c.

Si quis mihi ministrauerit, honorificabit.]

Ne quis præcedentem promissionem contemnat propter humilitatem Christi, adhuc in terra conuersantis, addit maiorem: Honorificabit

rificabit (inquit) eum Pater. Quis autem non uidet, magnum esse à Deo honorificari? Si magnum putant homines, honorari à principe, qui homo est, quantum erit honorari à Deo?

Non autem exprimit quo honore ipsos honoraturus sit, tum quia satis innuitur, non leuem esse honorem, quem ipse Deus dabit: tum quia oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c. quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum. Isai. 64.

Quod autem dicit: Si quis, ostendit quidem non defuturos sibi ministros, sed paucos.

Nec dicit ego honorificabo eum: Nondum enim usurpat sibi authoritatem, quam diu est in mundo. Vnde et filijs Zebedæi dixit: Non est meum dare uobis. Matth. 20.

Deinde dicit, quod Pater eos honorificabit, ut ostendat eandem & suam & Patris uoluntatem. Item eos Patri optime placere, qui seruiunt Christo.

Addit autem: In cœlis, ne quis terrenum suspicetur Patrem. Item, ne quis huiusmodi uerba Christi atq; adeo ipsum Christum contemnat propter suam humilitatem, cum audiat eum Patrem habere in cœlis.

Hic igitur uides, quam uere dictum sit: Bonorum laborum gloriosus fructus. Itemq;, Non sunt condignæ passiones huius sæculi ad futuram gloriam. Et iterum: Quod leue & momentaneum est tribulationis, æternum pondus gloriæ operatur, &c. Sapien. 3. Roma. 8. 2. Cor. 4.

Cæterum per quam pauci sunt, qui ad has promissiones perueniunt, nec mirum, quia pauci sunt, qui Christum uere & ex animo sequuntur.

Plærique enim Christum nedum non sequuntur, sed etiam fugiunt ab eo, hi scilicet, qui nec dum peccare desistunt. De quibus dicitur: Omnis qui male agit, odit lucem, stultissimi scilicet homines, in eò, quod medicum fugiunt, uerum non impune. Scriptum enim est: Qui elongant se à te, peribunt, &c. Ioan. 3. Psal. 72.

Sunt alij, qui Christum non sequuntur, sed præeunt, qui scilicet rationi suæ plus obediunt quam uerbo Dei, quorum imaginem Petrus tenebat, cum diceret: Absit à te Domine, non fiet istud. Verum increpatus à Domino, audiuit: Vade post me Sathana, non sapis quæ Dei sunt. Matth. 16.

Alij sequuntur quidem Christum, sed non consequuntur, qui scilicet segniter & remisse agunt, uel usq; in finem non perseuerantes, de medio itinere reuertuntur. Talibus dicit Apostolus: Remissas manus & genua debilia roborate, &c. Et iterum: Sic currite, ut comprehendatis. Heb. 12. 1. Cor. 9. Pauci autem sunt, qui ita Christum sequuntur, ut etiam assequantur, qui scilicet uiam humilitatis eius deuoto mentis affectu imitantur. Ad hos solos pertinēt promissiones iam dictę.

Nunc anima mea turbata est.]

Matth. 26. Eiusdem sententiæ est cum eo, quod alibi dicit: Tristis est anima mea usq; ad mortem.

Turbatio autem hæc nihil aliud est, quàm ingens commotio naturæ humanæ in Christo, instantem passionem naturaliter abhorrentis. Quamuis autem huiusmodi affectiones, in nobis plærunque sint uitiosæ & inordinatæ, obnubilant enim intellectum, auferunt tranquillitatem mentis, impediunt à bono, & nonnunquam impellunt ad malum: In Christo tamen nihil horum fuit, tametsi huiusmodi affectionibus non caruerit.

Immo horrere mortem, in se non magis est peccatum quam esurire, sitire, &c. Vtrunq; enim naturæ inditum est.

Animam autem hic intelligit totum hominem, sicut econtra in Matthæo, cum dixit: Caro autem infirma, per carnem intelligit totum hominem. Hunc autem horrorem mortis, Christus in se assumpsit.

Primo, ne quis putaret ipsum fuisse extra dolores humanos, & ob eam causam tam facile de morte philosophatum esse.

Secundo, ut hoc pacto se probaret uerum hominem esse, contra hæreticos, quorum aliqui negauerunt ipsum fuisse hominem: Alij (ut Eutiches) putauerunt à diuinitate consumptam fuisse humanam naturam. Atqui horrere mortem, probat eum fuisse hominem: Alioqui quomodo Filius Dei horreret, & timeret mortem?

Tertio, ostendere uoluit in se ipso, Apostolorum quidem animos, immo omnium Christianorum, terrendos quidem, ubi mala ingruerint, sed non ob id resiliendum esse à pietate, quin potius uincendam humanæ naturæ infirmitatem fortitudine animi, semper à cœlestis Patris præsidio pendentis.

Præterea, quamuis Christus à peccato fuerit omnino alienus, fructus tamen & stipendia, uel sequelas peccati (qualia sunt fames, sitis, horror mortis, mors ipsa, alieque carnis tentationes) in se transtulit, tum ut ea uinceret (non ut ea in nobis porro nunquam sentiremus, sed ne perpetuo sentiremus, itemque ut sciremus, per ipsum
2. Cor. 5. hæc omnia uinci posse) quemadmodum Paulus ait: Factus est pro nobis peccatum, ut nos per illum fieremus iustitia Dei.

Demum etiã ideo hæc in se transtulit, ut sciamus nos talem habere pontificem, qui afficiatur sensu infirmitatum nostrarũ. Ideo enim
Heb. 4. tentatus est per omnia iuxta similitudinem absque peccato, didicitque ex his quæ passus est, compassionem, ne nos in huiusmodi deficeremus.

Obserua quod Christus horrore mortis concutitur eo ipso die, quo cum gloria susceptus fuit, idemque in illa sui tam honorifica susceptione,

susceptione, uidens ciuitatem, fleuit super illam. Affluente enim gloria & prosperitate temporali, cogitare debemus mortem certo uenturam, itemque aliorum necessitates, uel aliorum etiam, qui impie egerunt poenas. Hoc enim faciens nunquam superbiet in gloria humana, &c. Lucæ 19.

Et quid dicam?]

Etiam hic in seipso exprimit formam tentati hominis, qui nunc hoc, nunc illud cogitat, nunc bona, nunc mala proponit, nescit quo se uertat. Est autem sensus, E duobus coartor. Hinc hortante maxima charitate, animam pro amicis ponere, illinc urgente trepida carnis infirmitate, calicem istum transilire: uideo grauissimam tempestatem imminere, quo igitur me uertam? An obtemporabo corporis imbecillitati, mortem horrentis? an ad mundi præsidia confugiam? an amore uitæ meę, aliorum salutem negligam? Nequaquam. Ad Patris uoluntatem me accommodabo.

Vides quàm pulchre in seipso expresserit tentationes nostras. Sic enim nos affecti sumus in tentatione, ac certe magna gratia opus habemus, ne malum aliquod medium arripiamus.

Videtur quidem Christus in seipso nonnihil dubitare quid agat, sed statim inuenit consilium, & quidem optimum, ut scilicet ad Deum confugiat, qui omnipotens est, & semper præsens.

Pater salutifica me ex hac hora.]

Oratione ad Deum accedit, quo enim commodiori modo ipsum accedere potest homo tentatus? Hac autem sua oratione Christus in se ipso ostendit, diuersas in nobis esse orationes tempore tentationis. Orat enim caro uel natura: orat & spiritus, sed diuersimode. Nec æqualiter exaudiuntur: Caro, hoc est, natura, aperta fronte precatur ea, quæ ipsi commoda sunt, & deprecatur ea quæ sunt incommoda, ut crucem & mortem, &c.

Hæc autem oratio non semper exauditur, quia nonnunquam melius est in his non exaudiri.

Spiritus autem etsi uidet, quid caro & natura cupiat in omnibus, tamen præfert uoluntatem & gloriam Dei, idcirco omnium maxime spiritualia petit. Carnalia autem non nisi adiecta conditione, si scilicet Deo placuerit, quemadmodum leprorsus ille: Domine, inquit, si uis, potes me mundare. Atque hæc oratio semper exauditur. Matth. 8.

Hinc igitur discamus, quando ex carne, quando ex spiritu oremus.

Cæterum ob eaſdem cauſas, Chriſtus in ſe tranſtulit orationem carnis, propter quas ſupra dictum eſt, eum aſſumpſiſſe horrorem mortis: maxime tamen ad conſolationem eorum, qui admodum puſillanimes fiunt, ſi ſentiant huiuſmodi naturales affectus nondum perfecte in ipſis emortuos, &c. Quam diu enim manemus in terra, manet ipſa natura cum ſuis affectibus, nec enim in hoc tempore fieri poteſt, ut nihil niſi ſpiritus ſimus.

Interim tamen carnis & naturæ affectus, & coram Deo deploremus, & oratione ſpiritus corrigamus.

Infirme igitur carnis pauida uox eſt, quod Chriſtus hic dicit: *Pater ſaluifica me ex hac hora*, & omnino ſimilis ei, quam proximus paſſioni profudit, cum diceret: Si poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Matth. 26.

Patrem autem nominat & hic & illic, tum et eum admoneat charitatis paternæ, tum quia afflicto nihil dulcius eſt, quam ſcire, quod Deus ſit Pater & bene uelit.

Sed propterea ueni in hanc horam.]

Hic orationem carnis corrigit & emendat, quemadmodum & alibi: ueruntamen non mea, ſed tua uoluntas fiat, Matth. 26.

Eſt autem ſenſus uerbi, Senſus quidem & infirmitas carnis mea appetit, ut me ſalues ex hac hora: ueruntamen nō humanæ uoluntatis, ſed diuinæ rationis uoluntas fiat. Propterea enim de cœlo ad terram deſcendi, propterea mortalis factus ſum homo, qui immortalis eram Deus: propterea nunc ingreſſus ſum ciuitatem, ubi paulo ante collegerunt aduerſum me Concilium, ut me occiderent. Sic igitur etiam nos orationē & affectū carnis ſeu naturæ corrigamus. Primo per hoc, quod ideo uenimus in Eccleſiam, ideo baptizati ſumus, ideo Chriſti nomen profitemur, quod cum ipſo mori uolumus. Scimus enim fœlicitatem nobis non hic, ſed in alia uita promiſſam.

Secundo orationem carnis corrigamus per hoc, quod tempus paſſionis Chriſtus tantum horam nominat. Cogitandum enim, quod breui durabit tempore, ſtatimq; finem accipiet. Nam etiamſi tota uita hic affligimur, nihil tamen eſt niſi hora, immo momentum, ſi ad æternitatem compares.

Pater clarifica nomen tuum.]

Hęc eſt oratio ſpiritus, longe diſsimilis priori. Orat autem, ut nomen ſuum, quod eſt, Pater, manifeſtet mundo, ut uere ſciant eum eſſe naturalem Chriſti Patrem, Chriſtumq; naturalem eius filium.

Vel orat ut nomen ſuum, hoc eſt, miſericordiam, ueritatem, iuſtitiam, ſapientiam ſuam mundo manifeſtet, ut omnes orbis nationes excitentur ad laudem eius. Quia autem nuſquam clarius manifeſtatum eſt hoc nomen Dei, quam in Chriſti paſsione (Hinc enim manifeſte

nifeſte apparuit Dei miſericordia, in eo, quod filium tradidit: Dei iuſtitia, in eo, quod tam ſeuere peccatum puniuit etiam in proprio filio, qui peccatum hominis in ſuos humeros tranſtulerat: Dei ueritas, in eo, quod in promiſſo tam arduo non fefellit: Dei quoq; ſapientia, quod tam admirabilem & conuenientiſsimum modum adinuenit) Idcirco Chriſtus dicens: *Pater clarifica nomen tuum*, nihil aliud uult, quam ut ſe tradat in mortem, ac præſtet, ut mors & reſurrectio ſua clarum reddat nomen eius.

Vide igitur quantum tribuat Chriſtus gloriæ Dei: ſolam enim eam quærit, quantumuis graue & durum ſibi futurū ſit. Orandum & nobis, ut Deus in nobis clarificet nomen ſuum, quod eſt, Pater, item miſericors, iuſtus, uerax, &c. Item, ut & Chriſtus nomen ſuum in nobis glorificet, quod eſt admirabilis conſiliarius, &c. Deus fortis, Pater futuri ſæculi, princeps pacis. Iſai. 9.

Quod ſi & in nobis talis ſpiritus eſſet, ut commodis noſtris aut gloriæ præponeremus gloriam Dei, quis non uidet aliam futuram eſſe faciem Eccleſiæ, &c.

Docemur autem hoc uerbo, Deum ideo affligere ſuos, ut nomen ſuum clarum reddat. Cum enim ipſos uel in aduerſis conſolatur, lætificat, uel mirabiliter eripit, hunc titulum inde refert, quod ſit uere pius, miſericors, potens, & uerax, adiutor in opportunitatibus, &c. Sicut autem paſsio & mors Chriſti, hic dicitur clarificatio Patris: ſic & paſsio & mors martyrum clarificatio eſt nominis diuini, quia moriendo pro ueritate Deum honorant, & eum uerum ac iuſtum oſtendunt. Hinc Paulus: In omni fiducia magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per uitam, ſiue per mortem. Infra quoq; de Petro dicitur, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Pſal. 9. Ioan. 21.

Venit uox de cælo.]

Supra dictum eſt, Phariſæos Chriſtum interrogaſſe, ubi eſſet Pater ſuus. Illic autem Pater adeo ſe non manifeſtauit, ut nec Chriſtus eis ad interrogata reſponderet. Neq; me (inquit) ſcitis neq; Patrem meum: Nec enim digni erant, quibus Pater ſe manifeſtaret: Nec opus erat, ut nouo aliquo teſtimonio ſe oſtenderet, cum Chriſtus tantis miraculis declararet, quis eſſet Pater ſuus, & ubi eſſet. Ioan. 8.

Hic autem Pater ſe manifeſtat. Primo, quia aderant, qui Chriſtum ex animo quærebant.

Secundo, quia Chriſtus ipſe hoc poſtulauerat.

Tertio, quia cum adeſſet ipſius paſsio, in qua ita uerum ſe oſtendebat hominem, ut quaſi oblitus uideretur ſe eſſe Deum: neceſſe erat, ut Pater de ipſo teſtificaretur, ne diſcipuli omnino in paſsione eius deficerent. Hinc diſce, quibus & quo tempore, Deus ſe manifeſtet.

Præterea,

Præterea, quia Christus dixerat crucem & mortem, esse uiam ad glorificationem & uitam, cuius contrarium mundus sentit: Idcirco Pater è cœlo uerba Christi confirmat, ut certi simus nos per mortem intrare in gloriam, quandoquidem non tantum filius in terra, sed Pater è cœlo clamet, mortem esse clarificationem nostram.

Et clarificaui, & iterum clarificabo.]

Quamuis non expressum sit, quid uel quem clarificauerit & clarificaturus sit: certum tamen est, quod uel ad Christi personam, uel ad nomen Dei referri debeat.

Primo enim uere dicitur de Christo: Clarificaui te, secundum diuinitatem, quia ab æterno clarum & glorioſum te genui Filium, cui communicaui omnem meam claritatem, ut nedum unius substantiæ mecum esses, sed & unius gloriæ, æqualis potestatis & maiestatis. De
Ioan. 17. hac clarificatione dicit Christus: Clarifica me ea claritate, quam habui
Col. 1. apud te, priusquam mundus fieret. Et Paulus: Ipse est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt uniuersa, &c. Deinde Pater clarificauit Christum etiam secundum humanitatem, incarnationem & gloriam eius prænunciando. Item, quod mirabiliter conceptus & natus fuit, quod multa miracula fecit, &c. Vere igitur dixit: Clariuicaui te.

Non tamen hic consistit, ne quis putet gloriam Christi in morte desituram, sed addit: *Iterum glorificabo.* Primo in passione per miracula, quæ fient. Deinde in resurrectione, ascensione, Spiritus sancti missione, Apostolorum prædicatione, & miraculis. Hinc enim omnes uidebunt gloriam tuam, te scilicet esse filium Dei, saluatorem omnium, &c.

Philip. 2. De hac gloria dicit Paulus: Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. Et in alio loco: Ipsum dedit caput corporis. Complacuit enim in illa habitare
Col. 1. omnem plenitudinem, & omnia reconciliari per ipsum, &c.

Obserua igitur, quod non simpliciter dicit: Glorificabo, id quod Christus petierat, sed præmisit: Et clarificaui. Ne quis putet Christum gloriam suam primum in resurrectione accepisse, & non ab æterno glorioſum fuisse, id quod uolunt hi, qui negant Christum ante Mariam fuisse.

Iam, quia nos membra sumus corporis Christi, etiam nobis dicitur uerbum hoc: Et clarificaui, & clarificabo. Vere nos clarificauit in hoc, quod à peccatis nos liberauit & in filios adoptauit. Sed in
1. Ioan. 3. posterum plus clarificabit. Magna charitas est, quod filij Dei nunc sumus, sed nondum apparuit quid erimus, &c.

Nihil

Nihil horum habent impij, nec enim hic, nec in futuro clarificantur à Deo, sed gloria eorum in confusionem ipsorum. Potest etiam hæc clarificatio referri ad Patrem. Vere enim clarificauit se ipsum in filio & per filium: quicquid enim communicauit filio ab æterno per generationem diuinam, uel in tempore per miraculorum operationem, totum cessit ad gloriam Patris, cuius tota perfectio relucet in filio: Immo, cum Patris & filij una sit substantia, una etiam eorum est clarificatio. Quod enim est ad gloriam unius diuinarum personarum, hoc est & ad gloriam singularum. Hinc Christus: Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. Ioan. 5.

Vel aliter, Clarificaui nomen meum, hoc est, misericordiam, iustitiam, ueritatem, &c. sed tantum apud Iudæos: Nunc iterum clarificabo nomen meum, etiam Gentibus ostendendo, quod sim misericors, iustus, uerax, &c. ut sicut hactenus tantum in Iudæa notus fuit Deus, sic deinceps ab ortu solis usq; ad occasum, magnum sit nomen meum in Gentibus. Psal. 75. Malach. 1.

Ex his uides orationem Christi exauditam, sed eam tantum, quæ ex spiritu processit, non autem eam, quæ ex carne uel natura.

Idem in nobis contingit. Hinc infra dicet: Quicquid petieritis in nomine meo (non ex appetitu uestro) dabit uobis.

Turba quæ stabat & audiebat, &c.]

Variant sententijs, uel quia procul stabant, uel quia parum attenti erant, nec satis constabat, ad quem pertineret uox illa.

Quod autẽ quidem putarunt tonitruum factum, fortasis (si Iudæi fuerunt) suspicati sunt Deum per tonitruum significasse orationem Christi exauditam, quemadmodum Samuele orante auditæ sunt uoces & tonitrua, &c. 1. Reg. 12.

Deinde sciebant Iudæi Angelos frequenter hominibus sanctis locutos fuisse, nec aliter Deum, quam per Angelos hominibus olim loqui solitum. Vnde non putabant Deum in persona propria Christo locutum, quem non putabant maiorem esse Moyse.

Cæterum, non mirum est, quod turba uocem Dei non intellexit: Id enim non rarum est, sed frequentissimum. Quis enim non uidet, quam dissimiliter etiam nunc iudicemus de uerbo Dei?

Immo uerbum Dei aliquibus non est nisi tonitruum, auditur enim & terret, sed is terror non diu durat. Alijs uero uidetur uox humana uoce maior, laudant & magnificant uerbum Dei, sed non credunt nec obediunt: nesciunt enim uel non cogitant, quod sit uox Dei & eius præceptum seu uoluntas.

Cæterum hoc dissimile populi iudicium, quasi præsagium fuit, quod non uno sensu & animo suscipiendum esset Euangelium Christi.

Sicut

Sicut enim hic unam eandemq; uocem, alij putauere fuisse tonitruum, uidelicet horrificum, in quo nihil est intelligibile: alij locutionem Angelicam, in qua utiq; cum sensu rationis dignitas est naturæ, sic unum idemq; clarificationis Christi Euangelium: alij sicut stultitiam; alij accepturi erant, ut Dei sapientiam. Hinc Paulus: Prędicamus Christum crucifixum, Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam, ipsis autem uocatis, Dei uirtutem & sapientiam. Et iterum: Verbum (inquit) crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem, qui salui fiunt, Dei uirtus est.

1. Cor. 1.

Ibidem.

Non propter me hæc uox uenit, sed propter uos.]

Christus est uerus interpres uocis diuinæ: Nemo (inquit) nouit Patrem, nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare. Hinc Pater iubet, ut eum audiamus: Qui hunc interpretem non habet, nunquam intelliget uocē Dei. Hinc est, quod Iudęis uēlatus est Moyses, nec eum aliosq; Prophetas intelligere possunt, nec intelligent, donec ad Christum conuertantur. Vere autem dicit, propter nos auditam esse uocem Patris. Ter siquidem audita est uox Patris, in Baptismo scilicet, In transfiguratione, & hic ante passionem, ubiq; autem propter nos, ut credamus in Christum. Est igitur sensus, Non ut scirem quæ ante nesciebam, hæc uox uenit: Ego sciebā me glorificandum, ideo supra dixi, uenisse horam meæ clarificationis. Sciebam item Patris erga me animum, uerum uobis hæc incognita sunt, propter uos igitur uenit hæc uox. Primo, ut sciatis mihi cum Patre optime conuenire. Secundo, ut credatis me ideo à Patre missum ad uincendam mortem, & mundi principem. Tertio, ut non dubitetis me summe glorificandum, etiamsi uideritis me mori & crucifigi. Quarto, ut credatis & uos consolationem habituros in aduersis. Quemadmodum enim mihi nunc in medio mortis horrore, consolationem misit Pater ex alto, ita consolabimini & uos in medijs malis. Fidelis enim Deus, qui non patietur uos tentari supra id, quod potestis, &c.

Matth. 11.

Matth. 17.

Exod. 34.

1. Cor. 10.

Generaliter, omnis uox Dei propter nos facta est & uenit: Quęcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, &c.

Roma. 15.

Nunc iudicium est mundi.]

Hactenus in generali ostendit tempus suæ glorificationis adesse, granumq; illud frumenti multum fructum allaturum: Nunc ostendit, quæ futura sit eius glorificatio, & qui fructus mortis eius.

Non loquitur autem de iudicio finali, quo damnabuntur mali, præmiabuntur boni, quasi illud iudicium tunc prope esset, id quod quidam putabant. Vnde & Paulus Thessalonicenses monet, ne cuiusquam uerbis aut epistolis credant, quasi iam instet dies Domini, &c. Aliud est iudicium, quo iudicatus est mundus, & adhuc iudicatur.

2. Thess. 2.

Obserua

Obserua igitur, quod mundus uarie accipitur, & quomodocunque eum acceperis, uerum est illud uerbum Christi: *Nunc iudicium est mundi.* Primo enim aliquando accipitur mundus, pro spacio illo inter cœlum & terram, quo creaturæ comprehenduntur. Vt cum dicitur: Mundus per ipsum factus est. Secundum hoc igitur Ioan. 1. sensus uerbi est: *Nunc iudicium est mundi*, quasi diceret, Hactenus Diabolus è cœlo deiectus, atrium illud mundi inuasit, & cum summa pace possedit. Non enim fuit in uniuerso genere humano, qui illi resisteret, qui saltem in ius uocaret, & de inuasione eius litem in iudicio proponeret: Nunc autem, ne putetur iuste occupasse atrium illud, iudicium indictum est, & proposita causa quæritur, cuius esse debeat atrium mundi, latronis an filij. Immo iam propediem feretur sententia pro filio contra latronem & inuasorem, ut omnes uideant iustius esse, ut atrium hoc cedat filio Dei, quàm latroni illi.

In hoc iudicio utrique contenderunt, & Christus & Diabolus, sed Christo uictoria cessit.

Si autem mundum accipiamus pro hominibus in communi, siue bonis siue malis (id quod plærunq; fit, ut cum dicitur: Totus mundus post eum abijt) uerbum hoc hunc habet sensum: *Nunc iudicium est mundi*, quasi diceret. Certatim me hactenus secuti sunt quicunq;, nunc autem adest iudicium, iamq; apparebit, qui ex animo me secuti sint. Iam enim imminet passio mea, quæ manifeste discernet bonos à malis. Sic enim etiam nunc tentatio probat, qui sint electi, nam soli electi in tentatione persistunt.

Item hactenus boni & mali permixti fuerunt in terra, nescitum est, qui essent grana uel paleæ: Nunc autem adest iudicium, nunc fiet discretio, non quidem omnimoda aut corporalis, qualis futura est in iudicio finali, ubi oues statuentur ad dextram, hædi ad sini- Matth. 25. stram. Sed tamen aliqua fiet discretio. Adest enim cribrator ille, habens uentilabrum in manu, uerbum scilicet Euangelij, quo emisso, multi cadent, qui uidebantur stare, & multi resurgent, qui cecederant: multi excæcabuntur, qui uidebant: multi illuminabuntur, qui Ioan. 9. cæci erant. Tale, inquam, adest iudicium, talis separatio bonorum à malis, fiet per uerbum Euangelij, ut cum duo sint in uno lecto, unus tamen assumetur, alius relinquetur. Separabitur Pater à filio, filius à Matth. 10. Patre, non corpore, sed fide, &c.

Ita plane factum est, cum primo publicaretur uerbum Euangelij, credebat interdum Pater, filius autem non, uel econuerso.

Ita nunc fit ubicunq; prædicatur Euangelium. Hæc enim est iudicialis illa sententia, qua discernuntur pij ab impijs.

Vere mirabile iudicium & formidabile, quosdam excæcari, quosdam illuminari, quosdam cadere, quosdam resurgere. Hoc

interim præludium est, futuri illius finalis iudicij. Item hactenus nescitum est, qui sint prædestinati, qui non: multos torsit hæc quæstio, Num Iudæi tantum saluandi? Num Gentiles reprobati? &c. Nunc adest iudicium, iam per publicationem Euangelij feretur sententia, Eos esse electos & prædestinatos & saluandos, qui in me credunt, siue sint Gentiles siue Iudæi, siue mares siue fœminæ; econtra eos esse reprobatos, & certo damnandos, qui non credunt, siue sint Iudæi siue Gentes sine discretione. Iam enim publicabitur illa sen-
Ioan. 3. tentia: Qui credit non iudicatur, qui non credit, iam iudicatus est.

Possumus & mundum accipere pro malis tantum, id quod fre-
Ioan. 7. quenter fit in Euangelijs, ut cum Christus dicit: Mundus me odit. Tunc autem uerbum prædictum Christi, hunc habebit sensum: *Nunc iudicium est mundi*, quasi diceret. Hactenus mundus omnis peccato obnoxius fuit, nec tamen uidit malum suum: Et Iudæi & Gentes peccarunt, non tamen agnoscunt peccatum suum. Iam igitur tempus est, ut mundus uideat quam malus sit. Exibit enim Euangelium meum, ac ubique iudicabit & damnabit mundum, reuelabit ipsi peccata, non tantum crassa illa & externa, sed etiam impietatem cordis, ad bonum illorum qui admoniti resipiscent, ad maiorem autem damnationem illorum, qui admonitionem contemnent.

Ioan. 16. Atq; hoc est, quod Christus dicit: Spiritus sanctus arguet mun-
Roma. 1. dum de peccato. Et Paulus: Reuelatur in Euangelio ira Dei super omnem impietatem hominum. Sic igitur nunc iudicat Christus & damnat, uerbo scilicet tantum, iudicaturus olim & damnaturus re ipsa.

Obserua igitur, quod uerbum Euangelij mundum iudicat, ideo si argueris, noli mirari, non enim aliud facit Euangelium: tu cura, ne hanc admonitionem respuas, alioqui in maius iudicium incides.

Postremo per mundum possumus etiam intelligere mundi huius mala & miserias, peccatum scilicet, maledictum, mortem, afflictionem, Infernum, &c. ut sit sensus. Nunc, quandoquidem immi-
net mihi crux & mors, iam uincentur, & condemnabuntur mundi mala, non ut deinceps omnino non sint, sed ut electis qui in me credunt nocere non possint.

Signanter autem dicit, nunc imminente scilicet morte mea. Omnia enim quę iam dicta sunt, inceperunt à morte Christi, & perfecta sunt in effusione Spiritus sancti, & prædicatione Apostolorum.

Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.]

2. Cor. 4. Princeps mundi Diabolus est, quem & Paulus nominat Deum huius sæculi, non quod ipse mundum hunc creauerit, aut quod ipse eius gubernator sit, uel etiam quod ipse possit dominari cœlo &

terræ.

terræ: sed ideo dicitur princeps & Deus mundi, quia eiectus è cœlo, mundum hunc, qui quasi atrium cœli est, tyrannicè occupauit. Item, quia impijs, quorum maior pars est in mundo, pro suo arbitrio principatur, præcipitesque in quæcunq; scelera detrudit.

Ejcietur igitur hic princeps mundi ex atrio quod occupauit, ut ubi prius regnauit Diabolus & impietas, illic de cætero regnet filius Dei & pietas: Iam enim sentiet fortiorem superuenisse, qui eum uincet. Deinde ejcietur è cordibus hominum, in quibus potenter regnauit: Iam enim passione mea delebitur peccatum primi parentis. Effusione autem Spiritus sancti, & prædicatione Apostolorum condonabitur peccatum, quo solo Diabolus potens fuit. Lucæ 11.

Præterea nullum hactenus uerbum prædicatum fuit, quod efficax esset ad expellendum Diabolum. Nam etiam lex Moysi non potuit eum expellere: Terruit quidem eum, sed non expulit, immo ferociorem reddidit. Nunc autem exibit uerbum efficax, cui cedere cogetur quantumcunq; obsistat.

Signanter autem dicit: *Nunc ejcietur*, quia, ut infra dicetur, per crucem Christi deuictus est. Hoc enim hamo extractus est Leuiathan. Iob. 40.

Eiectus quidem fuit etiam olim è cordibus iustorum, sed quod tunc in paucissimis factum est, nunc in multis magnisque populis, immo in toto mundo & factum est, & adhuc perfectius fiet.

Hanc Diaboli eiectionem prædixit Ezechiel, cum sub nomine Pharaonis de Diabolo loqueretur: Extraham, inquit, te ô draco magne de medio fluminum tuorum, in quibus habitas, hoc est, de cordibus hominum fluidorum & inconstantium. Ezech. 29.

Sic olim Iesus filius Nun, sub typo Christi eiecit hostes populi Dei, & in eorum terra constituit filios Israel. Iosu. 12.

Obserua autem, quod Christus non dicit, Nunc occidetur aut omnino peribit princeps huius mundi, sed: Ejcietur, ut sciamus Diabolum adhuc uiuere, et quamuis intrinsecus non regnat, tamen forinsecus oppugnare non cessat. Sic enim hostis ille mœnibus urbis exclusus, non cessat arietibus & machinis quatere muros, quo sibi aditum perfringat ingressumque paret. Hinc Petrus monet, ut sobrij simus & uigilemus, &c. 1. Pet. 5.

Quamuis merito deplorandum nobis esset, quod Diabolus à Christo tam potenter exclusus, nostra negligentia tantopere iam denuo irruperit & irrumpat.

Et ego si exaltatus fuero a terta.]

Hoc uerbo indicat, quonam modo cum Diabolo congressurus sit, uidelicet non in potentia, sed in humilitate & cruce. Crucem uocat exaltationem, non tam hoc nomine, quod crucifixus corporaliter

liter à terra leuatur, quàm quod crux sit ueræ exaltationis, & glorificationis coram Deo initium.

Ideo autem non dixit aperte, se crucifigendum, sed exaltandum,
Num. 21. ut eos admoneret serpentis ęnei olim à Moyse in ligno suspensi, scirentque eam figuram nunc ueraciter in se implendam, nec aliter sanari posse genus humanum à ueneno serpertino, nisi Christus in ligno suspenderetur. Hoc idem supra dixit: Sicut Moyses exaltauit
Ioan. 3. serpentem, sic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in illum, non pereat, &c. Vere mirabilis uictoria, crucem & mortem patiendo uincere, & eijcere principem mundi: Hæc est funda
1. Reg. 17. illa, qua olim Dauid prostrauit Gigantem illum, nihil minus timentem quàm fundam: Hic est baculus uel uirga Moysi, qua aperuit ma-
Exod. 14. re Israelitis, & idipsum reduxit super Ægyptios.

Omnia traham ad me ipsum.]

Putabant Iudæi Christo occiso se uicisse, immo & Diabolus hoc putabat, sed longe aliter euenit, immo ob id ipsum quod Christum iniuste occidit Diabolus, iuste perijt ipse.

Ioan. 6. Obserua quod supra dixit: Nemo uenit ad me, nisi Pater traxerit. Hic asserit etiam se tracturum, ut ostendat unam eandemque esse Patris & suam operationem, quemadmodum & una utriusque est natura. Signanter autem dicit: Traham, detenti enim erant à Tyranno, ac per seipsos nequibant accedere aut Tyrannum effugere. Ostendit item hoc uerbo, non sine labore se hanc de Diabolo uictoriam adepturum. Præterea ostendit, se tanta beneficia ostensurum humano generi, ut uel inuiti & cunctantes per hæc trahi possint.

2. Thess. 3. Sed quomodo dicit se tracturum omnia, cum non omnium sit fides? Responsio: Verbum hoc non refertur ad uniuersitatem hominum, sed ad integritatem hominis. Vnde non dixit, Traham omnes, sed: Omnia, scilicet animam & corpus. Vtrunque enim ad se trahit, ut saluet utrunq;.

Quod si per uerbum illud (Omnia) homines intelligendi sunt, omnia prędestinata ad salutem dicere possumus. Aut certe omnium hominum genera, ut idem sit, Trahere omnia, quòd, ex omnibus generibus aliquos, siue Iudæi sint siue Gentes, siue mares siue fœmi-
Acto. 10. næ, &c. Non enim est personarum distinctio apud Deum.

Aut denique omnes homines, quantum in se est trahit, quia om-
1. Thim. 2. nes uocat, & omnibus salutem offert. Nam uult omnes homines
1. Ioan. 2. saluos facere: Et ipse propitiatio nostra est, non solum pro peccatis nostris, sed & pro totius mundi. Quod autem non omnes saluantur, eorum efficitur culpa, qui renituntur trahenti, neque eius tractum sequuntur. Fascibus enim peccatorum se deprimunt, pon-

derecp

derecq; malorum preſsi, Domino ad ſalutem uocanti contranitun-tur, ponentes obſtaculum, ne ſalui fiant.

Demum poteſt tractus hic non ſolum de gratia, qua electi trahuntur, ſed etiam de poteſtate, qua reprobi quoque uelint nolint coguntur, Chriſto ſubeſſe. Omnes enim, ſiue boni ſiue mali, ab ipſo ſecundum merita ſua iudicandi ſunt, & omne genu in nomine ipſius curuandum, ſiue cœleſtium ſiue terreſtrium, ſiue etiam infernorum. Stat enim ſententia, Quod omnes inimici eius in ſcabellum pedum eius ponendi ſunt, & ipſe quoque Diabolus non niſi à filio hominis, qui in cruce exaltatus eſt, uidentibus cunctis præcipitandus eſt. Philí. 2. Pſal. 109. Iob. 40.

Fruſtra igitur congemuerunt Phariſæi, dicentes: Videtis, quia nihil proficimus. Totus mundus poſt eum abijt, quaſi poſtquam ipſum occiderint, nemo poſt ipſum abiturus ſit. Stat enim ſententia: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham. Hinc igitur diſcamus uirtutem crucis Chriſti, quæ in hodiernum uſque diem peccatores trahit ad ſe. Quis enim non fidutialiter accurrat, qui uiderit filium Dei ob id in cruce exaltatum, ut peccatoribus conſuleret?

Nos audiuimus ex lege, quod Chriſtus manet.]

Iudæorum hactenus mos fuit, ſemper importunis quæſtionibus ſermonem Chriſti interrumpere, id quod & nunc faciunt, cum interim Gentiles illi taciti aſtarent, parati ulterius audire.

Cæterum ſicut paries antiquus nunquam tam bene linitur, quin alicunde promineat uetus deformitas: ſic illi, quamuis hac quæſtione bonam ſpeciem prætendant, tamen interim pluribus notis produnt Iudaicum ſuum atq; impium animum.

Primo in eo, quod tam cito aduerterunt Chriſtum de ſua morte locutum, cum tamen dictio eſſet ambigua: adeo, ut Ioannes interpretationem eius addiderit: Hoc, inquiens, dixit, ſignificans, qua morte eſſet moriturus.

Apparet igitur eos cum Phariſæis conſpiraſſe in mortem Chriſti. Non igitur mirum, eos in uerbis Chriſti intellexiſſe, quod inſidiantes in abſcondito conſcientiæ cubili cogitabant facere.

Secundo Iudaicum animum produnt in eo, quod in uerbis Chriſti ſolum aduerterunt ipſum crucifigendum, non autem quod per hoc tracturus eſſet omnia ad ſe, quod ſi attendiſſent, uidiſſent utiq; aliam eſſe rationem mortis Chriſti, quàm aliorum: ſiquidem nemo aliorum poſt mortem quicquam ad ſe trahit. Vidiſſent (inquam) mortem Chriſti non eſſe eius extinctionem, ſed glorificationem.

Tertio etiam in hoc uel maxime Iudaicum produnt animum, quod ſcripturas truncatim citant: Audiuimus, inquiunt, ex lege, &c.

Lex hic ſumitur pro toto ueteri Teſtamento, ſicut & ſupra:
Ioan. 10. Nonne in lege ueſtra ſcriptum eſt, Ego dixi dij eſtis? Verum autem dicunt, quod lex teſtetur Chriſtum ſemper manſurum. Sic enim
Danie. 7. Daniel ait: Poteſtas eius poteſtas æterna, & regnum quod non corrumpetur. Et Iſaias: Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſe-
Iſai. 9. debit, ut confirmet illud amodo & uſque in ſempiternum. Et Dauid:
Pſal. 88. Thronus eius ſicut dies cœli. Et iterum: Permanebit cum ſole & an-
Pſal. 71. te lunam, &c. Et iterum: Tu es ſacerdos in æternum, &c.
Pſal. 109.

Iuxta hoc tamen ſcriptura non obſcure indicat Chriſtum etiam moriturum. Idem enim Daniel, qui dixit: Poteſtas eius poteſtas
Danie. 9. æterna, poſtea dixit: Poſt hebdomadas ſexaginta duas occiderur Chriſtus, &c. Et Iſaias apertiſsime paſsionem & mortem Chriſti de-
Iſai. 53. ſcribit: Tanquam (inquit) ouis ad occiſionem ducetur, &c. Et Dauid nedum in plæriſque Pſalmis, ut eſt Pſalmus uiceſimus primus, & ſexageſimus octauus, &c. paſsionem Chriſti deſcripſit, ſed etiam in eo ipſo Pſalmo, quo dicit: Tu es ſacerdos in æternum, ſtatim ſubdit:
Pſal. 109. De torrente in uia bibit, propterea exaltabit caput, &c.

Hoc autem hi inſidiatores noluerunt attendere, id quod uere Iudaicum eſt, ſcripturas truncatim citare, & tantum ea attendere, quæ pro nobis ualent, quæ autem contraria ſunt tranſilire, quemadmodum & nunc plæriq; faciunt. Nihil autem recte colliges aut concludes, ſi ſcripturam tantum in uno aut altero loco attendas.

Sic hi Iudæi ex eo, quod lex dicit, Chriſtum ſemper manſurum, male colligunt contra Dominum noſtrum, quod ideo non poſsit eſſe Chriſtus, ſi occidendus ſit.

Dupliciter enim ſimul ſtare poſſunt mors Chriſti & eius æternitas. Primo, quoniam mors conuenit ei ratione naturę humanæ, æternitas autem ex parte diuinæ naturæ. Secundo, quoniam licet ſecundum aſſumptam humanitatem occiſus ſit, & homo ad tempus eſſe deſierit, tamen poſt triduum clarificatus eſt in carne aſſumpta, & ſecundum humanitatem ad uitam immortalem ſuſcitatus, ſicq; etiam ſecundum naturam humanam in æternum manet, quemadmodum
Heb. 7. Paulus ait: Chriſtus, inquit, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium, ſemper uiuens ad interpellandum pro nobis. Hoc autem Iudæos decepit, quod putabant Chriſtum in hoc mundo regnaturum, regnumque eius mundanum & externum futurum, cum tamen ſcriptura ubique doceat regnum Chriſti eſſe
Pſal. 71. adminiſtrationem internam. Vnde Dauid: Orietur in diebus eius iuſtitia & pax, &c.

Hic eſt lapis, in quem impegerunt, ideo audientes Dominum noſtrum eſſe moriturum, ſtatim colligunt eum non eſſe Chriſtum.

Sic impij uidentes pios hic affligi & mori, ſtatim colligunt aut promiſsiones Dei fallere, quibus pijs omnia bona promittuntur;

aut

aut ipsos non esse Deo gratos, qui mala patiuntur. Vere autem pij sciunt, quod simul stare possunt ut aliquis affligatur, qui tamen Deo gratus sit. Item, quod promissiones Dei uerę sint, etiamsi in hoc mundo non implentur.

Summa, sicut Christus etsi moriatur, tamen regnat in æternum, sic pij etsi moriantur, tamen uiuunt.

Quis est iste filius hominis?]

Christus se filium hominis uocat extenuatione quadam, interim & per contentionem. Adam enim primus homo est, Christus filius Adam: secundus est, ut quod per hominem perierat, rursus per filium hominis restauraretur.

Hi autem importuni interrogatores, quasi probri loco ipsi hoc obijciunt, non semel, sed bis, cum Christus non dixerit, filium hominis exaltandum, sed se.

Adhuc modicum lumen in uobis est.]

Poterat respondere, se non esse hominem tantum, sed etiam Deum, & iuxta corpus quidem se moriturum, sed mox resurrecturum, nec hanc mortem obstare regni sui perennitati, quod non esset mundanum, sed spirituale. Verum illi nec digni, nec capaces erant horum mysteriorum, nec tempestiuum erat illa prodere, tantum igitur eos monet. Dupliciter autem intelligitur uerbum hoc, secundum quod dictio illa (Modicum) uel est nomen, uel aduerbium.

Si nomen est, sensus est, Adhuc paruum lumen in uobis est. Vere enim paruum lumen est, Christum tantum hominem aut tantum Deum credere: Vtrunq; enim credendum de eo & confitendum. Sic parum lumen habet, qui regnum Christi & promissiones scripturæ carnaliter intelligit. Paruum item lumen habet, qui putat mortem piorum esse ipsorum extinctionem. Item, qui putat afflictiones semper esse signa irati Dei. Per hoc igitur, quod ostendit eos paruum lumen habere, monet eos, ut scripturas diligentius seruentur, quæ longe aliter de his rebus loquuntur. Si autem dictio illa (Modicum) sit aduerbium, quemadmodum Græci legunt, sensus est. Dixi nunc me in gloriam Patris ingressurum per mortem: Quicquid autem de cruce uobis dico, risus uobis & contemptus est, proinde prædicabitur uobis adhuc breui tempore Euangelium, & Christum, qui uera lux est, non diu uobiscum habebitis: Erit tempus, cum & Christus & Euangelium uobis auferentur, et uos coniiciamini in extremas tenebras & excæcationes. Igitur hoc uerbo quasi præmonet, & prædicit eis futura mala.

Congrue autem se & Euangelium suum uocat lumen, tum quia uera lux est, sine qua nemo uidebit Deum, nec perueniet ad Deum:

tum ut eis uel externo exemplo ostendat, se per mortem suam non perditum iri, quemadmodum sol ille mundanus occidit quidem, sed non extinguitur, immo paulo post rursum oritur.

Ambulate dum lucem habetis, &c.

Me nunc habetis ore ad uos loquentem, miraculis excitantem, non autem diu me sic habebitis. Suaderem, ut nunc cum tempus habetis, messem salutis uestre non negligeretis. Nam qui messem negligit, in hyeme esuriet: qui autem colligit in æstate, sapiens est.

Prouer. 10.

Monemur hoc uerbo, quanta commoda habeamus in hac uita. Primo Christum ipsum spiritualiter præsentem & uocantem, immo expectantem, & scripturam, quæ tanquam lucerna lucet in loco caliginoso. Nihil horum post mortem habebimus, uenit nox, in qua nemo potest operari.

2. Pet. 1.

Ioan. 9.

Hinc est, quod scriptura ubique nos admonet, ne hoc tempore cessemus: Quærite, inquit, Dominum, dum inueniri potest, &c. Et alius: Date gloriam Deo, antequam tenebrescat, &c. Et Paulus: Dum tempus habemus, operemur bonum. Et iterum: Noli negligere gratiam, quæ data est tibi, &c.

Isai. 55. Hiere. 13. Galat. 6. 1. Thim. 4.

Qui ambulat in tenebris, nescit quo uadat.

Verissima sententia. Qui cognitionem Christi & Euangelij non habet, uere in tenebris est, & nescit quo uadat, an procedat uel retrocedat, id quod uidemus in Judæis impletum.

Item, qui cæcos affectus animi sui sequitur, in tenebris ambulat, nec scit quo uadat, dumque credit se pie recteque agere, impingit in mortem. Item, qui in tenebris peccatorum ambulat, nescit quo uadat. Neque enim actus suos intelligit, nec eos in finem debitum dirigit. Immo nescit se recta currere in Iudicium Dei, quod si uideret, cessaret à peccatis, &c.

Dum lucem habetis, credite in lucem.

Ipsa quidem lux in se non peribit, sed uobiscum non semper erit, quemadmodum & lux solis. Igitur credite, dum eam habetis.

Duo facienda sunt præsente luce, ambulare scilicet & credere, nec enim fides sine operibus, nec opera sine fide placent. Ambulando autem & credendo in lucem, efficimur filij lucis, hoc est, Christi uel gratiæ uel diuinæ sapientiæ. Foelices qui lucem ita præsentem habent, ut filij lucis sint: hi nihil in se tenebrosum habent, sed in media morte, afflictione, desperatione uident effugium.

Abijt & abscondit se ab eis.

Non

Non amplius id temporis locutus est illis, ne furorem illorum, quem sciebat ad omne facinus esse promptissimum, magis irritaret: sed abijt, quasi absentia sua mitigaturus illorum insaniam. Docet nos, ut cedamus ad tempus, quando res nobis est cum obstinatis, nec ulla spes est proficiendi, ne non solum nihil fructus referamus, uerum etiam alios reddamus sceleratiores.

Obserua, quàm tristem finem habuerit ea dies, quæ tam lætum habuit exordium. Qui enim prius ei occurrebant cum palmis & laudibus, ab his nunc se abscondit. Quid autem lætum esse potest, ubi Deus & uerbis & factis se ostendit iratum? Auertisti, inquit, faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Econtra autem: Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Psal. 29.

Atqui non sine causa irascitur Deus, nec sine causa Christus discedit, qui dicit: Delitiæ meæ esse cum filijs hominum. Hic igitur uidemus, quod Christus non tantum uult honorifice suscipi, sed & honorificè tractari. Et sicut fide suscipitur, sic fide & pietate retinetur. Quapropter terrere nos debet, non tantum hoc exemplum Iudæorum, sed etiam quod à plærisq; etiam nunc recessisse uidemus Christum, ubi cum magno gaudio susceptus fuit prædicantibus Apostolis. Quot enim Gentes, urbes, regiones, Christum perdiderunt, & in pristinam cæcitatem reciderunt? Igitur summo studio pietatem sectemur, & impia opera uitemus, ne & nostra dies, quam hactenus lætam habuimus, tam tristem sortiatur exitum. Prouer. 8.

Cum autem tanta fecisset non crediderunt, &c.]

Ab hoc loco usque ad finem capitis, Ioannes quasi concludit narrationem eorum, quæ hactenus ostendit Christum & fecisse, & docuisse in populo Iudæorum. Deinceps enim ea tantum narrabit, quę Christus ante suum discessum inter dilectos discipulos egit & docuit. Primo igitur quasi pertæsus toties repetere Iudæorum ingratitudinem & infidelitatem uno uerbo, & quidem admodum terribili, eandem depingit post ad alia transiturus: Cum (inquit) tanta fecisset inter eos signa, suæ diuinitatis manifestissima testimonia, tanta opera, quæ loquebantur ipsum à Patre missum, tanta denique miracula, quæ exclamabant ipsum esse Messiam in lege promissum, tamen non credebant. Cum admiratione autem hæc dixit. Quis enim non miretur tantam cæcitatem? Nec obstat, quod supra dictum est, multos in resuscitatione Lazari credidisse: adeo, ut propter hoc etiam Lazarum uellent Pharisæi occidere. cap. 12. Sup. c. 11.

Vel enim hic loquitur de Pharisæis tantum & Pontificibus Iudæorum, qui adeo non crediderunt in Christum, ut eum interficere destinauerint:

destinauerint: Vel si de populo loquitur, intelligendum est, quod non recte, nec perseueranter, nec propter uerbum, sed tantum propter miracula crediderunt ad tempus, quam diu scilicet miracula noua erant. Sic supra dixit: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Atqui fides ex miraculis, non ex uerbo concœpta, non est uera & constans fides. Vere igitur dicuntur non credidisse, qui non perseueranter crediderunt. Hoc igitur uerbo ostendit, eos per omnia imitatores fuisse patrum suorum, quibus identidem in scriptura obijcitur incredulitas & duricies cordis, adeo, ut Dauid fideliter moneat eos, ne imitentur peccata patrum: Hodie (inquit) si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, &c.

Ioan. 4.

Psal. 94.

Immo, si attentius consyderes, uidebis eos nedum æquasse peccata patrum, sed in pluribus superasse: adeo, ut sicut Moyses fuit typus Christi, ita populus Moysi commissus typus fuit eorum, qui Christo præsenti contradixerunt, id quod palam fiet, si attendas, quid Moyses suo populo fecerit, & quid ab illo passus sit. Similia enim uidebis Christum Iudæis fecisse, & ab eis passum esse. Moyses fecit magnalia in Ægypto, terribilia in mari, mirabilia in deserto, nec tamen sic eos ad fidem constantem ducere potuit: Idem contigit Christo. Moyses legem dedit & docuit, illi autem multoties & legem transgressi sunt, et Legis latorem contempserunt: Idem Christo contigit, & etiam nunc contingit.

Moyses tanto affectu diligebat populum, ut non cessaret pro ipsis orare, quamuis sæpe ei iniurias inferrent: Idem fecit Christus. Summa, Moyses non tantum incredulitatem eorum in officio suo expertus est, sed etiam præsciuit: Non, inquit, credent mihi. Sic Christus quamuis incredulitatem eorum præsciuerit, tamen ad eos uenit, ut excusationem non haberent.

Exod. 3.

Vt sermo impleretur Isaiæ.]

Dictio (Vt) hoc loco non causalis est, sed euentus indicatiua. Non enim quia prædixit Isaias, ideo necesse fuit eos non credere, sed quia non erant credituri, propterea prædixit hoc Isaias. Innocens enim & sancta Dei præscientia, nullam malis hominibus importat necessitatem, sicut nec uisus meus ei, quem ambulare uideo, ullam ambulandi necessitatem irrogat.

Ideo autem Euangelista Prophetæ dictum adducit, quo prædictum fuit, Iudæos non credituros, ne Gentiles uidentes Christum ab his non recipi, à quibus expectatus erat, etiam ipsi minus aliquid de ipso sentirent.

Cæterum, quanquam in plærisque scripturæ locis hæc Iudæorum incredulitas prædicta sit (Nam & Daniel dicit: Non erit eius populus,

Danie. 9.

populus, qui eum negaturus est. Et Dauid: Obscurentur oculi eo- Psal. 68.
rum, ut non uideant: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, &c.
Et Isaias: Tota die expandi manus meas ad populum non cre- Isai. 65.
dentem, &c.) Ioannes tamen unum tantum dictum Prophetæ ad-
ducit.

Domine, quis credidit auditui nostro?]

Pulchrè autem huic loco conuenit Prophetia hęc. Quemadmo- Isai. 53.
dum enim Ioannes hoc loco ostendere uoluit, & Gentiles illumi-
nandos, & Iudæos excæcandos: sic & Isaias utriusque meminit in eo
loco, unde hæc authoritas desumpta est. Primo enim manifeste
illic dicit de illuminatione Gentium: Super ipsum (inquit) contine- Isai. 52.
bunt reges os suum, quia quibus non est annunciatum de eo, uide-
bunt, &c. Deinde statim subdit de exęcatione Iudæorum: *Domine,*
quis credidit auditui nostro? &c. Vide autem emphasim uerbo-
rum. Primo, non ad homines uertit orationem, sed ad Deum. Sic
enim solent Prophetæ, cum uident se frustra hominibus loqui, ad
Deum uel ad alias creaturas conuertere sermonem. Sic Moyses: Au- Deut. 32.
dite cœli quæ loquar, & audiat terra uerba oris mei, &c. Sic & Isaias Isai. 1.
in principio libri sui, &c.

Deinde non affirmatiue loquitur, sed interrogatiue & quasi du-
bitabundus, Num quisquam futurus sit, qui crediturus sit, propter
insignem paucitatem. Sic enim scriptura utitur particula (Quis) ut Psal. 18.
cum dicit: Delicta quis intelligit? Item, Quis est hic, & laudabimus Eccle. 31.
eum? Præterea tam certus est de futura Iudæorum incredulitate,
ut eam non uerbo futuri temporis, sed præteriti explicauerit.

Habet & hoc emphasim, quod non dicit, Quis credidit sermoni
nostro, sed: *Quis credidit auditui nostro?* Quo uerbo indicat Pro-
phetas & Apostolos, non sermonem proprium & apud se natum
effudisse, sed auditum uerbi Dei, hoc est, nihil aliud, quàm quod à
Deo audierant. Signanter etiam dicit, Auditui nostro, non meo,
ut ostendat unam esse prædicationem & Prophetarum sui tempo-
ris, & Apostolorum futuri temporis. Item, ut ostendat & Apostolis
& Prophetis hoc accidisse, ut pauci ipsis credant.

Et brachium Domini, cui reuelatum est?]

Brachium Domini, Filius Dei est. Sicut enim homines potissi-
mam operandi uim brachijs exercent, sic Deus cuncta & fecit, &
Diabolum debellauit in filio & uerbo suo: Omnia (inquit) per Ioan. 1.
ipsum facta sunt. Hinc & Virgo beata: Fecit potentiam in brachio
suo. Et Dauid: Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Psal. 97.
Vel brachium Domini, est potentia Euangelij, quod est uirtus

Dei,

Roma. 1. Dei, ad ſalutem omni credenti. Vult igitur Propheta, quod utrunque, uidelicet tam uirtus Chriſti, quàm potentia uerbi Dei, à paucis cognoſcatur. Videbat enim Propheta Euangelium eſſe uerbum crucis, nudum ab omni humano auxilio, prudentia, ratione, & ob id à multis contemnendum. Videbat item Chriſtum Euangelij authorem eſſe contemptum, abiectum, & à ſapientiſsimis morti adiudicatum.

Atqui hæc duo plærosque deterrere poſſent, à ſuſceptione Chriſti & Euangelij: proinde Propheta admirabunda exclamatione præmunit omnes homines, ne propter crucis offendicula à fide deterreantur, neque propter credentium paucitatem retrocedant, ac Euangelium mendacij inſimulent.

Ob eaſdem cauſas Ioannes hoc dictum Prophetæ hic citat, ut non diffidamus, ſi plures deficiant à fide, pauci autem credant: cum uideamus id non nouum eſſe, ſed iam inde ab initio ſic fuiſſe, & ſic futurum eſſe uſque in finem mundi. Hinc Iſaias: Si fuerit numerus filiorum Iſrael ſicut arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. Et Dauid clamat: Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, &c.

Iſai. 10.

Pſal. 11.

Immo nuſquam non prædicta eſt credentium paucitas, unde & Chriſtus: Multi ſunt uocati, pauci uero electi. Et iterum: Nolite timere puſillus grex. Et iterum: Anguſta eſt porta & arta eſt uia, quæ ducit ad uitam, & pauci incedunt per eam. Et iterum: Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Et Paulus: Non omnium eſt fides.

Matth. 20. Lucæ 12. Matth. 7. Matth. 11. 2. Theſſ. 3.

Hæc autem inſignis uere credentium paucitas, toties prædicta terrere debet eos, qui nomine tantum Chriſtiani ſunt: pios autem excitare, ut ardentius inſiſtant pietati, & contendant intrare per anguſtam portam, ſicque currant, ut comprehendant. De hac credentium paucitate, etiam alio loco dicit Dauid: Dominus de cœlo proſpexit, ut uideat ſi eſt intelligens & requirens Deum: Omnes declinauerunt, &c. Non eſt uſque ad unum, id eſt, tantum unus. Quatuor ſiquidem ſunt genera hominum, quorum tantum unum facit bona. Aliqui enim nec intelligunt, nec requirunt Deum: & hi mortui ſunt. Aliqui intelligunt, ſed non requirunt: & hi ſunt impij. Aliqui requirunt, & non intelligunt: & hi ſunt ſtulti. Aliqui intelligunt, & requirunt: & hi ſoli faciunt quod bonum eſt.

Lucæ 13. 2. Cor. 9.

Pſal. 13.

Propterea non poterant credere.]

Ne quem offendat uerbum hoc, attendendum eſt, quo reſpexerit Ioannes cum hoc diceret. Reſpexit autem, ut ex ſequentibus patet, ad Iſaiæ caput ſextum. Illic autem legimus Deum in conſpectu Angelorum iudicialiter conſediſſe, ac ſententiam in Iudæos protuliſſe, quam Prophetæ enunciandam commiſit: Vade (inquit)

Iſai. 6.

dic

dic ad populum istum, Aure audietis, & non intelligetis, &c. Huc respiciens Ioannes, dixit: *Non poterant credere*, nimirum significans, eandem sententiam Dei iam in Iudæos peruenisse, quasi diceret. Video quod Deus non frustra comminetur impijs, differt quidem executionem, sed tamen suo tempore punit. Sic olim comminatus est populo huic excæcationē: Ipsi autem nihil propter hoc territi, semper peccata peccatis addiderunt (Sic enim filij hominum, quia Eccle. 8. non cito in eos profertur sententia, implentur omni malitia) At nunc plane uideo, eandem sententiam in hunc populum cecidisse: alioqui, quomodo tam obstinati fuissent? Itaq; actum erat de ipsorum salute. Dati erant in reprobum sensum: quia enim hactenus credere noluerunt, iustè nunc puniuntur cæcitate, ut credere non possint, hanc enim pœnam etiam Christus eis subindicare uoluit, cum malediceret ficum: Nemo ex tē comedat fructum usq; in sem- Matth. 21. piternum. Cæterum dictio hæc (*Non poterant credere*) non significat omnimodam impossibilitatem ad credendum, sed uel contrariam uoluntatem, uel difficultatem. Plærunq; enim non tam in scriptura sacra, quàm in communi usu loquendi, Non posse, idem est, quod, Non uelle. Sicut cum dico, Non possum quiescere, Non possum à compotationibus abstinere: Possem quidem si uellem. Ad eundem sensum dicit Christus: Non potest mundus odisse uos, hoc Ioan. 7. est, non uult: Posset enim si uellet. Sic cum Paulus de Deo dicit: 2. Tim. 2. Non potest seipsum negare, magis est laus diuinæ uoluntatis, quàm ostensio impossibilitatis. Aliquando autem, Non posse, idem est, quod difficulter posse, sicut cum dicimus, Non possum ieiunare, Non possum huic remittere offensam, Non possum obliuisci iniuriæ. In hunc modum Hieremias dicit: Sicut Æthiops non potest mutare Hier. 13. pellem, sic nec uos poteritis benefacere, cum didiceritis male. Vbi non impossibilitatem intelligit, sed difficultatem. In hunc modum etiam hic intelligendum est: *Non poterant credere*, hoc est, nolebant. Non poterant credere, quia nolebant cupiditates suas abijcere: Vel non poterant credere, hoc est, difficulter seipsos suamq; prudentiam uincere & abnegare poterant, sicq; se Christo tradere. Vides igitur nullam nobis relictam excusationem, non enim possumus causare impossibilitatem. Plura siquidem possemus si uellemus, quod si aliquam difficultatem habent, est unde quæramus gratiam qua possimus.

Excæcauit oculos eorum, & induraut cor]

Hic locus ex Isaia desumptus, admodum frequens est in Euangelistis. Citatur enim Matth. 13. Mar. 4. Lucæ 8. Rom. 11. Act. 28.

Quia autem plenius hunc ipsum locum tractaui in Matthæo, & Actis, Itemq; in Epistola ad Romanos, ideo paucis eum hic ab-

Rom.9. soluam. Sic & de prædestinatione nonnihil dictum est in Epistola ad Romanos, quantum dici potest & scire de hac re conuenit, ideo nec hic pluribus immorabor. Vnum hoc admoneo, ne quis huiusmodi iudicia Dei scrutari uelit, aut temere de ipsis loqui: quin potius qui sapit, digitum ponat super os, & det gloriam Deo.

Scimus quod Deus omnia sapientissime & facit & administrat.

Psal. 103. Sic enim dicit scriptura: Omnia in sapientia fecisti. Et iterum:

Sap. 12. Iustus cum sis, omnia iuste disponis.

Scimus item, eum iustissimum esse in iudicijs suis. Id enim scriptura ubiq; clamat. Hoc igitur nobis sufficiat, etiamsi non uideamus, quomodo singula Dei opera iusta & sapientia sint. Qui igitur credit Deum omnia sapienter & iuste facere, nihil mouebitur argumentis cæcæ rationis, sed simpliciter Deo gloriam dabit.

Qui autem hæc non credit, huic nemo satisfaciet: semper enim ex una quæstione orietur alia. Omissis igitur his, quæ peruestigare non possumus, occupemus nos cum his rebus, quæ utiles esse possunt. Attendamus quid à nobis exigat Deus, & studeamus pietati, prædestinationem Deo committamus. Immo, si te cruciat

2. Tim. 2. prædestinatio: Emunda teipsum ab impijs operibus, & eris uas in honorem. Cæterum, quod Euangelistæ toties inculcant hanc Iudæorum excæcationem, ad terrorem nobis fecerunt, id quod ex

Rom. 11. Paulo liquet, qui dicit: Vide seueritatem Dei in eos, qui ceciderunt, &c̄. Igitur noli altum sapere, sed time, &c̄. Deinde etiam ideo toties inculcatur Iudæorum excæcatio, ut uel in ipsis discamus, quomodo Deus dicatur excæcare, & ob quas causas. Excæcauit autem Iudæos, non oculos aut rationem eis auferendo, uel lapidem pro corde inferendo, sed tantum subtrahendo gratiam.

Non enim Deus infundit malitiam aut efficit indurationem, sed tantum non adiuuat, & deserit. Deo autem deserente & non adiuuante, etiamsi oculos & rationem habeas, tamen cæcus es. Sic & Deo, qui ipsa charitas est, non præsente, cor ipsum frigescit & induratur. In hunc igitur modum Deus dicitur excæcare atq; indurare. Quare autem aliquos deserat, & non adiuuet, etiam discere possumus ex Iudæis. Ipsi enim oblatam gratiam respuerunt, sic

Matth. 23. enim Christus eis dixit: Quoties uolui congregare filios tuos, &

Matth. 12. noluisti? Deinde peruerso animo Deo restiterunt, ac ueritatem manifestam blasphemarunt, quod est peccatum in Spiritum sanctum, & irremissibile. Merito igitur à Deo deserti sunt, nec quicquam habent, quod Deum incusent, quemadmodum enim nemo culpare potest medicum, qui ægrotum sanari nolentem deserit: Nec parentem, si incorrigibilem filium domo expellat, sic nemo iuste potest Deum culpare. Superbia igitur & contemptus Dei,

Matth. 11. causæ sunt excæcationis. Hinc Christus: Abscondisti, inquit, hæc à

sapientibus

sapientibus, &c. superbiam scilicet indicans causam esse. Et Dauid: Tu terribilis es, & quis resistet tibi? statimq; subdit: Ex tunc ira tua, hoc est, tibi resistere, prouocat iram tuam. Quod si quis ultra hæc Deo obganniat, audiet à Paulo: Quis tu es, qui respondeas Deo? Quid causaris te à Deo desertum? Quid tibi debet? Pœnam. Gratias igitur age, quod cum tam impius sis, tantummodo tibi gratiam deneget, cum insuper iuste posset punire. Cæterum, quod dicit eos & excæcatos & induratos, indicat consummatam abiectionem: Excæcati sunt in intellectu, indurati in affectu. Omnis eis uia ad salutem præclusa est, sed suo ipsorum uitio, ut dictum est. Merito autem oculos perdiderunt, quibus cum possent uti, noluerunt, immo quibus contra Dominum usi sunt. Oculum qui subsannat patrem suum, eruant eum corui detorrente, ait Sapiens. Merito & ipsum cor perdiderunt, quod Domino pulsanti nunquam aperire uoluerunt. Obserua etiam hic duplicem excæcationem. Eorum siquidem, qui conuerti & sanari non merentur, aliqui nec uident scripturarum sensum: Aliqui autem uident quidem, sed sequi nolunt. Et in illis quidem excæcantur oculi, in his autem induratur cor. Addit in fine: Et sanem eos. Ostendit se esse qui sanet, sed quia præmisit (Conuertentur) ostendit nullos sanari, nisi conuersos. Psal. 75. Rom. 9. Pro. 30.

Hoc dixit Isaias, quando uidit gloriam eius]

Dupliciter intelligitur. Primo, quando uidit gloriam eius, tunc scilicet, cum uidit Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, &c. Secundo, quando uidit gloriam eius, hoc est, Christum, qui est gloria Patris. Nam Deus nunquam magis est glorificatus, quàm per Christum. Per illum factius est celebris, ut iam omnes uideant eum misericordem, pium, ueracem, &c. Immo Christus tanta Dei gloria est, ut præ ea gloria uultus Moysi obscurata sit, & Iudæi excæcati. Solet enim illustrior splendor oculos infirmos & cæcutientes obscurare. Isa. 6. 2. Cor. 3.

Veruntamen ex principibus multi crediderunt]

Mitigat quod iam dixerat de excæcatione Iudæorum, ne quis putet totam Gentẽ abiectam. Idem facit Paulus: Nunquid (inquit) Deus reppulit plebem suam? Absit. Nam & ego Iudæus sum, &c. Ideo autem dicit etiam ex principibus aliquos credidisse, tum ut ostenderet falsum esse, quod supra Pharisæi obiecerunt turbę: Nunquid ex principibus quisquam credidit? Tum ut ostenderet, etiam diuites & potentes posse saluari, si uelint. Ex omni enim sexu, statu, Gente, conditione, ætate, aliquos saluauit, ne quisquam desperet. Rom. 11. Ioan. 7.

Sed propter Pharisæos non confitebantur]

Ostenditur imperfectio fidei in eo, quod non confitentur. Ad

Rom. 10. perfectam enim fidem exigitur, ut & corde credamus, & ore confiteamur. Ostenditur etiam hic infirmitas fidei ipsorum ex eo, quod
Isa. 51. timent Pharisæos: Quis tu, ut timeas ab homine mortali: &c. & oblitus es Domini Dei: Sed cur timent Pharisæos:

Vt de synagoga non eijcerentur]

Qui dignitate præeminent apud mundum, non ferunt ignominiam: Ignominia etiam mundi multos impedit à bono. Cæterum, quamuis adhuc imperfecta esset eorum fides, tamen aliquo modo
Ioan. 7. excusantur. Primum enim nondum datus erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Deinde non peccabant ex liuore & auaritia, sed tantum ex timore: timor autem & imbecillitas, facile ueniam impetrant in hominibus natura imbecillibus.

Cæterum, qui sic excæcati fuerant prauis cupiditatibus, ut scelerata conscientia Christo reclamarent, populum auerterent, denique mortem machinarentur, hos perire necesse fuit, quia seruari noluerunt.

Dilexerunt enim gloriam hominum magis, &c.]

Ioan. 5. Sic supra dixit, quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem quæritis: &c. Vides autem hic causam, quare pauci ex principibus, potentibus, sapientibus, Euangelium syncere confiteantur. Quia nimirum Euangelium secum fert crucem, & bonorum terrenorum abnegationem. Iam cum principibus graue sit abnegare pompam & Tyrannidem, diuitibus graue sit abnegare diuitias, sapientibus graue sit abnegare rationem: fit, ut pauci ex his credant.

Porro gloria hominum, est nomen bonum, æstimatio prædara. Non autem culpantur hi, quod gloriam hominum habuerunt, nam etiam Christiani debent habere bonum nomen coram mundo:
Matth. 5. Sic, inquit, luceat lux uestra, &c. sed ideo culpantur, quod plus dilexerunt gloriam mundi, quàm Dei. Quod si aut humana gloria & Christi gloria, quæ est crux, ita in arcipiti discrimine proponantur, ut altera sit eligenda, altera repudianda, plus est eligenda pio gloria Christi, hoc est, crux & ignominia, quàm uana gloria mundi.
Heb. 12. Sic Moyses maiores diuitias arbitratus est probrum Christi, quàm omnes Ægyptiorum thesauros.

Iesus autem clamauit]

Hæc est ultima Christi concio coram Iudæis. Deinceps enim ea tantum describit Ioannes, quæ Christus inter suos & fecit & docuit.

Habet autem hæc concio pauca quidem uerba, uerum insignes & graues sententias. Immo, si recte attendas, est quasi summaria complectio omnium, quæ Christus prius docuit. Primo enim seipsum manifestat

manifestat qui sit. Deinde ostendit, quantum fructus sibi conciliet credentes. Postremo, quantam perniciem sibi asciscant, in incredulitate permanentes. Atq; hæc sunt, quæ Christus ubiq; docet.

Vide autem Christi bonitatem. Paulo ante se asconderat ab eis, quasi pertæsus eorum malitiam, immo aperte comminans eis futura mala: Nunc denuo prodit, & quod maius est, iterum docere & admonere incipit, quasi diceret. Merebatur quidem incredulitas uestra, ut nunquam redirem, sed uicit misericordia mea. Optarem, ut præsentem gratiam & futuram pœnam præuideretis, inuitus punio. Mallem bona conferre, quàm pœnas inferre, &c̄. Eodem modo & Deus nobiscum agit. Atq; hoc est, quod Dauid dicit: Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, &c̄. Psal.102. Præterea, quod Christus iterum redit ad eos, à quibus se prius absconderat, significat, quod suo tempore rediturus sit ad populum Iudaicum, quemadmodum Paulus ait: Excæcatio contigit in Israël, &c̄. Cum autem intrauerit plenitudo Gentium, tunc omnis Israël saluus fiet. Rom.11.

Clamor autem Christi in hac ultima concione, indicat mysteriorum magnitudinem. Deinde indicat, quanto affectu eorum salutem quæsierit. In scriptura enim plærunq; nomine clamoris, intelligitur uehementia affectus, ut cum Dauid dicit: De profundis clamaui ad te Domine, &c̄. Psal.129. Præterea clamor hic fortitudinem & constantiam eius indicat, ut qui nedum inter aduersarios publice uersaretur, sed insuper clamaret ac potissimum ea, propter quæ ipsi maxime eum oderant, cum tamen sciret eos in mortem suam conspirasse. Demum etiam ideo clamauit, ut omnes eum audirent, ne quisquam se excusare posset. Sicut igitur suos usq; in finem dilexit, ut infra dicitur, sic ad obstinatos in finem usq; clamauit. Ioan.13.

Tam fortiter autem hac ultima concione clamauit, ut exinde raucæ factæ sint fauces eius eius. Ab eo enim tempore non amplius eis prædicauit.

Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, &c.]

Dupliciter exponitur. Primo, qui credit in me, non credit in hominem tantum, sed in Deum: Nam & homo & Deus sum. Secundo, qui credit in me, non credit in me solum, sed & in eum, qui misit me: Ego enim & Pater unum sumus. Sic & supra dixit: Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me. Ioan.10. Ioan.7.

Hoc autem uerbo duo quædam impedimenta remouet, quibus impediebatur populus, ne crederet in Christum. Primo enim sciebant in solum Deum credendum esse, hoc est, confidendum. Sciebant item scripturam dicere: Maledictus qui confidit in homine, &c̄. Videbant autem Christum hominem esse, ideo timebant, ne in Hier.17.

arenam ædificarent, ac maledictionem pro benedictione consequerentur. Hoc impedimentum remouet Christus priori intellectu huius uerbi, quasi diceret. Non uos perturbet, quod scriptura iubet in Deum credendum esse. Item, quod maledicit confidentes in hominē: nec uos turbet, quod me hominem uidetis. Sum enim & Deus. Igitur, qui credit in me, non credit in me, id est, in hominem, atq; adeo non ædificat in arenam, nec maledictionem meretur.

Aliud impedimentum erat, quod uidebatur frustraneum, in ipsum credere: uel saltem non necessarium, cum haberent Deum, in quem confidere possent.

Ex hoc quoq; remouet Christus hoc uerbo, quasi diceret, Non putetis patui referre, utrum in me credatis uel non, immo magni refert. Non enim à meipso ueni, nihil à meipso loquor aut facio, sed à Deo missus sum, non tantum ut doctor, sed ut saluator: Igitur, qui me meamq; doctrinam suscipit, non tantū me, sed Deum honorat. Econtra, qui me meamq; doctrinā reiicit, Deum reiicit, à quo profectus & missus sum. Hoc igitur uerbo indicat, quod secure in eum credere & confidere possimus. Secundo ostendit in Deum redundare, quicquid ipsi Christo uel honoris uel gloriæ irrogetur, ut ad fidem nos inuitet, & ab incredulitate deterreat. Tertio ostendit fidem quam ipse docebat, non esse aliam ab ea, quam Moyses docuit: Atq; adeo Euangelium non pugnare cum lege. Quarto ostendit non esse liberum, num uelimus credere uel non credere in Christum, sed necessarium: quandoquidem ob hoc ipsum à Deo missus est, ac in ipsum non credere, redundet in contemptum Dei. Omnia hæc faciunt ad confirmationem fidei nostræ.

Et qui uidet me, uidet eum, qui misit me]

Hoc uerbo maius aliquid dicit, immo rationem ostendit, quare non tantum uerbis ipsius credendum sit, sed etiam in ipso confidendum. Quia, inquit, unius eiusdemq; naturæ sum cum eo, qui me misit, adeo, ut qui me uidet, & illum uideat.

Hoc autem nullus Prophetarum dicere potuit. Ideo tantum ipsorum uerbis, non in ipsos credendum est & confidendum: in Christum autem utrunq; exhibendum. Igitur hoc uerbo respondet tacitè quæstioni, qua quis dicere posset, Cur non contentus es, ut credamus uerbis tuis, sed insuper uis, ut in te credamus, quod nullus Prophetarum fecit, immo nec Moyses quidem? Respondet Christus, quia ego unius cum Deo naturæ sum & Filius: Illi autem homines & serui fuerunt. Cæterum, quod dicit: *Qui uidet me, &c.* non de corporali uisu intelligendum est (Deus enim spiritus est, nec uidetur oculis corporalibus) sed de fide & cognitione. Qui igitur Christum agnoscit, is etiam Deum cognoscit. Est enim Christus

Ioan. 4.

Hebr. 1.

expressa

expressa imago eius. Hinc supra dictum est: Deum nemo uidit unquam, unigenitus Filius enarrauit nobis. Quis autem in aduersis positus, non cuperet Deum uidere? quis non cuperet scire, quid sibi de Deo polliceri possit aut debeat? &c. Atqui per teipsum non uidebis Deum, accede igitur ad Christum, illic uidebis, qualis erga nos sit Deus. Ioan. 1.

Ego lux ueni in mundum, ut qui credit in me, &c.]

Adhuc manifestius se aperit. Et quid potest lux, quàm seipsam manifestare? Immo quid prodesset lux, si non luceret? Nemo accendit lucernam, & ponit sub modio, sed super candelabrum, &c. Matth. 5.

Lucem autem se nominat & ideo se uenisse, ut illuminet: ostendens per quem etiam excæcati illi Iudæi, lucem recipere possint.

Deinde lucem se nominat, ut ostendat se longe dissimilem primo homini, à quo omnes homines hæreditario quodam iure, quasi per manus acceperunt tenebras, hoc est, infidelitatem, ignorantiam Dei, impotentiam bene operandi, cæcitatem, peccatum, mortem, & Infernum: Christus autem econtrario lux est, qua Deum agnoscimus, qua uires bene operandi acquirimus, qua illuminamur, & qua per peccatum, mortem, & Infernum perrumpere securi possumus. Præterea, lucem se nominat, & optimo quidem iure. Est enim lux essentialiter omnes illuminans, & ab alio illuminationem non participans. Ioan. 1.

Cæteri autem diuinæ lucis participes, interdum quidem lux dicuntur. Iuxta illud: Vos estis lux mundi, sed illuminantur ab eo primum, deinde susceptæ illuminationis supernæ dona, in alios distribuunt. Matth. 5. Demum etiam ideo se lucem dicit, ut ex comparatione huius solaris luminis discamus, quid Christus operatus sit, & operetur in terris. Sole quidem uisibili oriente, multa apparent quæ prius nesciebantur, quælibet etiam res in sua propria specie uidetur. Sole apparente & nobis proximante, dissoluitur frigus, reflorescunt arbores & plantæ. Sol denique etiam ad uitam & generationem animalium cooperatur, &c.

Omnia autem hæc Christo apparente, spiritualiter & facta sunt & fiunt. Cæterum, quod Christus dicit, se ideo uenisse, ut illuminet, signum est, quod in omnibus nobis tenebræ sunt. Vere autem tenebræ sunt, ignorantia iudicij & misericordiæ Dei. Ex natura enim Deum imaginamur, quod neq; tam seuerus sit iudex, neq; tantopere curet nos, ut exaudiat cum opus sit.

Ex his tenebris omnia peccata oriuntur, Christus autem manifestando Deum esse, qui & misericordiam & iudicium facit, nos ab his tenebris eripit.

Omnibus autem iam dictis, Christus nos ad fidem prouocare conatur. Igitur, si natura homines horrescunt tenebras corporales, & illis offusi trepidatione agitantur & horrore, magnique beneficij loco ducunt tenebris eximi & luce illustrari: Multo amplius exhorrescendæ sunt spirituales tenebræ errorum & uitiorum, ac quærenda illa lux, quæ sola occasum nescit.

Sed si quis audierit uerba mea, & non custodierit]

Solent Legislatores & præmia proponere ijs, qui legem obseruant, & pœnas decernere præuaricatoribus: ut hi eo magis absterreantur à maleficio, illi autem eo fortius incitentur ad bonum.

Deut.30. Sic Moyses fecit, qui proposita lege dixit: Consydera quod hodie proposuerim in conspectu tuo, uitam & bonum, & econtrario mortem & malum, &c̄. Cæterum, quamuis Christus proprie loquendo non nouam aliquam legem dederit, sed legem naturæ, hoc est, Decalogum declarauit, & legem Moysi perfecit & absoluit, nosq; à maledicto legis liberauit: Tum, quia & ipse nouam quandam doctrinam attulit, ut sciamus non minus eam seruandam quàm legem Moysi, etiam ipse præmia & pœnas proposuit seruantibus, uel non seruantibus doctrinam suam.

Immo, ut sciamus doctrinam Christi longe præstare lege Moysi,
Deut.28. maiora & præmia & pœnas proposuit. Moyses siquidem seruantibus legem promisit temporalia, Christus autem æterna. Item Moyses temporales pœnas comminatus est, Christus æternas.

Dupliciter autem in Christum peccatur. Primo, si omnino ipsum uerbumq; eius reijcimus, quo modo Iudæi in ipsum peccauerunt & peccant. Secundo, si uerbum quidem audimus, sed non credimus, nec custodimus, quo modo peccant falsi Christiani. Vtrisq; autem dicit imminere iudicium, etsi nondum idipsum sentiant.

Ego non iudico eum]

Sensus est. Principes huius mundi edicta proponentes, cogunt homines ea seruare uelint nolint, transgressores autem statim puniunt: Ego autem non sic iudico, neminem cogo, sed liberum omnibus permitto, num credere uelint uel non, nec contemptum mei uel doctrinæ meæ statim punio, sed patienter expecto, ac pœnam differo
Ioan.18. in futurum. Regnum enim meum non est de hoc mundo, alioqui ministri mei utiq; decertarent, ne sic contemnerer: Immo possem meipsum uindicare, nisi aliud suaderet misericordia. Vel aliter: *Ego non iudico eum*, hoc est, non sum causa perditionis eius, sed ipsemet. Vel aliter: *Ego non iudico*, hoc est, non necesse est, ut ego meipsum uindicem contra contemptores: Est Pater meus, qui hunc
Ioan.8. mei contemptum uindicat & uindicabit. Sic supra dixit: Ego gloriam

riam meam non quæro, est qui quærat & iudicet. Non igitur repugnat hic locus ei, quo supra dixit: Nunc iudicium est mundi. Illic enim locutus est de iudicio discretionis & excæcationis, hic autem loquitur de iudicio damnationis.

Non enim uenit ut iudicem mundum, &c.]

Hanc sententiam etiam supra posuit, immo etiam in alijs Euangelistis frequenter inculcat. Nihil autem aliud uult, quàm quod in primo aduentu uenerit ut saluator, non ut iudex: & quod nunc sit tempus misericordiæ, non iudicij. Dupliciter autem misericordiam suam in hoc uerbo ostendit. Primo, quod non iudicat & punit. Secundo, quod insuper beneficia præstat, & salutem offert æternam. Cæterum nec hoc uerbum repugnat ei, quod supra dixit: Ego in iudicium ueni in hunc mundum. Vtrunq; enim uerum est. Primo enim non uenit, ut damnaret in primo aduentu, interim tamen is ipse aduentus eius plæriscq; in malum cessit, quemadmodum sol uenit ut illuminet, non ut excæcet, nihilominus tamen nimio eius fulgore plures excæcantur. Sup. c. 3. Lucæ 9. Ioan. 9.

Quid igitur si Christus non iudicat nunc: Num ideo impunes erunt, qui Deum contemnunt: Nequaquam. Irritam quis faciens legem Moysi punitur, quanto magis qui Filium Dei conculcauerit, &c̄. Ideo sequitur. Heb. 10.

Qui spernit me, &c. habet qui iudicet eum]

Quid sit spernere Christum, patet ex eo, quod addit: Qui non accipit uerba mea. Sic enim & in mundanis rebus, qui mandata regis non accipit, sed abijcit, eo contemptu & regem quoq; spernit. Verba igitur Christi multi quidem respuunt, sed non uno animo. Quidam ea respuunt ex malitia, inuidia, obstinatione, quemadmodum Iudæi, obturantes aures suas.

Aliqui uerba Christi non accipiunt ex superbia, erubescunt enim se huiusmodi rebus occupare, quasi ipsis indecorum sit pietatem colere, & sub Deo se humiliare. Aliqui uerba Christi non accipiunt, non ob aliud, quàm quod affectibus ipsorum contraria iubent & docent, alioqui libenter ea accepturi.

Aliqui uerba Christi non accipiunt ex incuria, non enim putant magni referre, siue accipiantur siue non.

Omnes hi Christum spernunt, quamuis dissimiliter. Immo etiam hi Christum spernũt, qui uerba quidem eius audiunt, sed non custodiunt, quin potius iniqua uita cõmaculant, ueritatemq; Dei detinent in iniustitia. Rom. 1. Emphasim autem habet, quod Christus non dicit, huiusmodi contemptorem habiturum iudicem suum, sed iam habet (inquit)

(inquit) etsi nondum sententia iudicis aut uindicta appareant.

Quo uerbo certum innuit instare damnationem contemptoribus Christi & Euangelij.

Sermo, quem locutus sum, iudicabit eum]

Hoc intelligi potest de ipso Christo. Ipse enim est uerbum Patris, immo ipse est is ipse sermo, quem locutus est: seipsum enim manifestauit, ut uerbum quod se & alia explicat, ut lux quæ seipsam in primis, deinde alia manifestat. Hic igitur sermo, hoc uerbum, hic
Ioan. 5. Filius Dei, iudicabit eos in nouissimo die. Iuxta illud: Pater omne iudicium dedit Filio, &c. Potest etiam intelligi de uerbo Euangelij, quod Christus prædicauit. Sicut enim lex dicitur iudicare latronem, quia ostendit eum iudicio & supplicio capitali dignum esse: ita quoq; opera Christi & uerba, iudicabunt infideles, quia aperte prodent eos æterna condemnatione dignos esse. Nihil enim poterunt prætexere suæ incredulitati, quandoquidem Christus tot modis eos prouocauit, inuitando præmijs, deterrendo supplicijs, alliciendo beneficijs, excitando miraculis, neminem à salute repellendo, aditum cuiuis facilem ad uitam aperiendo.

In hunc modum etiam supra Iudæis dixit: Nolite putare, quod
Ioan. 5. ego uos accusaturus sim apud Patrem: Est qui accusat uos Moyses, in quo speratis, etc. Cæterũ iudex hic quo impij iudicabũtur, uerbum scilicet Dei, non externe apparebit, sed intus in conscientia cuiusq; iustas sententias terribiliter pertonabit. Sic enim & Paulus ait: Testimonium illis reddet conscientia ipsorum, & inter se inuicem co-
Rom. 2. gitationes accusabunt, & defendent in die, quo iudicabit Deus, &c.

Demum, quod Christus dicit sermonem suum iudicaturum, cum id proprium habeat sermo legis, indicare uoluit, quod in iudicio illo non tantum iudicabitur secundum opera externa, id enim facit lex: sed etiam secundum fidem uel infidelitatem, quod facit Euangelium. Si enim inuenerit fidem, absoluit: si infidelitatem inuenerit, damnat.

Quia ex meipso non sum locutus]

Nemo sic intelligat, quasi Christus uel ratione substantiæ, uel dignitatis minor Patre sit, eò quod dicit, se nihil ex se loqui. Item se à Patre mandatum accepisse, &c. Sed hoc uerbo & similibus appellat ad Patris authoritatem, ne quis calumnietur ab ipso, confictæ esse quæ prædicabat. Ostendit igitur hoc uerbo, cur iudicandi sint, qui uerbum eius non acceperunt: *Quia* (inquit) *ex meipso non sum locutus*, hoc est, non meum, sed Dei uerbum est. Nemo autem
1. Reg. 2. impune spernit Deum: Si peccauerit (inquit) uir in uirum, propitiabitur ei; si autem in Deum quis peccauerit, quis orabit pro eo?

Deinde

Deinde hoc uerbo ostendit, quare sermo suus iudicaturus sit impios: *Quia* (inquit) *ex meipso non fum locutus*, non est hominis uerbum. Si hominis uerbum esset, mortuum & inualidum esset: quia autem Dei uerbum est, ideo uiuum & efficax est, penetrabilior omni gladio ancipiti, &c̄. Heb. 4.

Et qui misit me, mandatum dedit mihi]

Moyses primus fuit, qui mandatum & legationem à Domino ad populum accepit. Ipsius autem mandatum & legatio, fuit lex. Prędixit autem idem Moyses aliud quoddam mandatū, aliamq; legationē à Deo exituram: Suscitabit, inquit, uobis Dominus non multos, sed unum Prophetam similem mei, hoc est, qui speciale aliquod mandatū habeat à Deo. Hic autem Christus ostendit, se esse illum Propheram, in eò, quod dicit se mandatū & legationem accepisse à Deo. Mandatum autem, quod dedit Pater Filio, est Euangelium. Hoc enim ei mandauit, ut descenderet, & saluaret homines. Hinc supra dixit: Sic Deus dilexit mundum. Vbi obserua, quod longe digniorem legationem Filio imposuit, Christo scilicet, quàm Moysi seruo. Ideo sequitur. Deut. 18. Ioan. 3.

Scio quia mandatum eius uita æterna est]

Euangelium enim est potentia Dei ad salutem omni credenti. Vita æterna est, quia offert & ducit ad uitam æternam. Quod autem Euangelium sit uita nostra, patet, quia multos à morte animæ ad uitam gratiæ reuocauit: Aliquibus etiam uitam corporis restituit. Vbi uides, quantum præcellat Euangelium. Nihil enim horū potuit lex, immo fuit occasio maioris miseriæ, id quod Paulus diffuse ostendit. Rom. 1. Rom. 7.

Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi, &c.]

Dixi me uitam & lucē esse, qui igitur uelit uiuere, uidere, me audiat. Sæpius autem inculcat, se à Deo esse & loqui, ne uerba ipsius contemnantur. Non enim aliud in causa est, quod tam parum curamus de his, quæ audiuimus, quàm quod non cogitamus ea esse uerba Dei.

Hoc igitur uerbo Christus conciones suas ad populum concluſit, quasi diceret. Satis hucusq; docui, quod meum est feci: uestrum est uel credere, uel non credere. Hoc tamen uobis prædictum uolo, me ex Deo locutum: Nunc, si liber contra Deum pugnare, tum facite quod lubet. Præterea hoc uerbo Christus ostendit, se sua legatione egregie functum. Ad legatum enim pertinet, ut diligenter exequatur ea, quæ præcepta sunt. Deinde, ne quid suo nomine agat, quod in mandatis non habet. Præterea, ne mala uita dehoneſtet eum, à quo missus est. Omnia autem hæc Christus perfectissime obseruauit, Apostolis interim & eorum successoribus relinquens exemplum, ut & ipsi sic faciant. Ioan. 13.

CAPVT

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

FACTENVS Christus promiscuam multitudinem allocutus est, nihilq; intentatũ reliquit, quo potuissent ad meliorem mentem reuocari. Ea autem tanta cum diligentia & gratuitate uerborum describit Ioannes, ut merito gratias agat Ecclesia Catholica Spiritui sancto, quod tantas diuitias gratiæ & ueritatis de ore plenitudinis Christi in profundam huius Euangelistæ memoriam transfusas, tanta integritate conseruauit, tanta fide in tempore opportuno refudit, ut uel solo hoc Euangelio se tueri possit ab hæreticis. Nunc autem omissa turba incredula, ad discipulos se conuertit Christus, duplici de causa. Primo sciebat eos uehementer in morte sua cõtristandos, ideo ipsos præmunit aduersus instantem tempestatem. Secundo, quia per eos uolebat prædicari Euangelium in toto mundo, ideo ante discessum suum ex illorum animis euellere studuit illas Euangelicæ puritatis pestes, liuorem, odium, auaritiam, fastum, ambitionem, & inserere diuersos affectus, charitatem scilicet, humilitatem, mansuetudinem, &c. Igitur ea quæ hactenus audiuimus, gloria quidem & diuitiæ sunt domus Dei, sed multo maiora sunt quæ sequuntur. Solemus enim inter amicos magis aperire cordis secreta, quàm inter inimicos: Immo ea, quæ ab hoc loco usq; ad patibulum crucis dicuntur, nihil aliud sunt, quàm recitatio Testamenti, quod moriens Pater noster conscripsit, & designatio hæreditatis, quam paruulis suis in ipso mortis agone mira charitate delegauit. Igitur ut solent pijs & bene amantibus filijs dulciora esse, & profundius in memoria permanere uerba, quæ parentes in ipsa morte supremum trahentes spiritum loquuntur, sic nobis reuerenti aure, pio corde, & humili spiritu suscipienda, & fideli memoriæ commendanda sunt ea, quæ deinceps hic Euangelista describet. Assistant pupilli, qui non erant ibi, & isto Ioanne, qui præsens interfuit, tanquam fideli notario recitante, audiant certius, ubi suam sperent hereditatem, & ad qualem interim respiciant Paracletum & tutorem, imitenturq; mundanos, qui singula Testamenti uerba attendunt, ne quid eos prætereat, quod ad ipsos pertinet.

Ante diem festum Paschæ]

Plura omittit Ioannes, quæ Christus & fecit & docuit post diem Palmarum. De his enim alij Euangelistæ sufficienter scripserunt.

Ioan. 12. Rationem autem Paschalis festiuitatis & obseruantiæ supra ostendi.

ostendi. Cæterum quamuis Ioannes simpliciter dicat, Ante festum Paschæ, nec exprimat diem, tamen ex alijs Euangelistis plane ostenditur, quod in uespera quartædecimæ diei, qua incipiebat festum, facta sint quæ hic narrantur. Sic enim Matthæus dicit, hæc facta esse prima die azimorum. Et Lucas dicit hæc facta esse eo ipso die, quo necesse erat occidi agnum Paschalem, quæ non erat alia, quàm quartadecima dies mensis. Vnde manifeste colligitur, quod Christus ipso die festo Paschæ crucifixus sit. Quomodo autem intelligendæ sint authoritates, quæ uidentur contrarium sentire, suo loco dicetur. Matth. 26. Lucæ 22.

Sciens Iesus quia uenit hora eius]

De hoc iam sæpius dictum est, quod Christus & tempus & horam mortis suæ præscierit. Hoc autem Euangelistæ frequenter & magno etiam studio inculcant, ne quis hæreticorum aut infidelium insurgat, dicens, Ipsum infirmitate sua traditum, & non sponte, sed Iudæorum laqueis irretitum, crucem pertulisse. Cæterum, quòd aliàs sæpe dixit, nondum uenisse horam suam aut tempus: Hic autem dicatur, uenisse eam horam, non sic intelligendum est, ea hora, qua Christus passus est, aliquem planetarum Christo quidem contrarium, Iudæis autem fauentem regnasse: sed hanc diem, hanc horam, hoc tempus, Christus ipse elegit ad mortẽ & passionem suam, idq; non sine causa. Primo enim, quia ipse est, qui per sanguinem suum nos liberauit à plaga illa, qua percussus erat totus mundus: Ideo sanguinem suum fundere uoluit eo die, quo olim in Ægypto Israëlitæ fuerant liberati ab exterminatore per sanguinem agni. Deinde Christus morte sua nos liberaturus erat à Tyrannide Diaboli, ideo eadem die mori uoluit, qua olim Israëlitæ liberati fuerunt à Tyrannide Pharaonis. Tertio Christus per passionem suam nos expurgaturus erat à fermento peccati, ideo eo tempore pati uoluit, quo Iudæis fermentum inhibitum erat. Quarto Christus passione sua impleturus erat Prophetarum scripturas, ideo pati uoluit in plenilunio. Quinto Christus noctem peccati & errorum minuere, & diem gratiæ extendere uolebat, idq; per passionem suam: Ideo eo tempore pati uoluit, quo post æquinoctium uernale dies longior, noctem superare incipit. Vide autem, quàm pulchra Periphrasi Ioannes Christi mortem depingat. Non enim dicit: Sciens, quia uenit hora eius, ut moreretur (mortis enim nomine, Euangelista hic non libenter utitur) sed: *Vt transiret ex hoc mundo ad Patrem*, lætus scilicet & hilaris, quasi nulla mors intercessura esset, cum tamen hic transitus Christi ad Patrem, non nisi per amarissimam mortem fieri debebat. Quid autem Ioannes hac Periphrasi uerborum aliud expressit, quàm definitionem Christianæ mortis. Si enim Platonici dicunt, mortem esse Methabasin, id est, transitum ad uitam?

quanto magis nos Christiani sic sentire & credere debemus? Gaude igitur Christiane de hac Euangelica definitione. Qualis enim fuit mors Christi, talis erit & mors nostra. At ipsius mors erat transitus ad Patrem, ergo & nostra mors erit transitus ad Patrem, quemad-
Ioan. 20. modum & Christus ipse dixit: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem uestrum, &c. Obserua autem, quod non dicit tempus eius aduenisse, sed horam. Primo ut doceat, cuilibet homini certam mor-
Iob. 14. tis horam præfinitam. Iuxta illud: Numerus mensium eius apud te est: Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Secundo, ut ostenderet passionem suam breui duraturam. Ad eundem mo-
Matth. 26. dum in Matthæo dicit Iudæis: Hæc est hora uestra, quasi diceret. Vnam tantum horam ego patiendi, uos autem insaniendi habetis.

Sic scriptura totum tempus uitæ præsentis horam nominat: Si bona facis, scito te horam tantum habere, hoc est, breue tempus, non igitur grauis tibi uideatur labor. Sic & afflictio tantum ad tempus durat, non igitur tibi grauis sit. Sic & impiorum fœlicitas, ad horam
Psalm. 36. durat. Noli igitur æmulari in malignantibus: quia adhuc pusillum, & non erit peccator, &c. Cæterum, sicut festum Paschale fuit hora Christi, in qua pati & mori uolebat: sic idem festum post quadraginta annos, fuit hora eius, qua in Iudæos uindictam exercuit. Cum enim Paschali tempore conuenissent à Romanis obsessi, & paulo post expugnati fuerunt. Sic & nos duas horas habemus: Alteram misericordiæ, alteram iudicij, & quàm certo iam sentimus esse tempus misericordiæ, tam certo expectemus etiam horam iudicij. In summa, mortem Christi Ioannes transitum nominat. Primo, ut ostenderet ipsius potentiam & uirtutem. Ipse enim per omnia illa transire potuit, quæ hactenus prohibuerant accessum ad cœlum. Hinc de
Psal. 106. ipso dicitur: Contriuit portas æreas, & uectes ferreos confregit. Ante eius enim mortem, nullus recta transire potuit è mundo ad cœlum. Atq; hic est fructus mortis ipsius, quod nobis aperuit & parauit transitum ad Patrem. Signanter autem dicit, Non se transiturum ad Deum, sed ad Patrem, ne uereamur ad Deum accedere, quem audimus iam per Christum effectum esse Patrem nostrum.

Possumus autem & hunc transitum aliter intelligere, nempe quod Ioannes per hoc rationem reddere uoluerit ipsius phase, quod transitum significat, quasi diceret. Hactenus hoc festum celebratum fuit in memoriam eorum, quæ olim in transitu & exitu de Ægypto facta fuerunt: Nunc alius imminet transitus, nempe è mundo ad Patrem. In priori illo transitu dux fuit Moyses, in hoc secundo dux est Iesus Christus. Sicut igitur illi secuti sunt Moysen, sic nos sequamur Christum. Iudaicum phase est transire ex Ægypto, Christianum autem transire è mundo ad Patrem. Sed quidnam ægit Christus, cum sciret horam transitus sibi adesse? Non ideo suorum

oblitus

oblitus fuit, non ideo eos diligere cessauit, quod propter ipsos tam amara mors sibi immineret. Cur enim dilectionem suam ab eis auerteret, qui adeo in mundo & à mundo odiebantur & contemnebantur? Quid igitur Christus?

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos]

Vere dilexerat, uere etiam perseuerauit eos in finem diligere. Priori uerbo causa ostenditur, cur Christus in mundum uenit factus homo. Ad hoc enim non pellexit ipsum nostra dignitas, qui eramus indigniores, quàm ut beneficijs corporalibus afficeremur, tantum abest, ut digni fuerimus æternis. Nec nostrum meritum ipsum pellexit. Toti enim eramus in peccatis nati: Nec nostra iustitia, quis enim iustificabitur in conspectu Dei? sed immensa eius charitas, qua nos complexus est, eum ad hoc pellexit & inuitauit. Sicut enim Pater ex dilectione nimia, Filium misit: sic Filius ex dilectione nimia, eam legationem suscepit & perfecit. Hinc Ioannes alibi dicit: In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos. Signanter autem hic dicit Ioannes: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo*. Omnes quidem creaturæ eius sunt, quo ad creationem. Vnde de impijs dicitur: Sui eum non receperunt. Hic autem per suos intelligit eos tantum, quos ab æterno elegit, ut sui essent, de quibus & alibi dicit: Tui erant, & mihi eos dedisti. Addidit autem: *Qui erant in mundo*, ne quis putaret hic Angelos intelligi, qui & ipsi sunt Christi. Verum non Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Et non in forma Angelorum uisus est, sed habitu inuentus est ut homo. Generaliter autem dicit: *Cum dilexisset suos, qui erãt in mundo*, ne quis putet eum solos Apostolos dilexisse. Quomodo autem suos dilexerit, uel ex uno hoc apparet, quod propter ipsos è cœlo descẽdit, ut interim taceam, quanta eis dilectionis signa in terris ostenderit. Sed quid sibi uult, quod addit: *In finem dilexit eos*? ut ostenderet, cur Christus per uiam crucis ad Patrem redierit, cum potuisset redire illæsus. Huc enim iterum impulit ipsum charitas, uidebat non satis esse, quod descendisset è cœlis, nisi & pro peccatis hominum satisfaceret. In finem igitur dilexit eos, id est, perseueranter. Primo, quia usq; ad mortem non interrupit dilectionem suam, nihil offensus Iudæorum impietate, nihil etiam deterritus fuga & abnegatione suorum, qui eum solum in passione reliquerunt. Secundo perseueranter eos dilexit, quia nec mors eius dilectionem terminauit. Iuxta illud: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Vel in finem dilexit eos, id est, ultima die ostendit adhuc eis signa dilectionis; Vel in finem dilexit, id est, perfectissima & summa dilectione, qua maior esse non potuit. Maiorem enim charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis, quod Christus fecit. Vel in

Pſal. 142.
Ioan. 3.
1. Ioan. 4.
Ioan. 1.
Ioan. 17.
Heb. 2.
Phil. 2.
Cant. 8.
Ioan. 13.

finem dilexit eos, id est, non cessauit, donec perfecte eos saluaret, ac plane uinceret peccatum, mortem, & omnes maledictiones. Ideo autem Ioannes in exordio passionis & ultimæ cœnæ, tam insigniter commendat dilectionem Christi. Primo, ut ostendat omnia quæ secuta sunt, nempe, institutio Sacramenti, lotio pedum, charitatiua illa instructio, ac demum etiam ipsa passio, non aliunde fluxisse, quàm è dilectione Christi. Secundo, ut nos econtra ad amorem Christi, & gratiarum actionem incitaret. Tertio, ut nos etiam consoletur, ne putemus, Dei amorem erga homines cessasse. Non enim semel tantum dilexit, aut tantum patres, sed diligit in finem, id est, in perpe-
2. Tim. 2. tuum. Ipse enim fidelis permanet, seipsum negare non potest. Hæc Christi dilectio charissimi nobis sufficiat. Diligat mundus siue odiat, nihil admodum ad nos pertinet, dummodo sciamus, quod Christus nos diligit, nos in corde gerit, nos magni facit, pro nobis curat, &c.
Rom. 8. Quid hic nobis obesse potest odium mundi? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Cœna autem facta, &c.]

Hic habetis ostensam charitatem Iesu erga discipulos suos. Odite certe non poterat eos, quibus pedes lauit. Cæterum, opus hoc non omnino post cœnam factum esse putemus, sed inter cœnandum, quod primo ex eo patet, quod dicitur: Surrexit à cœna. Deinde, quod infra dicitur, post lotionem recubuisse iterum. Præterea, quod in textu non dicitur, Cœna finita, sed: *Cœna facta*, hoc est, parata, cum scilicet in conspectu apposita erat. Ex hoc igitur & propter hoc fere omnes sentiunt lotos esse pedes, ante Eucharistiæ institutionem. Et pulchre quidem hoc ad rem facit: decet enim ut mundi ac loti accedamus ad Eucharistiam. Verū ex Ioanne colligi uidetur, quod hæc lotio post institutionē Sacramenti facta sit. Is enim à lotione pedum continuam scribit historiam, quam discerpere non licet, donec è consortio Iudam eiiciat. Si ergo postea institutū est Sacramentū, consequitur ex ea historia, Iudam cū alijs corpus & sanguinē Christi non sumpsisse, id quod etiam quidam asserūt. Verū hoc nō permittit hi-
Lucæ 22. storia Lucæ. Illic enim aperte dicitur, quod monitio Iudæ, secuta sit institutionē Sacramenti. Verū super hæc nō libet cōtendere, sufficiat nobis scire, Christum discipulis pedes abluisse, siue hoc ante, siue post sumptionē Sacramenti factū sit. Ipsam igitur historiam attēdamus: est enim notatu dignissima, sed diligentē auditorē & auidum spectatorem postulat. Nam facta Christi, quæ hic narrantur, admodum pulchra sunt & mira. Denicq; & ipsius Euangelistæ uerba prudentissima sunt: non enim simpliciter indicat, quæ gesta sunt, sed cum pondere & grauitate uerborum, ut magis moneat. Primo enim antequam ad factum Christi procedat, prius traditoris meminit.

Cum Diabolus (inquit) misisset in cor Iudæ]

Vt

Vt uel hinc æstimemus magnitudinẽ charitatis & humilitatis in Christo, qui etiam hosti & traditori ea ostendit, quæ alius uix fratribus & amicis ostenderet. Maxima siquidem charitas est, inimicos diligere, & odientibus benefacere. Secundo etiam ideo traditoris meminit, ut uideamus, quomodo miser ille, tanq; uerũ iam ac proprium mancipium Diaboli, de uno peccato in aliud ceciderit: immo, semper in maiora peccata, donec in profundum uenerit. Supra quidem Ioannes eum asseruit esse furem, & consuetũ etiam loculos Domini defraudare. Paulo post alij Euangelistę ostenderunt, ipsum pecunias ad prodendum Christum accepisse à Iudæis: hic aũt maius quiddam dicitur, nempe, quod obstinate decreuerit secũ hoc facinus perficere, nec ullis beneficijs aut admonitionibus cedere uelle, id quod uere Diabolicũ est. Vnde & signanter additur, Diabolum hoc eius cordi immisisse. Hunc inspiratorẽ suum facile audiuit impius ille, Christum autem bene monentẽ contempsit, quemadmodum & omnes impij solent: Ego (inquit Christus) ueni in nomine Patris mei, & non recepistis me: Veniet alius in nomine suo, hunc recipietis. Videmus aũt hic, Diaboli conatum & cogitationes eò tendere, ut non solum homines, sed etiam si possit Christum ipsum perdat. Videmus item, quis præcipuus ille effusor sanguinis Christi fuerit, nempe Diabolus ipse, is in regno suo, hoc est, in terra, eum pati & uidere non poterat, timebat se ab eo pellendum esse è regno suo. Ad hoc homicidium uel latrocinium, primo usus fuit Concilio Pharisæorũ. Deinde malitia proditoris. Postremo, manibus peccatorũ. Non tamen sine permissione Dei, quandoquidem ab æterno definitũ erat, sanguine innocentis Filij Dei, genus humanũ redimendum. Discamus hic Diaboli naturam & opus, nempe, quod mala inspirat & suggerit, sicut econtra Deus, per spiritum suum bona cordibus fidelium inspirat. Ioan. 5.

De suggestione Diaboli, exemplum habes in Anania & Saphyra. Act. 5.
Nouit impius ille, & consueuit ut plurimũ, quæ bona sunt impedire: 1. Tess. 2.
Mala autem promouere. Scitote igitur à Diabolo esse, quoties Gen. 3.
peccata & offendicula fiunt, & non ex Deo, ut hæretici tradunt. Omnibus, inquam, peccatoribus ab exordio sæculi, Diabolus inspirauit, ut contra Deum agerent. Signanter autem in hoc Iuda & Iudæis ostensum est, quid possit Diabolus. Hunc enim instigauit & pertraxit ad proditionẽ proprij magistri: illos aũt ad occisionem proprij Messiæ & Regis. Orandum igitur, ut Deus sua gratia corda nostra præcludat huiusmodi Diabolicis suggestionibus: nihil enim boni consulit impius ille. Sequitur:

Sciens Iesus, quòd omnia dedit ei Pater in manus, &c.]

Etiam potentiæ & scientiæ Christi meminit. Primo, ne quis putaret Christum ideo Deum non esse, quia Iudas eum prodere potuit.

Quod enim in principio erat, nempe Deus, hoc & permansit etiam traditus & crucifixus. Secundo ideo potentiæ Christi meminit, ut ex commendatione tantæ sublimitatis, commendatius & mirabilius fiat opus summæ humilitatis. In eum modum & Paulus humilitatem & obedientiam Christi cõmendaturus, à sublimitate eius incipit: Qui
Phil. 2. cum in forma Dei esset, &c. Nunquã enim humiliationẽ Christi recte æstimare possumus, nisi simul etiam altitudinẽ eius cõsyderemus. Sicut nec charitatẽ eius quis recte æstimare potest, nisi simul cogitet, quibus & quàm indignis eam impenderit. Tribus aũt uerbis Christi immensam sublimitatẽ ostendit. Horum primum est: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*, hoc est, cum sciret se Dominum esse omnium, etiam Diaboli & impiorũ: tamen ob amorem hominum, hanc suam potentiam quasi sepposuit, uel potius abscondit, factus infirmus & humilis: adeo, ut nedum piis ministraret, sed etiam impijs impune permitteret in se sæuire, tantum ut homini succurreret. Vere magna humiliatio, & ingens dilectio. Vel aliter: Sciens quod Pater omnia dedisset ei in manus, hoc est, sciebat salutẽ humani generis in ipso pendere. In uoluntate siquidẽ ipsius situ erat, num homo saluaretur, an periret. Sciebat itẽ ac certo agnoscebat munus sibi à Patre cõmissum, quod est saluare homines, ideo strenue id ipsum opꝰ aggressus est. Maximã aũt nobis cõsolationẽ adferũt duo hæc uerba, quod Pater Christo omnia dedit & in manus, nempe, iustitiam, remissionem peccatorũ, uitam, salutem, redemptionẽ, iudicium, resurrectionem, regnum, &c. Monemur autem hoc uerbo, ut & nos sciamus & attendamus, quid Deus nobis dederit, quid commiserit uel præceperit. Secundum uerbum sublimitatem Christi ostendens, est:

Quod á Deo exiuit]

Omnes quidem creaturæ à Deo sunt per creationem, Christus autem à Deo exiuit per æternam generationem. Idem igitur est, ac si diceret: Sciens se Filium Dei naturalem esse: nihilominus tamen, se ita humiliauit, &c. Vel, Sciens quòd à Deo exiuit, quodꝙ Filius Dei & Deus esset, ideo fecit quod Deum, quod Filium Dei decebat, nempe compati, misereri, benefacere, lauare, mundare, saluare, &c. Hæc enim Dei propria sunt. Tertium uerbum sublimitatem Christi ostendens, est:

Quod ad Deum uadit]

Hic libet uerba Augustini adscribere: A Deo, inquit, exiuit, sed Deum non reliquit: Ad Deum uadit, sed homines nos non reliquit. Sensus autem est, Ad Deum uadit, id est, certus erat de sua gloria, quantumcunq; abiectus uidebatur: sciebat se concessurum ad Patris
Psal. 109. dexterã, & auditurũ: Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorũ. Interim tamen & amicis, & inimicis se subdidit,

didit. Hoc igitur exemplo nec nos dubitemus, omnibus benefacere, quandoquidē et nobis certa propter hoc gloria ꝓmissa est. Sequitur:

Surgit á cœna, & ponit uestimenta sua, &c.]

Hactenus Euangelista nos ad consyderationem personę Christi direxit. Deinceps opus ipsum describit, & quasi oculis subijcit, nimirum ut faciamus, quod procul dubio fecerunt Apostoli, dum hæc uiderent, nempe, ut diligenter attendamus, miremur singula, & expectemus finem. Vere enim magnum & mirum spectaculum est, à sæculo numquam uisum. Primo enim non consueuerūt Domini prius surgere à mensa, quàm serui. At Christus ipsis recumbentibus surgit, ut uerū appareat illud, quod paulo post dixit; Ego autem in medio uestrū sum, sicut qui ministrat. Itemq; illud: Filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare. Deinde depositione uestimentorum, præcinctione & adportatione aquę ostendit, se plane paratum ministrare, adiuuare, benefacere, id quod summe nos consolari debet. Postremo ipse ministrat, & quidem humilime. Procumbit enim ad genua, incipit lauare: non manus, quod honestius ministerium fuisset, sed pedes, quod abiectissimum, atq; adeo sordidum est officium, ut non nisi indignissimis cōmittatur. Et hæc omnia solus exequitur, solus aquam infundit, solus lauat, solus tergit. Quis hic non exclamet cum Propheta; Consyderaui opera tua, & expaui? Amabo confer tecū, quis fuerit Christus, & quibus lauerit pedes. De dignitate Christi iam audiuimus. Quid autem humilius erat Apostolis? Omnes enim pauperes & contemptibiles. Insuper unus ex eis erat proditor, alter futurus erat abiurator, nihilominus tam amanter eis ministrat. Quid negare nobis poterit, qui in tantum se humiliauit? Reuera enim hic intelligis, quod omnino factus fuerit omnium uirorum nouissimus. Ideo autem pedes potius lauit, quàm manus aut caput: quia in lauandis pedibus, & affectuosior est gestus humilitatis, & propinquior significatio charitatis, qua nos lauit in sanguine suo. Omnia aūt hæc nihil aliud sunt, nisi exempla, immo præcepta, quibus inducimur, ut cum prompto animo inuicem seruiamus. Non dedignatur nec erubescit Dominus cœlorū, quod maxime sibi erubescendum putant, qui de potestate gloriantur, nedum sæculares, sed & etiam Ecclesiastici, quorū uel maxime est Christi humilitatem & mansuetudinem imitari. Primi autem Christiani adeo non erubescebant humile hoc ministerium fratribus impendere, ut etiam cum summa alacritate hoc facerent. An non legimus de magno illo Patriarcha Abraham, quod hospitibus peregrinantibus pedes lauari fecit? Idem fecit Loth, nepos eius ex fratre. In nouo Testamēto hoc opus uel maxime in usu fuit. Vnde Paulus non admittit uiduam, nisi sanctorum pedes lauerit, &c. Nunc autem citius inuenires,

Lucæ. 22. Matth. 20. Abac. 3. Isa. 53. Gen. 18. Gen. 19. 1. Tim. 5.

maxime inter Ecclesię Prælatos, qui proprios pedes in uino lauarent, quàm ut pauperi uel calicem aquæ frigidæ porrigerent. Lauare pedes aliorum, nunc uocatur hypocriticum. Sic enim nunc uel maxime contra bona opera prædicatur, mala nemo arguit. Et ad hoc res deuenit, ut pauci iam curent, siue bonũ siue malum faciant. Impleturq; nunc, quod Augustinus hæreticos quosdam, qui prędestinati nominantur, dicere asseruit: Peccemus, et iam secure faciamus quod uolumus, Christus purgat nos, &c̃. Damnat igitur Christus hoc suo facto superbiam nostram, qua fit, ut etsi homines, etsi mortales simus, dedignamur tamen alijs uel in minimo nos submittere & cedere; tantum abest, ut inimicis cedamus uel benefaciamus. Hæc est superbia cordis humani, quam hoc Christi factum omnino damnat. Erubescat igitur homo de sua superbia, cum uideat Filium Dei in tanta humilitate seruire. Quid igitur superbis terra & cinis? Adhuc ne extento collo ambulas uilis homuntio? Intuere speculum humilitatis. Saluator tuus pronus ministrat, & tu te alijs pręfers? Christus etiam proditori pedes lauat, & tu dedignaris reconciliari fratri? Deinde Christus hoc facto omnem ex Apostolorũ cordibus uoluit euellere arrogantiam, quod uitium illustribus uiris, & magna gratia aut officio præditis, admodum peculiare est: Ideo nedum uerbis, sed etiam facto & exemplo suo, eos ad modestiam & mansuetudinẽ excitare uoluit, idq; iam moriturus, ut altius eis infigeretur. Prętera Christus hac sui deiectione, remedium opposuit contra primũ peccatum hominis, nempe superbiam. Quod enim primus homo superbiendo deliquit, hoc Christus sua humiliatione exoluit. Insuper Christus hoc facto docuit, neminẽ exaltandum, nisi prius humiliatum: neminem subleuandum, nisi prius deiectum. Postremo totum etiam negocium Christi, Ioannes his uerbis adumbrauit. Primo enim reuera Christus surrexit à cœna, id est, de accubitu suo, de sinu Patris, de throno incircumscriptę Maiestatis: Nec ob aliud surrexit, quàm propter miseriam inopum & gemitũ pauperum. Deinde deposuit uestimenta sua, scilicet gloriam, famam, nomen, potentiam, exinaniuit se à claritate, quam habuit prius q̃ mundus fieret: adeo, ut nudus, id est, nostri per omnia similis factus apparuerit. Vnde quemadmodum olim impius Cham, patrem suum denudatum irrisit: sic nedum Iudæi, sed plærique etiam Pseudochristiani, hanc Christi humiliationem irriserunt, ac propterea cõtenderunt, eum non esse Deum de Deo genitum, sed tantum hominem, & ex Maria esse cœpisse. Præterea cinxit se linteo albo, id est, immaculato corpore, incorruptaq; natura humana, quæ quasi linteum album non tantum in se munda fuit, sed etiam nos mundos reddidit, maculasq; absterſit. Vel linteo se pręcinxit, id est, tribulatione passionis & mortis, atq; in hoc charitatem quàm magnifice inchoauit, magnificentius perfecit.

Augustin. super epist. Ioannis.

Eccles. 10.

Psal. 11.

Ioan. 17.

Deinde

Deinde misit aquam in peluim, id est, super credentes effudit Spiritum sanctum, quem sua passione nobis promeruerat, qui Spiritus in Ezechiele dicitur aqua munda: Effundam, inquit, super uos aquam mundam, &c̄. Vel misit aquam in peluim, id est, aperuit nobis sensum, ut intelligeremus scripturas. Olim erat aqua illa in hydria, clausa erat scriptura, signatus erat liber, absc̄dita Dei mysteria, uelata erat facies Moysi: Nunc aũt Christus in peluim misit aquam, id est, quæ in scripturis absconditа erant, reuelauit ad salutẽ credentium. Ab eo igitur tempore cœpit lauare nos: Cœpit, inquam, nam nondum perfecit, quin adhuc quotidie nos lauat, & extergit linteo, id est, merito suę passionis. Hinc igitur non tantũ Christi charitatem, sed etiam nostrã miseriam cognoscere possumus. Magna enim immunditia sit oportet, quam non nisi Filius Dei abstergere potuit, & non nisi morte & sanguine suo. Profunde cecidisse hominem hic apparet, quod Filius Dei in tantũ se humiliare & descendere cernitur. Imitentur hoc exemplum Christi, pastores Ecclesię. Surgãt per uigilantiam parati ad ministrãdum. Abñciãt quicqd impedit à ministrando. Aperiant alĩs scripturę occulta mysteria. Lauent alios, sed ita, ut præcincti sint linteo, ne scilicet alios mundantes, seipsos inquinent. Ezech. 36. Isa. 29.

Venit ergo ad Simonem Petrum]

Sunt qui putent Christum à Iuda incœpisse, & sic ascendendo tandem & ultimo peruenisse ad Petrũ. Hoc tamen alĩ reprobãt, hac ratione permoti, quod etsi Iudas perfricta fronte hoc Christi ministerium sustinuisset, alĩ tamen discipuli non tacuissent. Verisimilius igitur est, quod à Petro incœperit, qui prior inter Apostolos erat: Non uocatione (Nam Andræas ante ipsum sequutus est Christũ) sed electione in Apostolatũ. Illic enim Petrus primo loco ponitur. Congrue autem à maiori incipit lotionem. Vbi enim pastor uel Prælatus, uel in doctrina uel in uita immundus est, facile immunditiam contrahunt etiam subditi: Immo, quomodo talis alios mundabit, cum ipse immundus sit? Si sal infatuatũ fuerit, in quo salientur alia? Nec mysterio caret, quod Euangelista Petrum non tantum nominat eo nomine, quod à Christo accepit: Sed etiam eo, quod antiquitus habuit: *Venit*, inquit, *ad Simonem Petrum*. Immo antiquum nomen præposuit. Petrus enim, ut infra patebit, in seipso & carnis & fidei naturam expressit, ideo etiam diuersis nominibus nominatur. Matth. 10. Matth. 5.

Cæterum in colloquio Christi, ter loquitur Petrus, sed dissimiliter. Primo enim ex ignorantia. Secundo ex pertinacia. Tertio ex fide. Ter itidem respõdet Christus. Primo instruit eius ignorantiam. Secundo arguit & retundit eius pertinaciam. Tertio cõmendat eius fidem. Eodem modo & nos cum Deo loquimur, & ipse nobiscum, &c̄. Cæterum, quod Petrus primum interrogando dicit:

Domine

Domine tu mihi lauas pedes?

Satis apparet, eum expauisse ad tantam Domini dignationem. Nec mirū. Idem enim etiam alij fecissent, si ab ipsis incœpisset, immo quis non stupuret, uidens Dominū maiestatis, tam humiliter hominibus ministrantē? Indiciū pij cordis est, ad opera Dei obstupescere & admirari. Sic Moyses, etsi pergebat uidere, quare rubus non combureretur, audiēs tamen Dominū de rubo, nō ausus fuit appropinquare. Exod. 3. Sic Iacob, cū uidisset in somnijs scalam, &c. euigilans quasi obstupuit ad tantam Dei dignationē: Quam terribilis, inquit, est locus iste. Iam si uerbū hoc Petri expendamus, uidebimus eum uarios habuisse respectus, partim bonos, partim imperfectos. Primo enim excellentē illam Domini dignitatē consyderauit, cū dixit: *Domine tu?* Consyderauit, inquam, q̄ uile ministeriū esset abluere pedes, cum pedes infima membra sint, & adeo uilia, ut non nisi petita uenia nominentur. Indignū igitur putabat, ut hę manus, quę tot miracula in populo fecerant, sibi lauarent pedes, & hoc quidem bonū erat. Deinde è regione consyderauit propriam indignitatem, cum dicit: *Mihi*, & illud etiam bonū erat. Ex his igitur duobus intulit, iustius esse, ut ipse Christo seruiret, q̄ ut Christus sibi, quod & ipsum laudabile est. Fateri enim cogimur, Deū nobis nihil debere, nos aūt illi plurimum: *Domine tu mihi lauas pedes*, tu Dominus maiestatis, mihi uilissimæ creaturæ, immo peccatori? Errabat aūt Petrus in eo, quod putabat inglorium esse Christo, nobis ministrare, quemadmodum & nunc quidam putāt Christo ingloriū & inhonestū esse quod corpus suum nobis manducandum tradit, cum hæc sit summa eius gloria. Hinc enim perfecte elucet eius immensa erga nos dilectio et misericordia. Verū hæc est carnis natura, quod in peccando nulla Dei reuerentia mouetur. In deprecando aūt peccatum reuerens uideri uult, cōfitens se indignioremē esse, quàm ut audeat accedere. Sic Petrus, qui hic admodum reuerens uidetur erga Christum, paulo post nulla eius reuerentia eum negaturus est. Idem & nos facimus. Deinde etiam in hoc errauit Petrus, quod quasi reuerentiam exhibiturus Christo, repellit & abnuit eius ministerium, quemadmodum & in alio loco ob eandem causam, Christū à se repulit, cum dixit: Exi à me Domine, quia homo peccator sum: Immo, si te peccatorem consyderas, oportet ut à te Dominum non repellas. Videtur quidem esse reuerentia, sed prępostera est, & tantū è carnis ęstimatione procedens, quemadmodum plerique ob indignitatē suā se Deū inhonorare putāt, si eū orent, uel Sacramentū percipiāt. At fides aliter sentit, nempe, quod Deum inhonorat ille, qui peccat, non qui ueniam petit, & remedijs utitur à Deo ordinatis. Sic Deum inhonorat, non qui ipsius opus & ministerium sustinet, sed qui resistit & sensum suum proponit uoluntati Luc. 5. Dei. Pium quidem est, indignitatem nostram fateri, immo sic oportet:

tet: pàm etiam est, Dei maiestatem reuereri. Verum pietas hæc in superstitionem uergit, si propter indignitatem nostram, ministerium Christi excludamus. Non est igitur, quod uereamur Deũ accedere, quandoquidem ipse præcipit, ut eum accedamus & inuocemus: Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis. Et iterum: Inuoca me in die tribulationis. Immo summum honorem Deo impendis, si eum fideliter inuocas: Summam autem ignominiam & contemptum ei irrogas, si eum uocantẽ & auxilium pollicentem non accedendo contemnas. Sic summũ honorem Christo impendis, cum eius ministerium in te fers & pateris. Hinc est, quod Maria ociosa sedens ad pedes Iesu, & ministerium Christi, quod prædicando exhibebat, ferens, præ negociosa Martha multo honorificentius cõmendatur. In summa, si salutẽ desideras, oportet ut à te medicũ nõ repellas. Immo eo confidentius accede, quo maior est tua indignitas & infirmitas: sic enim in externa necessitate non attendimus uel nostram indignitatem, uel aliorum dignitatem, dummodo nobis consulatur & auxilium præstetur. Sic famelicus non uereretur etiam honoratissimum quenq; accedere, nimirũ urgente eum famis necessitate, & tu fac similiter. Cæterum in secundo suo uerbo, Petrus adhuc pertinacius loquitur, zelum quidem prætendens, sed non secundum scientiam: Matth. 11. Psal. 49. Lucæ 10. Rom. 9.

Non (inquit) laudabis mihi pedes in æternum]

Vbi iterum uides carnis naturam, quæ semper pertinax est in suo bono, quod uidetur, proposito, ac mordicus suam opinionem bona specie conceptam defensat, siue cantilles siue saltes. Sic Christus pie quidem instruxerat Petrũ, sed frustra. Eandem pertinaciam uides in Dauide, cum ei disuaderetur, ne populum numeraret. Et in Iosia, cum à bello contra regem Ægypti retraheretur. Hinc Sapiens: Est uia, inquit, quę homini uidetur iusta, & nouissima eius ducũt ad mortem. Petrus igitur eorum figuram tenet, quibus tantum placent, quæ ipsis bona uidentur, & quæ bona intentione faciunt. Atqui non satis est, si tibi aliquid bonũ uideatur, nisi & Deo approbetur. Plerunq; enim contingit, ut quod nos bonum putamus, bonũ non sit. Vt cum Saul sacerdotis officiũ immolando usurparet. Item, cum pecora ab Amalechitis rapta, ad sacrificandum reseruaret. Sic non satis est, habere bonam intentionem, sed insuper uidendum est, quid Deus uelit, alioqui & persecutores Christianorũ excusarẽtur: bona enim intentione ipsos persequebantur, putantes se obsequiũ præstare Deo. Interim aũt Christus primo quidem Petrũ arguit ignorantiæ, cũ dicit: 1. Paral. 21. 2. Paral. 35. Proue. 14. 1. Reg. 13. 1. Reg. 15. Ioan. 16.

Quod ego facio, tu nescis modo: scies autem postea]

Quasi diceret, Quid obsistis, cum nescias, qua causa, quoue fine hoc faciam: Non est ociosum quod facio, etiamsi tu non intelligas. Sic aliàs Ioanni eum baptizare formidanti, &c. dixit: Sine modo, Matth. 3.

sic

sic nos decet implere omnem iustitiam. Vere autem nesciebat Petrus, quod Christus tunc faciebat. Putabat enim hoc ministerium solummodo ad aliquam corporis recreationem (ut fieri solet) à Domino cœptum fuisse.

Deinde, nondum plene nouerat huius magistri sui disciplinam, quod scilicet in schola eius ille maior, qui humilior esset, quodq; maxime ipse Dominus omnium in summa humilitatis arce regnaret. Luce 22. Vide & infra dicetur, quod inter Apostolos de primatu contentio fuit, &c. Præterea Petrus ignorabat, quo tenderet hæc sua pertinacia ac præpostera reuerentia, nempe ad iustificationem sui ipsius. Qui enim à Christo lauari non uult, quid aliud prætendit, quàm quod iustus sit, & gratia Dei non opus habeat. Hoc autem Petrus non consyderabat, nempe quod uerba sua eo tẽderent, alioqui non repugnasset. Non tamen statim Christus ei huius lotionis causam Eccles. 3. ostendit: Est enim tempus operandi, est & tempus loquendi. In utroq; autem decet, ut Deo obtemperemus. Cæterum uere dixit:

Scies autem postea]

Statim enim postquam iterum recubuisset, eis hoc mysterium explicauit. Deinde hæc Christi humilitas, adeo Petri animo insedit, ut & ipse postmodum etiam alios ad similia hortaretur: Humiliaui, 1. Pet. 5. inquit, sub potenti manu, &c̃. Docemur autem hoc uerbo, ne temere exigamus rationem operum Dei, sed humiliter obediamus. Quod enim Petro hic dicitur, omnibus nobis dicitur. Vere enim nescimus nec intelligimus, quod Deus iam nobiscum operatur. Lauat quidem nos nunc prosperis, nunc aduersis: uerum nos non intelligimus, scimus autem postea, cum scilicet per spiritum illuminabimur, maxime autem in futuro sæculo. Hęc fuit responsio ad primum Petri uerbum. Cæterũ, ad pertinaciam eius durius respondet:

Si non lauero (inquit) te, non habebis partem mecum]

Quasi diceret, Si tu prę ire contendis, nec mihi te submittere, non po- 2. Cor. 10. tes meus esse discipulus. Schola enim Christi tales exigit auditores, qui & propriam uoluntatẽ resignent, & proprium sensum mortificent: deniq; & omnem intellectum suum captiuent in obsequium Christi. Sic igitur, quem promissione sedare non poterat, comminatione sedat. Magna enim commination est: *Non habebis partem mecum*. Cum Christo enim partem non habere, est cum Diabolo & omnibus impijs partem habere: Immo, sicut nihil melius homini contingere potest, quam partem habere cum Christo, sic certissima damnatio est, cum ipso non participare. Agamus & patiamur, charissimi, quicquid agendum & patiendum nobis imponitur, ne hanc cum Christo partem amittamus. Partem cum Chri-

sto:

sto habere, est & hic communicare ipsius gratiæ, spiritui, & uerbo, & in futuro ipsius gloriæ & regno. Hanc partem Petrus postea Simoni Mago denegabat: Non est, inquit, tibi pars in sermone hoc. Act. 8.

Cæterum, hoc uerbum Christi etiam aliter intelligi potest. Quasi diceret: *Si non lauero te, &c.* quid adeo expauescis hunc humilitatis meæ habitum, talecp̃ ministerium? Non uis ut aqua te lauem, cum necesse sit, ut sanguine meo abluaris? Nisi enim ego altius adhuc præcinctus maiori meo labore & dispendio te lauero, non habebis partem mecum. Vere enim, nisi Christus lauisset electos suos sanguine suo, nec Petrus, nec quiscp̃ hominum, partẽ cum illo habere potuisset. Sic & nunc, quem Christus non mundat, immundus manet, quemadmodum & olim nemo mundabatur, nisi aqua expiationis aspergeretur: Atqui nihil immundum intrabit in regnũ Christi, congrue igitur dicit: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Hoc igitur dicto Christus exponit, quid lotio pedum significet, & quare ante passionem pedes discipulorum lauerit. Docuit enim per hoc, quod officium suum est purgare & abluere peccatorum sordes, id quod fit sanguinis sui aspersione. Igitur hæc lotio pedum, totam passionem Christi significat, qua nobis ministrauit, noscp̃ lauit. Obserua igitur hoc loco, quod sine Christo nemo à peccatis mundatur. Simulcp̃ uide oscitantiam nostrã, qui audimus nos cum Christo partem non habituros, nisi ipse nos lauerit: nec tamen accurrimus, cum ipsum præsentem habeamus. Certe Petrus uerbo & comminatione hac Christi territus, plene se Christo submisit: Num. 19. Apoca. 21.

Domine, inquit, non tantũ pedes meos, sed & manus & caput]

Quasi diceret, Si sic se res habet, age fiat non mea, sed tua uoluntas: nihil obsisto, quo minus me laues, tantum ne à te separer. En offero manus, pedes, caput, totũ corpus laua, terge prout libet, nihil recuso. Prius non intellexeram, ideo ueniam peto, &c̃. Hoc nimirum est, quod Chrysostomus de ipso dicit: Petrus in recusando uehemens, in permittendo uehementior, utruncp̃ ex amore. Atcp̃ hic uidemus naturã fidei, quæ se totam in diuinã resignat uoluntatẽ, ut nobiscum agat utcunc̃ tandem libet: Ipse uiam, ipse exitum inueniat pro sua uoluntate. Sic Dauid: Si dixerit (inquit) mihi, Non places, præsto sum, faciat quod bonum est in oculis eis. Sic Abraham plene se Deo commisit, sequens eum quocunc̃ duceret, &c̃. Hæc autem sui ipsius in diuinam uoluntatem resignatio, cultus est Deo longe gratissimus. Vnde Christus dicit: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & sequatur me. Obserua autem, quod Petrus ultra pedes offert etiam manus & caput lauanda. Non solum enim affectus nostri, sed etiam opera & ipsa denicp̃ intentio, indigent sæpenumero purgatione. Hinc Dauid totum se immundum confitetur: Ecce, in- 2. Reg. 15. Genes. 12. Matth. 16.

Psal.50. quit, in iniquitatibus conceptus sum, &c. Asperge igitur me Isopo, & mundabor, &c. In summa, uerbum hoc Petri indicat, quòd totaliter inquinati sumus in corpore & anima, in affectibus, operibus, intentione, uoluntate, & intellectu. Opus igitur habemus Christo.

Deinde uerbum hoc docet, quid potissimum petamus à Christo, nempe ut totos nos mundet, qui totos nos creauit. Nisi enim primo mundati fuerimus, non possumus esse participes bonorum Christi.

Demum ostendit, quid potissimum Deo offerre debeamus, pro innumeris suis beneficijs, nempe omnimodam resignationem, non temporalium tantum bonorum, sed propriæ uoluntatis

Psal.107. & rationis, ut bis dicere possimus cum Dauide: Paratum cor meum Deus, propter te scilicet abnegare mundum. Iterum: Paratum cor

Gen.12. meum, abnegare scilicet etiam meipsum. Sic Abraham nedum obedi

Gen.22. uit, cum iuberetur relinquere patriam, sed etiam cum iuberetur occidere filium. Verum pauci sunt, qui eum imitantur. Possent quidem inueniri, qui tempo[illegible] accodant, sed rarissimus est, qui propriam uoluntatem iugulet. Cæterum, quanquam Petrus & manus & caput abluenda offert, Christus tamen quod cœperat, tantummodo pedes abluit:

Qui lotus (inquit) est, non indiget, nisi ut pedes lauet]

Quasi diceret, Non opus est Petre, ut manus & caput tibi lauem. In his enim locis satis lotus es. Pedes autem non possunt satis lauari: statim enim iterum inquinantur. Vide autem, quàm aptè Christus à rebus externis ad res spirituales sermonem conuertat: relicta enim ablutione corporalium membrorum, transit ad ablutionem membrorum interiorum ipsius animæ, quæ sunt affectus, qui hic per pedes signantur. Sicut enim in omnibus negocijs, pedibus terram conculcamus, sic sine affectibus, mortalitas nostra non uiuit. Affectus enim in omnibus negocijs se interserunt: adeo, ut si quis eos ablutione & purgatione negaret indigere, plane seipsum falle-

1.Ioan.1. ret: Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Quotidiè igitur pedes nostros lauat, qui sine intermissione in cœlo pro nobis interpellat. Et quòd hæc lotio quotidiana nobis necessaria sit, fatemur ipsi, cum

Matth.6. orando dicimus: Dimitte nobis debita nostra, &c. Cæterum Christus hoc uerbo (*Qui lotus est, &c.*) manifeste ostendit, duplici ablutione nobis opus esse. Vna, qua totum corpus ab innata immundicie: Altera, qua pedes à quotidiano puluere & luto, quod subinde inhæret, abluantur. Vtranq; autem ablutionem, Christus suo sanguine nobis parauit. Et prima quidem fit in Baptismo: Ibi enim totus homo abluitur ab innata immunditia, id est, peccato originali, sed tantum semel. Vnde dicit: *Qui lotus est, non indiget denuo hoc*

modo

modo lauari in Baptismo. Satis enim est, semel baptizatum esse: hoc tantum curandum est, ut pedes subinde lauentur. Hæc autem secunda ablutio fit nõ in Baptisterio (Tauffstein) sed in Podoniptro (Fusbecken) hoc est, in pœnitentia, quæ quotidiana peccata emundat. Est enim secunda tabula, qua qui post Baptismi ablutionem naufragium fecerunt, enatare possunt. De hac ablutione dicit Isaias: Lauamini, mundi estote, &c̃. Hæc autem ablutio pedum, in pœnitentia semper fieri debet. Nam uia, in qua gradimur, polluta est, ut Dauid ait: Et sordes Hierusalem in pedibus eius. Vnde & Paulus: Si quis se emundauerit ab illis, erit uas in honorem, &c̃. Cæterum mouere aliquem posset, quod Christus addit: Isa. 1. 1. Reg. 21. Thren. 1. 2. Tim. 1.

Sed est mundus totus]

Quomodo enim totus mundus est, qui adhuc iubetur pedes lauare? Immo, quomodo totus mundus est, qui baptizatus est, cum scriptura ubiq; asserat, neminem sine peccato esse?

Et quidem uerissimum est, quòd nemo sine peccato est: Nihilominus tamen etiam uerum est, quòd totus mundus est, quisquis per fidem purificatus est. Is enim, quia corpori Christi insitus est, Christi sanctitatem & puritatem per fidem participat & possidet. Hinc Paulus credentibus dicit: Abluti estis, sanctificati estis per nomen Domini Iesu. Et iterum: Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu. Hinc ijdem Christo insiti, dicuntur sancti, propter fidem, nomen, & sanguinem Christi. Interim tamen in seipsis nihil sunt, nisi peccatores, & multum quidem peccatorum habent adhuc, sed nihil damnationis: quia apud Deum mundi reputantur propter fidem in Christum. Hinc Paulus de seipso: Mente quidem, inquit, seruio legi Dei, sed carne legi peccati. Isa. 64. 1. Ioan. 1. 1. Cor. 6. Rom. 8. Rom. 7.

Colligitur igitur ex hoc uerbo Christi, quod Apostoli fuerint baptizati, alioqui non dixisset illis: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet. Colligitur secundo, quod non satis est, esse baptizatum, nisi & subinde pedes lauemus. Colligitur tertio, maiorem esse uim gratiæ, quàm peccati. Vbi enim gratia est, ibi homo iustus & mundus reputatur coram Deo, etiamsi in se adhuc non omnino sine imperfectionibus & peccatis sit.

Colligitur quarto, relapsis post Baptismum necessariam esse pœnitentiam. Colligitur quinto, quòd Præconi Euangelico non sufficit communis illa puritas, quam præstat Baptismus & Euangelicæ fidei professio, nisi pedes, id est, animi affectus, subinde purgentur ab omnibus inquinamentis huius mundi, à quibus tamen uix quisquam purus esse potest, nisi subinde per misericordiam Christi, contagium ex hominum commertio contractum, studeat abluere. Hactenus igitur Christus uerbum hoc: Qui lotus est, &c̃. in genere

dixit. Mox sermonem ad Apostolos in speciali conuertit:

Et uos (inquit) mundi estis, sed non omnes]

Mundi erant Apostoli, quia baptizati erant, & Christo inhærebant, eumq; infatigabili studio sequebantur & amabant: Maxime autem mundi erant ab impietate & auaritia Iudæ proditoris. Iucunde autem sonat, quòd iudex ipse eos mundos pronunciat. Cæterum terribile est, quod addit: *Sed non omnes*, quo uerbo Christus nedum Iudam perstrinxit, sed etiam omnes sub titulo Christiani nominis impie uiuentes. Non enim quicquid auri specie fulget, aurum est. Nam & Iudas externe lotos habebat pedes, & inter Apostolos conuersabatur, sed corpore tantum, non fide: proinde illotis manibus & pedibus, proiectus est in tenebras exteriores. Signanter autem Ioannes addit:

Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum]

Vt sciamus, propter solum Iudam Christum dixisse: Non estis mundi omnes. Hoc autem uerbum, ueræ charitatis & humilitatis nobis exemplum ostendit. Videbat Christus animam impij huius: sciebat cruenta consilia eius, honorauit tamen eum ut alios: adeo, ut etiam pedes illius lauaret. Hic disce inimicos diligere, & odientibus benefacere. Atque hæc mirabilis perfectaq; clementia diuinæ naturæ propria est. Non enim ideo statim punit, quia nouit peccata: sed clementer ferens, multis reuocat modis, plærunq; etiam proditoribus suis benefaciens, ut uerum appareat illud Propheticum: Nolo mortem peccatorum, &c. Deinde hoc uerbo ostenditur magnitudo peccati ipsius Iudæ, quod nec Christus abluere potuit, nimirum impio illo reluctante. Miramur quorundam impiorum peccata, atq; hinc eorum grauitatem & perniciem perpendimus, quod nec Prophetæ ea sanare potuerunt, quantumuis medicamentorum apponerent, quemadmodum unus eorum dicit: Curauimus Babylonem, & non est sanata. Quantum igitur fuit peccatum Iudæ, quod tanta remedia à summo medico Christo accepit, nec tamen sanatum est?

Ezech. 18.

Hier. 51.

Postquam ergo lauisset pedes eorum]

Hic Christus præstat, quod Petro promiserat, cum eius pedes lauaret: Scies, inquit, postea, quid scilicet hæc lotio pedum significet. Hoc nunc ostendit: Sic enim quodlibet suo tempore agendum. Primo fiat opus ipsum in se, deinde sequatur prædicatio & interpretatio, quid sibi uelit opus ipsum. Non autem statim Christus significationem huius lotionis aperuit, ut discipuli causam ignorantes, eo diligentius attenderent, eoq; magis admirarentur: Nunc aũt sublatis linteo & pelui, iterum recumbit, & ad prædicandum se accingit. Et

primo

primo interrogatione ipsos attentos facit. Cum enim interrogamur, quod nescimus, solemus quasi manu pulsante excitari, ut attentius audiamus. Sic Christus hic facit.

Scitis (inquit) quid fecerim uobis?]

Immo nequaquam sciebant. Non quidem ignorabant pedes sibi ablutos, sed ad quid & quare, plane nesciebant. Hic igitur doctore opus habebant. Generaliter autem omnibus nobis dici putemus: Scitis quid fecerim uobis? Per hoc enim excitari debemus ad meditandum, quæ à Domino accepimus. Vnde & Paulus dicit, Nos spiritum Dei accepisse, ut sciamus, quæ à Deo donata nobis sint. Dicit igitur Christus cuilibet fidelium: Scitis quid fecerim uobis? in creatione, in redemptione, in singulorum uocatione? &c. Hæc est summa illa scientia, quæ sola non inflat, sed Deo nos commendat. Est etiam summe necessaria, quia aliæ scientiæ sine periculo nesciuntur: hæc autem non. Qui enim ignorat, ignorabitur. Verum ad uerba Christi reuertamur. Antequam igitur exprimat, quid sibi uelit lotio pedum, præmittit suam dignitatem & gloriam, ut fortius moueantur ad imitationem eius, nimirum ex altera parte uidentes eius dignitatem: Ex altera autem propriam confusionem, si eum non imitentur. Sic enim insignium personarum opera, plus excitant ad imitationem, immo etiam ruborem suffundunt humilioribus, si ea non imitentur: 1. Cor. 2. 1. Cor. 14.

Vos (inquit) uocatis me magistrum & Dominum]

Poterat quidem Christus maiora de sua dignitate dicere, contentus tamen fuit his titulis, quibus eum Apostoli appellabant, nec etiam opus fuit maiora commemorare. Nam si discipulo dedecus est, imitari magistrum, qui tantum homo est, quanto turpius erit Christiano, si superbiat, cum uideat Deum humiliatum? Signanter autem dicit: *Vos me uocatis magistrum & Dominum.* Nam & Pharisæi sæpius eum uocauerunt magistrum, uerum ore tantum, non corde. Item tantum magistrum eum appellabant aliqui, non Dominum: nec enim animus eorum erat ipsi obedire. Aliqui tamen etiam Dominum eum uocauerunt, sed audierunt: Quousq; dicitis mihi, Domine Domine, & non facitis quæ dico? Non parua igitur laus Apostolorum est, quod ipsis dicitur: *Vos uocatis me magistrum & Dominum*, quandoquidem Paulus ait: Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Apostoli aũt Christum magistrum appellabant, quia discere cupiebant: Dominum autem, quia obedire parati erant. Ideo audiunt: Bene dicitis. Sic Deum hi soli recte nominant Patrem, qui eum amant & reuerentur: Et soli recte eum Dominum uocant, qui eum timent, Iuxta illud: Si ego Pater Matth. 22. Lucæ 10. Lucæ 6. 1. Cor. 12. Malach. 1.

uester, ubi est amor meus? Si ego Dominus uester, ubi est timor meus? Ne quis autem putet, Christum hos duos titulos, Magistri scilicet & Domini, tantum ab hominibus, & non ex natura habere, subdit:

Et benedicitis. Sum etenim]

Alij enim nominantur quidem magistri & domini ab hominibus, cum tamen & ipsi plæraq; nesciant, & in multis deficiant: Christus autem uere est & magister & Dominus. Hos enim titulos non habet ex hominibus, sed ex natura. Est enim uere Dominus uniuersorum, omnium habens dominium, cui & merito omnia famulantur. Est & uere magister, non externe tantum docens, sed etiam interne illuminans, quia est sapientia Patris. Quemadmodum enim, cum ipse sit uita, omnia uitæ susceptibilia uiuificat: sic cum ipse sit sapientia Patris, sapientiam cunctis eam suscipere uolentibus immittit. Hoc nemo hominum aut Angelorum potest, ideo merito dicitur: Magister uester unus est Christus. Vide autem, quàm pulchre argumentetur: Matth. 23.

Si ego (inquit) laui pedes uestros Dominus & magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes]

Sensus est: Si ego Dominus sum, consequitur uos esse seruos. Vnde ulterius sequeretur, quod non ego uobis, sed uos mihi pedes lauare debebatis. Hunc morem ego non sine causa inuerti: humilitatem & charitatem per hoc docere uolui. Ea enim cum uerbis inculcari non possint, tam efficaciter uolui ipso exemplo meo persuadere. Si igitur ego non dedignatus sum, in tam uili officio ministrare, nec uos dedignemini idem etiam alijs exhibere. Magna siquidem inter me & uos est differentia. Nam ego Deus sum, uos homines estis. Parua autem inter uos & alios homines differentia est, immo titulotenus tantum differtis. Nomen enim alius domini, alius serui habet, cum in natura sint æquales & æquè miseri. Ideo ego tanto maior, hoc uobis exemplum exhibui, ne uos inter pares pigeat imitari, quod ego magister & Dominus discipulis & seruis feci, pudeatq; fratrem in fratrem, & conseruum in conseruum Tyrannicum sumere animum: quum ipse, qui mihi merito huius dignitatis fastigium possem uendicare, memet usq; ad lauandos pedes uestros deiecerim. Vide autem, quàm modeste Christus hæc dicat. Potuisset, sicut in antecedenti suas conditiones adduxerat, nempe: Ego Dominus & magister, sic & in sequenti ipsorum conditiones ponere: Vos homines serui & peccatores. Verum contentus est dicere:

Et

Etuos quoq; debetis, &c̄. Nos per hoc docens, ut ſic magna (ubi res exigit) de nobis loquamur, ne alijs quicquam derogemus, neq; in ſuperbiam contra alios erigamur, etiamſi maiores ipſis ſumus.

Habes igitur, quid Chriſtus ab Apoſtolis exigat, immo ab omnibus, qui eum magiſtrum & Dominum confitentur, nempe, ut alter alteri pedes lauet. Nec quiſquam hic excipitur, cuiuſcunq; ſtatus aut conditionis ſit. Non tamen hoc de ſola corporalium pedum ablutione intelligi oportet, quaſi ea omnibus modis ſit neceſſaria. Huiuſmodi enim pedes etiam lauare poſſunt, qui nullatenus Chriſtum imitantur, ſed ſuperbiſſime alijs dominantur.

Pedes igitur lauare, ſi ad Apoſtolos referamus, nihil aliud eſt, quàm officium ſuum ita exercere, ut ſciant & reipſa oſtendant, ſe non aliorum dominos, ſed ſeruos & miniſtros eſſe, officiumq; ſuum non faſtu aut ſupercilio, ſed beneficijs, ſollicitudine & labore oſtendant, authoritatemq; ſuam non uiolentia, ſed modeſtia & benefactis tueantur. Sic docet Chriſtus: Qui maior eſt ueſtrum, ſit ueſter miniſter. Matth. 20.

Si autem uerbum Chriſti, ad omnes Chriſtianos in communi referamus, tunc pedes lauare nihil aliud eſt, quàm alijs ſe poſtponere, alijs miniſtrare: Vel, ut Paulus ait, aliorum onera portare, & alijs potius, quàm ſibijpſi placere. Gal. 6.

Damnat igitur hoc uerbum omnem ambitionem noſtram, quæ tamen mirabiliter magna in nobis eſt. Congrue autem Chriſtus, antequam charitatem & pacem doceat, prius ex ſuorum animis ambitionem & gloriæ ſitim extirpare molitur. Vbi enim ambitio eſt, ibi ne inter fratres quidem conuenit: Inter ſuperbos enim ſemper ſunt iurgia. Immo, nihil aliud adeo Chriſtianam unitatem ſcindit ut ambitio, quod nullus alteri cedere uult. Signanter autem Chriſtus dicit: *Et uos debetis, &c.* ut ſciamus eſſe præceptum, non conſilium, quod prætermitti poſsit, ac magnam nobis immittere pœnam, niſi paruerimus. Vnde & Chriſtus ſubdit: Prouer. 13.

Exemplum enim dedi uobis, &c.

Vere inſigne exemplum, omni diligentia attendendum: Chriſtus nedum hominum, ſed etiam omnium Angelorum Dominus, cui Pater omnia contradidit, qui omnem poteſtatem habet in cœlo & in terra, qui denicq; cum Deo Patre unum eſt, ita tamen ſe humiliauit, etiam uſq; ad pedes hominum piſcatorum. Quis ſimile unquam audiuit de regibus & principibus huius mundi? Tanti nos æſtimauit Filius Dei. Et nos igitur ſimilia faciamus: Humiliemus nos erga inuicem: Diligamus alterutrum. Quod ſi hoc exemplum Chriſti nos non mouet, nullum mouebit. Matth. 11. Matth. 28. Ioan. 14.

Obſtinatos & induratos, immo & excæcatos & deſperatos eſſe oportet quotquot ſunt, qui ad hoc exemplum Chriſti non molleſcunt. Confundatur hic faſtus tuus ſuperbe homo, qui præ ſuperbia

neſcis, quomodo ſtare aut incedere, quomodo item te ueſtire & oſtentare debeas. An non uides hic Chriſtũ præcinctum, cum pelui & aqua circuire & miniſtrare? Et quis tu es ad illum? Erubeſce miſer homo. *Exemplum, inquit, dedi uobis:* Vobis, inquam, nempe Chriſtianis: Nobis hæc ſcripta & facta ſunt, non Turcis. Vnde igitur tanta ſuperbia, tantus faſtus, tanta pompa, nedum inter Laicos Chriſtianos, ſed etiam inter Epiſcopos, Apoſtolorum ſucceſſores? Hoccine eſt Chriſtum imitari? Quod Chriſtus omnibus modis præuenire uoluit, nempe ambitionem, ſuperbiam, pompam, maxime in Eccleſiæ Prælatis, hoc nunc in ſummum excreuit, cum maximo detrimento & ſcandalo totius Eccleſiæ, &c̃. Attendamus igitur uerbum, quod hic dicit Chriſtus: Exemplum dedi uobis, &c̃. Videmus igitur in hoc uerbo, quod Chriſtus duobus modis aſpiciendus eſt. Primo ut miniſter noſter & donum, quo à Deo donati ſumus. Nam & Filium nedum pro nobis, ſed etiam nobis dedit. Deinde etiam
1. Pet. 2. aſpiciendus eſt ut exemplum. Hinc Petrus: Chriſtus paſſus eſt, uo-
Matth. 11. bis relinquens exemplum. Et Chriſtus ipſe: Diſcite à me, quia mitis ſum. Sic etiam omnia Chriſti opera & paſsiones primo ſunt miniſteria, quibus nobis miniſtrauit, immo ſunt dona, quæ nobis dedit. Nam quicquid egit & paſſus eſt, pro nobis egit & paſſus eſt, ſicq; nobis miniſtrauit, immo omnia ſua opera & merita, nobis dedit & dat per fidem. Deinde autem ea ipſa, quæ fecit & paſſus eſt, etiam ſunt exempla, quibus conformari debemus, ſicut hic expreſſe audis. Monoculi igitur ſunt, qui Chriſtum uel tantũ ut donum, uel tantum ut exemplum attendunt, cum utroq; modo aſpici uelit, &c̃.

Cæterum, quod addit:

Quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis.

Intelligendum eſt ſecundum poſsibilitatem noſtram. Nemo enim eſt, qui omnibus modis facere poſsit, quemadmodum Chriſtus fecit: Nec hoc Chriſtus à nobis exigit. Sic enim & magiſtri pueris pulcherrimas literas pingunt, ut quiſq; eorum, quantum poteſt, manum magiſtri imitetur. Non autem exigit, ut omni modo ſimiles pingant, hoc enim ſcit pueris impoſsibile eſſe.

Poteſt tamen hoc uerbum: *Quemadmodum ego feci*, ſpecialiter ad ea referri, quæ Chriſtum circa lotionẽ pedum feciſſe audiuimus. In his enim, ſi diligenter attendantur, pulchre expreſſum eſt officium Apoſtolorum. Primo igitur exemplo Chriſti, ſurgere debent à cœna Moyſi ad cœnam Chriſti, à ſcientia ad opus, à cibo ad laborem, à litera ad ſpiritum. Secundo ponant ueſtimenta ſua, abiiciant quicquid impedit ad uirtutem, ut ſtrenue, non ocioſe laborent. Tertio præcingant ſe linteo albo, id eſt, munditia uitæ.
Lucæ 12. iuxta illud: Sint lumbi ueſtri præcincti.

Quarto

Quarto præcingant se, ne cum alios mundant, ipsi se maculent. Quinto mittant aquam ex hydria in peluim, eruant & effundant aquam sapientiæ salutaris è cortice scripturæ. Sexto lauent instanter, maxime autem pedes, corrigant in primis corda & affectus. Septimo extergant linteo, id est, ædificent eos propria sanctitate & munditia, & quod uerbis nõ possunt, operibus & uita exemplari perficiant. Omnibus his perfectis, ad solitam quietem redeant, ac suæ etiam saluti consulant, ne cum alijs prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur. Eodem modo etiam alij agant Christiani circa se & sibi commissos. Vt autem Christus hoc exemplum suum fortius persuadeat, utitur etiam alio argumento: 1. Cor. 9.

Non est (inquit) seruus maior domino suo, &c.]

Quasi diceret, Non est, quod hoc exemplum meum erubescatis imitari. Quid enim aliud estis, quàm Apostoli & serui mei, quorum ego Dominus & magister sum? Supra me non estis, immo etiam si in posterum uel uos uel successores uestri, ad quascunq; dignitates perueneritis, non tamen maiores eritis, aut plura scietis, poteritisq; quàm ego. Ideo non est, quod uos serui erubescatis de humilitate & charitate exhibenda, de quibus ego Dominus uester non erubui. Hoc igitur uerbo Christus omnem superbiam & ambitionem Ecclesiasticorum reprimit. Da enim siue Papas, siue Episcopos, siue Cardinales, siue Doctores, &c. quid aliud sunt, quàm serui? Si autem serui sunt, quemadmodum omnes libenter fatentur, id agere deberent, ne supra suum Dominum ascenderent. Quomodo autem hoc fiat, ipsi consyderent, &c. Non enim est hic locus, hanc camarinam mouere: Sua ipsis conscientia declarabit, in quibus Christo dissimiles sint, immo in quibus supra Christum esse conentur, &c. Cæterum, Christus hanc sententiam: *Non est seruus maior Domino, &c.* crebro inculcat. Hoc tamen loco, cum magno pondere uerborum repetit: Lucæ 6. Matth. 10.

Amen (inquit) dico uobis, &c.]

Ipsa quidem res omnibus nota est, seruum scilicet non esse maiorem domino suo. Insuper & omnis sermo Christi etiam sine iuramento prolatus, cœlo ac terra stabilior est, sicut ipse testatur: Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt, tamen hic etiam iuramentum addidit. Primo, ut fortius imprimeret. Deinde, ut ostenderet, scitu quidem facile, at difficile creditu, difficillimum autem obseruatu esse, seruum non maiorem esse debere domino suo. In externis quidem nemo est, qui se domino suo præferre audeat, aut melius habere contendat, quàm dominus suus habet: At in spiritualibus rebus longe aliud uidemus. Lucæ 21.

Nemo

Nemo non meliori fortuna uti uult & cupit, quam Christus usus
Phil. 2. est: Christus cum in forma Dei esset, seipsum humiliauit, nos mi-
Matth. 20. seri humilitatem refugimus: Christus nobis ministrauit seruis, nos
dedignamur cuiquam seruire aut ministrare: Christus etiam inimi-
cis benefecit, nos nec fratribus: Christus obediuit, laborauit, &c.
Heb. 1. nos ocium quærimus: Christus, quamuis sit splendor gloriæ Pa-
tris, patienter tamen sustinuit opprobria hominum, nos longe aliter
affecti sumus: Christus iudex omnium, se iudicare permisit, nos de-
Lucæ 24. dignamur à quoquam iudicari aut argui: Christus per crucem &
mortem ad gloriam suam intrauit, nos conamur per luxum & la-
sciuiam illuc penetrare. Quid igitur aliud facimus, quàm quòd
Domino nos præferimus, ac meliora cupimus, quàm ipse habuit?
Non igitur sine causa toties & tantopere uerbum hoc nobis inculcat. Vult igitur, ut agnoscamus nos esse seruos. Deinde, ut consyderemus, quid ipse fecerit & passus sit. Hæc qui diligenter attendit, promptissimus fiet ad omne bonum, & patientissimus ad omne malum. Vnde & Christus subdit:

Si hæc scitis, beati estis, cum feceritis ea]

Vide quàm ualide urgeat opus, quasi sine eo nihil ualeat quodcunq; scire. Ne enim discipuli dicerent, Iamdudum scimus, nos humiliari debere, quid igitur de nouo hoc doces, quasi non prius sciamus? Recte inquit Christus, Si scitis hæc, tanto melius est. Verum ad hoc scire requiritur etiam opus: Neminem beatum dico propter scire, sed propter operari. Si scientes beati esse cupitis, facite quod scitis. Opus ipsum uidistis in me, itidem & ego in uobis uidere cupio. Ex hoc uerbo Christi uides, non sine causa nos in Ecclesia iuxta fidem etiam docere & prædicare bona opera contra osores operum. Quid enim aliud facere possumus, quàm quod Christus ipse fecit? Nemo Christianus nos damnare poterit, cum uerbis Christi manentes. Et tu igitur quisquis es, permane cum certo uerbo Dei, nec quicquam te ab eo dimouere patiaris. Lege Matthæi 5. Lucæ 6. Romanorum 12. Ephesios 4. & 5. Iacobi 1. &c. & uidebis manifestissime Christum & Apostolos bona opera docentes. Quid igitur nobis de uana gloriatione Pseudoeuangelicorum, quod in Euangelio multa didicerint, & omnes scripturas nouerint, cum nec minimum opere compleant? Scito igitur Christianorum perfectionem non in scire, sed in operari consistere. Non auditor, inquit, obli-
Iac. 1. uiosus, sed factor operis, beatus in facto suo erit. Et iterum: Scienti
Iac. 4. bonum & non facienti, peccatum est illi. Et Christus: Qui audit uer-
Matth. 5. ba mea & facit ea, comparabitur uiro sapienti, &c. Et Dauid: Iusti-
Psalm. 102. tia illius in filios filiorum his, qui seruant Testamentum eius, & memores sunt mandatorum illius ad faciendum ea.

Cæterum,

Cæterum, sicut Christus supra exceperat & segregauerat immundum Iudam à mundis: Estis, inquit, mundi, sed non omnes: sic hoc loco ipsum eximit & separat à beatis:

Non (inquit) de omnibus uobis loquor]

Quasi diceret, Dixi beatos futuros uos, si me imitati fueritis. Verum non omnes in hac beatitudine locum habetis: Est unus inter uos, qui expers est huius sermonis. Is enim adeo non ministrabit conseruis, ut etiam in me Dominum suum crudelis futurus sit, non erit minister, sed fur: nõ imitator, sed insidiator: non Apostolus, sed Diabolus. Vere miserrimus Iudas, qui nec hic inter mundos, nec illic inter beatos locũ habet. Hoc itaq; uerbo iterũ cum pungit Christus, si forte corrigatur. In generali aũt loquitur, nec exprimit, quis ille sit, ut omnes terreantur. Nam & ipsi eo tempore contendebant de primatu, ut infra dicetur. Sed quid sibi uult, quod Christus addit:

Ego scio quos elegerim]

Respondeo. Ideo hoc addidit, ne quis putaret errore factum, quòd Iudam talem hominem in numerum Apostolorũ receperat. Dupliciter aũt eligit Deus. Primo ad præsentem: Secundo ad finalem gratiam. Primo modo etiã Iudas electus fuit, ad Apostolatũ scilicet, sed nõ secundo modo: Non enim electus fuit ad beatitudinem. Si quæris causam, cur non & ad beatitudinẽ ipsum elegerit? Respondeo cum Paulo: O homo quis tu es, qui respõdeas Deo? Satis nobis sit scire, quòd Deus iustus est, & omnia sapienter disponit. Sed dicet quis, Cur Christus igitur impium hunc, quem talem esse sciuit, tam diu passus est inter discipulos morari? Respondet Christus. Rom. 9.

Vt impleatur scriptura: Qui edit mecum panem meum, sustulit aduersum me calcaneum suum]

Quasi diceret, Ideo sustineo in multa patientia hoc uas iræ, aptum ad interitũ, ut quod ab initio de me fuit dispositum, nunc fiat nullo interueniente nouo consilio, sed ordine certo, & antiquitus præscito & præfinito. Hoc tamen non sic intelligendũ est, quasi Iudas coactus sit, Christũ prodere, ne scriptura falsa inueniretur: alioqui non uituperandus, sed laudandus esset, immo ipsius peccatum in Deum recideret. Sed quia ipse sua sponte hoc facturus erat, idcirco præsciens Spiritus sanctus, hoc futurum prædixit. Locus autem hic citatus, ex Psalmo quadragesimo desumptus est. Quod autem dicit: *Sustulit aduersum me calcaneum*, Prouerbialis locutio est. Sic enim loquimur, cum aliquem insigniter contemptum esse monstrare uolumus, quemadmodum & nos Germanicè dicimus: Er wolt gern mit füssen vber in gehen. Item: Er helt in wie ein fußtuch. Psal. 40.

Est igitur sensus uerbi: Qui mihi amicissimus erat, qui diu-

turnum

turnum contubernium mecum habuit, qui mecum ambulabat, stabat, comedebat, bibebat, uigilabat, dormiebat, tanquam amicissimus, cui merito fidendum uidebatur, quem denique maximis beneficijs affeceram, is mihi hanc gratiam retulit, quod maximus mihi factus est aduersarius, nec hoc contentus, omnibus modis me supplantare conatur. Congrue autem hoc uerbum in Iudam competit. Vere enim Christum supplantare conatus: adeo, ut etiam omnis memoria eius periret. Christus tamen hoc peccatum Iudæ mitius exprimit, quàm Psalmista. Illic enim non simpliciter dicitur: Leuabit calcaneum, sed: Magnificat aduersum me supplantationem, hoc est, magnifice supplantauit. Vere enim magnifica supplantatio fuit, ubi emptorem, immo redemptorem omnium, hic unus peruerse supergressus uendere præsumpsit: Nimis certe alte leuauit calcaneum suum, non ut Christum emeret, sed ut eum uenderet. Voluit autem Christus non solum occidi, sed etiam prius uendi: Quia uidelicet homo, pro cuius salute uenerat moriturus, non solum propter transgressionem mortuus, sed in ipsa transgressione fuerat etiam uenundatus. Non enim nulla spe persuasi sunt primi homines, ut mandatum transgrederentur: Sed aperientur, inquit, oculi uestri, & eritis sicut dij. Sic igitur quamuis mendaciter in transgressionis precium dignitatis spes proposita est. Vnde & Propheta clamat: Gratis uenundati estis, & sine argento redimemini. Igitur hic ordo salutis nostræ necessarius erat, ut pro mortuis & uenundatis saluator moreretur & uenderetur. Cæterum, quod Iudas impie ægit in Christum, hoc hæretici & sectarij etiamnum agunt in Ecclesiam matrem. Ipsius enim uberibus enutriti, panibusq; eius saginati, nunc eam pedibus conculcant, ut merito ipsa dicere possit: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Non tamen mirandum est, Ecclesiam hoc pati à Pseudofilijs, quod Christus passus est à Pseudodiscipulo. Non parum tamen etiam nos uerbum illud è Psalmo adductum terret. Primo, quia ostendit grauitatem peccatorum nostrorum, quæ nos leuia putamus. Quis enim non abominetur eum, qui Christum pedibus conculcaret? Quis sibi non timeret, qui tantum contemptum & ignominiam ingessisset Filio Dei? Atqui Psalmista ait, quod peccare in Christum, est ipsum pedibus conculcare. Sic & Paulus asserit, quosdam esse, qui Filium Dei pedibus conculcent, quibus & ob id magnum iudicium Dei imminere affirmat.

Gen. 3.

Isa. 52.

Isa. 1.

Heb. 10.

Secundo etiam hac ratione nos terret hoc uerbum Psalmi, quod nos iam sumus, qui Christi panem manducamus in uerbo & in Sacramento, & in his, quæ Christo oblata sunt, ut sunt bona Ecclesiæ. Videamus ne & nos panibus Christi uescentes, ipsum pedibus conculcemus: Maxime, cum iam inde ab exordio maximos semper Dei hostes fuisse compertum sit eos, qui maxime uidebantur eius amici.

Sic

Sic Sathan creaturarum optimus, factus est maximus Dei aduersarius. Sic Israëlitæ populus Dei electus erant, plus tamen Idololatriæ commiserunt, quàm Gentiles. Vnde de ipsis dicitur: Saturaui eos, et mœchati sunt. Et iterum: Incrassatus est dilectus, et recalcitrauit: Dereliquit Deum factorem suum, &c. Sic Pharisæi & sacerdotes, qui suo etiam officio Christum adumbrabant, ipsum uel primi ad crucem adegerunt. Sic Iudas ex Apostolis non postremus, leuauit calcaneum suum contra Christum. Sic & nunc à Christianis maxime conculcatur, & ab his, qui de panibus eius potissimum uiuunt. Hinc in Psalmo: Super omnes, inquit, inimicos meos factus sum approbrium uicinis meis ualde. Christum autem conculcant, quotquot nomine Christi & Euangelij, contra Euangeliũ pugnant. Et honesta specie scripturarum, scripturas deprauant, & ad suos affectus detorquent, maxime autem, qui Christum blasphemant, &c. Docemur igitur hoc uerbo, ne iniuriantibus irascamur, quin potius benefaciamus, quemadmodum Christus hic proditoris mentionem faciens, nedum non irascitur aut maledicit ipsi, sed insuper ei benefacit, eumq; reuocat. Ideo autem Christus hæc prædixit, ne discipuli terrerentur, cum ea uiderent fieri. Deinde: Hiere. 5. Deut. 32. Psal. 30.

Amodo, inquit, dixi uobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.]

Id est, ut ex impletione illius uerbi, sciatis me etiam in omnibus alijs uerbis meis esse ueracem. Sic postea etiam discipulis alijs prædixit, quid ipsis euenturum esset. Nec parum ipsos postea in fide confortauit, quod Christus omnia, quæ patiebantur, prædixerat. Item, Ideo hæc prædixi uobis, ut credatis, quod scilicet ego sum, qui occulta cordis uideo. Vel, ut credatis, quod ego sum & permaneo, etiamsi ad tempus mori uidear. Item, ut credatis, quod ego sum egenus ille & pauper, super quem qui intelligit beatus erit, sicut in eodem Psalmo dicitur. Item, quod ego ipse sum, qui ibidem dico: Nunquid qui dormit, non adijciet ut resurgat. Itemq; Tu Domine miserere, & resuscita me & retribuam eis. In fine addit Christus: Ioan. 16. Psal. 40.

Amen dico uobis, Qui accipit si quem misero, me accipit, etc.]

Quo uerbo primo proditorem ad officium reuocat, allicitq; eum, ne hoc à se reijciat. Deinde etiam terret eum, ostendens, quod non tantum in se, sed etiam in Deum Patrem peccet. Vel aliter: Supra consolatus est discipulos fore, ut patienter ferant aduersa, si cogitent, quid ipse passus sit, & quod seruus non sit aut esse debeat maior Domino suo. Nunc aliter ipsos consolatur. Nempe, quod non tantum persecutores, sed etiam amicos in mundo inuenturi sint, qui ipsis humanitatẽ ostensuri sint. Quasi diceret, Hæc erit beatitudo nostra in hoc mundo: Ecce mitto ante uos uocem præconiam toti

mundo audiendum, ut qui me ſuſcipiunt, tunc uere me ſuſcepiſſe confidant, ſi uos ſuſceperint tanquam meipſum. Et ne parum putetis in me ſuſcipiendo eſſe præmij, pro eo quod ſum modo mundo deſpectus: Ecce etiam hoc dico, qui me ſuſcipit, ſuſcipit & Patrem. Hoc audientes filij Dei, qui in mundo diſperſi ſunt, ſummo honore & beneficijs uos proſequentur. Sic igitur etiam Apoſtolis, antequam eos emitteret, prouidit de cibo & hoſpitio, ac magnis promiſſis homines incitauit ad eorum ſuſceptionem, quemadmodum & in
Gene. 1. prima creatione etiam antequam hominem crearet, omnia eidem neceſſaria præparauit, locum ſcilicet & uictum & lucem, &c.

Pulchra autem & conſolatoria gradatio eſt, à diſcipulis ad Chriſtum, à Chriſto autem ad Patrem, quo nemo altius aſcendere poteſt. Loquitur autem Chriſtus hic ſecundum humanitatem ſuam, ne quis Arrianus hinc colligere uelit, Chriſtum minorem eſſe Patre ſecundum diuinitatem. Cæterum eandem gradationem in ſuſcipiendis Apoſtolis, habes etiam Matthæi 10. & Lucæ 9. Multo autem excellentius hoc eſt, quàm quod de Abraham & Loth dicitur, qui pro hominibus Angelos ſuſceperunt, Gene. 18. & 19. Heb. 13. Hæc autem ſuſceptio Apoſtolorum, non tantum beneficio hoſpitalitatis & humanitatis officio completur, ſed maxime in ſuſceptione Euangelicæ prædicationis. In quem modum etiam illud intelligitur, quod alibi
Ioan. 1. dicitur: In propria uenit, & ſui eum non receperunt. His itaq; uerbis Chriſtus Apoſtolos conſolatus eſt, ut certi eſſent authoritatem ipſorum magnam apud homines futuram, quantumuis Iudas malus eſſet. Interim etiam ſubindicauit, quibus gradibus ad Deum conſcendatur. Ad Patrem ſiquidem non peruenitur, niſi per Chriſtum:
Ioan. 14. Ipſe enim eſt uia. Ad Chriſtum autem non peruenitur, niſi ſuſcipiamus Apoſtolos, hoc eſt, uerbum eorum. Ab auditu igitur uerbi inci-
Roma. 10. piendum: Qui hoc ſuſcipit, Chriſtum ſuſcipit; Qui Chriſtum habet, Patrem habet: Qui Patrem habet, omnia bona habet. Poteſt autem locus hic, etiam intelligi de pauperibus, quos nobis à Deo miſſos credamus, cum obuij nobis fiunt, cum eos clamantes audimus, cum eorum neceſsitatem uidemus: Qui tales ſuſcipit, Chriſtum
Matth. 25. & Deum ſuſcipit, audietq; in iudicio: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Vides igitur, quanta promiſſa ſint, Apoſtolos aliosq; pauperes ſuſcipientibus. Huc pertinet, quod in Matthæo di-
Matth. 10. citur: Qui potum dederit uni ex minimis iſtis, &c. non perdet mercedem ſuam. Excitat igitur Chriſtus nos hoc uerbo, ut diligenter audiamus Apoſtolorum uerba, & ut ſubueniamus pauperibus.

Cum hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu.

Subinde propius accedit paſsio Chriſti. Prius ipſius Iudæ peſsima cauſa proponitur. Nec quiſquã miretur, propter impium illum

nequam,

nequam, tot uerba facta esse. Digna enim erat ipsius nequitia, quæ multis uerbis ostenderetur, ad commonitionem & cautelam omnium aliorum. De peccato igitur proditoris loquutus, primo turbatur spiritu, hoc est, interne, quemadmodum & alibi: Nunc anima mea turbata est. Dictio enim illa (Spiritus) hic accipitur, sicut cū dicitur: Infremuit spiritu, quod & ipsum non de Spiritu sancto, sed de interno homine intelligitur. Certum est enim, quod Christus naturales illas affectiones in se recepit & ostendit, sed tamen sine uitio. Atq; hinc etiam declaratur uera Christi humanitas contra Valentinianos, quemadmodū & alibi, cum dicitur eum uel fleuisse, uel fatigatum fuisse. Sicut igitur Christus in suscitatione Lazari, seipsum turbauerat & infremuerat aduersus potentiam ac Tyrannidem peccati & mortis, qua omnes homines presi erant: Sic hic turbatur propter excæcationem & obstinationem Iudæ, qui iam toties admonitus, immo tantis beneficijs affectus, etiamnum perseuerabat in mala sua uoluntate. Turbatio igitur hæc, nihil aliud erat, nisi odium peccati in Iuda, id quod facile deprehendet, qui perpenderit Christi desiderium & studium seruandi Iudæ, immo totius populi Iudaici, cuius ille figuram & typum gerebat. Iure autem moleste ferebat Iudæ scelus, ut qui una cum alijs discipulis multis affectus honoribus, paruo argenti pondere illectus, amorem Christi repulit, non gloriam illius, non societatis leges, non pietatem ut Deo illi debitam, non denicq; tantorum & tot miraculorum eius recordatus, sed detestabilem solummodo, paruamq; Iudæorum pecuniolam respiciens, qua & suam animam uendidit, & innocentem iustissimumq; sanguinem manibus tradidit impiorum. Turbatur etiam Christus propter magnitudinem scandali, quod ex discipulis suis non minimus desciscceret. Vnde præsciebat futurum, ut imbecilles alienarentur ab eo, male sensuri de ipso: siquidem hi ab eo discessissent, quibus familiarissime cognitus fuerat. Hæc omnia quomodo perculerint animum Christi, nemo oratione consequi potest. Docemur igitur hic, unde turbari debeat Christianus, nempe non è miseria sua externa, sed è misericordia erga proximū, quem uidet peccantem obstinatum esse. Cæterum turbatio hæc Christi, satis ostendit, quod Deus odiat peccatum & maxime ingratitudinem & impœnitentiam, quorum utrunq; insigniter fuit in Iuda. Deinde insignem etiam pietatem in animo Christi indicat hæc turbatio, quod scilicet inuitus hominem perdit atq; punit, quemadmodum ostendit se & in Isaia inuitum punire: Heu, inquit, consolabor super hostibus meis. Hoc autem non paruam nobis consolationem præbet, cum audimus Deum inuitum punire, & non nisi obstinate peccantes: Mallet enim benefacere. Docuit denicq; Christus hac sua turbatione, quomodo affectus illos inuidiæ (cum scilicet uidemus aduersarios nostros ex-

Ioan. 12.
Ioan. 11.
Lucæ 19.
Ioan. 4.
Ioan. 11.
Isai. 1.

trema citra omnem culpam noſtram molientes) uincere debeamus, nempe non excrationibus aut maledictis, &c. ſed benefactis, quemadmodū Chriſtus hic fecit, & Paulus docet: Vince in bono malum. Quid igitur Chriſtus facit? Num execratur & maledicit Iudam? Nequaquam. Non opus eſt impios maledicere. Nam iam dudum maledicti ſunt, & perditio eorum feſtinat. Sed quid facit? Num eum prodit & traducit? Non. Quid igitur? Pie eum monet, oſtendens, ſibi notam eſſe ipſius malam uoluntatem.

Roma. 12.

Proue. 24.

Amen amen, inquit, dico uobis, quod unus ex uobis me proditurus eſt.]

O inſignem Chriſti bonitatem. Hic enim uidemus, quàm congrue ſeipſum comparauerit gallinæ: Quoties, inquit, uolui congregare filios tuos, ſicut gallina, &c. & noluiſti? Hoc enim reuera hic oſtendit. Congregauerat alios diſcipulos ſub alas ſuas: Nunc etiam errantem & perditioni proximum reuocare contendit. Et quamuis hactenus fruſtra eum admonuerit, tamen nondum ceſſat, docens nos, ne facile de proximi emendatione deſperemus. Deinde, quod malus non ſtatim eiiciendus eſt, immo nihil non prius experiendum. Sic Paulus docet: Si præoccupatus fuerit aliquis in peccato, &c. uos inſtruite eum in ſpiritu lenitatis, &c. Et Chriſtus: Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.

Matth. 23.

Galat. 6.

Matth. 18.

Sicut autem Chriſtus hic, quamuis ſciret Iudam non corrigendum, non tamen ceſſat eum pungere, ac peccatum ei ob oculos ponere. Sic adhuc iuſto Dei iudicio fit, ut hi qui corrigi nolunt, cogantur tamen ſentire uermem conſcientiæ, et uerum appareat illud Propheticum: Non eſt pax impijs. Bis autem dicit: *Amen amen*, tum ut ipſos excitet: tum etiam ut oſtenderet certitudinem uerbi ſui.

Iſai. 48.

Obſeruandum autem, quod Chriſtus quamuis peccatum Iudæ manifeſtet, non tamen prodit perſonam, ne uel in iram contra Chriſtum, qui eum confudiſſet, excandeſceret, uel impudenter negare præſumeret: Nos interim docens, quid de occultis peccatis fratrum facere debeamus: Nempe, quod nobis fieri uolumus. In communi autem loquitur, ut omnibus timorem incuteret: Beatus enim homo, qui ſemper eſt pauidus. Vnde Paulus: Noli altum ſapere, ſed time. Per hoc, inquam, quod tam manifeſte oſtendit ſibi nota eſſe peccata, quantumcunq; occulta, abſterrere & ipſos & nos uoluit nedum à malis operibus, ſed etiam à malis conatibus & uoluntatibus. Vnde non immerito dicit Boëtius: Magnam nobis incumbere neceſsitatem pie uiuendi, quandoquidem cuncta agamus ante oculos iudicis, omnia cernentis.

Matth. 7.

Proue. 28.

Roma. 11.

Cæterum, quid hoc uerbum in cordibus effecerit diſcipulorum, patet ex eo, quod dicitur:

Mœſti

Mœsti ergo facti sese mutuo aspiciebant.]

Nec mirum hoc erat. Quilibet sciebat, se innocentem, nec quisquam malum suspicabatur de alio, interim tamen non dubitabant, Christum uera locutum. Mirabantur igitur, quomodo Diabolus tam potens esset, ut etiam ex ipsis unum rapere, & à societate Christi auertere potuerit. Deinde suæ quisque cõscientiæ timebat, & quamuis nihil tale sibi conscij essent, suspecta tamen erat cuique propria carnis infirmitas. Dicere igitur poterant cum Paulo: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus. Boni autem & pij cordis signum est, contremiscere ad iudicia & uerba Dei. Econtra autem obstinati animi indicium, nihil moueri, quemadmodum Iudas hic solus non terretur, sed in eadem impudentia manet, non ueritus sacris epulis interesse. Et potuit interim ferre oculos Domini, cui nouerat esse non ignotum, quod secum agitaret in animo? 1. Cor. 4.

Præterea non nihil mouebantnr Apostoli, quod tam sanctum cõsortium, tanto scelere dehonestandum esset. Apparet autem ex hoc loco, Iudam non fuisse ausum cuiquam discipulorum indicare, quid animo agitaret. Atque hoc cedit in laudem ipsorum, damnationem autem impij illius, qui inter tot sanctos tam malus permansit. Igitur cum discipuli non dubitarent, uerba Christi uera esse, nec tamen suspicari possent, quis eorum eo impietatis peruenturus esset, se mutuo aspiciunt, si uel rubore uultus quis seipsum proderet.

Erat autem unus ex discipulis Iesu, &c.]

Discipulus ille, cuius hic mentio tam celebris, sine tamen expressione nominis sit, fuit Ioannes, qui præ alijs hæc duo præconia habuit, quod scilicet Christus eum dilexerit, & quod in sinu super pectus Christi recubuit. Et quanquam hæc de seipso scribat, non iactanter tamen hoc facit, sed quasi coactus, ut scilicet Euangelium suum suimet authoritate confirmaret. Nam etsi omnes Euangelistæ testes idonei sint, adeo, ut de ipsorum testimonio uel tantillum dubitare nephas sit, tamen hic præcipue fide dignus testis est, qui adeo ueritati, quam narrat, præsens interfuit, ut recumberet in sinu eius, & illi uerbo præ cunctis mortalibus prope admissus, quod eructatum de corde Patris & caro factum, altius personare decreuerat per linguam & calamum eius. Sicut igitur Paulus, quodammodo coactus improbitate Pseudapostolorum, se commẽdauit apud Corinthios: Factus sum, inquit, insipiens, uos me coëgistis. Sic Ioannes hic facit, propter hæreticorum peruersitatem: Vterque tamen ex humilitate suum nomen retitet. Quod autem Ioannes super pectus Domini se inclinauit, uel fuit ex nimia tristitia & timore, propter uer- 2. Cor. 12.

bum quod dixerat Christus: Vel fuit ex dulcedine, quam senserat ex præcedentibus uerbis & factis Christi: Vel ex nimietate dilectionis, quæ non attendit, quid agat, tantum ut dilecto adhæreat: Vel denique fuit ex contemplationis excessu. Fieri enim potest, ut in excessu mentis raptus fuerit. Nec dubium, quin in illo raptu didicerit sublimia illa, quæ post de diuinitate uerbi scripsit. O fœlicem igitur hunc discipulum, qui tam familiariter recubuit super pectus eius, quem à longe uidere, ad cuius uel pedes admitti, summam alij fœlicitatem iudicant: Ostende, inquit Dauid, tantum faciem tuam, & salui erimus. Vide etiam & Christi mansuetudinem, qui discipulum sibi innitentem, idque in conuiuio, ubi parum ciuile erat hoc facere, non tamen repulit, sed boni consuluit, & gratum habuit hunc eius affectum.

Ioan. 1.

Psal. 79.

Cæterum recubitus ille quietus & dulcis super pectus Domini, præsagium fuit, quod solus ipse ex Apostolis in pace obdormiturus esset, non per uiolentam mortem, ut alij. Sic enim etiam euentus ipse probauit.

Matth. 5. Cæterum uidemus hic, quàm uere dixerit Christus: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Hi enim uel maxime Deo appropinquãt & clarius Deum uident, id quod in hoc Ioanne cernitur: Vidimus, inquit, gloriam eius, &c. Ex hac igitur Ioannis reclinatione super pectus Domini, Petrus occasionem sumit diligentius perueſtigandi, quis nam ille proditor sit. Sicut enim aliàs ubique feruentior inuenitur, sic nunc plus quàm alij anguſtiatur, sollicitatur, sciscitatur. Ideo autem proditorem cupit nosse, ut impediat, ne tanto scelere infametur totum collegium. Nam frequenter & Apostolis & alijs Martyribus obiectum fuit impium hoc scelus Iudæ.

Ioan. 1.

Non tamen per seipsum interrogabat Petrus. Hactenus enim non semel parum bene ei cesserat audacia, quam illi suggerere solebat amor in magistrum. Audierat ante: Vade post me Sathana. Audierat iam in cœna: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Per alium igitur interrogat, nec Christus occulte interroganti Ioanni respondere detrectat, ne uideretur priora uerba ex incerta suspitione potius dixisse, quàm ex certa præscientia. Manifesto igitur signo personam proditoris denotat:

Matth. 16.
Ioan. 13.

Cui, inquit, intinctum panem porrexero, ipse est.]

Non prodit eum digito uel nomine, ne quid turbæ oriretur in conuiuio, & alij discipuli in eum irruerent: Sed buccella panis eum denotat, tum ut Prophetiam, quam supra è Psalmo adduxerat, uerissimã esse ostenderet: Qui edebat panes meos, &c. Tum ut illud prior faceret, quod postea per Paulũ docuit: Si esurierit inimicus tuus, ciba eum: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Adeo patienter Christus, tanquam puer, innocuus hostem

Psal. 40.
Roma. 12.

suum

suum cibabat, sed uelut antiquus dierum carbones ignis super caput eius congerebat. Quamuis enim Iudas ille non fuit attactus carbonibus pœnitentiæ (cuius ustionem inimicis nostris debemus optare, etiamsi ex beneficijs nostris peiores efficiantur) attamen conbustus fuit ardore iracundiæ, ut infra patebit.

Cæterum quod discipuli ex eodem catino comedunt, quo Christus, mystice significatur, quod fideles communicant passionibus Christi. Iudas autem, qui & ipse accipit ex eodem catino, sed malo animo, hæreticos significat & Hypocritas, qui & ipsi aliquando patiuntur, sed non propter Christum. Itemque significat omnes impios, quibus Christus de catino suo dat, id est, crucem eius imponit, sed ad perniciem ipsorum. Iudas igitur eadē impudentia, etiam hunc panem accipit, qua & supra Sacramentum corporis Christi acceperat, & infra, osculum Christo dedit. Magno autem suo malo accepit hunc panem: *Statim enim post bucellam introiuit in eum Sathanas.* Vere horrendum uerbum, sed multo magis horrenda res ipsa, hominem eo miseriæ & infœlicitatis uenire, ut Diabolus eum possideat ut proprium. Non tamen mirum est, Diabolum illuc introire posse, ubi Christus omnino expellitur. Habuit Iudas etiam prius Sathanam. Ex ipsius enim instinctu, defraudauerat loculos Domini, murmurauerat contra mulierem unctricem Iesu. Insuper etiam cum hostibus Christi conuenerat, de tradendo Christo. Verum nondum reuelatus erat Sathan in ipso: Nemo ipsum uidebat, nisi Christus. Nunc autem reuelatur ac manifeste se prodit, cum Iudas exit, & fit impiæ cohortis primipilus: Quemadmodum & in nobis semper sunt peccata, ira scilicet, inuidia, luxuria, &c. sed interim latent, donec occasione data erumpant.

Introiuit igitur Sathanas in Iudam.]

Quia quem hactenus tantum externe incitauit ad peccatum, nunc plane possidebat. Item, quem prius impium fecerat, nunc facit insanabilem: adeo, ut qui prius sola spe lucri Christum uendiderat, nunc accedente liuore, mixto cupiditati odio totam crudelitatem anhelans, maius spiraret odium contra eum, qui se denotauerat.

Hoc igitur sibi uult uerbum hoc, nempe Iudam omnino obfirmasse animum ad peccatum, ut similis Diabolo effectus redire nollet, immo etiam ex beneficijs Christi peior efficeretur. Atque hæc est maledictio, quam Spiritus sanctus iam dudum illic per os Dauidis imprecatus fuerat: Constitue, inquit, super eum peccatorem, et Diabolus stet à dexteris eius. Psal. 108.

Non tamen sic intelligendum est, quod bucella illa malum aliquid fuerit, & causa obstinationis eius: Non bucella hoc egit, ut in

Diaboli potestatem ueniret, sed ipsius ingratitudo & impœnitentia: quia enim in malis suis consiliis perseuerabat, nulla pœnitentia tactus, nulla Christi admonitione commotus, nullo saltē rubore affectus, cum uideret Christum omnia scire, immo uero magis ac magis sceleris patrandi desiderio ardens, omnem Christi benedictionem reiiceret, non mirum, quod maledictionem, quam diligebat, incurrit: ita, quod Diabolus animam eius omni auxilio Dei destitutam intrauit. Quamuis enim ipse Diabolus nunquam cesset tentare homines, tamen illuc uel maxime impellit, quo nos propria sponte inclinatos conspicit.

Caueamus igitur omni studio, & indefesse uigilemus, ne primum ei accessum præbeamus, nec ei ianuas cordis aperiamus, alioqui semel ingressus, facile ad ulteriora penetrat, donec hominem totaliter perdat. Exemplo nobis sit miserrimus ille Iudas, quem Diabolus à Christo relictum, & à societate sanctorum præcisum, ita inuasit animamque eius occupauit sensusque, ut deinceps nihil aliud posset, quam quod Diabolus præcipiebat. Hinc non immerito Sa-
Eccle. 10. piens monet: Si, inquit, ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne deseras. Non quidem prohibere eum possumus, ne omnino non tentet, sed hoc agamus, ne ei cedamus. Cæterum, quia Iudas propemodum manifestatus erat, et non sine periculo fuisset, si diutius ibi permansisset. Itemq; quia satis admonitus erat, nec quicquam mouebatur, Christus eum amouet:

Quod facis, inquit, fac citius.]

Quod ita quidem sonat, quasi Christus eum incitare & inflammare uelit, qui prius inflammatus erat, & cuius incendium restinguendum erat, reuera tamen magis minantis, quam hortantis est. Nec solum ipsi Iudæ hoc dicit, sed omnium maxime Diabolo, qui iam in illum intrauerat. Quasi diceret, Tuum opus, o Diabole, quod semper facere tibi cordi est, fac citius: Prophetas occidisti Iudæorum animas ingressus, lapidibus eos petisti, qui salutarem doctrinam afferebant, nemini, qui à Deo missus esset pepercisti. Ego post ipsos ueni, nec ignoro te nequaquam quiescere posse, quare quod solitus es facere, immo quod dudum libenter fecisses, nisi te prohibuissem, nunc fac: non te amplius prohibeo, &c.

Similis igitur locutio est, ac si fortis quispiam hosti suo, quem scit infirmum & confusibiliter uincendum, irrisorie, immo minitabundus dicat: Fac quod facis citius, ut fortitudinem meam experiaris. Sic Christus Diabolum ad ea quæ præparauerat uelocius currere iubet, ut citius uictus ac uinctus à Tyrannide sua orbem dimittat.

Deinde si ad Iudam referimus uerbum hoc, non præceptum,

sed

sed permissio est, quemadmodum in Iob dicitur Diabolo: Ecce in manu tua est, sed permittitur ut citius faceret. Aliud est enim facienti dicere: Fac citius, & aliud est uacanti dicere uel præcipere, ut hoc aut illud faciat. Immo hoc uerbum nihil aliud est, quàm iudicium & condemnatio Iudæ, in sua malitia obstinati. Talis enim est sermo, qualis solet esse parentum erga deploratæ & desperatæ mentis filios. Quasi diceret Christus, Quoniam nullis meis beneficijs ad resipiscentiam inuitaris, age perfice quod cœpisti: Non te amplius prohibeo. Noluisti me audire, sequere ergo Diabolum: Prædico tamen tibi, te hoc non impune laturum. Amodo tuo te relinquam arbitrio, nihil pro te curabo, siue pereas siue non. Iob 2.

Vere horrendum iudicium, sic à Deo relinqui. Hinc non absre Dauid precatur: Ne proijcias me, inquit, à facie tua, &c. Psal. 50.

Hoc autem uerbo Christus etiam ostendit, ingens cordis sui desiderium ad redimendum hominem, ideo & proditorem accelerare iubet: Quasi diceret, Vis me prodere, & in mortem dare, uolo & ego prodi & mori, ideo ueni in mundum, ac cupio, ut quàm primum fiat. Ideo autem sic festinat Christus, quia sciebat magnum fructum è passione sua exoriturum, nempe, quod Diabolus uinceretur, Idololatria destrueretur, mors interiret, cœlum aperiretur, homo redimeretur, &c. ideo festinabat.

Pręterea hoc uerbo in Patris uoluntatem plene resignabat & suam uitam, & seruandi Iudæ cupiditatẽ, nec ipsius tantũ, sed etiam populi, quem ille repræsentabat: & Pseudoecclesiæ, quam ille præfigurabat, itemque dolorem, quem è scandali magnitudine concœperat. Omnia hæc hactenus cruciauerant Christum: Nunc ea resignat in uoluntatem Patris, docens nos, ut similiter faciamus, ubi aliter fieri non potest.

Cæterum, ne quis miretur, quomodo discipuli alij ferre potuerint, hanc Iudæ impietatem in Christum:

Nemo, inquit, discumbentium intellexerat, quod dixit Iesus, &c.]

Hoc autem certissimum signum in Apostolis erat probitatis, quod nihil mali suspicabantur de Iuda. Charitas enim non suspicatur malum. Quod enim putant ei præceptum esse, ut uel præpararet, quæ ad festum pertinerent, uel pauperibus aliquid daret, innuit Christum hoc sedulo illi præcepisse, maxime in festis. Quo docemur, ut & nos festis diebus pauperum curam habeamus: Id enim Christo acceptissimum est. Cæterum discipuli in hoc iudicio longe falluntur. Non enim pro festi decore, sed pro eius dehonestatione, nec pro pauperibus, sed cõtra Patrem pauperum laborabat impius 1. Cor. 13.

impius ille. Vnde & indignus erat, qui diutius permaneret in tam ſancto collegio. Itaq; eodem Diabolo inſtigante, quo hactenus uſus fuerat magiſtro: *Poſt bucellam exiuit continuo.* Exiuit autem iudicatus et condemnatus, relinquens Epiſcopatum ſuum ut accipiat alter: Exiuit non ui eiectus, ſed ſua ſponte ſe à Chriſto & ſanctis ſeparans, qua ſeparatione nulla miſerior. Exiuit autem. Primo, ut appareat etiam ante hac illi uoluntatē fuiſſe abeundi, ſed defuiſſe facultatē, qua accepta ſtatim exit. Deinde etiam ideo ſtatim exijt, quia maiores iam uires in eum Diabolus habebat, qui iam quaſi ui ei imperabat, ducens eum quo uolebat. Feſtinabat autem Diabolus, timens moram & uerborum Chriſti uirtutem, ne ſcilicet ſcintillam aliquam in anima Iudæ reaccenderet, ſicq; ille è laqueis ſuis elaberetur. Magna enim cautela utitur Diabolus, ne elabantur quos ſemel cœpit. In cuius figuram Pharao, adeo filios Iſrael laboribus opprimebat, adeo inſtabat, ut nec tempus illis daret orandi Deum, aut inter ſe colloquendi de libertate, ne quo modo elaberentur. Sic Diabolus non ſinit reſpirare irretitos, ut ſemel uicti, iugo eius ſemper deprimantur. Hinc igitur agnoſcere diſcamus malignas eius cogitationes. In fine infœlicis huius de Iuda hiſtoriæ Ioannes addit:

Pſal. 108.

Exo. 1. et 2.

Erat autem nox.]

Vere tenebroſa nox irruerat in miſerum hunc, occiderat illi ſol iuſtitiæ, atq; ideo in profundum Inferni, quaſi ceruus ad ſagittam properabat, ut Sapiens ait, uel quaſi canis ad uincula, neſciens ſe ad periculum animæ ſuæ currere. Hæc eſt illa nox, de qua Sapiens ait: Ignis quidem nulla uis, nec ſyderum limpidę flammæ noctem illam horrendam illuminare poterant. Interim etiam reipſa nox erat. Hanc enim quærunt & diligunt, qui male agunt. Tanto impetu igitur miſer ille ad peccatum currebat, ut nec nocte abſtineret, itaq; æternam noctem ſibi comparauit. Iuſto enim Dei iudicio fit, ut qui lucem reijciunt, tenebras perpetuas incurrant. Hactenus igitur de Iuda eiuſq; multiplici admonitione, denicq; & omnimoda eiectione, ſatis dictum eſt. Qui pium habet animum, non ceſſet orare, ne in tantam [illegible]tem & obſtinationem cadere permittatur, immo nihil non ag[illegible], ut hoc iudicium excæcationis non incurrat.

Prouer. 7.

Sap. 17.

Ioan. 3.

Nunc (inquit) clarificatus eſt filius hominis.]

Poſt diſceſſum Iudæ, Chriſtus lætiſsimam & mire conſolatoriam orditur concionem. In qua primo diſcipulos ſuos præmunit, ne imminente cruce offendantur. Deinde quoſuis pios admonet, ne propter crucem à confeſsione nominis ſui diſcedant. Ideo autem hanc concionem diſtulit, donec Iudas exiret, quia ad ſolos electos pertinent, quæ deinceps loquitur. Itemq;, ut facto impleret, quod

uerbis

uerbis docuerat: Nolite sanctum dare canibus. Congrue autem à tempore noctis, quod tunc erat, similitudine per contrarium sumpta, clarificationem suam dies æternitatis, & sol iustitiæ iam adesse indicat, qua totum postmodum mundum erat illuminaturus, traditore suo, cunctisq; impijs in nocte peccati perpetuo remanentibus. Docuit autem hoc uerbo, pijs nunquam defuturam lucem, quantumcunq; nox errorum impios inuoluat, quemadmodum olim in Ægypto Israelitæ lucem habebant, cum alia omnia occupassent tenebræ densissimæ. Potest autem dictum hoc quadrupliciter intelligi. Primo de filio hominis, quantum ad corpus eius mysticum, ut sit sensus: *Nunc clarificatus est filius hominis*, id est, per recessum Iudæ filij perditionis à societate mea, purgatum est corpus meum mysticum, collectio scilicet & Ecclesia mea à commixtione pestiferi emundata. Decor siquidem & puritas discipulorum redundat in magistrum, ideo malis discipulis abdicatis, clarificatur magister. Matth. 3. Exod. 10.

Secundo, *Nunc clarificatus est filius hominis*, id est, uerus & iustus ostensus est per hoc, quod uitiosum discipulum à sua societate amouit. Tertio, *Nunc clarificatus est filius hominis*, id est, per hanc separationem Iudæ ab electis Apostolis, præfigurata est clarificatio Christi, quam habebit in die iudicij, quando separabit pios ab impijs, per quod apparebit eius ueritas & iustitia. Quarto denicq; per uerbum clarificationis, intelligitur passionis Christi claritas apud Inferos coruscans, resurrectionisque & ascensionis gloria, & effusionis Spiritus sancti gratia: *Nunc*, inquit, *clarificatus est filius hominis*, ea scilicet claritate, qua dixerat: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Itemq;, Si granum frumenti in terra mortuum fuerit, multum fructum affert. Ioan. 12.

Obserua autem, quàm magnifice Christus loquatur de sua morte. Alius secundum mundi captum diceret: Nunc proditus, abiectus, condemnatus est filius hominis, actumque est de illo, &c. Christus autem dicit: *Nunc clarificatus est filius hominis*. Quo uerbo primo indicat, sibi ingens gaudium esse, per crucem redimere genus humanum, & non minus gaudium, quàm si alij ad epulas uadunt & conuiuia. Secundo indicat, crucem suam nihil aliud esse, quàm suæ glorificationis initium, atque adeo Iudam & Iudæos nihil aliud agere, quam quod gloriam suam procurent. Quasi diceret, Abeat sane Iudas quo uelit, prodat me, inciter uel totum mundum contra me; Mea hæc gloria erit, ipsius autem summa ignominia. Si citius exisset, citius etiam gloria mea incœpisset, tantum mihi nocebit eius malitia. Tertio docet hoc uerbo, proditionem, calumniã, crucem et mortem, quamuis in mũdo horrenda uideantur, tamen pio homini optabilia esse, quandoquidem alia uia ad glorificationem nõ pateat.

Præterea

Præterea hoc uerbo indicat, se morte & passione sua, omnes maledictiones legis commutaturū in benedictiones. Lex enim dicit: Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Itemq; omnia externa mala, ut famem, sitim, persecutionem, &c. pronunciat esse maledictiones. Christus autem docet, ea esse glorificationis & benedictionis instrumenta: Per mortem enim eius effectum est, ut hæc amplius non nocent. Omnia enim in ipso sanctificata sunt. Cæterum, quamuis Christus
Matth. 14. etiam prius per miracula clarificatus fuit. Nam quando maris fluctus & uim uentorum supprelsit, adoratus fuit ut filius Dei. Et quando quinq; panibus satiauit quinq; milia hominum, tanta gloria claruit,
Ioan. 6. ut eum sublimare uellent in Regem. Et quando eius imperio Lazarus ad uitam rediit, tanta fuit eius claritas, ut publice eum Hierosolymis cū palmis susciperēt et canticis. Clarificatus igitur fuerat magni
Matth. 21. tudine miraculorū, quia tamē cōsummatio gloriæ eius in passione, resurrectione et ascensione sita erat, ideo dicit: *Nunc clarificatus est*, etc. Interim nos docens, optabilius esse ab hominibus contemni, quam ab eisdem laudari. Hic enim periculum est, ne in superbiam incidamus, illic autem nullum. Signanter autem dicit: *Nunc clarificatus est*, uerbo scilicet præteriti temporis, quia quamuis nondum perfectum esset, tamen iam agebatur, & sine dubio perficiendum erat. Sic
Ioan. 17. & infra dicit: Iam non sum in mundo, &c. Signanter item dicit: Filium hominis clarificatum. Nam filius Dei semper clarus fuit & est. Quod igitur filius Dei habuit per naturam, hoc filius hominis accepit gratiam, & unionem cum diuina natura. Cæterum hæc clarificatio filij hominis, sine dubio est clarificatio Dei. Vnde & subdit:

Et Deus clarificatus est per eum.]

Sicut enim Patris & filij una est natura, sic & eadem gloria. Vnde & Christus non suam gloriam quæsisse se dicit, sed gloriam Patris. Non tamen ita glorificatus est Pater, quod aliquid gloriæ illi essentialiter accesserit, quā prius non habuerit: sed quia per passionem & resurrectionem Christi clarum factum est, cuius filij Pater sit Deus. Item, quia per passionem et resurrectionem gloriam inter homines acquisiuit Deus, quem prius mundus non cognoscebat. Per Christum autem cognouerunt, eum Patrem & adiutorem esse, etc. Ne quis autem quærat, unde Christus tam clare & certitudinaliter præsciuit, quod Deus ipsum clarificaturus esset: Respondet:

Si Deus, inquit, glorificatus est per eum, & Deus glorificabit eum per se.]

Certissimus enim de futura sua glorificatione est, qui Deum hic
1. Reg. 2. glorificat. Stat enim sententia: Qui me glorificat, glorificabo eum: qui autem me contemnunt, erunt ignobiles. Clarificauit autem

Christu

Christus Deum per doctrinam suam, parans ei titulos honestissimos & magnificentissimos. Nam per Christum Deus nunc à credentibus dicitur Pater, qui quondam per legem peccata iudicantem dicebatur iudex: per Christum nominatur saluator, qui quondam condemnator erat. Econtra autem etiam Deus clarificauit Christum, dans & ei titulos egregios, ut dicatur legis, maledictionum, crucis, peccatorum, mortis, Inferni & Sathanæ uictor & triumphator. Hoc est nomen super omne nomen, quod Deus Pater Christo dedit, in quo & omne genu flecti oportet, &c. In fine addit Christus: Phili. 2.

Et continuo clarificabit eum.]

Quia statim in ipsa etiam passione clarificare eum cœpit miraculis, cum scilicet sol obscuraretur, &c. Per hoc enim Centurio, & alij ipsum cognouerunt esse filium Dei. Item, etiam in cruce adhuc pendens, à Deo Patre exauditus est pro nobis, quæ maxima eius gloria est. Vide igitur, quàm sapienter hactenus loquuta sit sapientia Dei. Antequam enim de morte sua dicat, præmittit de sua glorificatione, ne discipuli nimium cõtristarentur. Deinde, ne putarent ipsum in passione periturum. Demum, ut et ipsi tempore aduersitatis discerent, non in præsentia mala, sed in futuram gloriam respicere. Et hactenus quidem de futura sua glorificatione dixit: Nunc consequenter de morte sua loqui incipit, sed admodum dulciter, ad consolationem nimirum discipulorum, quos sciebat in morte sua maxima tristitia afficiendos. Sicut enim bonus quisq; filius, nequaquam ita de successu magnæ hæreditatis delectatur, ut de morte Patris dolore non mordeatur: sic quanquàm discipuli scirent, magnum futurum mortis Christi emolumentum, magnamq; secuturam hæreditatem, fieri tamen non poterat, ut non maxime de morte eius contristarentur. Quam potest igitur, dulcissimis uerbis de morte sua loquitur. Matth. 27. Heb. 5.

Filioli, inquit, adhuc modicum tempus uobiscum sum.]

Primum filios eos nominat, ut ostendat paternam sui erga eos amoris gratiam. Item, ut simul etiam ostendat fructum passionis suæ. Ex ipsius enim passione & morte, habemus quod filij Dei nominamur & sumus. Ideo nunquam antea legitur, quod filios ipsos nominauerit, nisi iam iam moriturus. Non simpliciter autem filios, sed quod maiorem affectum ostendit, filiolos nominat, nimirum propter teneritatem amoris, & ipsorum adhuc teneram atq; infirmam infantiam. Nam ex quo fortes facti sunt, Spiritu sancto armati, filij sunt. Nunc autem, quia timidi sunt & Patrem sequi non ualent, filioli dicuntur. Sic & Paulus Galatas filiolos nominat, quia infirmi erant fide, & lacte adhuc opus habebant. Quid igitur Christus his tam dilectis filiolis suis dicere uult? *Adhuc modicum*, inquit, *uobiscum sum.* Vere modicum, donec scilicet ille, qui nunc exiuit ad 1. Ioan. 3. Galat. 4.

Iudæos perueniat, acceptaq; cohorte & Pontificum seruis redeat. Ex tunc enim cõprehensus & morti adiudicatus, tandemq; interemptus: Iam uobiscum nõ ero, nisi quod ad horam iterum uidebo uos. Hoc autem ideo dixit, ut ardentius eo fruerẽtur, dum eum haberent, & ut diligentius cordibus imprimeret, quæ discedens ipsis dicebat. Non tamen sic intelligendum, quod Christus omnino recesserit, iamq; in mundo non sit, cum alibi expresse dicat: Ecce uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi. Est igitur sensus: Adhuc modicum uobiscum sum, in corpore scilicet uisibili & mortali, sicut hactenus fui. Deinceps uobiscum quidem ero, sed non sicut hactenus: non uisibiliter, non mortalis, non tanquã peregrinus præsentis, sed tanquam princeps & Pater futuri sæculi. Vultis autem scire, quid de uobis futurum sit?

Ioan. 16.

Matth. 28.

Quæretis me.]

Quasi diceret, Contristabimini propter discessum meum, & magna cordis anxietate desiderabitis præsentiam meam: Futurum est enim, ut magnis & Iudæorum & Gentium furijs exagitemini. Eo igitur tempore, quæretis me, desiderabitis auxilium meum. Hoc autem dixit, non ut terreat, sed ut animos eorum præparet ad futura mala. Quemadmodum enim crudelis bestia, si repente irruat, non solum terret, sed etiam imparatos laniat: Si autem antequam irruat, uisa sit, uel nihil uel parum mali paratis armatisq; hominibus facit. Sic tentationes si præuideantur, minus turbant. Hinc Dauid: Paratus sum, inquit, & non sum turbatus. Videmus autem in hoc uerbo, omnem fidelium uiam, in hoc mundo nihil aliud esse, quàm gemitum, suspirium et desiderium ad Christum. Sic enim pij in hoc mundo gemunt ut turtur, & dicunt: Anima mea liquefacta est: cum dilectus locutus est, quæsiui illum, & non inueni, &c. Ne quis autem diceret, Si sic futurum est, cur non assumis nos tecum? Melius enim esset tecum esse, quàm hic solos relinqui.

Pſal. 118.

Cant. 5.

Quo ego, inquit, uado, uos non potestis uenire modo.]

Quasi diceret, Ad passionem uado, sed in hoc me iam sequi non potestis, propter infirmitatem uestram. Oportet ut prius induamini uirtute ex alto. Item: Ad Patrem uado, sed in hoc me iam non potestis sequi. Nondum enim aperta est ianua: oportet, ut eam uobis prius morte mea aperiam. Sed quid interim nobis faciendum erit, quo & præsentem mundi inuidiam declinare, & suo tempore te ad gloriam sequi possimus?

Lucæ 24.

Mandatum, inquit, nouum do uobis, Vt diligatis inuicem, sicut dilexi uos.]

Quasi diceret, Nihil certius uos & ab inuidia mundi liberabit, & in mea gratia continebit, quàm si uos mutuo diligatis. Circa hanc dilectionem,

dilectionem, multa dicenda essent. In primis destruendus esset error modernæ sectæ, quæ sola fide contenta, omnibus modis fugit & auersatur præcepta, charitatem & opera. Deinde restituenda esset uera Christiana charitas, quæ olim fuit in Ecclesia, &c. Verum sufficiat nobis, nunc uerborum Christi sensum accipere. Primo igitur terrere aliquem posset, quod Christus de mandato loquitur, quasi iterum uellet imponere iugum legis. Verum in hoc sermonem mitigat, quod non plura, sicut Moyses, sed unum tantum dat mandatum. Quod autem idipsum nominat mandatum nouum, signum est, quod liberare nos uoluit à iugo legis, quod nemo portare potuit, quodque omnes condemnat homines. Vnde & in Isaia nominatur sceptrum exactoris. Deinde per hoc etiam ostendit, legem non suffeciſſe ad salutem, alioqui non opus fuisset, ut ipse quicquam adderet. Quamuis autem dilectio proximi, etiam in lege fuerit præcepta. Nam & Christus eam ipsam dicit esse unum de primis præceptis legis: nihilominus tamen hic dicit esse præceptum nouum. Primo, quia ab ipso innouatum: Nam per traditionem Phariſæorum obscuratum fuerat. Addiderant enim: Et odio habebis inimicum tuum, quod lex non dicit, ideo & à Christo reiicitur. Deinde nouum præceptum dicitur, quia in nouo testamento & frequentius & excellentius præcipitur. In lege frequens est mentio Sabbathorum, sacrificiorum, cæremoniarũ: In nouo autem Testamento sola charitas præcipitur & ubiq;. Præterea dicitur nouum mandatum, quia in nouo Testamento aliter traditur, quam in ueteri. Illic enim dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Nobis autem: Sicut dilexi uos, quod maius quiddam est. Nam Christus nos plus dilexit, quàm seipsum. Sibi ipsi enim non pepercit, ut nobis parceret. Nouum igitur mandatum est, quia iubemur proximum plus diligere, quàm nos ipsos: adeo, ut eius dilectioni nihil præponamus, non gloriam, non diuitias, non denicq; uitam corporalem, id quod in Christo uidemus. Insuper nouum mandatum dicitur, quia maioribus exemplis nunc confirmatum est, Dei scilicet & Christi. Hinc Ioannes: In hoc, inquit, est charitas, quod ipse prior dilexit nos, & tradidit animam suam pro nobis. Ad hæc ideo mandatum nouum dicitur, quia præcipit de corde, non de cæremoniis, docetq; legem impleri non externis operibus, sed dilectione cordis. Item, Nouum dicitur, quia cum alia omnia præcepta, cæremonialia scilicet & iudicialia, abolita sint, hoc solum mansit, & innouatum est, non pro natura legis, quæ præcipit quidem, sed non dat uires implendi: sed pro natura Euangelij, quod uires implendi mandata per spiritum administrat. Septimo, nouum dicitur hoc mandatum, quia semper nouum manet: quantumcunq; enim charitatem ostenderimus, semper tamen eiusdem debitores manemus. Octauo, Nouum dici-

Acto. 15.

Isai. 9.

Matth. 22.

Matth. 5.

Ioan. 4.

tur, quia ſicut quod nouum eſt, uicinum eſt ſuo principio: ſic charitas nos Deo omnium uerum principio unit, & uicinos reddit. Nouo, Nouum dicitur, quia non niſi nouo ſpiritu impletur: non ſpiritu ſeruitutis, ſed ſpiritu libertatis & adoptionis, quem qui non habet, præceptum hoc nunquam implebit. Per ſolum enim ſpiritum diffunditur charitas in corda. Obſeruandum autem, quod Chriſtus non de quacunq; dilectione loquitur. Eſt enim amor carnalis, & eſt amor inordinatus, quo non tantum perſonas, ſed etiam uitia earum diligimus & fouemus. Non de hoc amore loquitur Chriſtus, nec de eo, qui conſiſtit tantum ore & lingua, ſed de eo, qui conſiſtit in opere & ueritate. Vnde addidit:

Roma. 5.

Sicut ego dilexi uos.]

Dilexit autem nos Chriſtus ordinate, quia perſonas ita quidem dilexit, ut tamen uitia non diſſimularet, ſed acriter argueret etiam in dilectiſſimis. Dilexit nos efficaciter, id eſt, non uerbo tantum, ſed opere. Dilexit nos gratis citra omnia merita noſtra, immo cum adhuc inimici eſſemus. Poſtremo dilexit nos perſeueranter, in finem ſcilicet, ſicut ſupra dictum eſt. Hinc igitur diſcamus, qualiter diligendus ſit proximus. Ex eo tamen, quod dicit: *Sicut dilexi uos*, non exigit omnimodam quantitatem dilectionis ſuę. Quis enim hoc præſtare poſſet? Sed uult, ut annitamur pro uiribus imitari eius dilectionem. Si nõ poſſumus prope ipſum incedere, ſaltem ipſum ſequamur pro cuiuſq; uiribus. Cæterum, ſicut alio loco non dixit, Diſcite a me miracula facere, &c. ſed quia mitis ſum & humilis corde: Sic et hic non alio ſigno diſcipulos ſuos uult cognoſci, quàm dilectione.

Ioan. 13.

Matth. 11.

In hoc, inquit, cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi diligatis inuicem.]

Sunt enim et alia Chriſtianorum exercitia, ut ieiunare, eleemoſynas dare, orare, &c. Verum ea etſi bona ſint, poſſunt tamen et ab hypocritis fieri, ut patet in Matthæo. Chriſtus igitur ſuos non alio ſigno, quàm mutuæ dilectionis, uult agnoſci. Dilectio enim eſt ſignum generale, quod omnes habere poſſunt. In alijs (puta ieiunijs, orationibus, eleemoſynis, &c.) poſſet ſe aliquis excuſare: hic autem nullus poteſt ſe excuſare. Deinde dilectio, eſt certum ſignum pij cordis. Omnia enim alia fallere poſſunt, hoc autem non, quia ubi charitas eſt, ibi & alię uirtutes ſunt, atq; adeo plena obſeruatio mandatorum Dei: Qui enim diligit, legem implet. Immo dilectio ſignum eſt conuertibile. Sicut enim uerum eſt, quod omnis Chriſtianus uerus diligit proximum, ſic econtra uerum eſt, quod omnis uere diligens proximum, Chriſtianus eſt. Potiſsimum tamen ideo Chriſtus ſuos uoluit per charitatem agnoſci, ipſiſq; hoc pro ſymbolo conſti-

Matth. 5.

Roma. 13.

tuit,

tuit, ut per hoc etiam alij attraherentur allecti bono odore fidelium, & dicentes: Ecce quàm bonum & quam iucundum habitare fratres, &c. Psal. 132. Ex his igitur uides, quod Christus non simpliciter à suis exigit dilectionem, sed ita, ut sine ipsa nullum agnoscat pro discipulo suo: quod si uerum est, immo quia uerum est, profecto pauci nunc ueri Christiani sunt, quandoquidem ferme apud omnes charitas refriguit, fidesq; & misericordia defecerunt. Matth. 24. In locum autem eorum surrexerunt, odium, inuidia, discordia, fraus, insidiæ, &c. Videmus igitur hoc uerbo, quantum errent illi, qui neglecta charitate proximi & Dei, alijs nescio quibus indicijs se ostendere uolunt Christianos. Videmus item, quæ sit differentia fidei & charitatis. Nam fides facit discipulum Christi, charitas autem ostendit & probat discipulum.

Dicit ei Simon Petrus, Domine quo uadis?]

Quod Petrus omnibus alijs tacentibus, solus interrogat, quo Dominus pergeret, sermonemque Christi interrumpit, magni feruoris indicium est. Territus siquidem uerbo Christi dicentis: Quo ego uado, uos non potestis uenire, timensq; à Christo separari, continere se non potuit, quin interrogaret. Cæterum Christus admodum dulciter respondit:

Quo ego uado, nunc non potes me sequi, sequeris autem postea.]

Quod dupliciter intelligitur. Primo, quod non posit Christum sequi ad cœlos euntem, secuturus autem postea sit, cum supernæ ciuitatis factus ciuis, cum alijs sanctis Christo conregnabit. Secundo, quod nondum indutus uirtute ex alto, nec spiritum corroborantem, ipsumq; & naturam eius quodammodo reformantem habens, non poterat mortis pericula contemnere, aut terrorem eius penitus superare. Soli enim Christo inerat, ut posset mortis uires confringere. Non igitur potes me sequi modo, quia difficilis admodum uia est per crucem. Hinc in Psalmo dicitur: In mari uiæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis, & uestigia tua non cognoscentur. Psal. 76. Deinde non potes me sequi modo, propter charitatis imperfectionem. Magnus enim charitatis ignis sit oportet, quẽ tam multę tribulationum aquę non extinguant. Postea autem, cum per spiritum charitas in corde tuo diffusa fuerit, tunc me sequeris. Roma. 5. Præterea, Non potes me modo sequi, non est situm in tua carnali uoluntate mortem uincere, sed gratiæ Dei hoc opus est. Oportet ut ego prius cum morte congrediar ac uincam: congrediar autem in passione, uincam in resurrectione. Quamdiu hoc factum non fuerit, non potes me sequi, non potes non perhorrescere mortem. Fortior enim est, quàm ut eam uincere & contemnere possis: Natura siquidem nostra morti succumbit,

cumbit. Prima autem mortis dissolutio, saluatoris passio fuit. Ad hoc enim filius Dei semen Abrahæ apprehendit, ut morte carnis suæ mortem euacuaret, liberaretq; omnes, qui timore mortis seruituti subijciebantur. Prima deinde mortis contemnendæ origo fuit resurrectio Christi. Ab eo enim tempore, cum Paulo possumus
1. Cor. 15. dicere: Vbi est mors uictoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Deo gratias, qui dedit nobis uictoriam per Iesum, &c.

Cæterum, ne Petrus putaret se omnino à Christo separandum, addit Christus: *Sequeris autem postea.* Quo uerbo alluſit ad mortem Petri, ac uelut enigmatice eam significauit, quasi diceret, Sicut ego per crucem ad Patrem ibo, ita & tu per crucem me sequeris. Quàm uere autem Christus dixerit: Non potes me sequi modo, &c. paulò post declarauit rei euentus. Nam et tunc infirmus Petrus Dominum sequi non poterat: negauit enim tertio, ne illum pariter moriendo sequi cogeretur. Sequutus est autem postea, tunc scilicet,
Ioan. 21. quando extendit manus suas, & dignus magistro discipulus, exemplo eius cruci affixus est. Cæterum Petrus hoc Christi uerbum minime ponderans, & de proprijs uiribus nimium præsumens, iterum loquitur:

Quare, inquit, non possum te sequi modo?]

Quasi diceret, An me putas tot beneficijs à te affectum, eo ingratitudinis prolapsurũ, ut te derelinquam? Electus sum à te in Apostolatum, cœleste gaudium in morte Thabor gustaui, miracula tuo nomine feci, & quibus non beneficijs à te affectus fui? Quomodo igitur
Matth. 17. te etiam in summo uitæ discrimine desererem? Immo animam meam pro te ponam, hoc tibi polliceor, hoc promitto, tanti apud me tuus est amor, &c. Reuera magna promittis Petre, & quæ ipse non satis intelligas, fortis quidem uideris tibi ipsi, at nondum intelligis tuam ipsius infirmitatem, nondum gustasti uim mortis, alioqui non sic loquereris, nec adeo mireris quod Christus dixit, te nondum posse sequi. Non desunt quidem exempla eorum, qui se uel pro patria, uel pro cognatis morti exposuerunt, uerum hoc ex carnali affectu.

Cęterum pro alio mori iudicante Domino, uel pro inimicis mori, hoc non carnis, sed spiritus Dei opus est. Verum hæc est conditio humanæ rationis, quod non agnoscit imbecillitatem suam. Debebat Petrus uerbis Christi credere, nec ea tam proterue impugnare. Esto enim ex magna dilectione hæc fecerit, tamẽ plus Christo, quàm sibi ipsi credere debuit, ac secum cogitare, Certe ipse omnia melius nouit. Quid igitur Christus ad hanc Petri præsumptionem.

Animam, inquit, tuam pro me pones?]

Quasi

Quasi diceret, Quid agis Petre? Quid tantum præsumis? Quid de te sentis? Quid esse te credis? Tu ne animam pro me pones, quam ego nondum posui pro te? Tu ne mortem uinces? Tu pro me morieris, qui ueni ut pro te moriar? Meum est mortem uincere, non tuum.

Amen amen dico tibi, antequam Gallus, &c.]

Hic uide quis sit finis humanæ gloriationis, nempe confusio. Petrus constituerat apud se, officium fidei se facturum, constanter secuturum, &c. Neq; aliud etiam in corde sentiebat, sed post alium se esse inuenit. Hæc est gloria carnis, quæ est sicut flos fœni. In Petro igitur duo nobis describuntur. Primum temeritas & confidentia carnalis, qua quis nondum iudicio Dei ob oculos posito, cristas erigit et inflatur. Secundum est fragilitas carnis, iudicio Dei proposito. Quis enim fuit Petro confidentior, Domino nondum iudicante? Quis rursus fragilior Domino iudicante? Itaq; in lapsu Petri disce timorem Dei: In resipiscentia autem eius, disce fidem & spem, qua sola in aduersis constare potes. Caue autem omnibus modis, si saluari cupis, ne dicas aut cogites, Si Petrum hoc non damnauit, nec me damnabit: Si ipsi nihil obfuit negatio, nec mihi oberit. Non enim debes super exemplis sanctorum peccare. Hoc itaq; uerbo Christus simul cohibuit Petri magniloquentiam (licet ex amoris magnitudine proficiscentem) & cæteros admonuit, ut in periculis non fiderent uiribus suis, sed intelligerent uirtutis muneriscq; esse diuini, si quid tale præstarent. Monuit etiam hoc uerbo, ne quid temere promittamus, nisi addita conditione: Si Dominus uoluerit, ut Iacobus docet, alioqui non absumus à crimine arrogantiæ, quasi nos essemus Domini rerum, ut interim taceam, quod plærunq; mendaces inueniemur, non ualentes præstare quod promisimus. Obserua circa hunc locum mirabile Dei iudicium in Petro, ipsum cadere quidem permisit, sed tamen terminum eius casui præfixit, nec quencunq;, sed Galli cantum, nihil horum sine causa factum est. Primo siquidem alto diuinitatis consilio factum est, ut in illa perturbationis nocte, omnibus Apostolis scandalū patientibus, maxime princeps Petrus suæ ad tempus infirmitati relinqueretur, trinaq; negatione lapsus, & ipse expertus crederet, et nos scire faceret, quod nisi auxilium à Domino ueniat, pes noster cito labatur, etsi ille dormitauerit, qui solus nouit & potest custodire, tam sole per diem, quàm luna per noctē urimur, id est, tam diuinitatis quàm humanitatis Christi fidem in tentatione perdimus. Non tamē in profundum Petrū cadere permisit: Ab increpatione enim Domini, fugiūt aquę tentationū, etiamsi in montiū altitudinē excreuerint. Terminum enim posuit eis, quem non transgredientur. Galli cantus autē, qui terminus fuit negationis

Iacob. 4.

Psal. 120.

Psal. 17.

Psal. 103.

Petri, præfigurauit bonum resurrectionis Dominicæ nuncium, quia profecto media nocte resurgens Dominus, ora Angelorum in laudem excitauit, & per eos bonum uitæ & uictoriæ suæ nuncium, ad contristatos Apostolos misit. Sed ante hunc tantæ fœlicitatis auditum, tres continuas noctes perseuerat Apostolorum scandalum. Trina ergo negatione facta, Gallus cecinit, quia uidelicet tertia scandali nocte transacta, nuncium suauissimum insonuit. Non dubium autem, quin Christus Galli cantum perpetuam nobis admonitionem esse uoluerit, ut caute et humiliter agamus, ne similiter cadamus. Obserua in fine, quod Petrus ad hoc Domini dictum obticuit, nondum enim satis liber erat à sollicitudine proditionis, de qua Christus mentionem fecerat: Semper enim timenda sunt Dei iudicia
Lucæ 21. & uerba. Stat enim sententia: Verba mea non transibunt, sed implentur in quibuscunq; tandem hoc fiat.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Hoc *capite et deinceps Christus consolari incipit Apostolos*, multipliciter turbatos. Primo enim ægre ferebant Christi recessum. Deinde ex eo, quod Petrum audierant una nocte ter negaturum, facile apud se quisque cogitare poterat, qualis quantaque futura esset tentatio illa, qua fortissimus Apostolorum sic concutiendus erat, ut breuissimo tempore ter Dominum esset negaturus. Nec dubium est, quin apud se cogitauerint, Quomodo minores nos euademus, aut quis tentationem illam perferre poterit, Petro succumbente? Frustra igitur sequendo labores pertulimus, &c. Hæc cætaraq; huiusmodi secum illos aut cogitasse, aut cogitaturos fuisse, nisi Christus cito eos reuocasset, non dubium est. Solus autem Christus animi uulnera nedum curare potest, sed & præuenire auxilio & remedio solet.

Consolatur autem Apostolos non auferendo crucem, aliaq; quę cupiebant ablata, sed tantum animum roborando ne deficiat: Externo homini crucem imponit, internum consolatur. Sic enim utriq; conuenit, crux externo, ne lasciuiat: consolatio interno homini, ne deficiat.

Sicut igitur Apostoli uelint nolint, ferre coguntur et Christi corporalem absentiam & suam persecutionem, & contenti esse uerbo Dei: sic nec nos meliora nobis polliceamur.

Non

Non tamen est, quod conqueramur de externa cruce, cùm Christus tam abunde nos sub cruce cõsoletur.

Non turbetur cor uestrum, &c.]

Signanter dicit: *Non turbetur cor uestrum*, tum quia impossibile est, ut natura non turbetur & exhorreat crucem, id quod & in Christo uidemus: tum ut doceat, consolationes suas cor respicere, non corpus. Non igitur prohibet quamcunq; turbationem (quomodo enim Pater continuo moriturus, tantam à pupillis suis exigeret fortitudinem, ut secum pariter ad mortem duci non uereantur?) sed inordinatam, quæ rationem præuenit & impedit, pacicq; & tranquillitati opponitur, quæ turbatio consurgit ex animi passione inordinata, tristitia scilicet, ira aut dolore: Ideo non dicit, Non turbemini, sed: *Non turbetur cor uestrum.* Est autem sensus. Quoniam Sathanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum, & tanta trituræ uis erit, ut dispergamini omnes, & me solum relinquatis: hoc unum restat persuadere, ut corporaliter dispersi, saltem corde imperturbato permaneatis mecum in tentationibus meis. Et si nunc ingruentis asperitas hyemis extrinsecus uirentia confessionis folia deterit ac dispergit, uiuat saltem intrinsecus radix bonæ arboris, ut postquam hęc hyems transierit, de radice credulitatis, quæ uiget in corde ad iustitiam, reflorescat oris confessio ad salutem.

Matth. 26.

Lucæ 22.

Roma. 10.

Pulchre autem hæc duo coniungit: Non turbetur, et non formidet. Primo propter duas animæ potentias, Intellectum scilicet & affectum. Non turbetur intellectus, non formidet affectus.

Secundo propter duo, quæ Apostolis tunc imminebant, Christi scilicet abscessus, & ipsorum persecutio. Non turbetur cor uestrum de meo abscessu, non enim ita abeo, ut omnino separer à uobis, sed ut abitu meo maiora uobis bona acquirã & parem. Deinde non formidet cor uestrũ de uestra persecutione: Non enim tanta ingruẽt mala, quę à Deo uos separent, nõ de relinquemini in aduersis.

Roma. 8.

Est autem locus hic amplissima consolatio in aduersis. Hinc enim discimus, quod etsi Deus tempore aduersitatis uideatur abire, abscondendo consolationes, gaudia, uitã, ac fœlicitatem, & relinquendo in nobis aduersa, tristitias, mortem, damnationem, interim tamen hoc abitu suo uera nobis bona parat: adeo, ut absconsio Dei sub cruce, non sit perpetua piorum derelictio, sed maiorum bonorum officina. Vnde non immerito monet Iacobus: Omne gaudium existimate fratres, si in tentationes uarias incideritis, &c.

Iacob. 1.

Vel etiam ideo hęc duo uerba coniunxit Christus, ut Apostolos inter spem & metum ponat, ut si quid humanũ patiantur, spe ueniæ possint respirare, & formidine ab offendendo remoueantur. Cum igitur dicit: *Non turbetur cor uestrum*, docet, oportere certaturos

omni

omni abiecto terrore, labores & pericula pro uera gloria libenter subire (magnum enim fortitudinis fundamentum est, mens & animus non turbatus) Cum autem, addit: Non formidet, occultius ostendit, ueniam ipsis paratam, si humana infirmitate ipsos labi contingeret. Obserua autem, quod non aperte fugientibus & negantibus ueniam pollicetur, hoc enim tutum non erat, ne offensionis crimine quasi paruo neglecto, nullius culpæ putarent esse negationem & fugam ab eo. Sic enim peccatoribus promittenda est uenia, ut tamen interim etiam peccatorum grauitatem uideant.

Creditis in Deum, & in me credite.]

Quemadmodum priori uerbo eos consolatus est de suo discessu & ipsorum persecutione, sic hoc uerbo eos munit contra scandalum crucis, quia enim Christus crucifigitur, non creditur esse salutis au-
Lucæ 24. thor. Vnde & discipuli dicebant: Nos sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel. Igitur hoc uerbo indicat, se Deum esse et Deo æqualem, indicatq; se resurrecturum: *Creditis*, inquit, *in Deum*, scitis quod eum nulla uis aut potentia deprimere potest: *Credite et in me*, certiq; estote, nec tantillum maiestatis meæ, quam habeo in Patre,
Matth. 11. posse propter crucem futuram perire. Sic alibi monet: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.

Docemur hoc uerbo, ne alios iudicemus Deo contrarios, si uideamus eos aduersa pati, dummodo non propter impietatem patiantur. Deinde, ne putemus nos à Deo reiectos aut omnino perituros, si aduersis subdamur, quandoquidem & Christus mala quidem perpessus est, nec tamen ideo minus à Deo dilectus, nec quicquam illi propter hoc decesit. Hoc tantum quilibet curet, ne patiatur ut homicida aut alioqui impius. Si autem patitur citra suum demeritum,
1. Pet. 4. beatus est.

Græci legunt: Credite in Deum, & in me, &c. Secundum hoc igitur docet, quibus armis se prȩmunire debent aduersus omnia mala, nempe fide in Deum: Hoc enim est scutum illud, quo omnia tela
Ephe. 6. nequissimi illius ignea extinguuntur: Hæc est uictoria, quæ uincit
1. Ioan. 5. mundum, fides nostra. His armis gloriatur Dauid, cum dicit:
Psal. 26. Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Est autem hoc loco credere in Deum, nihil aliud, quàm omnia bona à Deo sperare.

In Deum igitur credere & sperare, unicum est in aduersis refugium. Deus namq; est summum gaudium, salus, gloria, uita, &c. Ipse item omnia potest, &c. hoc refugio usi sunt omnes pij, &c.

Vides igitur, quo nos Christus dirigat, nempe ad Deum, quodque non armis terrenis, sed fide muniat suos. Huc pertinet, quod
Heb. 11. Paulus diffuse ponit, quomodo patres fide omnia uicerint, &c.

Addit

Addit autem: *Et in me credite*, quo uerbo primo ostendit se esse Deum, nam in solum Deum credendum est. Secundo, ostendit hoc uerbo, non satis nobis esse Iudaico more indistincte in Deum credere, sed oportet agnoscere Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: nec minor debet esse fides in Filium et Spiritum sanctum, quã in Patrem. Tertio, hoc uerbum addit ad maiorem consolationem piorum: *Credite*, inquit, *in Deum, & in me*, quasi diceret. Et Patrem Deum habetis uobis fauentem, & me quoq; , nec est, quod quicquam de hoc dubitetis, &c. Sic Paulus: Deus pro nobis, quis ergo contra nos? Christus interpellat pro nobis, quis ergo accusabit? Quarto, ostendit hoc uerbo, per quem bona Dei speranda & quærenda sint: Si creditis (inquit) in Deum, si Dei bona, gratiam, auxiliũ, iustitiam, &c. speratis, & in me credite, hoc est, per me ea sperate, nam per me impetrabuntur. Obserua quod non dicit: Credite in Deitatem meam, sed in me, docens nos, ne diuidamus eius humanitatem à diuinitate, quandoquidem una est persona. Credimus igitur in crucifixum, mortuum & resuscitatum, non ut in alium à Dei uerbo, sed ut in unum uerum filium Dei. Roma. 8.

In domo Patris mei mansiones multæ.]

Eandem sententiam habet uerbum hoc ut illud: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri uestro dare uobis regnum, sic hic sensus est. Non est, quod uel propter meũ abscessum uel uestrum periculum, despõdeatis animum. Iam enim paratũ est uobis regnum Patris mei ab exordio mundi, & electi estis antequam iacerentur fundamenta orbis: Proinde non est, quod uobis possit incommodare, siue peccatum siue mors, siue mundus siue Diabolus. Nemo enim potest electos rapere de manu Patris mei. Domus autem Patris, uel cœlum est (ubi sancti finaliter requiescent, & Deus in sua gloria conspicitur) uel Ecclesia triumphans. Quemadmodum enim uiatores, in quibus Deus nunc habitat per fidem, dicuntur Ecclesia & domus Dei siue templum, ut cum dicitur: Templum Dei sanctũ est, quod estis uos. Item: Christus fuit fidelis in omni domo Dei. Sic comprehensores, in quibus Deus habitat per gloriam, dicuntur domus & templum Dei. Iuxta illud: Ciuitas illa non eget sole & luna, quia claritas Dei illuminabit eam, &c. Consolatorium autem est, quod dicit: In domo Patris nõ in domo iudicis. Emphasim habet et illud, quod dicit: *In domo Patris sunt mansiones*, non tantum habitationes, ad tempus durantes, sed mansiones stabiles, certæ & perpetuæ. Hic enim non habemus manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, &c. Item, cum domus hæc nostra dissoluitur, scimus quod ædificationẽm habemus ex Deo, domum non manufactam, &c. Sed forte quis mirabitur, quomodo Christus hic dicat multas mansiones Lucæ 12. Ephe. 1. Ioan. 10. 2. Cor. 6. Heb. 3. Apoc. 21. Heb. 13. 2. Cor. 5.

siones paratas in cœlo, quę mansiones nihil aliud sunt, quam electiones & prædestinationes sanctorum, cum alibi dicat: Paucos esse electos. Verum non est quod mireris, dicuntur electi pauci, tum propter uilitatem & contemptum, quo in hoc mũdo reprobantur: tum propter multitudinem impiorum & hypocritarum, præ quibus uere pij admodum pauci sunt. Dicuntur uero multi, non collatione ad hypocritas, sed collatione ad Christum, qui non solus sibi retinuit bona paterna, sed multis ea per fidem communicauit: Effudit enim sanguinem suum pro peccatis multorum. Cæterum, quamuis mansiones ab æterno paratæ sint, non tamen superuacaneus fuit Christi aduentus, immo summe necessarius.

Matth. 20.

Nam primo, mansiones quidem ab æterno paratæ fuerunt, sed non per alium, quàm per Christum mediatorem & intercessorem. Deinde, paratæ quidem erant, sed nondum reuelatæ. Quid autem prodest electum esse, & interim hoc nescire? Necessarius igitur erat Christus, qui hoc reuelaret. Præterea, mansiones quidem paratæ erant, sed iter adhuc inuium erat, tum quia humanæ naturæ inaccessibilis erat Deus: tum quia carni impossibile erat in cœlum conscendere (Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit) tum denique, quia obstabant peccata & maledictio iraq; Dei. Necessarius igitur erat Christus, ut uiam nobis mundaret, & accessum nobis ad cœlum & ad Deum pararet. Demum, mansiones quidem paratæ erant, sed nos imparati & infirmi eramus: necessarius igitur nobis erat Christus, ut nos à peccatis mundaret, & spiritu suo ad mansiones suscipiendas præpararet & confirmaret. Ostendit igitur Christus hoc uerbo, primum cœli capacitatem. Iuxta illud: O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Secundo ostendit, se sua bona alijs communicaturum, quasi diceret. Non uni mihi paratum est cœlum, non solus ego ab æterno à Patræ electus sum, sed multi alij per me electi sunt. Ego quidem solus uerus & unicus filius Dei sum, & ob id omnium bonorum Dei naturalis hæres: Verum multi alij per me possidebunt regnum Patris, & per me fient filij adoptione, & mecum cohæredes, &c. Tertio per hoc uerbum indicat etiam differentiam futuræ gloriæ. Sicut enim stella à stella differt in claritate, sic erit & resurrectio mortuorum. Et sicut alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum: sic & mansiones multæ sunt, & in gloria differunt, ueruntamen omnes in firmamento immortalitatis & incorruptionis stabilitę sunt, quemadmodum et stellæ. Vna quippe beatitudo est omnium electorum quo ad obiectum, sed non æqualiter ab omnibus participatur, quin immo sicut diuersa sunt merita uiuentium, sic diuersa sunt dona gloriæ. In summa, retributio certa est, tantum ut nos parati simus, & uiam aggrediamur, eoq; tendamus.

Baruch 3.

1. Cor. 15.

Si quo

Si quo minus dixissem uobis, uado parare, &c.]

Sensus est. Si non essent multæ mansiones, hac de causa abirem, ut locum uobis præpararem: Nunc uero, cum multæ sint iam ante paratæ (electi enim sunt credentes ante constitutionem mundi) non hac de causa, sed ut uiam uobis faciam & inuium iter præparem, abiturus sum. Adhuc enim estis in peccatis uestris omnes filij Adæ, quemadmodū ingenue falsi sunt Prophetæ: Facti (inquiunt) sumus immundi omnes, &c. Nunc igitur non dico me paraturum mansiones, sed uos parabo mansionibus. Vado enim lauare uos à peccatis uestris in sanguine meo, ut digni sitis introire in illas sydereas mansiones, in illa cœlestia sancta sanctorum, ut sitis regnum & sacerdotes: quia non aliter suscipient uos illæ mansiones, iuste ac legitime hactenus exheredatos pro cōmunis patris uestri uitio, nisi per me alium Patrem: per me (inquam) in morte mea uos regenerantem, introducamini, ordine iustitiæ seruato. Quod si nouam sententiam incipere quis uelit in hoc uerbo (*Vado parare uobis locum*) id quod translator noster uidetur uoluisse, potest & hoc sustineri. Vere enim parauit Christus nobis locum moriendo: Spiritum sanctum mittendo, et pro nobis Patrem interpellando. Nam in passione orans cum lachrymis, exauditus est pro sua reuerentia.

Ephe. 1.

Isai. 64.

Apoc. 1.

Apoc. 5.

Heb. 5.

Et si abiero, &c. iterum uenio ad uos.]

Alia consolatio est, quasi diceret, Non ita abiturus sum, ut prorsus à uobis seiungar: non ita recedam, ut non redeam: non ita ingrediar in regnum Patris mei, & dominium super peccatum, mortem et Diabolum, ut illud mihi soli retineam, sed ut et uobis illud parem. Sicut enim non mea causa descendi in carnem, sed uestra: sic et uestra causa nunc iterum ad regnum Patris contendo. Iterum igitur uenio ad uos, scilicet resurgendo à mortuis, pace inter Deum & uos reformata, pacem & remissionem uobis annuncians. Potest & hoc uerbum: *Iterum uenio ad uos*, referri uel ad tempus mortis, uel ad iudicium futurum. Iuxta illud: Ecce uenio cito, & merces mea mecum. Sicut enim Christus post resurrectionem uenit Spiritus sancti reuelatione, sic in iudicio ueniet maiestatis suæ manifestatione, non enim ueniet quasi nunc non sit nobiscum, sed quia maiestas eius tunc reuelabitur omnibus & pijs & impijs: Videbunt enim tunc eum etiam, qui eum pupugerunt. Quia tamen Christus hic dicit: *Venio*, non, Veniam, uidetur loqui de reditu suo per manifestationem Spiritus sancti. Nihil igitur aliud est: *Si abiero, iterum uenam*, quam quod Dauid dicit: Ascendit in altum, dedit dona hominibus, &c. Abijt siquidem morte, rediit autem resurrectione, ascensione, Spiritus sancti missione, quibus rebus sese proprium nobis donauit, &

Apoc. 22.

Apoc. 1.

Psal. 67.

Matth. 28. distribuit, dicens: Ecce uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem mundi.

Assumam uos ad meipsum.]

Et hoc bifariam potest intelligi. Nam primum assumit Christus suos per missionem Spiritus sancti, quo ipsos sibi colligat et complectitur, ut unum cum ipso corpus sint: Qui enim habent spiritum Christi, hi sunt eius. Proinde nullum peccatum est tam ingens, nulla afflictio tam grandis, nulla mors tam terribilis, nullus Sathan tam horribilis, nullus infernus tam profundus, qui possit credentem deglutire ac perdere. Sunt enim credentes cum Christo, & Christus cum ipsis: & ut in Christum, ita & in credentes nullum ius habent, peccatum, mors, Diabolus. Postremo autem assumpturus est credentes ad se carnis resuscitatione, ut semper cum Domino sint: Tunc enim ueniet Dominus in iussu & uoce Archangeli, &c. Vtroq; modo nos assumit Christus, ut siue uiuamus, siue moriamur, Domini simus. Huc pertinet quod in Apocalypsi dicitur: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, &c. Item in Ezechiele: Nomen ciuitatis ab illa die & deinceps, Dominus ibidem.

Roma. 8. Apoc. 21. Ezech. ult.

Gene. 46. In huius figura Ioseph olim fratres suos ad se assumpsit, ne perirent fame in terra Chanaan.

Et quo uado scitis, & uiam scitis.]

Hic tandem ad id, quod Petrus supra interrogauerat, respondet. Sciebat enim & ipsum Petrum & alios discipulos anxie id cupere, quasi diceret. Quid quæris Petre quo uadam, cum idipsum scias nedum tu, sed omnes uos: Quotiens dixi me ad Patrem & ad gloriam meam iturum? Nec semel etiam indicaui, me per passionem et mortem intraturum in gloriam meam. Alij sic exponunt: *Quo uado scitis.* Hoc est, scire posse tis, si scripturam consuleretis. Ea enim pulchre prædixit & meam passionem, & meam glorificationem. Simplicissime autem intelligendo, Christus hoc uerbo ipsis ostendere uoluit, quanta iam acceperint, & quid ipsis restaret, quasi diceret: *Quo uado scitis.* Nam Deum Patrem, ad quē uado, in meipso ostendi uobis, ad hæc me ipsum, qui sum uia ad Patrem, uobis manifestaui. Primo prædicatione uerbi mei, deinde uoce Patris superne delata, postea miraculis, postremo glorificatione mea, quam aliquibus uestrum ostendi in monte Thabor. Huc accedit, quod uos ipsi confessi estis me esse filium Dei. Nihil igitur ad fœlicitatem uestram deest, nisi quod nondum nec Patrem, nec me reuelate cognoscatis: Absoluam autem & hoc opus per crucem & mortem meam: qua impetrabo uobis Spiritum sanctum. Is enim docebit uos omnia, & clamabit ad Deum in corde uestro: Abba Pater, hoc est, declarabit manifeste, Deum esse Patrem uestrum, & uos per me filios Dei.

Matth. 3. Matth. 17. Matth. 16. Ioan. 14. Galat. 4.

Monemur

Monemur & nos hoc uerbo cogitare, quanta acceperimus præ aliis, ut grati simus & bene utamur acceptis: alioqui uerbum hoc nobis omnem excusationem aufert.

Domine, nescimus quo uadis, &c.]

Directe contrarium est ei, quod Christus dixerat: Non tamen credendum, quod Thomas mendacij eum arguere uoluit, sed tantum ingenue fatetur hoc uerbo suam & aliorum ignorantiam, ut Christum prouocet ad clarius ostendendum, quo ire uellet. Verum, si Apostoli hoc nescierunt, quomodo Christus dixit: Scitis? Respondeo, Sicut qui aliquid habet, & tamen imperfecte, uel nescit se habere, uel nescit usum eius rei, dicitur habere & non habere, quemadmodum pius homo habet uitam æternam, & non habet: Habet in spe. Nam Christus dicit: Qui credit in me, habet uitam æternam, sed non habet in re & perfecte. Et infans baptizatus habet fidem, et non habet. Habet, quia ei infusa est: non habet autẽ, quia nescit se habere. Et diues auarus habet diuitias, & non habet: habet in arca, non habet in usu. Sic qui aliquid scit imperfecte, uel nescit se scire, uel non scit ea scientia uti, is dicitur scire & non scire. Sic Apostoli sciebant & non sciebant quo Christus iturus esset. Sciebant quidem, quia Christus dixerat, ut supra positum est. Ideo bene dixit: Vos scitis. Quia tamen hæc imperfecte sciebant, immo nesciebant se tanta accepisse, donec Spiritus sanctus eis ea iterum suggereret, uere etiam dicit Thomas: *Nescimus quo uadis.* Cæterum ex hoc loco uidemus, quomodo Christianus homo diues sit & potens & sapiens. Omnia habet, & tamen nihil habet: Omnia potest, & tamen nihil potest: Omnia scit, et tamen nihil scit: Omnia habet, scit et potest in Deo, sed in se nihil habet, potest aut scit, & utrunq; ingenue confitetur pius homo. Ioan. 6. Ioan. 14.

Ego sum uia, ueritas & uita.]

Hoc est totius Euangelij caput & summa, hoc uerbum uel solum nos instruere potest, quo tendere debeamus, idemq; & solũ in quacunq; tribulatione & tentatione consolari potest, quare diligenter obseruandum. Primo igitur hoc uerbo respondet ad quæstionem Thomæ, quasi diceret. Miraris quod dixerim: Quo uado scitis, cum nihil tale in te uideas & inuenias. Atqui hoc modo fit: *Ego sum ua,* quam diu me habetis, non potestis conqueri uos nescire uiam. Ego uobis uia & terminus, tantum sequimini, & quod habetis tenete, nec curiosius quærite, quis sit ille locus ad quem uos ducturus sum, & per quam uiam, per quę media. Hæc inuestigare non est uestrum, contenti estote, quod me habetis uiam & præcessorem. Secundo hoc uerbo Christus ostendit, se esse exordium, medium, & finem, salutis nostræ. Initium salutis nostræ est transitus à peccato ad iusti-

tiam, ex ira in gratiam Dei: Medium est cognoscere ueritatem: Finis autem est apprehendere uitam æternam. Omnia autem hæc per
Ioan. 1. Christum consequimur. Ipse enim est uiuum illud uerbū Dei, quod fide apprehensum ducit ad Deum, hoc est, è peccatis ad iustitiam, è morte ad uitam, è tristitia ad gaudium, è damnatione ad salutem. Merito igitur dicit: *Ego sum uia.* Secundo uerbum Dei est ipsa ueritas, omnia alia sunt falsitas, uanitas, quia igitur Christus est uerbum Dei, congrue dicit: *Ego sum ueritas.* Tertio uerbum Dei est uita, non ob id tantum, quod omnia per ipsum creata sunt, sed etiam ob id, quod credentes recreat & renouat noua spiritus regeneratione, reliqua omnia sunt mors & perditio. Quia igitur Christus est uerbum Dei, congrue dicit: *Ego sum uita.* Sunt autem hæc breuiter quidem dicta, sed tamen plane indicant, quantus nobis thesaurus sit Christus. Ego sum uia incipientium, ueritas proficientium, uita
Prouer. 4. perfectorum. Ego sum uia ducens: Ducam (inquit) te per se-
Malach. 4. mitas æquitatis. Veritas lucens: Vobis (inquit) timentibus Deum
Ioan. 10. orietur sol iustitiæ. Vita pascens: Ingredietur, inquit, & egredietur, & pascua inueniet. Ego sum uia uitæ, ueritas doctrinæ, uita salutis æternæ. Ego sum uia in exemplo, ueritas in promisso, uita in præmio. Ego sum uia non errans quærentibus, ueritas non fal-
Psal. 144. lens inuenientibus (Fidelis enim Dominus in uerbis suis. Et in Chri-
2. Cor. 1. sto non est, est & non) uita indeficiens permanentibus. Ego sum uia, quia dirigo credentem. Veritas, quia ueracem facio confitentem. Vita, quia beatifico credentem & confitentem. Hoc igitur uerbo Christus consolatur suos & roborat in omni tentatione, & maxime in morte: Ego (inquit) sum uia, per me euades. Ego ueritas, sine du-
Psal. 88. bio igitur erunt quæ promisi: Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. Ego uita, igitur nec mors impedire potest, quo minus ad me peruenias. Itaq; si ego uia, non indiges duce: Si ego ueritas, non falsa loquor: Si ego uita, etiamsi moriaris habebis quę promisi. Vide quanta consolatio in his uerbis nobis proposita sit. Deinde hoc uerbo omnes etiam mundanos ad se allicere cupit Christus. Omnes enim cupimus uitam, ueritatem, &c. Verum nusquam certa aut stabilis inuenitur, aut uita, aut ueritas, aut uia, nisi in Christo. Quid igitur miser per inania uagaris? inania & uana apprehendis, omissis ue-
Baruch. 3. ris bonis? Huc huc te conuerte, Disce ubi sit prudentia, ut simul discas, ubi sit longiturnitas uitæ & pax. Præterea, cum Christus se solum dicat esse uiam, ueritatem, & uitam, monet ut deuia uitemus,
Psal. 106. itemq; falsitatem, ne nobis contingat illud: Errauerunt in inuio, &c.
Sapien. 5. Itemq; illud: Errauimus à uia ueritatis, &c. Stat enim sententia: Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Item: In uia, qua ambulabam ab-
Psal. 139. sconderunt superbi laqueum mihi. Merito igitur monet Hiere-
Hiere. 6. mias: State super uias, & interrogate quæ sit uia bona. Ad hæc,

Christus

Christus hoc uerbo longe se destinguit à Moyse & Prophetis. Illi (inquit) docuerunt uiam, ueritatem & uitam: Ego non tantum doceo, sed sum uia, ueritas & uita, quod uerbis doceo, hoc reipsa præstare possum, id quod nullus alius potest. Postremo, quod Christus his tantum tribus nominibus hoc loco se insigniuit, cum potuisset alia addere, &c. docere uoluit, tria quædam nobis necessaria esse ad acquirendas illas cœlestes mansiones, & hæc ipsa non alibi quam in se inueniri. Primum est sanctitas uitæ, Secundum est fides recta, Tertium est spes uitæ futuræ. Atqui Christus dat ut sancte uiuamus, recte credamus, & spem nostram ad futura bona erigamus.

Nemo uenit ad Patrem, nisi per me.]

Primo sic intelligitur. Nemo cognoscit Patrem nisi per me: Deum enim nemo uidit unquam, unigenitus filius enarrauit nobis. Secundo sic: *Nemo uenit ad Patrem, &c.* Hoc est, omnia alia nos absterrent, ne Patrem accedere audeamus. Primo, ratio humana ignorans Dei, deinde peccata, præterea lex, quæ Deum proponit ut iudicem: Postremo etiam diuina maiestas sublimior est, quàm ut possimus eam uiribus humanis accedere. Solus Christus solum Dei uerbū facit, ut secure audeamus accedere: Solus denicp ipse est medium & uia, qua ad Patrem peruenimus. Consequitur igitur, non satis esse in Patrem credere, nisi credamus & in filium. Item consequitur, quod nullis nostris uiribus & operibus salutem consequi possumus, nisi in Christum credamus. Non enim propter opera nostra in se nos gratos habet Deus, sed propterea, quod in Christum credimus: Gratos, inquit, nos sibi fecit in dilecto filio. Ioan. 1. Ephe. 1.

Si cognouissetis me, & Patrem meum utiq, &c.]

Obseruandum in hoc ultimo sermone, quod Christus Deum non aliter, quàm Patrem nominat, sed differenter. Aliquando enim simpliciter nominat Patrem, aliquando autem addit, Meum. Ideo autem Patrem nominat Deum, ut amabilem nobis eum faciat, non terribilem, quemadmodum lex fecit. Ideo autem interdum addit, Meum, ut ostendat se singulari quodam modo filium Dei, natura scilicet non adoptione tantum, quemadmodum nos. Verissime autem dictum est: Si cognouissetis me, &c. Primum enim cum eadē sit substantia Patris et Filij, & qualis Pater, talis sit et Filius: qui Filium cognoscit, cognoscit & Patrem. Secundo, Pater & Filius, sunt correlatiua, uno igitur cognito, cognoscitur et alterum. Tertio cum Filius sit splendor gloriæ Dei & imago substantiæ eius, Heb. 1. itemcp candor lucis æternæ, & speculum sine macula: Qui igitur Christum cognoscit, etiam Patrem cognoscit. Præterea, Christus est uerbum Dei: Qui autem uerbum Dei audit & credit, is procul

dubio sentit consolationem Patris in corde. Ex uerbo, inquam, Dei, sentitur gloria Patris consolantis, uiuificantis & sanctificantis, quæ consolatio & sanctificatio uita æterna est. Hinc Dauid: Nisi
Psal. 119. quod lex tua meditatio mea est, tunc forte perijssem, &c. In æternum non obliuiscar, &c. quia in ipsis uiuificasti me.

Ex hoc uerbo patet, quod Christum cognoscere, non est ipsum corporaliter uidere, eumq; hominem credere: sed scire, quod unius cum Patre substantię & potestatis est. Item scire, cur in mundum uenerit, quid per eum nobis dare decreuerit Deus. Qui sic Christum cognoscit, is uere & Patrem cognoscit. Videbit enim Patris bonitatem & misericordiam erga nos, atq; hinc permotus, eum diliget ac reuerebitur, uiuet uita ipsius, ambulabit in uia eius, stabit in ueritate eius, &c. atq; hoc est uere cognoscere Patrem.

Et amodo cognoscetis eum.]

Per spiritum scilicet sanctum, qui in cordibus uestris clamabit:
Roma. 8. Abba, Pater. Perfectius autem eum cognoscetis in futura uita. Magna promissio, & hic & in futuro cognoscere & experiri, quod Deus uere Pater sit. Græci legunt: Amodo cognoscitis eum, quasi dicerent. Hactenus, & si aliqua fuerit cognitio Dei, admodum tamen
Deut. 6. imperfecta fuit. Moysi enim satis erat dicere: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Sufficiebat enim eo tempore, si homines à multorum Deorum cultu ad unum Deum reuocarentur: Nunc autem ex quo ego locutus sum, plenius cognoscitis Deum. Ego enim uobis ostendi unius Dei naturam in tribus personis, insuperq; bonam ipsius erga uos uoluntatem.

Et uidistis eum.]

Pater est, potentia, iustitia, misericordia, consolatio, & uera fœlicitas. Apostoli autem potentiam Dei uiderant in miraculis Christi, consolationem Dei senserant in aduersis, fœlicitatem gustauerant
Matth. 17. in monte Thabor, misericordiam uiderant in susceptione peccatorum. Merito igitur eis dicitur: *Vidistis eum.* Qui enim Dei potentiam, iustitiam, &c. uidet, Deum uidet. Nemo igitur dicere potest, se
Roma. 1. ignorare Deum, cum quotidie eius opera uideat: Inuisibilia enim Dei, &c. in creatis conspiciuntur rebus, &c.

Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.]

Quo diutius Christus differt, eo ardentius Apostoli interrogant & quærunt. Hoc uno autem uerbo Philippus pulche ostendit, & carnis & spiritus naturam.

Primo enim è spiritu est, quod non temporalia à Christo petit,
3. Reg. 3. sed spiritualia. Laudem meruit Salomon, quod non diuitias, &c. sed sapientiam à Deo postulauit. Multo magis laude dignum est,

quod

quod Philippus faciem Patris quærit. Obseruandæ igitur sunt tres illæ Apostolorum quęstiones: Domine quo uadis? Domine nescimus, quo uadis, & quomodo possumus uiam scire? *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Deinde etiam è spiritu est, quod in uisione & cognitione Patris, fœlicitatem & finem suum constituit Philippus: Ostende, inquit, Patrem, & sufficit, quasi diceret. Te magister & Domine iam uidimus & agnouimus, dileximus & confessi sumus, & beatos esse fatemur oculos nostros, qui te uidere meruimus: Iam nihil supereſt, nisi ut Patrẽ ostendas. Præterea ideo petit, ut ostendat Patrem, quo Iudæis ora obstruerentur, quod & ipsum è spiritu est. Videbat Pharisæos sic inuidia exarsisse in Christum, ut cum miracula eius impedire non possent, summo studio ea calumniabantur, modo in principe Dæmoniorum ea fieri clamãtes: modo turbas reprehendentes, quod illum audirent: modo etiam in contemptum Christi Moysen suum iactanctes: Nos (inquiunt) scimus, quod Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit. Lucæ 10. Lucæ 11. Ioan. 10. Ioan. 9.

Hæc omnia consyderans Philippus, petit à Christo, ut & ipse, quemadmodum Moyses fecerat, eis ostenderet Patrem, ut uel sic quiescerent & cessarent Iudæorum calumniæ.

Cæterum, quantumuis pia intentione hoc dixerit, non parum tamen etiam carnis naturam hoc uerbo ostendit. Primum in eo, quod Deum oculis corporalibus uidere cupit, id quod fieri non potest: Deus enim est spiritus. Deinde etiam hoc carnẽ sapit, quod cũ sciret Moysi dictum esse: Non uidebit me homo & uiuet, ipse tamen etiam in hac uita Dei conspectum petit, atq; adeo beatitudinem plenam. Nam uidere Patrem & Filium, uita æterna est. Ioan. 4. Exod. 33. Ioan. 17.

Sic enim caro etiam hic glorificari & beatificari uult, quod tamen fieri non potest: Per fidem enim ambulamus, non per speciem. 2. Cor. 5.

Maxime autem in hoc carnis & rationis naturam uidemus in Philippo, quod non contentus est uerbo, quo solo Pater & uoluntas eius discitur, sed maiora quærit & certiora, quasi parua aut incerta sint quæ acceperat, immo uult signis & sensu assecurari. Hæc enim est carnis & rationis natura.

Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouistis me?]

Hoc uerbo ostenditur, omnium maxime reprehensibile esse in discipulo Christi, si diutius in Christianismo uersetur, nihil tamen proficiat aut crescat in cognitione Christi,

Multo tamen iustius hæc nobis obijcerentur, qui quasi tota die ociosi stamus, nec attendimus, quæ nam nobis donata sint. Vide autem, quomodo Christus discipulorum tarditatem arguat. Primo enim non irascitur, quod tantum laboris frustra impenderit, Matth. 20.

nec aſperis uerbis eos aggreditur, ſed admodum manſuete corripit. Solet enim Deus etiam imperfectiones ſuorum tolerare, ſi non aſsit cor peruerſum: Eis autem, qui ex certa malitia & propoſito mali ſunt, loquetur ſuo tempore in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos, regetq; eos in uirga ferrea, &c. Deinde Chriſtus reprehenſurus tarditatem Philippi, nō ad ipſum ſolum ſermonem dirigit, ſed ad omnes in communi: *Tanto*, inquit, *tempore uobiſcum ſum, &c.* ne ſcilicet ipſum rubore ſuffundat & publice confundat, id quod diligenter obſeruent hi, quorum eſt aliorum uitia carpere & arguere. Solent enim qui publice confunduntur, uel iraſci contra corripientem, uel ad excuſationes ſe conuertere. Ob eam cauſam Chriſtus nec ludam manifeſte corripuit. Obſeruandum & id, quod Chriſtus uno ſolo, eoq; breuiſsimo uerbo diſcipulos corripit, contra eos, qui nihil aliud agunt in concionibus publicis, quàm quod tota libertate in aliorum uitia inuehuntur. Corripienda quidem ſunt uitia, ſed non id ſolum agendum. Sunt quidam in concione, qui correptione indigent, ſed iuxta hoc ſunt alij, qui doctrina indigent, itemq; alij, qui conſolatione: Hi autem ſi totus ſermo expendatur in correptionem uitiorum, iciuni reuertuntur in domos ſuas. Apoſtolus autem præcipit, non ſolum corripiendos eſſe inquietos, ſed etiam conſolandos puſillanimes, & docendos infirmos, &c.

Pſal. 2.

Sup. c. 13.

1. Theſſ. 5.

Philippe, qui uidet me, uidet & Patrem.]

Omiſſa correptione, conuertit ſe ad doctrinam, in qua plus ſitum eſt, quàm in correptione: Ideo etiam pluribus hic uerbis utitur, quod & ipſum pro exemplo notent prædicatores. Eſt autem ſenſus uerbi. Philippe, exiſtimas te beatum futurum, ſi Deum corporalibus oculis uideres, planeq; exoptas etiam in hac uita Dei perfectam cognitionem, quorum utrunq; impoſsibile eſt. Nam & Deus ſpiritus eſt, nec uidetur oculis corporalibus: Et nunc per fidem ambulamus, non per ſpeciem. Deinde ſic loqueris, quaſi nihil hactenus de Patre cognoueris, cum ipſius uerum uerbum audieris, potentiamq; ac miſericordiam uideris, immo me ipſum, qui ſum eius uerbum, Filius, imago & facies, coram uideas. Præterea exiſtimas omnes Iudæorum blaſphemias ceſſaturas, ſi ipſis Patrem oſtendam, quemadmodum Moyſes olim fecit, ſed longe falleris. Nam & hi ipſi, qui olim & uiderunt & probauerunt opera Dei in deſerto, nihilominus impij fuerunt, unde & perierunt. Demum uideris & hoc ſentire, quod ueteres illi perfectius Deum uiderunt quàm uos, ſed longe erras. Illi uiderunt non Deum, ſed ignem et fumum in monte Sina: Atqui natura ignis longiſsime abeſt à natura Dei. Nec quiſquam ad rectam de Deo opinionem, per ſpeciem ignis perueniet. Bonus ſiquidem natura Deus eſt, creator eſt, cuncta ex nihilo produxit, & quæ produxit

Ioan. 4.

2. Cor. 5.

Pſal. 94.

Exod. 19.

continet & uiuificat. Sapientia præterea & uirtus est, iustus & misericors, &c. quorum omnium nihil unquam in igne conspicies: Qui autem me uidet, uidet uere Patrem Deum. Sicut enim Deus bonus in natura est, sic ego eandem bonitatem ostendi, me ipsum usq; ad terram humiliando. Et sicut Deus potens est, sic eandem ego potentiam ostendi in miraculis, &c. Et sicut Deus uita est naturaliter, sic & ego hoc ipsum ostendi, mortuis uitam restituendo, & mortis uires confringendo. Docet igitur Christus hoc uerbo, Deum pro hoc tempore non aliter uideri posse, quàm in uerbo & filio: Proinde non quærendam aliam uiam cognoscendi Deum, sed credendum uerbo Christi, hocq; contentos esse. Qui enim Christo credit, is uere experietur & sentiet Patrem uiuificantem & consolantem. Deinde docet, Deum perfectius in suo uerbo cognosci, quã in quibuscunq; alijs operibus & creaturis. Videntur quidem inuisibilia Dei etiam in creaturis, sed longe perfectius in Filio & uerbo. Præterea docet, Deum perfectius uideri in uerbo & Filio suo, quàm in quibuscunq; apparitionibus & uisionibus ueteris Testamenti. Roma. 1.

Postremo subindicat, nec ipsi Deo credituros, si uisibiliter appareret, eos, qui Filio non credunt et uerbo: *Qui me uidet, uidet & Patrem.* Qui me non uidere uult, nec Patrem attenderet. Sic Abraham dicit: Si Moysen & Prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis surrexerit credent. Lucæ 16.

Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem?]

Non malum est, ad perfectam uisionem Patris anhelare. Sic enim & Dauid frequenter orasse legitur: Quemadmodum (inquit) desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, &c. Et iterum: Ostende faciem tuam, & salui erimus. Ita autem faciem Patris requirere, quemadmodum Philippus, quasi scilicet hactenus nullo modo eum uiderimus, aut quasi seorsum cognoscatur sine filio, aut quasi cognitio Patris dignior sit, quàm notitia filij: Hoc, inquam, uitio non caret. Huc igitur pertinet uerbum Christi: Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Psal. 41. Psal. 79.

Non credis, quia ego in Patre & Pater in me est?]

Deus est in omnibus creaturis, & omnes creaturæ in ipso sunt: In ipso (inquit Paulus) uiuimus, mouemur & sumus. Longe tamen aliter filius Dei est in Patre, & Pater in filio, per naturam scilicet & consubstantialitatem. Vnde solus ipse ueraciter dicere potest: Qui me uidet, uidet & Patrem. Huc pertinet, quod Ioannes dicit: Qui Patrem negat, & filium negat: & qui filium negat, nec Patrem habet. Qui autem filium confitetur, is & Patrem confitetur. Actor. 17. 1. Ioan. 2.

Verba quæ loquor, a me ipso non loquor, &c.]

Vt

Vt certo sciamus Christum Deo Patri consubstantialem, duobus signis probat, uerbis scilicet & operibus. Est autem sensus uerbi, quasi diceret. Si uultis certi esse, quod Pater in me sit & ego in ipso, attendite uerba & opera mea. Primo enim, si Pater ipse loqueretur, non aliud uobis quam ego loquor, loqueretur: sic etsi Pater per se operaretur, non aliud operaretur, quam ego operor. Eadem enim nobis mens est, eadem uoluntas, eadem uis & natura. Deinde quicquid loquor, ex animo illius loquor: quicquid facio, ex illius sententia facio: per me ipse uobis loquitur, per me suã exerituirtutem.

Docet igitur, ut ipsius & uerba & opera, non aliter accipiamus, quam Dei uerba & opera. Ex eo autem quod dicit, Patrem in se manentem facere opera, occulte subindicat, neminem aut ueraciter loqui, aut bene operari, nisi Patrem in se habeat manentẽ. Stat enim
Psal. 115. Psal. 13. sententia: Omnis homo mendax. Et: Non est qui faciat bonum.

Non creditis, quod ego in Patre, &c.]

Repetit quod iam dixerat, ut fortius inculcet. Non parum enim refert scire, Christum esse uerum Deum, Deo Patri consubstantialem. Græci tamen hoc loco legunt: Credite quod ego sum in Patre, & Pater in me, quasi diceret. Hoc unum credite, animisq; uestris infixum habete: Quod si feceritis, nihil detrimenti uobis adferet huius corporis subductus conspectus. Satis uobis erit, fide uidere Deitatem meam, etiã si nõ uideatis oculis corporis meam humanitatem.

Alioqui propter opera credite.]

Quamuis Christus mentiri non possit, non tamen omnino hoc exigit, ut nudis uerbis ipsius credamus, sed addit opera, ut uel sic imbecillitati nostræ consulat. Deinde ut doceat, non facile credere his, qui magnifica de seipsis iactant. Sciebat enim impios & seductores præcedentia uerba etiam sibi adaptare posse, deosq; se uerbis facere, sed non posse diuina opera ædere. Hoc autem uerbo palam indicat, se unius cum Deo naturæ esse, nec quicquam mirum & diuinæ naturæ conueniens operari potuisse, nisi natura Deus esset. Nunquam enim qui ex Deo non est, æqualiter Deo operabitur, neq; creatura, quę infinitæ uirtutis sunt, suscipiet. Nunquã etiam bona eius naturę, quę semper est, iis quę sunt producta ex nihilo, proprie attribui poterunt. Stat enim sententia: Ego Dominus gloriam meam alteri non
Isai. 42. dabo. Quamuis autem Moyses uideatur prohibere, ne signis tantum credamus: Si, inquit, surrexerit, &c. non audies uerba Prophetæ illius, &c. sed præmisit, si dixerit: Eamus & seruiamus diis alienis,
Deut. 13. &c. Nam aduersus uerbum Dei miraculis diuinis confirmatum, nullum signum est admittendum. Tunc autem signis secure credere possumus, si doctrina uerbo Dei consentiat, id quod in Christo fuit. Vnde & fidutialiter ad signa sua nos mittit.

Amen

Amen dico uobis, Qui credit in me, opera quæ ego, &c.]

Supra dixit: Pater in me manens, ipse facit opera, quod intelligi posset, quasi ipse ex se nihil posset efficere, sed tantum ut instrumentum Dei esset: Hoc excludere uolens, docet nunc se nedum ex se ipso omnia posse, sed etiam eam uirtutem in se credentibus communicaturum pollicetur. Deinde, ne discipuli, qui præsente eo diuina opera uiderant, putarent eo recedente nihil tale amplius se habituros, consolatur eos hoc uerbo, & docet adeo eis non defutura diuina opera, ut & ipsi ea effecturi sint. Videtur autem hoc uerbum innuere, quod soli hi Christiani sint, qui signa faciunt, quandoquidem Christus expresse dicit: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, &c.* Et quod nullus Christianus sit, aut dici debeat in Christum credere, nisi signa faciat, id quod admodum durum nobis esset, quandoquidem nullus nostrum hoc tempore signa facit. Ob eam causam quidam exponunt locum hunc, non de operibus miraculosis, sed de operibus uirtutum, ut sit sensus: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet,* hoc est, imitabitur charitatem meam, humilitatem, patientiam, &c. Et quidem pia est hæc sententia. Nam & Ioannes dicit; Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, etiam ipse ambulare: Verum huic loco non congruit. Aliqui uolunt Christum hic tantū loqui de perfectis fidelibus tēpore primitiuæ Ecclesiæ, certisq; personis electis ad hoc, ut gratiam signorū sortiantur, sicq; per eos alij conuertantur. Sed nec hoc quidem satisfacit huic loco. Nam Christus simpliciter dicit: *Qui credit in me, &c.* 1. Ioan 2.

Alij exponunt uerbū hoc de spiritualibus signis & miraculis, ut sit sensus: Qui credit in me, opera quę ego corporaliter facio, ipse faciet spiritualiter. Pius enim homo mortuos resuscitat, dum mortalibus uitijs implicatos conuertit ad Christum, & sic de alijs. In hunc modum exponitur etiā illud: Signa eos qui crediderint, hæc sequentur, &c. Marc. 16. Simplicissime autem intelligendo, Christus nihil aliud hoc uerbo uoluit ostendere, quàm inęstimabilem uirtutem fidei, quę omnibus fortior est. Iuxta illud: Omnia possibilia sunt credenti. Et iterum: Si habueritis fidem, dicetis monti huic, Tolle te, &c. Hinc Paulus: Omnia, inquit, possum in eo, qui me confortat. Et iterum: Deus triumphat nos in omni loco, &c. Et iterum: In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, &c. Huc pertinent, quæ Paulus ad longum de uirtute & fortitudine fidei patrum, scribit ad Hebręos. Marc. 9. Matth. 21. Phili. 4. 2. Cor. 2. Roma. 8. Heb. 11.

Nec mirum, quod credens in Christum tanta possit: Per fidem enim Christo unitur & incorporatur. Vnitus Christo, spiritū Christi accipit & habet, qui cum sit omnipotens, consequitur, quod & hominem, in quo habitat, fortem reddat.

Obserua

Obserua autem, quod Christus non dicit, Qui credit in me, sem-
Lucæ 4. per & in omni loco signa faciet. Nec enim Christus semper miracula fecit, sed tantũ ut dictum est, uoluit monstrare fidem nihil non posse, ubi id exigit necessitas & gloria Dei, uel utilitas proximi.

Et maiora horum faciet.]

Non loquitur hic de operibus creationis, quomodo enim posset fidelis maiora facere, quàm filius Dei, qui creauit cœlum & terram, &c. sed loquitur de operibus miraculorum, quæ in terra fecit. Multipliciter autem probatur ueritas huius uerbi, quod scilicet credentes maiora fecerint, quàm Christus ipse. Primo Christus tantum tres mortuos suscitasse legitur: Aliqui autem sanctorum plures suscita-
Matth. 9. runt. Secundo Christus ad tactum fimbriæ uestimenti sui, sanauit
Acto. 5. mulierem: Petrus autem umbra sanauit plærosq;, &c. Tertio Christus ad mortem iturus, adeo timuit (tamen propter nos) ut sanguinem sudaret: Apostoli autem ibant gaudentes à conspectu consilij, quod digni habiti essent pro nomine Iesu pati. Præterea Chri-
Matth. 27. stus in passione clamauit: Deus meus ut quid me dereliquisti? Cum plærisq; Martyres in passione nihil aliud clamarent, quàm, Gratias agimus Deo. Ad hæc Christus in passione sua nullum fecit signum, quo leniretur dolor eius, cum in passionibus Martyrum legamus, aliquando extinctum ignem, hebetatum ferrum mortuos & percussos persecutores, &c. Deniq; Christus in una tantum gente &
Matth. 15. lingua prædicauit. Fuit enim tantum missus ad oues domus Israel,
Roma. 15. & tantum fuit minister circuncisionis: Apostoli autem pluribus Gentibus, & uarijs linguis prædicarunt. Demum Christus uix paucos etiam ex eo populo, qui legem habebat, conuertit: Apostoli autem ingentem multitudinem ex Gentibus, qui nec legem nec scripturas habebant. Vere igitur dictum est: *Maiora horum faciet.*

Quia ad Patrem uado.]

Hæc est ratio, quare credentes maiora operaturi sint. Non ideo maiora facient, quasi ego id non potuerim, sed ideo, quia iam uado ad Patrem, hoc est, in regnum Patris consessurus ad dextram Patris, & omnium creaturarum dominium uendicaturus. Quam diu in humilitate carnis apparui, pauca quædam feci miracula: Nunc autem ad gloriam pergens, magna & multa in toto mundo per credentes efficiam. Deinde ad Patrem uado, hocq; meo per passionem transitu impetrabo & uobis Spiritum sanctum, & Gentibus salutem. Vnde fiet, ut in me credentes deinceps nihil non possint.

Et quicquid petieritis Patrem in nomine meo.]

Hoc adiecit Christus, ne quis putet credentes ipsi Christo posse æquari, uel propria uirtute operi miracula: Nequaquam (inquit)

facient

facient quidem credentes signa, sed ualde dissimiliter. Ego enim ex propria uirtute, illi autem ex aliena, hoc est, mea. Ego potestatiue ago quicquid uolo, illis opus erit oratione primum à Deo expetere, si quid faciendum sit. Signanter autem dicit: *In nomine meo*, quod primo sic intelligitur. In nomine meo, hoc est, si quæratis gloriam meam. Sicut enim Pater nihil mihi negat agenti, quod ad illius gloriam facit, sic uobis nihil negabo hoc agentibus, quod ad gloriam meam pertinet.

Secundo, In nomine meo, hoc est, ea quæ ad salutem pertinent. Nam nomen meum est Iesus, id est, saluator. Vt enim oratio exaudiatur, necesse est ut pie oremus, hoc est, ea quæ ad pietatem pertinent.

Tertio, In nomine meo, hoc est, per me, non per merita uestra. Per Christum enim & propter Christum exaudimur, sicut & in Christo diligimur. Hinc Petrus: Offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Christum. 1.Pet. 2. Sicut enim olim in lege non per sese offerebat populus, non per sese ingrediebatur in sancta sanctorum, sed offerebat Pontifex: sic nos per Pontificem Christum rogamus & offerimus. Hinc Paulus: Habemus libertatem adeundi in sancta per sanguinem Iesu, &c. Heb. 8. Signanter autem dicit: Hoc faciam, & non: Pater faciet, quo uerbo ostendit se simul cum Patre exaudire gratiamq; conferre, iustificare & saluare, atq; adeo se eiusdem naturæ & potestatis esse cum Patre. Demum, ne quis putet solum Patrem inuocandũ esse, addit: Et siquid petieritis me in nomine meo, &c. Sũma, Pater amat filium, & omnia dedit ei in manus. Christus igitur nedum Ioan. 5. uiam aperuit ad Patrem, sed insuper uires accedendi donat, ut tuto & facile ipsum precibus nostris accedere audeamus.

Si diligitis me, mandata mea seruate]

Hoc uerbo primo arguit discipulorum pusillanimitatem, quasi diceret: Nolite dilectionem uestram erga me fletibus tantum et tristitia ostendere, sed ad memoriã reuocate ea, quæ uobis dixi & promisi. Deinde ostendit hoc uerbo, ad quos pertineat præcedens pollicitatio, de exaudiendis orationibus. Nam quod non ad omnes pertineat dictũ illud: Quicquid petieritis Patrem, &c. Iacobus ostendit, cum dicit: Petitis, & non accipitis, eò, quod male petatis. Iacob. 4. Et idem de eo, qui duplici est animo: Non (inquit) æstimet homo ille, quod aliquid à Deo accipiat. Iacob. 1. His enim qui non ad studiose agendum, sed tantum ad explendas cupiditates petunt, Deus aures obstruxit. Nam quæ ipse odit, quoniam turpia sunt, quomodo ea cæteris largiretur? Quomodo dulcedinis fons, amarum aliquid scaturire posset? Spiritualium autem gratiarum cupidis, larga manu omnia præbet. Hinc in Isaia: Adhuc te loquente dicam, quid est? Et Dauid: Oculi Isai. 65. Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Psalm. 33.

Præterea hoc uerbo nos admonet, ne torpore & ignauia nostra,

perdamus eius dilectionem & gratiam. Oportet enim, ut per opera nutriatur & conseruetur. Demum admonet, ne nos ipsos fallamus, ac nobis ipsis blandiamur, quasi Deum diligamus. Regnum enim
1.Cor.4. Dei non est in sermone, sed in uirtute. Et: Non omnis qui dicit mihi,
Matth.7. Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, &c. Probatio igitur dilectionis, est exhibitio operis. Obserua quod Christus, quamuis
Ioan. 7. supra dixerit: Verba quæ loquor, à me ipso non loquor. Item: Doctrina mea non est mea, &c. Hic autem manifeste sua esse affirmat, ut sciamus, quod ipse non ut Prophetarũ aliquis, nec ministri loco sermonem Dei nobis proposuit, sed ut consubstantialis & unius naturę cum Patre. Hinc est, quod Moyses & Prophetæ dicunt: Hæc dicit
Ioan. 15. Dominus, &c. Christus autem: Hæc mando uobis. Neq; id mirum.
Heb.3. Moyses enim & Prophetæ fuerunt ut serui in domo Dei, Christus autem ut filius. Obserua item, quod Christus propria habet mandata & alia à Moyse. Moyses enim legem habet, Christus autem Euan-
Deut.18. gelium. Hinc Moyses: Prophetã suscitabit uobis Dominus similem mei, &c. Quę ergo præcepit Pater filio: Hæc est uoluntas Patris, ut non perdã ex his, quos dedit mihi, & ut omnis qui credit in filium,
Ioan.6. habeat uitam æternam. Quanquam autem Euangelium totum, unum sit mandatum Dei, quod filio demandauit: non tamen abs re Christus in plurali loquitur: *Mandata mea seruate.* Nam Euangelium & fidem & charitatem docet.

Et ego rogabo Patrem, &c.]

Christus ubiq; Patrem agit fidelissimum. Sicut enim Pater filiꝰ paruulis adhuc nedum relinquit hæreditatem & quicquid boni habet, sed insuper tutores eis constituit, qui eam hęreditatem filiꝰ conseruent, ac insidiatoribus resistant, quod ipsi paruuli & orphani non possunt. Sic Christus hic non contentus hæreditatem bonaq; sua nobis testamento relinquere, insuper & tutorem nobis pollicetur, & instituit Spiritum sanctum, qui filiorum eius curam atq; tutelam pupillorum suscipiat, atq; testamento Patris legatam illis, immo sanguine eius conscriptam hæreditatem aduocatione legitima defendat, in omni prætorio, coram quouis iudice, Rege aut Tyranno, curetq;, ne ipsi filij incuria sua eam hæreditatem perdant. Proponenda siquidem erat lis in iudicio de terminis paternæ possessionis. Et cum
Psalm.2. Deus dixerit Christo: Postula à me, & dabo tibi gentes hęreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Futuri tamen erant, qui hæreditatem eius nimium uellent angustare, aut etiam annullare: ut Iudæi, qui in sua tantum synagoga: ut Donatus, qui in sola coartare cõtendebat Affrica: ut Pagani, qui nullam usquam eius possessionem esse uolebant. Præterea etiam cœlorum prædia insidiantibus malignis spiritibus perdere poterant filij Christi, ideo opus habebant tutore,

tore, qui eos protegeret, erudiret atq; pro delinquentibus interueniret. Ipse enim spiritus postulat, pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom. 8. Ostendit igitur Christus hoc uerbo, quod etsi à Patre sumus creati, à Filio corporaliter uisitati & redempti, adhuc tamen indigemus Spiritu sancto: Ego (inquit) rogabo Patrem. Ostendit deinde, propter se solum suamq; passionem, dari Spiritum sanctum credentibus. Christi enim passio fuit illa oratio, quæ nobis Spiritum sanctum impetrauit. Hinc Paulus: In diebus carnis suæ, preces obtulit Heb. 5. cum lachrymis, & exauditus est, &c. Hanc Christi precationem longe ante præuidit Dauid, unde imprecando sic ait: Exaudiat te Dominus in die tribulationis, &c. Memor sit omnis sacrificij tui, &c. Lętabimur in salutari tuo, &c. Per totum. Psalm. 19.

Et alium Paracletum]

Paracletus consolatorem significat Græcis. Hoc igitur uerbo ostendit, quod etiam ipse à Deo Patre, nobis datus sit consolator. Hinc Paulus: Per Christum abundat consolatio nostra. Per hunc 2. Cor. 1. autem alium Paracletum intelligit, Spiritum sanctum. Quem ideo nominat Paracletum, ut eius diuinam ostendat naturam: Nemo enim perfecte hominem consolari potest, nisi creator hominis. Si ergo Spiritus sanctus Paracletus est, constat, quod Deus est et unius cum Patre & Filio naturæ. Quod autem addit: Alium, subindicat discretionem personarum. Est autem Spiritus sanctus (maxime quo ad operationes suas in nobis) nihil aliud, quàm afflatus Dei, quo adspirat Deus corda nostra, ad sancta, pia, recta, iusta & diuina. Quemadmodum aliàs (ut sacratissimæ rei execratissima conferam) spiritus fornicationis aut auaritiæ dicitur, quo Sathan corda scortatorum & auarorum afflat, & aspirando accendit ad libidines & fraudes, ut noctes ac dies hoc solum agant et cogitent.

Iustissime autem Spiritus sanctus dicitur Paracletus uel consolator, non solum ob id, quod filios sponsi Apostolos, de morte & absentia Patris consolatus est uero scripturarum sensu, docendo quod sic oportuerit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, &c. Sed Lucæ 24. etiam ob id, quod credentes certificat uelut arrabo & pignus, quod 2. Cor. 1. sint filij Dei. Itemq;, quod in nobis clamat ad Deum: Abba, pater. Rom. 8. Præterea, quod fideles consolatur in omnibus aduersis, propter quod et Paulus clamat: Qui consolatur nos in omni tribulatione 2. Cor. 1. nostra. Obserua autem, quod nusquam ante hac hoc nomine appellatus inuenitur Spiritus sanctus, antequam enim Christus pateretur, nulla fuit perfecta sanctorum consolatio: Nunc autem Deo per mortem Christi repropitiato, merito dicitur Paracletus, quia luctum antiquum abstersit, nouaq; regeneratione de filijs iræ, filios reddidit gratiæ: de seruis peccati, filios iustitiæ: de filijs mortis & perditionis,

filios uitę et acquisitionis. Ex eo enim tempore secure dicimus: In con-
Psal. 125. uertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut cõsolati, etc.

Dabit uobis]

Etiam antea Apostoli habuerunt Spiritum sanctum, alioqui non in Christum credidissent, nec eum secuti essent. Nemo enim potest
1. Cor. 12. dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Habuerunt & Patriarchæ & Prophetæ Spiritum sanctũ. Nam frequenter legimus: Factus est Spiritus Domini super hunc uel illum. Verum is non erat aliquo externo signo reuelatus, nec tam copiose effusus, sicut post Christi passionem, ideo in futuro loquitur: *Dabit* (inquit) quo uerbo ostendit etiam, quod non satis est, semel recepisse Spiritũ sanctum, nisi & subinde nobis detur. Necesse enim est, ut nedum opera nostra præueniat, sed & comitetur, & consequatur.

Vt maneat uobiscum in æternum]

Hoc addit, ne putarent Apostoli etiam Spiritũ sanctum tantũ ad tempus cum ipsis mansurũ, quemadmodum Christus tantũ ad præscriptum tempus in terra apparuit uisibilis. Signanter autem dicit: *Vobiscum*. Apud solos enim Christi discipulos est Spiritus sanctus. Non tamẽ dicit, ut maneat semper in uobis, sed: Vobiscũ. Nemo enim tam sanctus est, qui semper Spiritum sanctum habeat præsentem, id
4. Reg. 3. quod in Heliseo uidemus, ad quem tũ demũ redijt Spiritus Domini, cum cecinit Psaltes: Nihilominus tamen Spiritus sanctus semper est apud Ecclesiam, in uerbo scilicet Dei & Sacramentis. In huiusmodi enim nunquam deest Ecclesiæ, quin semper possit conferre remissionem peccatorum.

Spiritum ueritatis]

Hoc uerbo nedũ discernit Spiritũ sanctũ à spiritibus erroris & uertiginis, sed etiã à spiritu humano & Angelico, qui et ipsi in se uani sunt, ac in nihilum recciderent, nisi à spiritu diuino sustentarentur. Dicitur aũt Spiritus sanctus, spiritus ueritatis. Primo, quia est spiritus Filij, cui appropriatur ueritas: Procedit quippe à Filio, quemadmodum &
Rom. 8. à Patre. Vnde Paulus: Si quis Spiritũ Christi non habet, hic non est eius. Et iterũ: Misit Deus spiritum Filij sui, clamantem: Abba, pater. Secundo dicitur Spiritus ueritatis, quia est substantialiter ipsa ueritas. Nam tota Trinitas est una summa simplexq; ueritas. Tertio, quia docet ueritatem, & omnem errorem depellit.

Quem mundus non potest accipere]

Mundus hic significat uel in generali amatores huius mundi, uel eos, quos mundus maxime suspicit, quales sunt sapientes, potentes, diuites, qui et mũdi columina sunt. Mundus igitur non potest accipere Spiritũ sanctum, quia amatoribus huius mundi, qui suam habent con-

solationem

solationē, & exultant in rebus pessimis, non datur hic Paracletus, sed Prouer. 2
ciuantū, qui lugentes dicunt: Heu mihi, quia incolatus meus prolon- Psal. 119.
gatus est. Item, Fuerunt mihi lachrymæ meę panes die ac nocte, &c. Psal. 41.

Deinde mundus non potest accipere Spiritū sanctum, quia nusq; minus inuenitur, quàm apud eos, qui in mūdo celebres sunt. Amant enim illi mendacium & laruā, suisq; donis excæcātur, sua dona suspiciunt & colunt. Non igitur admittunt Spiritū de mendacio arguentem, & à donis ad donatorē trahentē. Præterea huiusmodi homines saturi sunt sua iustitia, sapientia, potentia: nec sentiunt peccata, quemadmodum Pharisæi, cum dicerent: Nunquid & nos cęci sumus? Ideo Ioan. 9.
non admittunt Spiritū sanctum. Immo nec ratio, nec prudentia, nec quicquā humanarū uirium est Spiritus sancti capax, nisi abnegetur: Qui enim uult uenire post me, inquit Christus, abneget semetipsum. Matth. 16.
Docet item hoc uerbo, Spiritū sanctum alio modo appariturū, quàm ipse apparuerit. Christus siquidem apparuit et bonis & malis uisibilis, Spiritus sanctus aūt solis pijs apparet, non quidem uisibiliter, sed in corde inuisibiliter. Consolatur etiā hoc uerbo Apostolos in eò, quod asserit mundum non posse ipsis auferre Spiritum sanctum, etiamsi externa illis auferat.

Quia non uidet eum, nec scit eum]

Quod non uidet infidelitatis est: Quod nescit eū, superbiæ est. Infidelitatis enim est non respicere uel non curare, nisi præsentia quæ uidentur, & illis sic intentum esse, ut non cogitet æterna quę non uidentur. Itē superbiæ est, non scire, hoc est, non approbare hūc Paracletū, immo & uitam eorū, qui consolationes eius quærunt, ęstimare 2. Cor. 4.
insaniam, &c. Non igitur excusatur mundus hac sua ignorantia, sed magis ob hoc accusatur. Sap. 5.

Vos autem cognoscetis eum]

Nedum per scientiam, sed per fidem & gustum. Hoc enim demum est perfecte uidere Deum, aut cognoscere Spiritum sanctum, dum Psalm. 33.
gustamus, quàm suauis est Dominus.

Quia apud uos manebit, & in uobis erit]

Duobus modis præsentiam Spiritus sancti promittit. Primo, ut sit nobiscū maneatq;, non ad tempus tantum, sed in æternū, ut supra proxime dixit. Deinde, ut in nobis sit, idq; per priuatam gratiam. Est igitur Spiritus sanctus nobiscū & manet, in Ecclesia scilicet, idq; semper & in æternum. Semper enim in Ecclesia inuenitur remissio peccatorū: Nec unquam Spiritus sanctus hoc modo relinquit Ecclesiam, quin per uerbū & Sacramenta cōferat remissionē peccatorū. Deinde etiam in quolibet credente est per gratiā, sed non semper. In nullo n. semper manet, præter eū, de quo dictū est: Super quem uideris spiri- Ioan. 1.
tum

tum descendentem & manentem, &c. Ab aliis autem plærunq; se subtrahit ad tempus, & orationi uel Dei laude inuitatus redit. Sic su-
4. Reg. 3. per Helisæum tunc primum factus est Spiritus Domini, cum caneret Psaltes, etc. Habes igitur ex hoc uerbo, quod fideles sunt templum
1. Cor. 3. Spiritus sancti, quemadmodum Paulus ait. Habes etiam, quod Ecclesia non aliunde habuit uirtutem persistendi inter tot persecutiones et errores, quàm ex præsentia Spiritus sancti.

Non relinquam uos orphanos]

Quamuis Spiritū sanctū ipsis consolatorem promiserit, sciens tamen ipsos nondum cognoscere Spiritus sancti consolationem, ac malle ut ipsius corporali præsentia frui possent: Etiam se rediturum promittit, ne omnino quid ipsis desit ad perfectam consolationem. Ideo enim
Isa. 61. missus est, ut consolaretur confractos corde, &c. Pollicetur igitur hoc uerbo, se etiam in posterum, credentibus futurum Patrem, quemadmodum hactenus fuerat, id quod summe nos consolatur. Deinde ostendit hoc uerbo, homines Christo carentes, uere orphanos esse, quantumcunq; mundi præsidijs fulti sint. Hinc Hieremias: Pupilli
Thren. 5. facti sumus absq; Patre, &c. Hæreditas nostra uersa est ad alienos, etc. Sumus enim natura filij iræ, et à nostra hæreditate ad alienā deturbati. Ostendit præterea hoc uerbo, credentes & pios ut plurimum in hoc mundo destitui auxilio omnium creaturarum, quemadmodum orphani in hoc mundo, ab aliis suos liberos curantibus negligunturi, proinde ubi cessat humanum auxilium, præsto adest diuinum. Vnde
Psalm. 67. & Dominus in Psalmo uocat se orphanorum Patrem.

Veniam ad uos]

Hoc uerbo promittit eis primo, reditum suum post factam resurrectionem: *Veniam ad uos*, hoc est, iterū apparebo uobis, licet non in ea forma, q̄ nunc habeo, sed in corpore immortali & glorioso, &c. Sic
Ioan. 16. infra dicit: Iterū uidebo uos, & gaudebit cor uestrū. Et in Matthæo:
Matth. 26. Postquam resurrexero, præcedam uos in Galilæam. Deinde pollicetur eis hoc uerbo suam spiritualem præsentiam, ut sit sensus: *Veniam ad uos*, spiritu scilicet consolatore: à quo ut maxime coram mundo orphani uideamini, acclamabitis tamen Deum ut Patrem,
Rom. 8. qui & uos Paterno affectu in omnibus aduersis adiuuabit.

Vbi obserua, quod supra dixit: Alium Paracletum mittam uobis. Hic autem dicit: Ego ueniam, ut intelligamus, eandem Christi & Spiritus sancti naturam, licet distinctæ sint personæ. Vbi igitur Spiritus sanctus est, illic est & filius, immo & Pater ipse. Præterea pollicetur eis finalem suum reditum: *Veniam* (inquit) *ad uos*, non contra uos, in iudicio scilicet.

Adhuc modicum, & mundus me iam non uidet]

Modicum

Modicum (inquit) supereſt, abhinc ſcilicet uſq; ad ſequentis diei horam nonam. Tantillum me uidet mundus iſte in maligno poſitus, & ab illa hora me iam non uidet, neq; in hoc ſæculo, neq; in futuro, niſi die illa, qua iudicabitur. Neq; enim dignus erit mundus uidere reſurrectionem meam, neq; accipiet Spiritum ſanctum. Et quamuis in iudicio uidebunt impij quem transfixerunt, ex ea tamen uiſione confundentur, immo ab ea ſtatim deijcientur in æternas tenebras. Habes hic, quod præſentia Chriſti et Spiritus ſancti indigni ſunt, qui mundo adhærent & ſeruiunt. Minatur autem Chriſtus hoc uerbo impijs, nedum certam damnationem, ſed etiam temporis breuitatem & incertitudinem, id quod merito terrere debet. 1. Ioan. 6. Zach. 12. Iſa. 26.

Vos autem uidebitis me]

Hoc eſt, ueſtris obtutibus me nūquam ſubducā, uobis apparebo poſt reſurrectionem, uobis poſtea adero per Spiritū meum, hoc eſt, totus ueſter ero, una cum omnibus bonis meis. Chriſtū enim adeſſe Spiritu ſuo, eſt ipſum omnino noſtrū eſſe, omniaq; ſua bona noſtri iuris facta eſſe per fidem. Demum uidebitis me in futuro ſæculo. Vere inſignis promiſsio.

Quia ego uiuo & uos uiuetis]

Hoc eſt, Ego quidē tradar morti, & uidebor oculis inſipientium mori, ſemper tamen uiuo etiam in media morte: Proinde etiam uos uiuetis. Primo enim nō ſtatim mecū occidemini, id quod timetis, ſed me moriente uos euadetis. Deinde uiuetis per gratiā Spiritus ſancti. Poſtremo, etiāſi corporaliter moriamini, tamen uiuetis imperpetuū. Summa, quantumcunq; ſçuiat mundus in Chriſtum uel Apoſtolos, ſemper tamen ſtabit hæc ſententia: *Ego uiuo, & uos uiuetis*. Obſerua autem, quod de ſeipſo loquitur in præſenti: *Ego uiuo*. De Apoſtolis autem in futuro: *Vos uiuetis*, quo oſtendere uoluit differentiam inter nos & illum. Ipſe enim ſemper uixit & uiuit: Eſt enim fons uitæ, & in ipſo uita erat. Nos aūt aliquādo mortui eramus, & non niſi per mortem Chriſti uiuificati ſumus. Habes igitur ex hoc uerbo, quid ſit uere uiuere, nempe in Chriſtū credere, Chriſto inſitum eſſe. Merito igitur incredulis dicitur: Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Sap. 3. Ioan. 1. Epheſ 2. Matth. 8.

In illo die cognoſcetis, quod ego in Patre]

Quādo ſcilicet per Spiritū ſanctū uenero ad uos, in die ſcilicet Pentecoſtes & deinceps. Ab eo enim tempore uſq; ad finē mundi, una dies gratiæ eſt, Paulo teſte. In illo igitur die, primum cognoſcetis, quod ego ſum in Patre, hoc eſt, quod ſim Filius Dei naturalis, et quod Pater omnia ſua bona ab æterno in me effuderit. Deniq;, quod etiam ſim expreſſa Patris imago. Heb. 3.

Item cognoſcetis, quod uos in me eſtis, ſicut membra in capite, ſicut contentum in continente, ſicut palmes in uitæ, ſicut amans in dilecto, Heb. 1.

sicut effectus in fontali principio. Sunt autem electi in Christo secundum utramq; eius naturam. In quantum enim Christus est homo, sumus in eo per naturæ communionem: In quantū autem est Deus, sumus in illo ut in causa saluante & cōseruante, & sicut in ultimo fine. Vel cognoscetis quod uos in me, hoc est, quod per me facti estis filij Dei per adoptionē. Præterea cognoscetis, quod ego in uobis per charitatē & gratiam. Nam anima sedes est sapientiæ. Et Christus habitat per fidē in cordibus nostris. Vel cognoscetis, quod ego in uobis, hoc est, quod mea uobiscū bona cōmunia habeo. Non enim (inquit) Paulus accepistis Spiritū timoris, sed adoptionis, in quo clamamus, Abba, pater. Idem: Spiritus testatur spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Quod si filij & hæredes, hęredes quidē Dei & cohęredes Christi. O igitur fœlicissima cognitio, immo fœlicissima unio, sic unum esse nedum Filio, sed & Patri. De qua unione Paulus: Caput Ecclesię Christus, caput aūt Christi Deus, etc. Est igitur sensus huius uerbi. In illo die plenè cognoscetis, quod sicut nulla res diuellere potest à me Patrem & me à Patre, ita me quoq; uobis agglutinatū esse mutua charitate, uosq; mihi uicissim, ut nec mors nos possit distrahere: Vos tantū curate, ne uestra culpa diuellamini. Huc pertinet quod Paulus alibi dicit: Quis nos separabit à charitate Dei? &c.

Ioan. 6.
Sap. 7.
Epes. 3.
Rom. 8.
1. Cor. 11.
Rom. 8.

Qui habet mandata mea, & seruat ea]

Repetit quod supra de uera dilectione dixerat, tum ne quis falso sibi persuadeat, se Christū diligere: tū etiam, ut sciamus ad eos solum promissiones Christi pertinere, qui eum diligunt. In his enim promissionibus partem non habent, qui impie uiuunt. Hi enim audiunt: Quo usq; dicitis mihi, Domine Domine, & non facitis quæ dico? &c. Præcepta autem Christi, primo intellige ea, quæ Pater ipsi præcepit, ut ad nos ferret. Præcepit autem, ut doceat Deum habere nunc affectum ad nos paternum, & ut quicunq; credit in Filium, hic saluus fiat. Qui hęc mandata habet & seruat credendo, is procul dubio diligit Christum. Fieri enim non potest, ut eum non diligat, qui beneficia ab eo accepta recolit.

Luc. 6.
Rom. 10.
1. Ioan. 5.
Isai. 29.

Ex auditu igitur Euangelij, prouenit fides: Ex fide accenditur cor in amorē Dei. Deinde, mandata Christi sunt, quæ ipse in Euāgelio nobis obseruanda præcepit, hæc qui habet in memoria uel in sermone, & seruat ea in opere? Vel qui habet ea faciendo, & seruat ea perseuerando, is uere cognoscitur diligere Christū. Exhibitio enim operis, probat charitatem. Hinc Ioannes: Hæc est charitas, ut mandata Dei custodiamus. Ideo Christus hæc duo coniungit: *Qui habet & seruat.* Alioq; qui habet et nō seruat, uel hoc signo seipsum prodit, quod non diligat Christum, immo quod sit de genere illa peccatrice, deq; hypocritis illis, de quibus in Isaia dicitur: Populus hic labijs me honorat,

cor

cor autem eorum longe est à me. Hic, inquam, homo (ut Iacobus ait) Iacob. 1.
comparabitur uiro consyderanti uultum natiuitatis suæ in speculo.
Qui autem præcepta Christi habet & seruat, comparatur filiæ regis, cuius omnis gloria eius ab intus, quanquam & foris eadem gloria non nihil reluceat in fimbrijs aureis, qua propter & rex eam concupiscit. Psalm. 44.

Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo]

Hic addit insignes aliquas promissiones, ne quem terrent eius præcepta uelut austera, de ferendis iniurijs, de tollenda cruce, &c. Quid autem homini maius contingere potest, quàm diligi à Deo? Si enim diligere est alicui bonum uelle, quis non uidet eum, quem Deus diligit, omnibus bonis affluiturum, nihilq; ei incommodare posse? Obserua autem, quod dilectio Dei Patris, cum sit æterna, per omnem differentiam temporis explicatur. Nam supra dictum est uerbo præteriti temporis: Sic Deus dilexit mundum &c. Infra autem dicit: Ipse Pater amat uos, uerbo præsentis temporis. Nunc uero utitur uerbo futuri temporis: *Diligetur* (inquit) Deinde etiam ideo hic utitur uerbo futuri temporis, nondum enim plene eo tempore reconciliati eramus Deo, utpote cum Christus nondum mortuus esset. Ioan. 3. Ioan. 16.

Et ego diligam eum]

Alia promissio non minus insignis. Emphasim autem habet, quod dicit: *Ego*. Ego (inquit) cui Pater omnia dedit in manus, etiam Ioan. 5. iudicium facere, &c. Pater igitur diliget, Spiritũ adoptionis dando: Ego autem diligam, effectum redemptionis in ipsum deriuando, ueræq; dilectionis ei signa ostendendo, dando scilicet ei gratiam saluificam, in præsenti, & gloriam in futuro. Iam quem Pater diligit Rom. 8. et Filius, quis ei nocere poterit? &c. Ex hoc igitur uides, uerum dixisse Prouer. 8. Dei sapientiam: Ego (inquit) diligentes me diligo. Itemq; Dauid: Psal. 145. Custodit Dominus diligentes se, &c.

Et manifestabo ei me ipsum]

Tertia promissio, & ipsa insignis. Est enim sensus, Per Spiritum sanctum totũ me, quantus quantus sum, reuelabo ei, qui me diligit, ut sentiat in afflictionibus præsentem consolationem, in morte præsentem uitam, in peccatis præsentem iustitiam: Christus enim est uita, consolatio, & iustitia nostra. Potest etiam hoc uerbum referri ad apparitiones Christi post eius resurrectionem, itemq; ad futuram fœlicitatẽ, ubi totaliter seipsum manifestabit dilectoribus suis. Has promissiones per ordinem hic positas, Isaias uno uerbo comprehendit: Qui, inquit, ambulat in iustitijs, &c. hic in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, regem in decore suo uidebunt oculi eius, &c. Isa. 33.

Domine

Domine, quid factum est, quia manifestaturus es, &c.]

Iudas ille sanctus, alio nomine Thadæus & frater Iacobi minoris, cum audisset Christum dicentem: Manifestabo ei (diligenti scilicet) me ipsum. Itemq;, Adhuc modicum, & mundus me iam non uidet, uos aũt uidebitis me: mirabatur qualis nam futura esset illa manifestatio, et quomodo Christus solis Apostolis esset uisibilis, si cæteris hominibus inuisibilis esset. Nesciebat adhuc eos oculos, quibus spiritualiter uidetur Deus. Nec expertus erat, quo nam modo Deus suis se manifestet. Tam rudes eo tempore adhuc erant Apostoli, cum tamen tam diu Christum audissent prædicantem, ut non mirum sit, si etiam nunc non statim capiamus spiritualia illa et diuina. Alius enim doctor nobis necessarius est, Spiritus scilicet sanctus, qui interne doceat, alioqui frustra fit omnis externa prædicatio.

Sup. eo. c.

Deinde fieri potest, quod sanctus hic Apostolus hoc uerbum dixerit ex consyderatione diuinæ misericordiæ, quasi diceret. Vnde nobis tanta gratia, ut nos sic alijs præferas, cum simus abiectæ personæ? Vere enim pius, quo plus à Deo accipit, eò magis seipsum indignum iudicat, miraturq; Dei beneficentiam. Sic Dauid: Quis sum ego, & quæ domus Patris mei? &c. Præterea fieri potest, quod Iudas hoc dixerit ex admiratione diuinorũ iudiciorũ, quasi diceret, Intẽtio aduentus tui est, non ut pars hominum te cognoscat, & pars ignoret. Prædixit enim Isaias: Videbit omnis caro salutare Dei. Immo tu ipse dixisti: Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me. Itemq;, Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, &c. Et erit unum ouile, & unus pastor. Cum igitur ad omnes cognitio tui, tam uoce Prophetarum, quàm tua transitura prædicetur: *Quid factum est*, hoc est, cur huius promissionis mutata est intentio, ut nõ omnibus, sed tantũ nobis teipsum manifestaturus sis. Hęc quæstio in hunc usq; diem frequens est, cur scilicet Deus uni homini plus det, quàm alteri. Signanter autem cur mundo, hoc est, sapientibus, diuitibus, potentibus, plærumq; non reuelet, quod tamen humilibus reuelat. Audi igitur Christum.

2. Reg. 7.

Isa. 40.

Ioan. 12.

Ioan. 10.

Matth. 11.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit]

Hoc uno uerbo ad omnes quæstiones prædictas respondet. Si enim quæris, quomodo appariturus sit, ut tamen soli electi eum uideant, non autem mundus: Respondet, eam apparitionem uel manifestationem fore non corporalem, sed spiritualem, quasi diceret. Veraciter me manifestabo, uerum non quemadmodũ nunc, sed per uerbum & per Spiritum sanctum, quorum neutrum oculis corporalibus uidetur: sed fide, qua quia mundus caret, ideo me uidere non poterit. Si quæris, quare Deus Pater pios diligat, &c. Respondet, quia ipsi Christum & diligunt, & sermones eius seruant.

Si quæris, quare mundo se non manifestet Deus: Respondet, qui-

quia Christum nec diligunt, nec sermones eius curant aut seruant. Solos enim eos diligit, qui Christū diligunt. Signanter autem Christus hoc uerbo exponit, quid sit illud quod dixit, se manifestandum discipulis, non mundo. Manifestat autem se Christus duplici uia: Prædicatione scilicet uerbi, & reuelatione Spiritus sancti.

Primo, inquam, se reuelat prædicatione uerbi, neq; id mirum. Est enim Christus uerbum Patris æternum, proinde & seipsum & Patrem uerbo reuelat. In uerbo igitur uere nobis manifestatur Christus, & quidem multo perfectius, quàm eum Iudæi uiderint. Hinc dicit: Beati, qui non uiderunt & crediderunt. Itaq;, si Christum uidere cupis, amplectere uerbum Euangelij, neq; enim aliter se tibi manifestabit usq; ad finem mundi, ubi denuo omnibus conspicuus redibit. Vide autem consequentiam uerborum, Christus se uerbo reuelat, sed his tantum, qui uerbum ipsum seruant: Nemo autem uerbum Dei seruat, nisi qui diligit, congruè igitur à dilectione incœpit. Si quis, inquit, diligit me, sermones meos seruabit. Verissima sententia: Nemo uerbum Dei obseruat & curat, nisi diligat. Neq; alia causa est, quod Diabolus tam facile è quorundam cordibus uerbum Dei auditum aufert. Item, quod plerig; ob modicam tentationem deficiunt, alij autem sollicitudine sæculi uerbum suffocant: quàm quod non perfecte diligunt. Qui diligit Christum, approbat quæ Christus approbat, odit quæ Christus odit, facit quæ Christo placent, uitat quod ipsi displicet. Sic Dauid: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Qui diligit non respondat, non differt, non causatur cur præcipiatur quodlibet: cum gaudio exequitur præceptum, interdum etiam quæ quodammodo impossibilia uidentur, aggreditur: Omnia hæc agit dilectio. Ad hanc autem dilectionem tunc uel maxime accendimur, cum cogitamus, quod Deus prior dilixit nos adhuc inimicos, peccatores, maledictos, damnatos: adeo, ut etiã filium pro nobis in mortem dederit, &c. Igitur qui ex hac Dei dilectione accensus fuerit, ut redamet Christum, is sermonem Christi seruat. Seruatur autem uerbum Dei: Primo fide cordis, cum scilicet ipsum uerbum magni æstimamus & credimus. Fides enim est fidelissimus uerbi custos: Neq; enim satis est, ratione aut memoria seruare. Deinde etiam opere seruatur uerbum Dei, cum scilicet uerbo & uoluntati Dei, uoluntatem operaq; nostra conformamus. Vtramq; obseruationem Moyses uno uerbo comprehendit: Erunt (inquit) uerba mea in corde tuo: Narrabis ea filijs tuis, eruntq; quasi signum in manu tua. Et Sapiens: Liga ea in corde tuo & circunda gutturi, & cum ambulaueris, gradientur tecum.

Ioan. 1. Ioan. 20. Lucæ 8. Psalm. 118. Rom. 5. Ioan. 3. Deut. 6. Prouer. 6.

Et Pater meus diligit eum]

Ne quis parui pendat hanc Christi per uerbum Euangelij manifestationem,

festationem, incipit enumerare, quis fructus eos sequatur, qui uerbum Christi obseruant. *Pater*, inquit, *diliget*. Dilexit Pater ab æterno electos, sed diliget (inquit) in futuro, hoc est, tum primum signa dilectionis ostendet. Tanta autem est hæc promissio, ut uel sola nos incitare posset ad amorem uerbi Dei. Quid enim maius homini contingere posset? Quis tanta uel sperare ausus esset, nedum pete-
Psalm. 26. re? Dauid tantum orat: Ne auertas faciem tuam à me, nec declines in ira à seruo tuo, non ausus maiora petere. Ob eandem causam et latro nihil aliud petijt, quàm ut Christus eius memor esset: Domine (in-
Luc. 23. quit) memento mei, &c. Et quidem magnum est, esse in memoria Dei, sed maius est diligi à Deo. Quem enim Deus diligit, huic & bona uult & bona facit: Iam, si Deus diligit, quid nocere potest uel
Rom. 8. homo malus, uel etiam Sathan? Si Deus pro nobis quis contra nos?

Et ad eum ueniemus]

Alia promissio obseruantibus uerbum Christi, nec minus egregia, immo maior, quàm præcedens. *Veniemus* (inquit) in plurali, ut ostendat totam Trinitatem ei homini bene uelle, qui Christum diligit. Veniemus non uisibiliter, sed spirituali quadam uisitatione, uidelicet per internam consolationem, per gratiæ augmentationem, per dilectionis incrementum, per omnium bonorum spiritualium multiplicationem.

Veniemus ad eum. Magna Dei dignatio, ingens q; beneficium, quo nihil maius cogitari potest. Qui enim Deum habet, quid non ex ipso petere licet? Si cui deest sapientia, diuitiæ, uita, iustitia, auxilium, cõsolatio, &c. nonne hæc omnia in Deo inueniet? Nec obstat, quod præsentia Dei non semper sentitur, non enim ob id abesse credendus est. Nam & infans & dormiens, habent quidem præsentem uitam, sed neuter eorum sentit se habere uitam. Sicut igitur infanti expectandum est ætatis ad ultioris tempus, & dormienti expectanda est uigiliæ hora, ut sentiant & intelligant se uiuere: Ita oportet afflictum & morientem expectare tempus reuelationis, quanquam interim omnia bona Dei possideat: In silentio & spe (ait Propheta) est
Isa. 30. fortitudo uestra.

Et mansionem apud eum faciemus]

Mira Dei bonitas, qua non contentus est ad nos uenire, sed in-
Leuit. 26. super in nobis uult manere. Sic enim & olim prædixit: Inhabitabo in eis & inambulabo, &c. Fit igitur quiuis credens, uerbumq; Christi obseruans, uerum Dei Patris & Filij & Spiritus sancti templum, id quod Paulus frequenter et magnificis uerbis commemorat:
1. Cor. 6. Fœlix homo, qui hũc hospitem recipere meretur. Est enim Deus hospes satis magnificus, non uenit uacuis manibus, nec abit insalutato hospite.

hospite. Nec mirum, Abraham susceptis tantum Angelis, ingenti dono donatus est, filio scilicet, quem diu concupierat. Loth ijsdem Angelis susceptis, è subuersione Sodomæ liberatus est. Obed Edom tantum arcam Dei in domum suam receperat, & ad breue tempus, & benedictionem meruit omnium quæ habebat. Maria ingressa domum Zachariæ, & ipse & Elisabeth, immo & Ioannes nondum natus, impleti sunt Spiritu sancto. Quid igitur deesse poterit ei, apud quem tota Trinitas mansionem habet? Vides igitur, quàm facile ingentia bona, immo Deum ipsum omnium bonorum fontem, acquirere possimus. Exempli gratia. Christus dixit: Nolite solliciti esse, &c. Si enim Pater pascit auiculas, quanto magis uos? Si hoc uerbum fide seruaueris, iam ad te uenit Filius & Pater, & apud te mansionem faciunt, hoc est, omnium bonorum thesaurum afferunt: adeo, ut credens etiam in summa egestate nulla re egeas. Sic Paulus de credentibus ait: Nihil habentes & omnia possidentes. Sic Israëlitæ etiam in deserto cibum paratum inueniunt. Sic Helias, hominibus cessantibus à coruo pascitur, itemq; ab Angelo. Similiter, qui hunc Christi sermonem: Ego sum resurrectio & uita, &c. fide seruauerit. Is recipit & Patrem & Filium in suum hospicium, qui communicant ei in medijs peccatis iustitiam, in media morte uitam. Non minus à Deo benedicuntur, qui ipsis operibus uerbum Christi seruant. Hinc in lege benedicuntur, qui uerbo Dei obtemperant, &c. Hæc igitur nos incitent ad amorem Christi, obseruantiamq; Euangelij eius. Obserua quod mansionem quidem habent Pater & Filius apud credentem etiam in hac uita, sed non tam perfecte sicut in futura: Nunc quidem dilectus mittit manum suam per foramen, & uenter humanæ infirmitatis intremiscit ad tactum eius: Vel tanquam sibilus auræ tenuis, raptum figens osculum, fugit idem dilectus. In illa autem beata uita, amicus amicæ plena et permanente uoluptate copulabitur: Gaudebit, inquit Propheta, sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.

Gene. 18. Gene. 19. 2. Reg. 6. Lucæ 1. Matth. 6. 2. Cor. 6. 3. Reg. 19. Deut. 28. Cant. 5. 3. Reg. 19. Isai. 62.

Qui non diligit me, sermones meos, &c.]

Et hæc sententia uerissima est. Apud eos enim qui dilectione Dei uacui sunt, nihil contemptius est uerbo Dei, non mouentur promissis, non terrentur comminationibus, non obediunt præceptis: Proiecisti, inquit, sermones meos retrorsum: Si uidebas furem, currebas eum eo, &c. Iam, quamuis hoc loco non exprimat Christus pœnam eorum, qui uerbum suum non retinent aut curant: Satis tamen ex superioribus patet, qua pœna puniantur. Nempe, quod Deus eos odio habet, nec dignatur sua præsentia & inhabitatione. Nec mirum, in maleuolam enim animam non intrabit sapientia, etc. Cum enim Deus natura bonus sit, & origo omnis uirtutis, quomodo posset amare impios & impuros, cum etiam apud nos omne ani-

Psal. 49. Sapien. 1.

mal diligat sibi simile? Item, si nemo hominum in sordida & impura domo habitare dignatur, quid mirum, quod Deus, qui summa puritas est, abominatur impios? Quæ enim conuentio iustitiæ ad iniquitatem, &c. Quid autem damnosius homini contingere potest, quàm à Deo odiri & reijci? Igitur, si gloriosa & optima res uidetur Dei participatio, studeat quisq; ut Christo incorporetur, eumq; imitetur: Alioqui & ipse à Deo reijcietur.

2. Cor. 6.

Et Sermo, quem audistis, non est meus.]

Iterum appellat Christus ad Patrem, ut sermoni suo authoritatem adserat, ne quis miretur, cur uerbo suo tantum tribuat. Itemq;, ne quis putet paruum quid esse, Christi uerbum contemnere: *Sermo* (inquit) *quem audistis, non est meus, &c.* Sic supra dixit: Doctrina mea, non est mea. Est autem sensus uerbi: *Sermo, quem audistis, non est meus*, hoc est, à me ipso non loquor aut de proprio corde, sed ex uoluntate Patris, testantibus signis, quæ uidistis, & quæ facturi estis in nomine meo. Non igitur leue peccatum est, uerbum Christi spernere. Hinc aliàs dicit: Qui me spernit, spernit & eum, qui me misit.

Ioan. 7.

Lucæ 10.

Hæc loquutus sum uobis apud uos manens.]

Sensus est, Hactenus corporaliter et uisibiliter uobiscum existens, uerbo me ipsum manifestaui. Docui enim, quis ego sim, quis Pater, cur uenerim, quid intendam, quid à me expectare debeatis: Hæc, inquã, uobis dixi apud uos manẽs. Quia aũt natura imbecilliores estis, quàm ut in aduersis perdurare possitis, uerbumq; externum humilius & abiectius uidetur, ut nemo facile in tentationibus solo uerbo contentus sit & credat, opus habetis clariori manifestatione mei ipsius & Patris. Ne igitur aliquid uobis desit ad salutem, en post recessum meum mittam uobis Spiritum sanctum, qui & me perfecte clarificabit, & uerbum meum cordibus uestris imprimet, inducetq; uos uirtute ex alto, & auxiliabitur infirmitatibus uestris. Hactenus igitur uerbo locutus sum uobis, nunc loquar Spiritu sancto. Docet igitur Christus hoc uerbo, quid in ipso quærendũ & expectandum sit pro hoc tempore. Mundus siquidẽ longe alia quærit & expectat in Christo, quàm quærenda & expectanda sint. Iudæi in Christo quærebant & expectabant regnũ carnale, immo etiã discipuli, ideo dicebant: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Alij quærebant in Christo pompam, ut Nazaritæ, qui dicebant: Quanta audiuimus à te facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Item cognati eius: Si hæc, inquiunt, facis, manifesta te ipsum mundo. Alij quærebant in Christo uentris saturitatem, ut hi, quibus dicebat: Quæritis me, nõ quia signa uidistis, sed quia comedistis ex panibus meis.

Ioan. 16.

Lucæ 24.

Actor. 1.

Lucæ 4.

Ioan. 7.

Ioan. 6.

Sic & Pseudochristiani etiã hodie nihil aliud quærunt in Christo, quàm

quam carnis licentiam. Omnibus his obuiat Christus uno hoc uerbo: Ego, inquit, hactenus annunciaui uerbum, præter uerbum non aliud expectetis in hoc mundo, nisi reuelationem uerbi, hoc est, Spiritum sanctum, qui reuelat & confirmat uerbum. Non enim missus sum, hoc tempore dare regnum et plenariam securitatem, etc. sed in futuro hæc contingent, interim contentos uos esse oportet uerbo & Spiritu sancto. Deinde ex hoc loco uidemus, quod etsi uerbum externum Christum ostendat & manifestet, infructuosum tamen manet, nisi superueniat Spiritus sanctus: Hinc Christus post prædicatum uerbum, etiam Spiritum sanctum misit. Huc pertinet quod Paulus ait: Non qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. 1. Cor. 3.

Paracletus autem Spiritus sanctus, &c.

Pluribus nominibus Spiritum sanctum describit, ut agnosci et ab alijs discerni possit, ne nobis imponat fallax aliquis spiritus, quemadmodum Achab deceptus est per spiritum mendacem ex ore Prophetarum suorum. 3. Reg. ult. Primo igitur, iterum nominat eum Paracletum, quemadmodum & supra, ut ostendat, quod nulla perfecta consolatio esse potest sine Spiritu sancto. Hinc Ecclesia de ipso canit: In labore requies, in æstu temperies, in fletu solacium. Igitur, si Spiritus sancti opus est consolari, consequitur eos ex alieno spiritu loqui, qui hoc solum agunt, ut conscientias illaqueent, & in desperationem adigant. Deinde, quem supra spiritum ueritatis nominauit, hunc hoc loco nominat Spiritum sanctum, idq; congruentissime. Nedum enim in se sanctus est, sed & omnes quos inhabitat sanctificat, nec quicquam sanctum esse aut dici potest sine Spiritu sancto. Hinc de ipso canimus: Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Ergo, non è Spiritu sancto loquuntur, qui nedum sanctitatem non promouent, sed impediunt, quales sunt qui libertatem carnis docent, ac à bonis operibus simplices abducunt. Addit, Quem mittet Pater: Paternum, inquit, erit munus. Nulli enim datur Spiritus sanctus, nisi in filium Dei adoptatus sit. Hinc in Luca: Pater, inquit, dabit spiritum bonum petentibus se. Demum etiam hoc addit: Quem mittet Pater in nomine meo, quod *triplicitèr* intelligitur. Primo, In nomine meo, hoc est, propter me. Huc pertinet quod supra dixit: Ego rogabo Patrem, ut alium Paracletum det. Itemq; De plenitudine Christi omnes accepimus, ait Ioannes. Vel, In nomine meo mittet eum, hoc est, non alienum à me, sed ut ea ipsa doceat & cordibus inscribat, quæ ego docui. Vel tertio, In nomine meo, hoc est, tale nomen habebit, quale ego. Sicut enim ego consolator sum, sic & ipse erit: Me misit Deus Pater, ut consolarer omnes contritos corde. Ob eandem causam & ipse mittetur. Lucæ 11. Ioan. 14. Ioan. 1. Isai. 61.

Ille docebit uos omnia.

Primum Spiritus sancti officium est consolari: Alterum docere. Docet autem Spiritus sanctus non externo clamore uocis, sed interna inspiratione & illuminatione cordis: Scribit enim legem Dei in corda nostra. Igitur, cum non alius doctor & rector Ecclesiæ à Christo datus sit, quam Spiritus sanctus, consequitur, quod hi soli uere docti sunt, qui Spiritum sanctū habent. Consequitur secundo, quod Spiritum sanctū accepisse, est didicisse. Sicut enim nemo scit quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis, sic nemo scit quæ Dei sunt, nisi spiritus Dei. Consequitur tertiò, quod sicut Spiritus sanctus non cessat consolari & sanctificare, sic nec cessat docere credētes. Hinc supra dixit Christus: Vobiscum manebit in æternū. Pater quidem opus suum perfecit creando, filius redimendo: Spiritus autem sancti opus, in finem usq; mūdi durabit. Sicut igitur Spiritus sanctus Apostolos suo tempore docuit, quę necessaria erāt, sic & postea docuit & adhuc docere potest quos uult, & reuelare quæ uult. Nemo igitur ei uel tempus uel modū præscribat. Sed quid nam docebit Spiritus sanctus: Nunquid nouum aliquid, & à Christo alienum: Nequaquam. Sicut enim Christus post Moysem ueniens, ipsum Moysem declarauit: sic Spiritus sanctus Christum manifestat. Cæterum, cum audis: *Docebit uos omnia*, cogita qualis doctor sit Spiritus sanctus. Quis enim aliorum omnia docere potest: Deinde uides ex hoc uerbo, quod Christianorū scientia omnes alias scientias excellit, nec mirum, cum talem habeāt doctorem. Cum aūt dicit: Omnia, non simpliciter omnia intelligas, sed omnia scilicet ad salutem necessaria. Vel: Omnia, quæ scilicet Christus uerbo docuit. Vt sit sensus, quæ ego hactenus locutus sum de regno, libertate, gaudio, iustitia, &c. ea uos carnaliter adhuc pro captu huius mundi intelligitis: Spiritus uero adueniens, docebit uos diuinā in uerbo meo sententiam. Huc pertinet, quod Paulus dicit: Det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis, &c. ut sciatis quæ sit spes, &c. Et iterum: Per spiritum roborari in interiorem hominem, &c. ut possitis comprehendere, quæ sit longitudo, &c.

Hiere. 31.

2. Cor. 2.

Ioan. 14.

Matth. 5.

Ephe. 1.

Ephe. 3.

Et suggeret uobis quæcunq; dixi uobis.]

Non tantum, inquit, non patietur uos quicquam ignorare, quod ad salutē pertinet, sed etiam obliuiosis iterum in memoriam reducet quę exciderunt, neq; deinceps quicquam uos patietur obliuisci. Summa, ex tardis faciet dociles, ex somnolentis uigiles, ex obliuiosis memores, ex mœstis alacres, ex terrestribus cœlestes. Congrue autem Christus etiā hoc prędixit spiritū effecturū, alioqui discipulis maxime ea quæ post cœnam dixit, omnino excidissent: quia cum dicerentur, non intellexerunt ea perfecte, nec firmiter impresserūt memoriæ, uariis affectionibus impediti, tristitia scilicet, timore & dolore. Textus tamē noster habet: Quæcunq; dixero uobis, quod & ipsum nō reijciendum est. Nam Christus etiā nunc loquitur interna inspiratione.

Iux-

sinis illud: Audiam quid loquatur in me Dominus. Verag; igitur Pſal. 84.
Spiritus ſanctus credentibus ſuggerit, & quæ externe locutus eſt, &
quæ interne loquitur Chriſtus. Ex prædictis igitur uides, quantam
curã & Chriſtus gerat pro Eccleſia ſua, qui Spiritũ ſanctum ipſi con-
tulit, per quem perpetuam haberent conſolationem & directionem.
Deinde uidemus hic, quã neceſſarius nobis ſit Spiritus ſanctus. Cum
enim omnes ſimus peccatores, omnes indigemus conſolatione eius,
quæ nihil aliud eſt, quam remiſsio peccatorũ. Deinde, cum Diabolus
ſemper id agat, ut à ueritate nos abducat, indigemus Spiritus ſancti
doctrina et directione, immo et cõfirmatione. Hinc eſt quod Dauid
orat: Spiritum rectũ innoua in uiſceribus meis. Pſal. 50.

Pacem relinquo uobis, Pacem meam do uobis.]

Verbum hoc primo ſic accipere poſſumus, ut ſit ultima Chriſti
maledictio, quaſi diceret. Iam abiturus ſum, ualete igitur. Nam quod
Latini adeundo uel recedendo dicunt, Salue, uel Vale: Hoc Hebræi
ſuo more dicũt, Pax tibi. Quamuis aũt huiuſmodi aduenientium aut
recedentium optiones, ſalutationes aut benedictiones, apud omnes
Gentes inueniantur, licet diuerſæ, tamen minime uanæ ſunt, quod
primum ex eo patet, quod Chriſtus ipſe his uſus ſit. Deinde, quod
Apoſtolis idipſum præceperit. Maxime autem ex eo, quod ait: Si ibi
fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eũ pax ueſtra. Igitur ſi Chriſtianus Matth. 10.
es, & obuium habes ſalutatorẽ, qui tibi à Deo & per Deũ bona pre-
catur, ca.. putes te audire uerbũ hominis, ſed crede certo, Dei uer-
bo tibi bona optari. Quod ſi fide accipis, ſenties conſolationẽ cordis,
ac lenius feres etiam labores corporis. Quemadmodũ autem audi-
mus Chriſtum bene precantem nobis, ſic & ipſi quoq; bene precen-
tur proximo. Hoc uult Paulus cũ dicit: Benedicite, nolite maledice- Roma. 12.
re. Deinde hoc uerbo inſigniter conſolatur Apoſtolos, de ſuo abſceſ-
ſu, quaſi diceret. Etſi corporalem præſentiam & conſpectum uobis
ſubduco, tamẽ non parua bona relinquo poſt me, nempe pacẽ, qua
interim contentos uos eſſe oportet. Non enim in hoc mundo perfe-
cta uobis beatitudo cõtinget. Nemo igitur triſtetur, quod Chriſtum
hoc tempore uidere nõ poſsit, ſed gratias agat, quod pacem Chriſti
poſsidet: Iuſtificati enim per fidem, pacem habemus ad Deum. Iam Roma. 5.
quod Chriſtus abiturus ad paſsionẽ, et rediens poſt reſurrectionem,
nihil aliud optat, quàm pacem, nec aliam ſalutandi formulam Apo-
ſtolis tradit, quã ut dicerent, Pax huic domui: clare monſtrat, quod
pax illa ingens quoddam bonũ eſt. Nec mirũ. Nam et in externis re-
bus nihil iucundius & optabilius eſt pace: adeo, ut nec diuitiæ, nec ſa-
nitas, nec potentia, etc. iucunda ſint aut eſſe poſsint, ſi deſit pax. Hinc
Sapiens: Melior eſt pugillus cũ requie, quã utraq; manus plena cum Eccle. 4.
labore & moleſtia. Deinde, quãuis generaliter iucunda quedã res ſit
pax, poſt graue tamen bellũ & pericula, multo iucundior eſt: Immo

quanto grauiori dispēdio eius, qui minor et infirmior est, inimicitię gerūtur, tanto gratior & desiderabilior est pax. Verbi gratia, Vbi victor omnes victos morti addiceret, dulcius nomen uel pacis opus est, quā ubi victor reseruatis victis solūmodo tributa quanquā difficilia indiceret. Hinc disce, quantū bonū sit pax, quā Christus attulit, & meruit. Si nihil iucundū est, ubi quis hostē hominē habet, quid iucundū esse potest ei, qui cū Deo dissidet? Atqui inter Deū & homines, inimicitię grauissimę erāt: Nec dubiū, quin in prelio iudicij Deus omnino superior foret. Nam etsi quidā erant homines fideles & iusti, illorū tamen iustitia cōparatione debiti tanta erat, quāta est fortitudo regis occurrentis cū decem milibus ei, qui cū uiginti milibus uenit ad se. Ergo, quāto maiori malo generis humani prędictæ inimicitiæ gerebantur, tanto magis necessaria pax hominibus erat. Sed quā nos legationē misissemus, ea quę ad pacē sunt rogaturi, nisi ultro se obtulisset pax nostra, Christus filius Dei, qui pro eo, quod solus erat innocens, solus & poterat rationes perorare pacis nostræ. Hinc Paulus: Ipse est pax nostra, nō tantum quia fecit utraq; unū, sed quia per eū accessum habemus ad Deum, &c. Merito igitur dicit se relinquere & dare pacē. Ob eam causam et regnū ipsius dicitur regnū pacis. Hinc Isaias nominat eū principē pacis: Et pacis, inquit, nō erit finis. Deinde, quia uictoris est pacē dare, itemq; eius qui offensus est, victi aūt & eius qui offendit, est pacē accipere: plane ostendit Christus hoc uerbo, nos esse qui Deū offendimus & victi simus. Obserua autem, quod bis dicit pacē. Pacem enim gratię hic nobis reliquit pro precipuo dono, uere enim magnū donū, pacē habere cū Deo. Hinc Isaias lætabur dus exclamat: Confitebor tibi Domine, quoniā iratus est mihi, & conuersus consolatus est me. Itemq; David: Exaltabote Domine, quoniā suscepisti me, &c. Pacem igitur gratiæ reliquit, pacem aūt gloriæ in futuro dabit pro prēmio. Hinc est, quod dicendo: *Pacem relinquo uobis*, non addit, Meam, quia pax electorum, in uia multis tribulationibus & peccatis est permixta, qualis non fuit pax Christi, qui sine omni peccato fuit. Sed dicēdo: *Pacem do uobis*, addit: *Meam*, quoniā pax sanctorū in patria perfecte assimulatur paci Christi, quoniā caret omni malo culpę et pœnę. Tūc enim perfecte implebitur illud Isaiæ: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. Si aūt utrunq; ad pacem conscientiæ in hac uita referre uolueris, ideo addit: Meam, ut sciamus, qualem pacē nobis promittat. Meam, inquit, hoc est, eam gratiam, quam ego habeo in conspectu Patris. Vel, Meam, hoc est, quam ego merui. Vel, Meam, hoc est, diuinam et spiritualem, nō mundanam.

Luc. 14.

Ephe. 2.

Isai. 9.

Isai. 12.

Psal. 29.

Isai. 52.

Non quomodo mundus dat, ego do uobis.

Etiam mundi, hoc est, externa pax, à Christo datur. Nam donum Dei est non mediocre, pro quo & Paulus orare nos iubet, ut scilicet

1. Thim. 2.

placidam

placidam ac quietam uitam agamus? Verum de hac nō loquitur hic Christus. Nō igitur promittit eā pacem, quā mundus dat, nec eodem modo, nec ad eundem finem. Mundi pax est sanitate potiri, diutiꝰ abundare, hostibus carere, aut eos deuictos habere, &c. Hæc aūt pax, non est uera pax, quia tantū consistit in externis bonis. Non aūt pacificat cor: Corde aūt non pacificato, nihil prodest externa pax. Hinc, Non est pax impijs, dicit Dominus. Christi aūt pax est remissio peccatorū, Spiritus sanctus, amicitia cū Deo, ordinatus animus, &c. atq; hæc sunt, quæ uere pacificant hominem. Deinde mundi pax et si donum Dei ſit, interdū tamē solet occasio esse ingentium scelerū. Sicut enim uino & opibus plærunq; abutuntur mundani, sic & pace. Hinc apud Sapientē dicunt mundana pace fulgentes: Venite fruamur bonis quæ sunt, &c. Pax aūt Christi omnis iustitiæ, pietatis & sanctitatis fons & origo est. Non solum enim hominē reddit pacatū, sed etiam patientem & pacificū. Præterea pax mundi tollit quidē externa mala, sed nō radicem malorū, peccatū scilicet. Radice aūt permanente, etiā si ramos succidas, repullulant: sic peccato permanente, nō diu permanere potest pax & securitas. Et si enim Deus ad tēpus dissimulat, tamen nō semper. Christi aūt pax omniū maxime radicem malorum aufert: Peccato aūt ablato, etiā si adhuc durāt externæ afflictiones, nō tamen diu perdurare possunt, propterea, quod radix excisa sit. Ad hæc pax mūdi ad homines refertur, pax aūt Christi ad Deum et cōscientiam. Demum, pax mundi tēporalis est, pax Christi ęterna. Non solum aūt aliam pacē dat Christus, sed & alio modo. Mundus siquidē extrinsecus pacē affert, intrinsecus turbā relinquit: Christus uero intrinsecus pacem confert, extrinsecus turbā relinquit. Iuxta illud: In mundo pressuram habebitis, in me aūt pacem. Item mundus dat pacem, auferendo afflictiones et turbam à persona afflicta et turbata, Christus uero dat pacē, auferendo personā turbatā ab afflictionibus, hoc est, relinquendo afflictiones in humeris incumbentes: Sed interim conscientiā ita pacificando, ut glorietur etiā in afflictionibus, & uideatur sibi in medijs malis Paradysum inambulare. Demum etiam ad alium finem Christus dat pacem. Mundus enim pacē dat & quærit, ut corpori bene sit, Christus autem dat, ut animæ bene sit. Hanc pacem ueram, stabilem, perpetuam & cum Deo, Christus nobis emeruit, eamq; gratis omnibus offert. Miseri igitur filij Adam, qui tantum externam & falsam pacem quærunt, hac neglecta. Item quod externam pacem magnis laboribus & periculis quærunt, ueram autem pacem nec gratis oblatam accipere uolunt.

Ioan. 16.

Roma. 5.

Non turbetur cor uestrum, neq; formidet.

Conclusio est eius, quod præmiserat: Pacem relinquo, &c. quasi diceret. Quandoquidē tanta uobis bona post me relinquo, pacem scilicet cū Deo, non est, quod turbemini, sed est unde gratias agatis.

Vel uerbum hoc expositio est eius, quod de pace dixerat, quasi diceret: Non ita pacem do, ut post hac nullum aduersarium, nihilq; molestiæ sentiatis, sed ut cor lætum & intrepidum acquiratis, quod nullo malo turbari possit, nec quicquam, quantumuis terribile, reformidet. Deut. 28. Sicut enim in lege transgressoribus minatur, se daturum eis cor pauidum, ut non credant uitæ suæ, &c. id quod summum malorum est. Prouc. 17. Spiritus enim tristis exiccat ossa: Sic Christus suis promittit summam securitatem, quo nimirum nihil maius aut melius est. Secura enim mens quasi iuge conuiuium. Prouer. 15. Potest & uerbum hoc esse generalis admonitio, ne intellectus eorum turbetur propter mysteriorum, quæ audierant, profunditatem: nec affectus reformidet, propter aduersa imminentia. Demum hoc uerbum docet, quales auditores & sectatores Christus habere uelit. Tales scilicet, qui læto 2. Cor. 9. corde etiam quæcunq; ardua pro Christo aggrediantur: Hilarem enim datorem diligit Deus. Item tales, qui non facile terreantur & refugiant. Tardos enim & formidolosos ubiq; arguit Christus: Deut. 20. Hinc etiam in lege iubentur formidolosi excedere bello.

Audistis, quia dixi: Vado & uenio ad uos.]

Causam addit, cur non debeant turbari aut formidare, quasi diceret, Non tantum attendatis, quod dixi me abiturum, sed simul illud consyderate, quod dixi me rediturum. Si recessus meus uos turbat, animum reddat, quod iterum uenturus sum. Non sine causa autem hæc duo repetit & inculcat, plurimum enim hoc refert scire. Nam etiam hodie sic agit Christus. Vadit enim uel abit, non quod Matth. 28. simpliciter & omnino recedat (nobiscum enim est usq; ad finem mundi) sed quod aliquando consolationem suam abscondit, unde proculdubio tristitia oritur, Dauide teste, qui dicit: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Venit autem uel redit, cum reddit consolationem. Docemur igitur hoc uerbo, quid à Christo nobis expectandum sit, nempe quod nō semper aderit, nec in finem relinquet, hoc est, nec semper bona immittet, nec semper mala uel aduersa. Igitur, si in tentatione es, noli desperare, audisti enim quod Roma. 11. Christus dicit: Iterum uenio. Si diuinam habes consolationem, noli altum sapere, sed time. Audisti enim quod Christus dicit: Vado.

Si diligeretis me, gauderetis: quia uado ad Patrem.]

Supra dixit, quod uere dilectionis signum sit, obseruare mandata. Sup. c. 14. Hic alio signo uult probari dilectionem suorum, nempe, ut bonis Roma. 12. aliorum congaudeant. Charitatis enim opus est, gaudere cum gaudentibus. Igitur, qui Christum uere diligit, gaudet, quod ad Patrem Heb. 2. abiit, hoc est, in gloriam suam: Gaudet de gloria Christi, quod sedet ad dexteram Patris, quod omnia pedibus eius subiecta sunt, quod propter passionem mortis gloria & honore coronatus sit, &c.

Quo modo

Quòmodo enim membrum non gauderet de gloria capitis? Immo iustissima & unica gaudij nostri causa est, quod Christus ad Patrem abijt, hoc est, in regnum & gloriam suam. Si enim tanta præstitit in infirmitate positus, quid non poterit præstare ad dextram Patris sublimatus? Hinc & Dauid monet, ut propter hanc causam gaudeamus: Omnes, inquit, Gentes plaudite manibus, &c. & subdit causam: Ascendit Deus in iubilo, &c. Et iterum: Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. Tunc enim decorem & fortitudinem induit, & præcinxit se, ut quantumcunq; eleuentur fluctus maris et tentationes, uerum tamen sit, quod ibidem dicitur: Mirabiles elationes maris, sed non minus mirabilis in altis Dominus. Psal. 46. Psal. 96. Psal. 92.

Deinde hoc uerbo subindicat, quod nondum recte diligerent. Primo enim diligebant Christum ut hominem, non ut Deum: ideo uolebant, ut cum ipsis maneret uisibiliter, uerum hoc non satis est. Deinde carnaliter tantum eum diligebant, & carnali cultu uenerabantur. Hinc nolebant eum pati, quasi inglorium hoc esset Christo (quemadmodum etiam nunc Sacramentarij putant inglorium Christo, quod corpus suum manducandum dat) Atqui Christus summam gloriam æstimat, perficere uoluntatem Patris. Igitur, *Si perfecte*, inquit, *diligeretis me, gauderetis*, quod hac uia ad Patrem redeo. Hinc enim clarius elucescet & Patris bonitas, et mea dilectio, & ex consequenti utriusq; gloria. Demũ plus se ipsos quàm Christum diligebant, suis commodis prospicere uolebant, ne scilicet fraudarentur consolatione ex præsentia Christi: gloriam autem Christi negligebant. Atqui uera charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum, ideo dicit: *Si diligeretis me, &c.* 1. Cor. 13. Docemur autem hoc uerbo, proximorum commodis non minus prospicere, quàm nostris, maxime autem ut nostris commodis præponamus gloriam Dei.

Docemur item, quod Christiana dilectio est, proximum ideo diligere, quia uadit ad Patrem, hoc est, ob pietatem, & ad ipsius perfectam salutem.

Quia Pater maior me est.]

Ex hoc uerbo impius Arrius errorem suum sumpsit, neglectis omnibus, quæ Christus hactenus & quidem apertissime de sua diuinitate disseruit. Hæc enim est hæreticorum natura, tantum excerpere quæ pro se faciunt. Sed facessat impius ille. Non enim loquitur Christus hic secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, qua uere minor Patre est. Vel non loquitur hic de natura, sed de diuersis suis officijs. Habet enim Christus duplex officium, primum gessit in humanitate, nondum carne mortuus, ad aurẽ uerba carnalia loquẽs. Secundũ exequitur, in Patris regnũ & diuinã potentiam introgressus, ut uerba auribus audita, cordi imprimat per Spiritum sanctum. Primum officium postea Apostolis commendauit, secundum sibi soli reseruauit.

Est

Est igitur sensus, Prædaro quidem munere nunc fungor, sed Pater maior me est, hoc est, longe prædarius est, quod in regnum Patris ingressus effecero per spiritū. Vel ideò dicit Patrem maiorem, quia Filius sese exinaniuit, formam serui accipiens: Pater uero in eadem maiestate, non assumpta alia forma, mansit. Vel ad consolationem discipulorum hoc dicit, quasi diceret. Etiam si ego crucifigar, tamen Pater est uita. Item, etiam si ego iuuare non possem, tamen Pater potest, proinde non desperetis.

Phil. 2.

Et nunc dixi uobis priusquam fiat, &c.]

Vel hinc didicisset Arrius, Christum secundum diuinitatem non minorem Patre. Stabile enim firmumq; Deitatis signum est, prædicere futura. Est autem sensus, Scio me nunc surdis narrare fabulam, scio hæc quæ loquor, uos nunc non assequi: Ideo tamen prædico, ut cum postea euenerint, credatis, & in fide eo fortius confirmemini. Oportet enim primum uerbum audire, postea Spiritus sanctus ipsum cordi inscribit.

Iam non multa loquar uobiscum.]

Subindicat tempus iam instare, ut à uerbis ad opus transeat, & sicut hactenus uerbo uoluntatem Patris perfecit, sic deinceps opere adimpleat & reipsa. Deinde docet, satis prædicatum esse uerbis, ac tempus esse, ut primum ipsius ministerium cesset, succedatq; secundum illud & perfectius. Sic & nunc satis prædicatum est uerbis, restat unum hoc, ut per spiritum cordi inscribantur, quæ audiuimus & legimus. Non est igitur, quod nouam aliquam doctrinam expectemus aut quæramus. Stat enim sententia: *Iam non multa loquar.* Signanter autem dicit: *Vobiscum*, subaudiendum est, manens præsentia corporali. Loquitur quidem etiam nunc nobis, sed non nobiscum manens uisibiliter, sicut tunc erat. Item non simpliciter dicit, se nihil amplius locuturum, sed nō multa. Aliqua enim infra subnectit, sed non multa, nec longo tempore post hoc locutus est ipsis. Huius causam reddit, cum dicit.

Venit enim princeps mundi huius.]

Hoc est, imminet tempus passionis meæ. Princeps mundi Diabolus dicitur, idq; non hoc loco tantum. Nam & supra dixit: Nunc princeps mundi eiicietur. Et Paulus: Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, &c. Non quod Diabolus mundum creauerit uel ipsius rector sit, sed quod eorum qui mundum & terrena diligunt, quorum maior pars est, caput sit. Hinc non simpliciter dicit: Princeps mundi, sed: Princeps huius mundi. Cæterum, quod Diabolum nominat principem, subindicat magnitudinem imminentis certaminis, quod scilicet Diabolus omnibus uiribus suis cum aggressurus sit. Quod autem addit:

Ioan. 12. Ephe. 6.

Mundi,

Mundi, ostendit Diabolum nedum proprias uires, sed & mundi potentiam contra Christum excitaturum. Quamuis autem non dicat, quid facturus sit princeps mundi, facile tamen colligi potest. Fur siquidem non uenit, nisi ut mactet & perdat. Et: Scimus cogitationes eius, ut Paulus ait. Constat eum fuisse homicidam ab initio, semperq; id egisse, ut uerbū Dei interiret. Quod igitur semper egit, hoc nunc summis uiribus aget. Emphasim autem habet, quod in præsenti dicit: Venit, non uenturus est, quasi diceret. Nunc nihil non malorum in me cogitat, accusat, insanit, furit: nunc congregantur Pontifices, discurrit Iudas: nunc egrediuntur ad me capiendum, &c. Discamus ex hoc uerbo, ut semper parati simus. Non enim dormit aduersarius noster, sed circuit quasi leo, quærens quem deuoret, &c. Discamus item nedum attendere præsentem hostis malitiam, sed etiam præuidere & præcogitare futuras tentationes & insidias illius. Hæc enim cogitatio nos ad spiritualia comparanda arma incitabit. Discamus tertio perpendere, quàm fortem habeamus hostem. Non est enim potestas super terram, quæ ei comparetur: Hoc nos incitabit ad orationem.

Ioan. 10. 2. Cor. 2. Ioan. 8. 1. Pet. 5. Iob. 41.

Et in me non habet quicquam.]

Hoc addit, ne putemus Christum non potuisse resistere Diabolo ut fortiori, aut sua aliqua culpa crucifixum esse. Non, inquit, ideo uenit, uel uenire permittitur, quod ego rapuerim, uel iuste exoluere debeam, quæ ille exacturus est. Quod enim moriar, non Diaboli potestas facit, sed Patris uoluntas & dilectio: *In me non habet quicquam.* Hoc autem tripliciter exponitur. Primo, Non habet in me quicquam suum, hoc est, ullum peccatum. Peccatum enim opus est Diaboli: Ipse enim mendax est, & Pater mendacij. Quod autem Christus innocens fuerit, etiam aduersarij eius testantur. Primus Iudas cum dicit: Peccaui tradens sanguinem iustum. Deinde Pharisęi, qui nullum inueniebant conueniens testimonium, cum tamen multi falsi testes contra eum stetissent. Præterea Pilatus, nunc quidem dicens: Ego nullam inuenio causam mortis in eo, nunc autem manus lauans & dicens: Innocens sum à sanguine iusti huius. Postremo Centurio & alij, qui uisis signis in morte Christi clamabant: Vere hic homo iustus erat. Nec mirū, quod sine peccato fuit Christus. Vnde enim ei poterat inesse peccatū originale, qui de Spiritu sancto conceptus erat? Quomodo cadere poterat in peccatū, qui erat summa rectitudo? Quomodo uel appropinquare potuit superbia ei, qui se exinaniuit, factus obediēs usq; ad mortē? Quomodo auaritia? qui cum diues esset, egenus factus est. Quomodo inuidia? qui etiā inimicos dilexit. Quomodo ira? qui cū malediceretur, nō maledicebat. Quomodo luxuria? qui de uirgine natus erat. Quomodo gula? qui quadraginta diebus ieiunauit. Quomodo accidia? qui in laboribus fuit à iuuentute sua.

Psal. 68. Ioan. 8. Matth. 27. Matth. 26. Ioan. 18. Matth. 27. Lucæ 1. 2. Cor. 8. 1. Pet. 2. Matth. 4. Psal. 87.

Hic

Hic igitur uidemus, quæ sit uera gloriatio Christiani hominis, nempe nihil in se habere diabolicum, carere peccato. Docemur omnium maxime id curare, ne Diabolus quicquam in nobis habeat, hoc est, emundare conscientias à peccatis. Hinc enim Dauid dicit:
Psal. 31. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Et Ioannes: Beati, qui lauerunt uestimenta sua, &c. Hi enim secure cum Diabolo congredi possunt, eique improperare, quemadmodum Paulus morti improperat:
1. Cor. 15. Vbi est, inquit, mors uictoria tua? Secundo intelligitur uerbum hoc: *Non habet in me quicquam*, hoc est, ullam potestatem. Hoc ex priori sequitur. Vbi enim non est peccatum, ibi nullam Diabolus habet potestatem aut ius. Solum enim peccatum sicut morti stimulum præstat, sic Diabolo dextram armat & uires ac ius dat contra hominem. Christus autem sine peccato fuit. Emphasim autem habet, quod dicit: *In me non habet quicquam*. In me, inquam. Nam in
Roma. 3. omnes alios habuit ius: Omnes enim peccauerunt. Secure igitur etiam contra sanctissimos gloriabatur cum Philistæo: Quid, inquit, exi-
1. Reg. 17. stis ad prælium? Nonne ego Philistæus sum princeps mundi, & uos serui Saul? filij scilicet Adam. Nescitis potentiam meam? Age dum, si quis inter uos fortem se putat, procedat in prælium contra me: hoc omnibus hominibus exprobrabat. Vnus Christus & solus gloriari potuit: In me non habet quicquam potestatis. Quia igitur Diabolus nullum in Christo ius habuit, & tamen in eum irruit & occidit: iure amisit omne ius suum, quod habuit super omne hominum genus. Hoc igitur summe nos consolari debet, quod Diabolus nullum ius in Christum habet. Sumus autem nos membra Chri-
Psal. 16. sti, & sub umbra allarum ipsius speramus. Igitur, nec in nos quic-
Psal. 90. quam potest, id quod Dauid pulchre ostendit in Psalmo: Qui habi-
Ioan. 12. tat, &c. Ob hanc causam et superius dixit Christus: Nunc princeps mundi eiicietur foras, & ego omnia ad me traham. Et in Mat-
Matth. 10. thæo: Omnes capilli uestri numerati sunt. Igitur, si cui adhuc nocet Diabolus, non ipsius Diaboli potestas, sed Dei uoluntas est & permissio, ad utilitatem tentati. Non igitur Diabolo, sed Deo tribuendum est. Hinc Iob quamuis sciret Diabolum tanta mala sibi irIob. 1. rogasse, non tamen ipsi, sed Deo attribuebat: Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit. Tertio etiam sic intelligere possumus uerbum hoc: *Non habet in me quicquam*, hoc est, non prævalebit mihi quantumcunq; sæuiat. Conatur me occidere, sed resurgam: conatur meum nomen atq; adeo me ipsum omnino supprimere ut maledictum, sed diuersum eueniet. Est etiam in hoc sensu non parua consolatio, quod scilicet Diabolus non potest prævalere Christo, atq; adeo nec eius membris. Contritum est ei caput, etsi cauda adhuc sæuiat: Tentet quantumcunq; uult, si in Christo manemus, non prævalebit.

Sed

Sed ut cognoſcat mundus quod diligo]

Hoc addit, ut ſciamus, cur Diabolo tantam poteſtatem permiſerit in ſe ſæuiendi. Quod morior (inquit) non Diaboli poteſtas aut culpa mea facit, ſed uoluntas et dilectio Patris. Hinc in Pſalmo dicit: Tenuiſti manū dexteram meam, & in uoluntate tua deduxiſti me, quaſi diceret. Saluare me dextera mea, hoc eſt, diuina potentia mea mihi auxiliari poterat, ut non morerer, ſed mandatum Patris ueraq; dilectio mea erga Patrem, & etiam erga genus humanū, tenet manum dexteram meam, ut non me defendam, & mortem non tranſileam, & in uoluntate ſua deducet me dicentem: Non mea, ſed tua uoluntas fiat, quia non quod infirma caro appetit, agendum mihi cenſeo, ſed quod exigit conſilium diuinitatis. Hoc igitur uerbo Chriſtus in ſeipſo oſtendit, quod uerū ſignum dilectionis, eſt obſeruatio mandatorum, quemadmodum ſupra docuit, ne quis cauſetur Chriſtum aliquid docuiſſe, quod ipſe non prior fecerit. Dilectionē (inquit) meam erga Patrem non uerbis tantum, ſed opere oſtendam, immo opere ſummo & maximo, ut etiam mundus hinc uidere poſsit, me uere diligere Patrem. Quod igitur Chriſtus hic dicit, hoc omnes Chriſtiani dicere & facere debent. Eſt enim Chriſtus perfectiſsimum exemplar dilectionis & obedientię. Iam uide, quàm magna et ardua Chriſtus ſubierit, ad præſtandam dilectionem & obedientiam Patri, & uere pudebit nos in rebus leuibus tam difficiles inueniri. Pſalm. 72. Matth. 26.

Obedientia Chriſti erat, ut ſe exinaniret, ut uiliſsimus hominum fieret, ut mortem pro inimicis etiam ſubiret, &c. & obediuit. Noſtra obedientia, eſt peccata relinquere, uirtutibus inſiſtere, etc. uel potum aquæ frigidæ ſitienti fratri præbere, &c. & dubitamus cauſamurq; de grauitate præceptorum. Quid ſi mori nos iuberet pro fratribus? Vere igitur & iuſte increpat nos Paulus: Nondum (inquit) uſq; ad ſanguinem reſtitiſtis, &c. Meritoq; nos confitemur ſeruos inutiles. Hæc igitur Chriſti obedientia, excitet nos ad uirtutem. Signanter autem dicit: Heb. 12. Lucæ 17.

Sicut mandatum dedit mihi Pater]

Non enim ſatis eſt præcepta Dei implere, niſi eodem modo impleamus, quo ipſe uult & præcipit, ne ſcilicet noſtra uoluntas in opere Dei præcedat. Hinc Saul inobedientię arguitur, quod præceptum quidem Domini fecerit, ſed non ſicut Dominus præcepit. Iſa. 58. 1. Reg. 15.

Surgite eamus hinc]

Hoc addit, ut re ipſa oſtenderet, quod uerbo iam dixerat. Hoc autem uerbo primo oſtendit ſe non timere Diabolum, etiamſi ſit princeps mundi: Alij (inquit) eum timeant, nos intrepide ei occurramus. Iam enim in me inueniet uictorem ſuum. Secundo uoluit hoc uerbo cordibus Apoſtolorum imprimere, ſe quicquid paſſurus eſſet,

præscium ac uolentem pati. Tertio uoluit discipulos quantum humana imbecillitas ferebat, testes ac spectatores esse supplicij sui, ut magis eis crederetur. Hinc Ioannes noster infra dicit: Et qui uidit, testimonium perhibuit, &c. Quarto ostendit hoc uerbo, Apostolos eadem uia transituros ad Patrem, qua ipse præcessit, nempe per crucem. Ideo dicit: *Surgite eamus*, in plurali. Quinto per hoc etiam præuenire uoluit suorū periculum. Si enim in domo expectassent aduersariorum aduentum, non patuisset Apostolis fuga, nec Pater ille familias, cuius domus erat, sine periculo fuisset. Ideo eos eduxit, ut aliqui uolunt, in montem oliuarum, ubi residuū sermonis compleuit, ut hi dicunt. Sexto hoc uerbo excitat eos, ut excusso torpore, redderentur ad ea, quę dicturus erat, alacriores. Videbat enim eos multis modis consternatos, partim mœrore, quod uidebant instare mortem Domini: partim metu malorum, quæ sibi illo digresso uidebant imminere: tum etiam uidebat eos somno grauatos, quem nox conciliabat. Addebat & sessio torporem animis. Vbi autem sunt, mœror, metus, somnus & fessitudo, ibi frustra proponitur uerbum Dei, ideo iubet eos surgere. Demum per enigma submonere etiam uoluit hoc uerbo, iam esse tempus, ut animū erigant ab affectibus terrenis ad cœlestia, à corporalibus ad spiritualia, a temporalibus ad æterna.

Est igitur sensus, Surgite à cœna legali & typica, ad cœnā Euangelij. Satis superq; deseruitū est umbris, satis est tam diu peccatū regnasse, satis est tam diu sub diaboli Tyrānide fuisse, satis est tā diu è cœlo & Paradyso exules fuisse: Omnia nunc in diuersum abibunt, & in melius conuertentur: *Surgite, igitur, eamus hinc.* Eamus, obserua hic pulcherrimum ordinem: Sedere ad audiendum uerbum debemus, Surgere ad opus exercendum, Ire ad perfectionem. *Eamus*, abluti sunt pedes uestri, curandum, ne denuo inquinentur: Refecti estis cibo salutis, nunc ad laborem exeundum. *Eamus hinc*, à Iudæis incredulis ad Gentes, à terrena Hierusalem ad construendam cœlestem, à ciuitate sanguinum ad congregationem sanctorum, à templo illo materiali & umbratico, ad extruendum uerū templum Dei, in quo adoretur Pater in Spiritu & ueritate. *Eamus hinc*, à terra ad cœlum, expectat nos Pater, expectant Angeli, expectant omnes sancti. Obserua quod Christus priore uerbo duo genera hominum excitat, iacentes scilicet in peccato, & sedentes in ocio, utrisq; dicitur: *Surgite*. Christianismus enim nedum non patitur iacentes in peccatis, sed nec ocios os. Obserua item, quod non dicit, Surgamus, sed: Surgite. Christus enim nunq; iacuit in peccatis, nec unquā sedit, hoc est, ocioſus fuit, sed semper stetit in innocentia, & ambulauit in præceptis Patris. In posteriori aūt uerbo etiam se admiscet & cōnumerat nobis: Eamus (inquit) Et si enim in peccatis & ocio nō fuerit nobis similis, in pœnitentia tamen & satisfactione similem se nobis fecit, immo præcessit.

Ioan. 19.

Ioan. 4.

CAPVT

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Actenus docuit Christus quis sit, & quare per crucem ad Patrem abeat, & quis fructus sit è sua passione secuturus: Est siquidem Christus uia, ueritas, Ioan.14. & uita. Ad Patrem autem per crucem abit, non coactus, sed sua sponte: Propterea, quod Pater ita mandauerit. Per crucem autem impetrat Spiritum sanctum & glorificationem, quæ nimirum ingentia bona sunt: Verum, quid profuerit nobis tantus thesaurus? quid profuerit, quòd Christus ex natura sua omnia bona habeat, & quòd insuper moriendo magna meruit, nisi & nobis cõmunicentur? Docet igitur Christus hoc capite, se ea bona quæ in Patre suo possidet, & quæ per crucem meruit, nempe uictoriam peccati, mortis, Diaboli, &c. non sibi soli retinere, sed credentibus uelle communicare. Idquè primum propter tarditatem nostram externo exemplo docet, ut & facilius intelligamns & retineamus.

Ego sum uitis uera]

Frequentissimum est in scriptura, quod homo arbori comparetur. Et bonus quidem homo bonæ arbori, malus malæ: Christus autem, ut se discernat ab alijs, speciali quodam modo se uiti comparat, pluribus de causis. Primo enim, etsi uitis in hyeme sola & sine palmitibus uideatur, tamen æstate superueniente, in plures palmites erumpit: Sic Christus, etsi tempore peregrinationis suæ, pauci in eum crederent, etsi in passionis hyeme solus & ab omnibus relictus uideretur, transacto tamen hyeme & appropinquante æstate resurrectionis, statim priores eius palmites reflоruerunt, & alij accreuerunt: adeo, ut tempore ascensionis iam essent centum uiginti palmites. In ipso autem die Pentecostes, accrescerent tria millia. Denique adeo copiosè hæc uitis in palmites erupit, ut breui totam terram occuparit. Nam unus Paulus palmites eius extendit, usq; ad Illyricum. Psal.1. Hier.17. Matth.7. Act.1. Act.2. Rom.15.

Secundo, sicut uitis externe nullam quidem speciem habet, nam & nigrum & hispidum & curuum est lignum eius, nec tamen ob id abijcitur, nec eo minus habetur in precio: Imò alijs arboribus, quantumcunque proceribus, quantumcunque frugiferis præfertur. Sic Christus in passione sua, nullam quidem speciem habuit, ab omnibus enim despectus fuit: In ipsa tamen sua deformitate dulcissimos fructus protulit, remissionem scilicet peccatorum & gratiam Dei. Nec ob id uilior nobis est aut esse debet, quod crucifixus est, sed eo Isa.53.

commendatior, quo magis nostri causa sese deiecit. Hinc Paulus:
Gal.6. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Dñi nostri Iesu, &c. Summa, quod nulla arbor, nullus homo, nulla creatura potuit, hoc despecta illa uitis Christus effecit. Tertio, sicut uitis, ut in palmites excrescere possit & in fructus, oportet ut prius plantetur in terra, hyemis horrorē & imbriū molestias passura: Sic ut Christus fructificaret, necesse erat,
Ioan.12. ut prius moreretur, quemadmodū supra dixit: Nisi granū frumenti,
Ioan. 16. &c. Et infra: Si non abiero, scilicet in mortē, Paracletus non ueniet ad uos. Quarto, sicut uitis est basis & fundamentū, palmites proferens & etiam sustinens, nec quicq̄ ualet palmes abscisus: Sic Christus est basis & fundamentum Ecclesiæ, ex ipso enim orta est, & ex ipso dependet, eiq̄ innititur. Q̄ diu enim ei adhæret, persistit. Hinc
Matth. 20. est, quòd Ecclesia uinea dicitur, nedum eorū, qui post Christū uenerunt, sed etiam eorū, qui Christum præcesserunt. Hinc Isaias: Vinea Domini Sabaoth domus Israël est, quòd idem testatur & Psal.79. Christus enim omnes electos, qui unc̄ fuerunt, sunt & erunt, sustiHeb. 13. net: Iesus Christus (inquit Paulus) heri & hodie ipse & in sæcula. Virtutē enim suam nedum in sequentes, sed etiam in præcedentes se transfundit. Quinto, sicut palmites quicqd uiriditatis succus & fructus habent, è uite habent: sic Christus est fons & origo omnis boni
Psal.103. in electis. Ab ipso enim habent succū gratiæ: Ab ipso habent uinum illud, uere lætificans cor hominis, Spiritū scilicet sanctū: Ab ipso habent, quod fructificare possunt. Hinc infra dicit: Sine me nihil potestis facere. Sexto, sicut uitis omnē suam naturā & nobilitatē, in palmites suos transfundit: sic Christus omnia quæ habet, fidelibus communicat, nomen suum, hæreditatem suam, denicq̄ quantum fieri potest, etiam naturam suam, ut & nos dicamur & simus filij Dei, si non natura, certe adoptione. Demum, sicut uitis omnibus quidem ex se oriundis palmitibus succū suum transfundit, non tamen omnes eundem retinent, nec omnes fructificāt, unde & plærique excinduntur: Sic Christus, quantū in se est, omnibus offert gratiam, non tamen omnes eam accipiunt, nec omnes acceptam seruant, & in opus exerunt, unde & multi excinduntur, ut infra dicetur. Vides igitur, quàm aptissime Christus se uiti comparet. Horum autem quæ dicta sunt, nihil non summe nos consolatur, uno duntaxat excepto, quod ultimo loco dictum est. Id enim non parum nos terrere debet, cum scilicet audimus excindendos aliquos ex hac uite, ut infra dicetur. Addit autem: *Ego sum uitis uera.* Primo propter ueram similitudinem, non propter ueram naturæ communionem cum uite,
Isa.40. quemadmodum & Isaias dicit: Vere fœnum est populus.

Secundo ueram se dicit uitem, ut se præferat externæ uiti, quæ uiEphes.5. num quidem producit, sed in quo est luxuria, quod corpus quidem exhilarat, sed non cor. Denique etiam, quòd nonnunquam in-

gentium

gentium malorum causa est. In Christo autem longe aliter contingit, &c. Est enim Christus uitis uera, uinum illud producens, quod germinat uirgines, Spiritum sanctum scilicet, qui & perfecte cor exhilarat, & ad omnia bona ducit. Tertio ueram se uitem dicit, ut se distinguat à praua illa & sterili uinea, de qua Hieremias: Quomodo conuersa es in prauum uitis aliena? Et Isaias: Expectaui ut faceret uuas, fecit autem labruscas. Vide ibidem ad longum. Zach. 9. Hier. 2. Isa. 5.

Et Pater meus agricola est]

Ridiculum est, quod ex hoc loco arguit Arrius Patrem & Filium, in diuinis non esse unius naturæ, quemadmodum uitis & agricola, non unius naturæ sunt. Non enim hic de natura, sed de operatione utriusque sermo fit. Impium est & illud, quod quidam hinc colligunt, Patrem solum ad extra operari, quemadmodum agricola facit: Nam nec hoc uoluit Christus. Agricolam autem nominat Patrem, suo more omnia in Patrem referens, ne uideatur sibi soli omnia tribuere. Et quidem tota Trinitas unus agricola est. Nam una est operatio Trinitatis ad extra, Christus tamen soli Patri hoc attribuit, ut singulas personas in Trinitate ostendat aliquid specialiter agere ad salutem nostram. Sic Pater creat, Filius redimit, Spiritus sanctus sanctificat. Christus est uitis, Pater purgat & excolit, Spiritus sanctus est succus ille uiuificus, quem è uite Christo haurimus. Patrem igitur dicit agricolam. Primo, quia hanc uitem plantauit, & in mundum misit. Ex eius enim dilectione, omnis salus nostra profecta est: Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret. Iam, si Pater eam uitem & uineam ex ea nascentem plantauit, ergo perpetuo manebit & nunquam deficiet: Consilium enim Domini, in æternum manet. Secundo, agricolam dicit Patrem, ut ostendat eum perpetuo operari & excolere uineam suam, hoc est, Ecclesiam. Habet quidem agricola plura officia circa uineam, non solum enim eam plantat, sed & colit: & nunc quidem eam fodit, nunc putat, nunc impinguat, nunc sæpe cingit, omnia hæc Deus facit circa electos, id quod in parabola de uinea ostensum est in Matthæo. Ioan. 3. Psal. 32. Matth. 21.

Tertio, sicut agricola habet officia sua distributa, non enim per totum annum fodit uineam, non semper putat uites, neque continenter fructum colligit è uinea, sed hæc omnia stato suo tempore pro opportunitate facit: Sic Deus nunc beneficia præstat, quod est fodere, nunc aduersa immittit, quod est putare, nunc fructum exigit.

Quarto, sicut uinitor nunquam uineæ curam ex animo relinquit, siue enim dormiat, siue uigilet, uinea semper manet alta mente reposita, quanquam extrinsecus uideatur, præsertim in hyeme, plane nullam curam uineæ habere: Ita Deus Pater, etsi aliquando dissimulet se uineam suam respicere, hoc est, electos, nunquam tamen ipsos re-

linquit aut eorum obliuiſcitur, nunquam non pro ipſis ſollicitus eſt, atque adeo tunc maxime curat, cum minime uidetur curare.
Iſa. 54. Hinc in Iſaia dicit: Ad punctum in modico reliqui te, & in miſerationibus magnis colligam te, &c.

Omnem palmitem non ferentem fructum tollet]

Hic incipit parabolam de uite & agricola exponere. Et primo oſtendit, cur Patrem agricolam nominauerit, immo rationem reddit, cur Patris hoc loco mentionem fecerit. Sicut enim in uinea externa non ſatis eſt, quod uites plantentur, nec ſatis eſt, quod erumpant in palmites: ſed neceſſario requiritur uinitor. Cur hoc? quia ex uite etiam infructuoſi palmites erumpunt, qui fructuoſos impediunt, niſi amputentur: Immo etiam, qui fructiferi ſunt, in nimiam altitudinem excreſcunt, niſi putentur. Neceſſarius igitur eſt uinitor, qui infructuoſos amputet, fructuoſos purget.

Quod ſi quicquid ex uite prorumpit creſcere, uel etiam palmites fructuoſos nimis luxuriare ſinat, non uinea, ſed ſylua efficietur, plurimum quidem ligni, parum autem fructus habens uel nihil. Sic dixerat Chriſtus ſe uitem, dixerat ſe ueram uitem, hoc eſt, in multos palmites dilatandam, ſed iuxta hoc præuidebat multos impios in Eccleſia futuros, itemque multos ocioſos & pigros bonis immiſcendos, præuidebat item nec pios in bono perſeueraturos, niſi ſubinde purgentur & colantur: Neceſſario igitur fecit etiam Patris mentionem.

Ex hoc igitur uides, quod Chriſtus non ſimpliciter uult habere Eccleſiam, ſed ſanctam & frugiferam. Non uult habere ſyluam, ſed uineam, non quærit ut habeat multos palmites, ſed ut habeat frugiferos. Nemo fert infrugiferos palmites in ſua uinea, multo minus uepres & ſpinas. Et Chriſtus hæc toleraret in uinea ſua in regno ſuo? Merito igitur Ioannes dixit, eum habere uentilabrum in
Matth. 3. manu ſua, & purgaturum aream ſuam, &c. Mittet enim Filius hominis, qui colligant de regno eius omnia ſcandala. Diligenter igitur attendant locum hunc, qui de munda & ocioſa fide ſibi blandiuntur.
Matth. 13.

Primo enim terribile eſt, quod Patrem dicit non tantum uepres exciſurum, ſed etiam quoſdam palmites, hoc eſt, non tantum eiectu-
Ioan. 3. rum Ethnicos, qui iam igni adiudicati ſunt, quia non credunt, itemq; manifeſte malos, ſed etiam ocioſos. Huc pertinet ficus illa ſteri-
Matth. 21. lis à Domino maledicta, itemque parabola de alia ficu, quam Pa-
Lucæ 11. terfamiliâs omni anno uiſitans, & ſemper infructuoſam inueniens,
Heb. 6. tandem excindi iuſsit, &c. Hinc & Paulus: Terra quæ ſæpe imbrem ſuſcipit,

susciꝑit,& tamen spinas germinat,maledictioni proxima est. Deinde terrorem auget, quod dicit omnem palmitem infrugiferum excindendum. Nullus enim latere poterit, nec oculos huius agricolæ fallere: Existimasti (inquit) inique, quod ero tui similis,&c. Psal.49. Arguam te, &c. Item: Scrutabor Hierusalem in laternis. Maxime Soph.1. autem terret, quod dicit: *Tollet eum*, hoc est, à Christo seiunget, ut nihil commune cum ipso habeat, quo quid grauius comminari poruisset? Hoc uerbo supra, Petrum mirum in modum terruit, ut exIoan.13. clamaret: Domine non tantum pedes, sed & manus & caput. Audierat enim à Christo: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Deinde tollet, hoc est, auferet ei homini humorem gratiæ, quem acceperat, quemadmodum & seruo infideli pecunia, Math.25. quam in terram defoderat, aufertur. Hoc modo Iudas amisit gratiam, quam acceperat.

Sic & Iudæi postea omnem Dei gratiam & fauorem amiserunt: Amissa autem gratia, quantum malorum sequatur in Iuda & Iudæis uidemus. Demum tollet infructuosum palmitem, à gloria & congregatione sanctorum fœlicitatequè. Sic Isaias: Tol- Isai.26. latur impius, ne uideat gloriam Dei. In iudicio enim omnino sepa- Mach.25. rabit oues ab hædis. Quanquam igitur nihil adhuc de pœna sensibilis gehennæ dicat (hanc enim infra quoque explicabit) tamen etiam hic satis pœnarum est, alienum esse à Christo, amittere gratiam, excludi à gloria.

Vides igitur, quod non sine causa ad Ecclesiam, quæ est uinea Domini, uocati sumus. Vides etiam pia opera necessaria esse ad salutem. Quod si sic punitur, qui bonum fructum non facit, quale iudicium eos manet, qui pessimos quosquè fructus faciunt? Si in uiridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? Summa, palmes Luc.23. infructuosus est fides sine operibus.

Et omnem qui fert fructum, purgabit]

Etiam fructuosi palmites opus habent manu & opera uinitoris, immo plus quàm infructuosi. Hi enim facile tolluntur, illi autem diligentissimam & perpetuam exigunt culturam, ne uel deficiant uel nimium luxurientur. Fructuosi autem palmites sunt, Gal.5. quorum fides per dilectionem operatur. Cæterum fructus spiritus sunt, gaudium, pax, patientia, &c. Item fructus, lucis bonitas, ueritas, Eph.5. iustitia. Purgat igitur Pater pios homines à reliquijs peccatorū. Nemo enim etiamsi sanctus sit, immunis est à peccato, quamdiu uiuit in hoc mundo. Opus igitur habent quotidiana purgatione. Hinc & Dauid ait: Cor mūdum crea in me Deus. Et iterꝝ: Inclina cor meum Psalm.50. in testimonia tua, & non in auaritiā: Auerte oculos meos, ne uideant Psal.118

uanitatem. Deinde purgat eos, hoc est, humiliat, & deprimit. Sicut enim palmes si non putetur, in nimiam altitudinem crescit, ac per hoc omnem succum in ramos & folia insumit, sic quod fructum ferre non potest: Ita caro, si pro sua libidine etiam in sanctissimis ferretur, Deus si fieri posset contumacia carnis è diuino maiestatis suæ solio perturbaretur. Audi enim in quantam altitudinem & superbiam, excreuerit Rex Babel: Ascendam (inquit) in cœlum, & similis ero altissimo. Item: Quis est Deus in cœlo, qui uos eruat de manu mea?

Isa.14. Dan.3.

Non dissimilia loquitur Rex Tyri: Deus (inquit) ego sum, & in cathedra Dei sedeo, &c. Vsque adeo turgescit caro beneficijs saginata, & interim non putata aduersitatibus & cruce. Sic pijs hominibus nonnunquam ex uirtutibus & donis crescit superbia, natura enim nostra semper alta expetit. Atqui superbia omnia opera nostra & fructus nostros uitiat: Nihil enim gratum est, nisi quod ex humili corde procedit, ut patet in Luca, itaque Pater agricola credentem purgat & humiliat. Primo enim interdum id, de quo gloriabatur, homo amputat & aufert, hoc est, dona sua, & hominem cadere permittit. Sic Petrum cadere permisit, ut non gloriaretur de uiribus suis: Alioqui si Petrus non cecidisset, quantum tribuisset suæ fortitudini, qui ante casum tanta præsumebat? Etiam, inquit, si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Hic igitur opus habebat putatione, ne altius crescceret.

Lucæ 18. Matth.26.

Deinde etiam aduersis & cruce suos purgat, & humiliat Deus, ne nimium insolescant. Hæc igitur est spiritualis illa circuncisio, quam toties commemorat Paulus, quæ non consistit litera, sed spiritu: quæ non semel tantum fit, sed per totam uitam.

Et hæc quidem purgatio uel putatio citra dolorem non fit. Omnis enim disciplina (dicit Paulus) in præsenti non uidetur esse gaudij, sed mœroris (quemadmodum in Isaia dicitur: Purgabit Dominus sordes filiorum Israël in Spiritu iudicij, & spiritu ardoris) Postea autem fructus pacatissimos affert exercitatis per eam. Hinc & Dauid: Bonum mihi, quia humiliasti me. Et iterum: Beatus quem tu corripueris Domine, &c. ut mitiges ei à diebus malis, quibus scilicet impij perdendi sunt. Ideo subditur.

Heb.12. Isa.4. Psal.118. Psal.93.

Vt fructum plus afferat]

Vbi manifeste uides, quòd Dominus non affligit, ut perdat, sed ut sanet, quemadmodum agricola putat palmites, non ut totum abscindat, sed ut purget ad copiosiorē fructum ferendum. Hinc Hieremias orat: Castiga me Domine in iudicio tamen, non in furore.

Hier.30.

Et

Et Sapiens: Noli negligere disciplinam Domini: Quem enim diligit, corripit. Hoc idem ad longum docet Paulus ad Hebræos. Prouer. 3. Heb. 12.

Duplicem igitur ex hoc uerbo possumus habere consolationem, immo triplicem in aduersis. Primo, quòd Christus afflictiones nominat purgationem, per eas enim expurgantur reliquiæ peccati.

Secundo, quòd dicit afflictiones ideo immitti, ut plus fructificemus. Tertio, quòd dicit omnem palmitem sic purgari: Non enim solus es, qui affligeris. Idem contigit omnibus sanctis, id quod Paulus diffuse probat ad Hebræos, 11. & 12. cap. Docemur ex hoc uerbo, ne curiose disputemus de prædestinatione, ne ideo à bonis cessemus, quòd ignota est nobis Dei prædestinatio. Quid enim tibi de hoc? Vide ut in Christo maneas, & fructifices. Nam etiamsi quis uideatur electus, non tamen fructificet, abijcietur. Sic Saul reiectus est: Vsquequo, inquit, luges Saulem, cum ego abiecerim eum? Sic de alio quodam dicitur: Si fuerit Ioachim annulus in manu dextra mea, inde detraham eum. Hinc Paulus: Tu fide stas, uide ne efferaris animo, sed time, &c. Econtra, qui non uidetur electus, fieri potest, ut eligatur, si in Christo uera uite fructum ferat. Non enim est abbreuiata manus Domini, ut saluare nequeat, sed iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & Deum. In fine autem monendi essemus, ut horum uerborum in externo uineæ labore memores essemus, ut etiam in agro præsentem haberemus concionatorem: Semper enim ex fide laborandum est. Sic enim assuesceremus, semper quæ sancta sunt cogitare, denique per hoc etiam laboris molestia mitigaretur. 1. Reg. 16. Hier. 22. Isa. 59.

Iam uos mundi estis]

Supra generaliter de omnibus locutus est, hic autem sermonem uertit ad Apostolos. Ac ne ex eo, quod dixerat: Omnem palmitem non ferentem fructum, tollet Pater, terrerentur, quasi præter Iudam adhuc aliqui excindendi essent, dicit ipsos esse mundos & sanos palmites. Solet enim pium cor ad omnia Dei iudicia contremiscere, & quo generalius proferuntur, eo magis timent, ne in se recidant. Sic supra, cum diceret Christus, se ab uno ex ipsis tradendũ, omnes exterriti fuerunt. Impius autem non timet Dei iudicia, nec credit, donec in ipsius caput recidant. Obserua quòd etiam supra circa pedum lotionem, illos dixit esse mundos, uerum addidit, sed non omnes. Ioan. 13.

Hic autem simpliciter dicit: *Iam uos mundi estis*. Iam enim exierat Iudas, qui solus inter ipsos immundus erat.

Cæterũ, cp mundos eos dicit, non sic intelligendum est, quod omnino sine omni peccato essent. Nemo n. in hoc sæculo ad tantã mundiciem peruenire potest, ut non necesse habeat dicere: Dimitte nobis debita nostra. In multis enim peccamus omnes. Hinc & supra di- Matth. 6.

xit

Iacob.3. Ioan.13. xit etiam his, qui loti sunt, opus esse, ut pedes lauent. Item, quod Pater etiam fructuosos palmites purgat, &c. Mundi autem erant Apostoli. Primo, ab errore incredulitatis. Secundo à peccatis mortalibus, licet nō omnino à uenialibus. Tertio mundi erant, quia propter fidem in Christū non imputabantur eis peccata: Mundi erant in Christo, etsi in seipsis adhuc essent peccatores. Solet quidem scriptura credentes appellare sanctos, propter sanguinem Christi, quo mundati sunt, & Spiritum sanctum, quem acceperunt: interim autem ipsi se non nisi peccatores iudicant. Hinc Paulus: Christus uenit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Vide autem ordinem uerborum. Primo pronunciat eos mundos esse, quod proculdubio summe lætificauit corda Apostolorum: Quis enim non optaret hanc uocem audire, remissa scilicet sibi esse peccata: Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, &c. pro hac enim remissione orat omnis sanctus in tempore opportuno. Quanquam & nos hanc uocem si uolumus, possumus audire, in absolutione scilicet post confessionem, &c. Verum, ne Apostoli hoc uel sibiipsis, uel propriæ iustitiæ aut meritis ascriberent, addit: *Mundi estis propter sermonem.*

1. Tim. 1. Psal. 31.

Demum addidit: Quem locutus sum uobis, ne putemus quemlibet aut cuiuslibet sermonem mundare. Solus enim sermo Christi mundat, non autem hominis sermo.

Propter sermonem (inquit) quem locutus sum uobis]

Hunc aūt sermonē possumus accipere uel eum, quem de sua passione & resurrectione fecit: Per hæc enim mūdamur. Vel eum, quo dixit: Ego sum uia, ueritas, & uita. Vel eum, quo dixit: Pacem meam do uobis, quid enim est pax Christi, nisi remissio peccatorum? Qui igitur pacē Christi habent, iuste audiunt: Iam uos mundi estis propter sermonem, &c. Potest etiam intelligi generaliter de quocunq; uerbo Dei. Vere enim uerbum Christi mundat: Est enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Vnde de Christo ibidem dicitur: Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui.

Ioan. 14. Mal. 3.

Mundat autem uerbum Christi. Primo, quia cor concutit peccatoris, ut etiam in medio cursu peccatorꝝ quasi subsistat. Vnde in Hieremia: Verbum meum quasi ignis, & quasi malleus supra petram. Et Paulus: Sermo Dei uiuus & efficax est, & penetrancior gladio ancipiti, &c. Secundo, mundat uerbū Christi, quia nos à mundo & ab impijs segregat. Sic uerbum Dei Abrahamum eduxit & segregauit à terra, & cognatione sua & domo patris sui. Hinc Christus: Non ueni pacem mittere, sed gladium & separationem. Veni enim separare hominem, &c. Tertio mundat, quia omnia à nobis uitia amputat, & etiam ab omnibus membris, neque enim uerbum Dei aliquod uitium suffert, quod non reprehendat.

Hier. 23. Heb. 4. Gen. 12. Matth. 10.

Quarto

Quarto mundat, quia ad omnia bona inducit & excitat. Vnde Dauid: Ignitum eloquium tuum uehementer, & seruus tuus dilexit illud. Et iterum: Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis: Iustitiæ Domini recte lætificantes corda, præceptū Domini lucidum illuminans oculos. Quinto mundat, quia eū ostendit et ad eum dirigit, qui solus mūdare potest: Non ad lacunas turbidas, sed ad ipsum fontē uitę & puritatis Christum nos dirigit. Sexto mundat, quia est ipsum instrumentū & mediū, per quod nobis Spiritus sanctus datur. Sic loquente Petro, Spiritus sanctus cecidisse legitur super omnes, qui audiebāt uerbum. Demū etiam ideo mundat uerbū, quia Sacramentis dat uirtutem mundandi et sanctificandi, alioqui si uerbum detrahatur, nihil faciunt Sacramenta, immo non sunt Sacramenta sine uerbo: Accedit enim uerbum ad elementum, & fit Sacramentum. Detrahe uerbum Baptismo, & quid est aqua, nisi aqua? Igitur etiā in aqua uerbū mundat. Hinc Paulus dicit, quod Christus Ecclesiā quidē mundat lauacro aquę, sed addit, In uerbo. Sic uerbum Christi etiam alijs Sacramentis uim & efficaciam tribuit, etc. Vides igitur uere dictū esse, nos mundari propter sermonē Christi. Vides quantus thesaurus sit uerbū Dei, & quam cæci simus, qui hunc thesaurū tam nihili pendimus. Hoc igitur uerbo & Apostolos & omnes Christianos ad maiora hortatur, cum ostendit eos non frustra sibi inhæsisse, aut sermonem suum audiuisse. Quod si iam tanta acceperunt, quis dubitat eos maiora accepturos, si persistāt in fide: id quod uidemus in Apostolis factū, immo experimur in nobis.

Pſal. 118.
Pſal. 18.
Hier. 2.
Act. 10.
Ephes. 5.

Manete in me]

Necessaria admonitio, alioqui putare possent satis esse, quod mūdati sint. Docet igitur hoc uerbo, etiam eos, qui semel purgati sunt, posse relabi. Ideo Paulus ait: Qui stat, uideat ne cadat. Et iterū: Tu fide stas, uide ne efferaris animo, &c. ne forte nec tibi parcat, qui naturalibus ramis non pepercit. Vide autem clementiam saluatoris. Ita nos inuitat, quasi ipse nostri indigeat, cum tamen ipse bonorum nostrorum non egeat, sed nos ipsius gratiæ. Sicut enim uitis nihil à palmitibus accipit, sed ipsi à uite, & sicut uitis potest esse & manere sine palmitibus, palmites autem non possunt manere sine uite: Sic Christus nihil à nobis accipit, sed nos ab ipso, posseteq; plane sine nobis esse, sed non nos sine ipso, et tamen ipse nos inuitat, cū iustius nos eius gratiam ambire & quærere debueramus. Deinde nihil durum nobis præcipit, sed tantum ut in ipso maneamus, quid leuius posset præcipere? Manemus autem in Christo per fidem & dilectionem. Hæc duo nos Christo cōiungunt: Fides excitat intellectū, charitas affectū.

1. Cor. 10.
Rom. 11.
Pſalm. 15.

Et ego in uobis]

Non

Non sine causa prius dixit: Manete in me, & nunc subdit: *Et ego in uobis*. Quam diu enim nos in ipso manemus, & ipse manet, nec de-
1.Reg.15. relinquit nos, nisi prius eum reliquerimus. Hinc ad Saulem dicitur:
2.Paral.12. Quia proiecisti dominum, proiecit te Dominus. Et iterū: Dereliquistis me, & ego dereliqui uos. Manet autem Christus in credentibus per gratiam, per diligentem custodiam, per singularem prouidentiam. Vere fœlices, in quibus Christus sic manet.

Sicut palmes non potest ferre fructum, &c.]

Nedum promissis eos allicit, ut in se maneant, sed etiam terret denunciatione damni, quod recedentibus à Christo imminet. Vt enim palmes decisus à uite, nunquam germinat: sic nos à Christo decisi, nūquam secundum uirtutem germinabimus. Christus est enim, qui per gratiam Spiritus sancti quasi per aquam irrigat & nutrit, ut
Ioan.7. possimus pietatis ædere fructus. Vnde dicit: Si quis sitit, ueniat ad
Psalm.35. me, & bibat, &c. Et Dauid: Apud te est fons uitæ, &c. Ex hoc uerbo patet, Ethnicorum uirtutes non esse bonos fructus, quia ipsi Christo insiti non sunt. Deinde hoc uerbū ostendit palam cunctis præsumptoribus, humanæ possibilitatis inopiam, quasi diceret. Videntur nimij assertores liberi arbitrij, se non indigere auxiliantis & miserantis
Rom.9. gratiæ Dei, tanq; uolentes & currentes sua uelocitate, sempiternæ uitæ fructum comprehendere possint: Ego autem dico, eos iure tollendos à uite, nisi omnem pulchritudinem omnemq; fructuū uenustatem non ex se ipsis, sed ex uitis intima radice prodire confiteantur. Demum hoc uerbo etiam commendat & defendit, ueram corporis Ecclesiæ unitatem, docetq; eos, qui se ab unitate Ecclesiæ segregant, bonum fructū facere non posse. Sicut enim palmes decisus, speciem quidem habet palmitis, sed non uiuit, nec ad aliquid usui esse potest, nisi ad ignem: sic ab Ecclesia præcisus, etsi uideatur iustus & sanctus, etsi uerbum Dei & Sacramenta uideatur habere, tamen non uiuit, nec quicquam boni habet, &c. Fugiamus igitur schismata, & diligamus unitatem. Igitur, si bona opera facere cupis, ante omnia uide, ut in Christo sis, ea enim sola bona opera sunt, quæ in Christo manentes facimus.

Ego sum uitis, uos palmites]

Repetit quod supra dixerat, tum ut fortius imprimeret cordibus, nostris, se esse salutis nostræ proram et puppim. Iuxta illud: Ego sum
Apoc.1. Alpha & ω, tum ut expressius de palmitibus dissereret, quod supra omiserat. Nec inutilis tautologia æstimanda est repetitio hæc, sed potius certissimum signum, quod summe nobis consultum exoptat Deus, alioqui non toties eandem rem inculcaret.

Dicendo igitur: *Ego sum uitis*, omnis boni fontē se esse ostendit,

quasi

quasi diceret. Ego sum, qui ne dum mea bona credentibus communico, sed etiam per fructus meos, qui sunt dona spiritus, corda hominum lætifico, tristitiam repello, calefacio, ac omnium terrenorum obliuisci facio, denique fortes & audaces reddo. Ideo alibi dicit: Si quis sitit, ueniat ad me, &c. Discipulos autem, immo omnes in se credentes nominat palmites. Primo, ut uel ex hoc nomine discant, quàm glorioſum sit adhærere Christo, quàmque miserũ ab eo seiungi. Sicut enim nihil pretiosius, speciosius, & nobilius est palmite, q̃diu in uite manet, eodemq; nihil abiectius & inutilius, si abscisus fuerit, adeo, ut ne paxillus ex eo fieri possit, quo aliquid suspendatur: Sic Christiano nihil nobilius, fœlicius, glorioſus, quàm diu manet in uite Christo, nec mirum, quomodo enim non fœlix est, cui promittitur regnũ cœlorum? Hinc Petrus: Vos, inquit, estis genus electum, regale sacerdotium, &c. Et iterum: Tanta nobis promissa data sunt, ut effecti simus diuinæ consortes naturæ. Econtra nihil contemptibilius homine, à Deo se auertente. Hinc Petrus: Contingit, inquit, illis quod dicitur: Canis reuersus ad uomitũ, & sus lota in uolutabro luti: Immo melius esset ei homini, si natus non fuisset. Melius enim esset uiam ueritatis nunquam agnouisse, quàm post agnitam retrorsum conuerti. Deinde, quod credẽtes in se, nominat palmites, plane ostendit, à Christianis plus aliquid exigi, quàm ab his, qui fuerunt in ueteri Testamento, immo nihil non magnum. Ob eam causam illi oliuæ aut ficui, frugiferis quidem arboribus, comparantur. Vt cum Dauid dicit: Ego sicut oliua fructifera. Nos autem palmitibus comparat, qui ne dum fructus, sed & omnium optimos producunt. Ioannis. 7. Ezech. 15. 1. Petri 2. 2. Petri 1. 2. Petri 2. Matth. 26. 2. Petri 2. Psalm. 51.

Quanto igitur fructus uitis, excellit fructũ oliuę, tanto excellere debet iustitia & sanctitas Christianorum, sanctitatem ueterum. Ab illis exigebantur boni fructus, à nobis optimi: tantum abest, ut nobis ociare liceat, id quod quidam impiissime sibi ipsis persuaserũt. Docet igitur nos hoc uerbum primo, ut magni æstimemus ea, quæ per Christum nobis donata sunt. Secundo, ut curemus optimis moribus respondere capiti nostro. Tertio, ut omni studio caueamus, ne à gratia excidamus. Quarto, ut prolapsi non demus somnum oculis nostris, donec iterum inseramur.

Qui manet in me, & ego in eo, hic fert, &c.]

Et hoc de mutua mansione non frustra repetit. Omnino enim nobis persuasum esse uult, ut summũ commodum æstimemus, Christo adhærere: summum aũt damnũ, ab ipso excindi. Neq; enim aliud in causa est, quod tam tepidi sumus ad quærendam gratiam, q̃ quod nescimus, quantum bonum sit, Dei gratiam habere: nec aliud in causa est, quod tam facile à Deo auertimur, quàm quod nescimus aut non cogitamus, quanta mala immineant, his qui se à Deo auer-

terunt,& auertunt. Christus igitur utrunq; nobis ob oculos ponit, & commoda piorum, & incommoda impiorũ, ut si quem non moueat utilitas, saltem deterreat periculum. Primo igiur generaliter loquitur, quid gratia operetur in pijs: Qui manet, inquit, in me, fert fructum. Sic in Osea dicit: Ero quasi ros, Israel germinabit ut lilium: Ex me fructus eius inuentus est. Et Hieremias: Benedictus qui confidit in Domino, &c. erit enim tanquam lignũ plantatum iuxta aquas, quod fructum suum dabit in tempore suo. Emphasim autem habet quod dicit: *Hic fert fructũ*, quasi diceret, Nullus alius fructificat, nec quicquam bonum dici potest, quod nõ ex succu huius uitis procedit, immo omnes alij tantum malos fructus faciunt. Iuxta illud: Non est qui faciat bonum, &c. Igitur qui bene operari uelit, primo omnium curet, ut in Christo sit, alioqui ingratũ erit quicquid operatur. Nec simpliciter fructum fert, sed multum fructum. Primo enim fructũ fert intra se, deinde etiam extra se, ad proximos scilicet. Hæc igitur est uera nobilitas Christiani hominis, si eo modo fructificat.

Osee 14. Hiere. 17. Psalm. 13.

Quia sine me nihil potestis facere]

Nec mirum, Nemo enim sapiens esse potest sine sapientia, nemo iustus sine iustitia, nemo uerax sine ueritate, nemo fortis sine fortitudine, nemo uidet sine luce, &c. Christus autẽ factus est nobis sapientia, iustitia, ueritas, uirtus, lux, &c. Immo omne bonũ. Huc pertinet, quod Paulus ait: Gratia Dei sum, id quod sum. Itẽ, Omnia possum in eo, qui me confortat. Item, Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c. Item, Ipse operatur in nobis uelle & perficere. Et in Osea: Perditio tua ex te, ex me auxilium tuum. Nemo igitur suis uiribus confidat: Maledictus enim qui ponit carnem brachium suum, is enim erit sicut myricæ in deserto, &c. Docemur itaq; quicquid boni in nobis est, Deo acceptum ferre. Sic Isaias: Omnia opera nostra operatus es in nobis. Et Dauid: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et Paulus: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Signanter autem obseruandum est, quod dicit: *Sine me nihil potestis*. Nihil (inquit) ne quis nimium tribuat libero arbitrio, aut uiribus suis.

1. Cor. 1. 1. Cor. 15. Philip. 4. 2. Cor. 3. Osee 13. Hier. 17 Isaiæ 26. Psalm. 114 1. Chor. 1.

Si quis in me non manserit, mittetur foras]

Recẽset mala auertentiũ se à Christo. Vbi primo hoc obseruandũ, quod dicturus (*Mittetur*) præmisit: *Si in me non manserit*. Nullũ em reijcit Deus, nisi se ipsum prius priuauerit gratia, ut supra dictũ est. Primũ aũt malũ: *Mittetur foras*, ab agricola scilicet patre, eo modo, quo supra dictũ est. Deinde etiã ab Ecclesia mittetur foras, ut membrum putridum, quemadmodum Christus præcipit: Si Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut Ethnicus. Et Paulus: Si quis inter uos fornicator

Ioann. 6. Matth. 18.

ctor aut adulter est, cum hoc nec cibum sumere. Auferte igitur ma- 1. Cor. 5.
lum de uobis. Subdit: *Et arescet*, nec mirum, quomodo enim non arescceret, qui è capite nec sensum nec motum percipit? Sic Iudas huiusmodi homines dicit arbores autumnales. Nec id satis malorum, sed insuper: Colligent eum, hi scilicet, qui de regno Christi colligent Matth. 13.
omnia scādala, Angeli sancti. Vel Angeli maligni, de quibus Isaias: Isaie 24.
Colligentur colligatione fascis, & mittentur in carcerem, &c.

Sequitur: Et in ignem mittetur, in ignem scilicet conscientiæ, deinde in ignem sempiternum. Addit: Et ardet, non dicit ardebit, sed ardet. Iam enim sententia in huiusmodi homines lata est: Qui enim Ioann. 3.
non credit, iam iudicatus est. ¶ Tantorum igitur enumeratione malorum, terret impios. Deinde per hoc etiam consolatur pios, quòd qui eos nunc persequuntur, aliquando eijcientur in ignem ęternum.

Si manseritis in me, & uerba mea in uobis, &c.]

Hęc duo semper cōiungit, quàmuis hoc loco non nihil mutauerit uerba. Quod em̄ supra dixit: Qui manet in me, & ego in eo, hoc nūc aliter exprimit, nempe & uerba mea in uobis manserint, per hoc enim ostendit, quomodo ipse in nobis maneat, nempe per uerbum suum: Et is uere habet Christum in se, qui uerbum eius habet & sequitur uel imitatur. Magna autem promissio est, quod fidelibus promittitur exauditio orationum. Quid enim obest, etiam si Christum non uideant, cum certi sint, orationes suas exaudiri? Pulchrè autem præmisit: *Si manseritis in me, & uerba mea in uobis*. Per hoc enim ostendit, quorum orationes exaudiātur, & ad quos spectet hęc promissio. Deinde, uerbum hoc præmisit, ne cui scrupulum moueat, quod dicit: Quodcunq; uolueritis, cum uideamus etiā sanctissimos non semper exaudiri: Si, inquit, uerba mea in uobis manserint, nihil malum petetis, sed nec quicquam quod ad salutem nō expediat. Verbum enim meum satis uos docebit, quid Deum deceat dare, & quid uos deceat petere ab eo.

In hoc clarificatus est pater meus, &c.]

Verbum hoc quidam sic accipiūt, ut sit consolatio Apostolorum, quos ad prędicādum Euangeliū mittebat, quasi diceret, nō uos gra-uare debet labor, etiam quicūq;, nec uos auertant pericula, quando-quidē uestro ministerio gloria Dei crescit: hoc tamen curate, ut plurimos adducatis, quo enim plures conuertitis, eo magis Deum glorificatis. Iam, si indefesso animo gloriam Dei promoueatis, non cessabit & ipse uos glorificare. Ipsius enim uerbum est: Qui me, inquit, ho- 1. Reg. 2.
norificat, honorificabo eum. Docemur hic propter promouendam Dei gloriam, nullum laborem aut periculum fugiendum.

Docemur item, ut in omnibus operibus nostris gloriam Dei quæramus & intendamus. Potest etiam generaliter accipi hæc

sententia, quòd scilicet ad gloriam Dei pertinet, si efficiamur Christi discipuli, & fructũ feramus (Nam hæc duo simul esse oportet) Hinc
Isaię. 43. in Isaia dicit: Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit,
Isaię. 60. &c. Et iterum: Germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum. Nõ tantum ob id, quòd Christiani Deũ glorificant
1. Petr. 2 uerbis, enarrantes uirtutes eius, qui eos uocauit, &c. sed etiam quia in ipsis glorificatur, hoc est, glorioſus apparet Deus. Est quidem in se Pater ab æterno glorioſus, sed non semper manifeste glorioſus apparet. Quemadmodum, mirabilis, sapientissimus & liberalissimus ab æterno fuit, non tamen talis ante orbis conditionem apparuit. Nam sapientia, potentia & liberalitas eius, postea in creatione mundi apparuit: Ita semper in seipso glorificatus est, sed non semper sic apparuit. Nunc autem reuelatur gloria eius in electis. Qui enim antea nesciebant Deum misericordem, nunc in tot milibus quos redemit eius misericordiam cernunt. Qui antea nesciebant Deum sanctum, nunc id ipsum uident in eo, quod non alios habere dignatur discipulos, quàm qui sancti sint.

Reuelatur igitur gloria Dei cum sanctificat electos, cum efficit ut fructum ferant, cum in ipsis uincit Sathanam, &c. Obserua diligenter, quòd Deus suam gloriam ducit, si pietati studeamus, quemadmodum & suam ignominiam suíq; nominis blaſphemiam iudicat, si sub nomine eius impie uiuamus, quem-
Isaię. 52. admodum in Isaia dicit: Propter uos nomen meum blaſphematur inter gentes.

Hoc autem uel solum nos à uitijs ad pietatem excitare posset. Quis enim non uereretur peccare, si per hoc sciret se nomen Dei blaſphemare? Quis non libenter pietati studeret, si crederet per hoc se Dei gloriam promouere? Ex hoc loco colligere possumus, cur Deus tam magnifice remuneret opera nostra. Hoc enim non fit, quod in se tam bona sint, sed quod per ea glorificatur Deus. Quod autem Christus non simpliciter dicit, Vt fructum afferatis, sed: Vt plurimum fructum afferatis, ideo fit.

Primo, ut sciamus nedum meliores (quod supra dictum est) sed etiam plures fructus à nobis exigi, quàm à ueteribus illis. Quia enim maiora nobis contulit & plura, etiam plura merito à
Lucæ 12. nobis exigit. Cui enim multum datum est, multum exigetur ab eo: Vt uel hic uideas, quantum à ueritate deuient, qui pia opera omittũt aut, dedocẽt, &c. Deinde, per fructum plurimum, ostendit non satis esse, si fidem habeamus, nisi & charitatem habeamus.

Bonus quidem fructus fides & credulitas, qua uincimus Diabolum, sed ultra hoc etiam alius fructus requiritur, charitas scilicet, qua uincimus hominum iniurias, immo etiam proprij cordis cupiditatem & suijpsius amorem.

Sic ut

Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos]

Nihil ociosè in hac concione Christi dicitur. Nam quàmuis eadem sæpe repetantur, est tamen hæc tautologia spiritui contrito & & humiliato admodum accepta. Quid enim dulcius afflicto, quàm hanc uocem à Christo audire: *Sicut dilexit me pater, &c.* Ita aũt dilexit pater filiũ, ut cõmunicauerit ei omnia bona sua, & sub cruce conseruauerit, de morte ad uitã reduxerit, animamq; eius ab inferno liberauerit: Iam cum Christus dicat se eodem modo nos diligere, plane ostendit, quod etiam ipse nobis bona sua communicare uelit, sub cruce conseruare, de morte ad uitã reducere, & ex inferno liberare. Psal. 15.

Atq; hæc sunt, quæ omnium maxime conscientiam confirmare possunt in omni aduersitate, quantumcunq; ingenti. Docet item hoc uerbo, non ideo ipsis omnia prospere cessura in mundo, quòd diligantur à Christo: Pater (inquit) diligit me, interim tamen cruci me subiicit. Eodem modo et ego uos quidem diligo, uerum non ideo effugietis crucem, quare non est, quòd animum despondeatis, uidetis enim mihi similia contigisse.

Manete in dilectione mea]

Necessaria planè admonitio. Nihil enim prodest semel Deum dilexisse, uel à Deo dilectum esse, nisi perpetuo fiat. Dupliciter autem exponitur uerbũ hoc. Primo passiue, de dilectione, qua diligimur à Deo, ut sit sensus. Semel in gratiam accepti estis, & à Deo diligi cœpistis, hoc deinceps uobis curæ sit, ut in gratia Dei permaneatis, ac perpetuo diligamini ab eo, quod quomodo fieri possit, sequens uerbum ostendet.

Secundo exponitur actiue, de dilectione, qua nos diligimus Christum, ut sit sensus. Cœpistis mihi per fidem & dilectionem adhærere, uidete ut perseueretis. Non enim qui cœpit, sed qui perseuerauerit usque in finem, saluus erit. Matth. 24.

Si præcepta mea seruaueritis, manebitis, &c.]

Et hoc uerbum de duplici illa dilectione intelligi potest, actiua scilicet, & passiua. Primo igitur ostendit, quo nam modo ad hoc pertingere possimus, ut perpetuo à Deo diligamur: Si (inquit) *præcepta mea seruaueritis*, certo polliceor, quòd perpetuo diligam uos. Per præcepta autem sua intelligit primo ea, quæ ipse à patre accepit perficienda, ut scilicet homines redimeret, &c. Deinde ea, quæ ipse dedit nobis obseruanda, ut est dilectio, sicut supra dixit: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis, &c. Ioann. 13.

Igitur, qui Christum credit in carnem uenisse, & mortuum esse pro peccatis nostris, &c. Proximumq; suum diligit, hoc est, qui fidem & charitatem habet, is præcepta Christi seruat, & ob id

certus est, quod à Deo diligatur, etiam si interim aduersa sustineat.
Rom.8. Hinc Paulus: Certus sum, quod neq; mors, &c. nos separare potest à charitate Dei, qua scilicet ipse diligit nos. Deinde hoc uerbo ostendit, eos tantum uere et permanenter diligere Christum, qui non uerbo tantum, sed impletione præceptorum testãtur se diligere Deum, ne quis se putet diligere Deum, citra impletionem præceptorum.
1.Ioann 4. Hinc Ioannes dicit: Qui dicit se diligere Deum, & fratrem suum odit, mendax est. Quomodo enim Deum, quem non uidet, potest diligere, si fratrem quem uidet, non diligit?

Sicut & ego præcepta Patris mei seruaui, &c.]

Seipsum ponit in exemplum, ne quis causetur de grauitate præceptorum. Deinde, ut ostendat se iure præcipere posse, quandoquidem ipse prior fecit quod iubet. Tertio, se in exemplum proponit, ut ostendat perfectissimum exemplar. Sunt quidem & pij nobis exẽplo beatæ uitæ, sed uitã non largiuntur, nec usq; quaq; perfecti sunt: Christus aũt usq; quaq; perfectus est, et nõ solũ docet uoce externa, sed etiã per spiritũ cordi imprimit, quod docet, quemadmo-
Hier.31. dum in Hieremia dicit: Dabo legem meam in corde illorum, &c.

Congrue autem Christus gloriari potuit, se præcepta patris seruasse. Nam Apostolo teste: Exinaniuit seipsum factus obe-
Philip.2. diens usque ad mortem. Notandum autem, quòd cum dicit: *Sicut ego seruaui*, non æqualitas dilectionis uel obedientiæ præcipitur, hanc enim nullus homo assequi potest. Quomodo enim
1.Petr.2. æqualitatem obedientiæ assequamur eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius? Quomodo dilectionem eius æquabimus, de quo dicitur: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, pro-
Psalm. 44. pterea unxit te Deus, &c. Sed tantum requiritur à nobis, uel quantulacunq; similitudo & imitatio.

Emphasim autem habet, quòd dicit: Et maneo in eius dilectione, quasi diceret. Quantumcunque mundus me iudicet ut Deo odiosum, tamen ipse me diligit. Et quamuis arduum negocium mihi imposuerit, non tamen ob id minus eum diligo, utinam & nos hoc dicere possemus.

Hæc locutus sum uobis, ut gaudium &c.]

Ne discipuli ob id tristarentur, quòd infrugiferos palmites dixit extindendos, dicit se hoc non ad terrorem illorum dixisse, sed ad gaudium. Deus enim etiam cum iudicium comminatur, nihil aliud
Psalm. 29. quærit, quàm salutem nostram. Hinc Dauid: Ira in indignatione
Hiere.29. eius, & uita in uoluntate eius. Et Deus ipse in Hieremia: Cogitationes meæ, cogitationes pacis & non afflictionis, &c.

Potest & uerbum hoc referri ad omnia, quæ hactenus per totum

totum Euangelium dixit, quasi diceret. Quod me dixi, lucem, uitam fontem, & panem uiuum, ostium, pastorem, uiam, ueritatem, uitam, resurrectionē, uitem, &c. Item quòd idem cum patre sim, quod uos diligam, &c. omnia eo tendunt, ut gaudium meum in uobis sit, hoc est, ut conscientiæ uestræ perfecte quietentur, & gaudeāt. Signanter autem addit: *Gaudium meum*, sicut supra: Pacem meam, ne quis mundanum aliquod aut carnale suspicetur gaudium. Vides quod Christus in Euangelio suo hoc solū intenderit, ut conscientijs consulatur: Et nos igitur nihil aliud in Euangelio quæramus. Ioann. 14.

Impij igitur in Christum sunt, qui ex Euangelio carnis libertatem statuere conantur. Potest etiam sic intelligi: Vt gaudium meum in uobis sit, hoc est, ut de hoc gaudeatis, de quo ego. Gauisus est autē Christus de salute nostra. Hinc exultasse dicitur in spiritu, cum discipuli redijssent à prædicatione, &c. Sic de Samaritanorum salute adeo exultauit, ut diceret cibum suum esse, uoluntatem Patris perficere. Lucæ 11. Ioann. 4. Vel, *Vt gaudium meum in uobis sit*, hoc est, ut ego de uobis ut de bonis filijs glorier, quia beneplacitum est Domino in populo suo. Et gaudium Domini, est fortitudo uestra. Psal. 144. Nehem. 8.

Vel, *Vt gaudium meum in uobis* sit, hoc est, beatitudo & gloria mea uobis communicetur in patria, pro ut Apostolus dicit: Si compatimur & cōregnabimus. Ideo subdit: Et gaudium uestrum impleatur. Hic siquidem incipitur, sed in futuro impletur. Iuxta illud: Satiabor cum apparuerit gloria tua, & adimplebis me lætitia cum uultu tuo. Sicut igitur Christus hæc duo potissimum intendit, uidelicet, ut hic gaudium conscientiæ haberemus, & illic perpetuam fœlicitatem. Sic nos hæc duo tantum ex Euangelio quæramus, &c. 2. Thim. 2. Psalm. 16.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem]

Quemadmodum lex principaliter duo tradit, quomodo scilicet Deo seruiamus, & quomodo cum hominibus cōuersemur: Sic Christus hactenus uerum Dei cultum docuit, qui in fide, spe & charitate consistit. Iuxta illud: Venit hora, quando ueri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & ueritate. Et iterum: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit. Nunc alteram partem absoluit, quomodo scilicet cum hominibus conuersandum sit. Et quamuis etiam supra de dilectione præceperit, hic tamen ea repetit, tum ut fortius imprimat, tū ut os occludat his, qui opera damnant, tū etiā ut uideamus, quales fructus à palmitibus suis exigat. Præterea etiam ideo repetit, ut sciamus nō leuiculā rem esse, credere, quandoquidē tam magnū fructū profert. Demum, quia iam dixerat: Manete in dilectione mea, congrue nunc de dilectione proximi subiungit. Duplex enim præceptum est dilectionis, &c. Hinc sponsa dicit: Introduxit me Ioann. 4. Ioann. 6. Matth. 22.

Cant. 2. rex in cellam uinariam, ordinauit in me charitatem. Item dixerat: Si præcepta mea seruaueritis, &c. congrue igitur nunc ea præcepta exprimit. Nec obstat, quod illic præcepta, hic præceptum dicitur. Charitas enim, & unum præceptum est & multa: Vnum in radice, multa in opere. Nam, Non adulterabis, Non fureris, &c. omnia hæc in uno uerbo includuntur: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Singula autem uerba Emphasim suam habent.

Rom. 13.

Primo, quod dicit (*Hoc est*) quasi digito monstrat, quid à nobis potissimum exigat, ne carnales etiam hoc præceptum transiliant, quemadmodum solent alia transilire, si quid durum uidetur, & tantum ea arripere, quæ libertatem quandam concedere uidentur.

Deinde etiam ideo quasi digito notat hoc præceptum, quia alioqui plærunq; magis nobis placent, quæ ipsi eligimus, quàm quæ Deus præcipit. Ideo dicit: *Hoc est*, &c. Hoc, inquam, à te exigo, secundum hoc te iudicabo. Deinde præceptum nominat, ne quis putet esse consilium, atq; adeo liberum. Sic enim nobis persuademus,

1. Ioann. 4. non magni referre etiãsi non seruetur. Atqui Ioannes plane ostendit magni referre, ut hoc præceptum seruetur: Qui non diligit (inquit) manet in morte. Item, Qui fratrem suum odit, homicida est, quia contra præceptum facit: Non occides, quod non tantum prohibet homicidium, sed etiam iram & odium, ut Christus ostendit.

1. Ioan. 3.

Matth. 5.

Tertio addit, *Meum*. Non (inquit) Philosophorum præceptum est, ut putetis contemnẽdum. Nec Moysi, ut putetis abrogatum, sed meum est, à me renouatum et expositum, immo & re ipsa perfectissime impletum, ideo minime uobis contemnendũ, si Christiani estis.

Addit quarto: *Vt diligatis*, quo uerbo indicat, se non tantum uerba & opera charitatis exigere, sed ante omnia cordis affectum. Fieri

1. Ioan. 3. enim potest, ut & uerba & opera externa fallant. Hinc Ioannes: Diligamus non uerbo neq; lingua, sed opere & ueritate. Addit quinto: *Inuicem*, Non nos ipsos. Item inuicem, sine acceptione personarum. Item inuicem, ut charitas retranseat in eum, à quo exiuit. Qui enim ab alio charitatem exigit aut accipit, etiam ipse tenetur charitatem præstare, pro ut potest.

Addit sexto: Sicut dilexi uos, ut ostendat, qualem exigat dilectionem. Est siquidem naturalis dilectio ad amicos & cognatos: Est dilectio carnalis, quæ & prohibita est. De nulla harũ loquitur hic Chri-

Osee 14. stus, sed: Sicut dilexi uos, inquit. Dilexit autem nos Christus primo gratis & spõtanee. Quis enim prior dedit illi & retribuetur ei? Hinc

Rom. 11. 1. Ioan. 4. Ioannes: In hoc est charitas, q; ipse prior dilexit nos, &c. Et Paulus:

Roma. 5. Comnẽdat charitatẽ suã Deus, quod cũ adhuc inimici essemus, &c. Deinde dilexit non nostra, sed nos. Item non peccata, sed personas.

Præterea sic nos dilexit, quod omnia sua ad dilectionem &

commodum nostrum ordinauit, uerba, opera, miracula, uitam, seipsum, corpus, sanguinem, animã, diuinitatem. Verbis docuit, exemplis præcessit, miraculis confirmauit, uitã expendit, seipsum obtulit, corpus & sanguinem in cibum dedit, animam in preciũ, diuinitatem in subsidium & refugium contra Diabolum.

Eodem modo & nos iubemur diligere proximum, &c. Vides iam, quantum exigat hoc unum præceptum: uides quàm non habemus occasionem ociandi: uides quod hoc præceptum omnes nos conuincit, esse peccatores. Immo hoc uerbo præcipitur extrema extenuatio nostri, sicut Christus se infra omnes humiliauit & abiecit. Hinc & alibi dicit: Qui uult me sequi, abneget semetipsum, &c. Matth. 16.

Præterea interdicitur nobis quæcunq; uindicta, quemadmodum Christus nulla iniuria ad odium, nullo damno ad uindictam permotus fuit. Dictum est enim: Mihi uindictam, & ego retribuam. Deut. 32. Sicut enim Deo adimit gloriam, qui ipse se iustificat, qui sibi sapientiam arrogat, ita Dei gloriæ derogat, qui uindictam sibi arrogat.

Maiorem hac dilectione nemo habet, &c.]

Hoc addit, ne quis subiiciat, quemadmodum olim Iudæi: In quo Mal. 1. dilexisti nos? ac plane ostendit, quod non tantum nos dilexerit, sed & summe dilexerit & summo gradu. Habet enim dilectio gradus quosdam. Infimus gradus est, ubi quis diligit diligentem se, hoc Matth. 5. enim etiam Publicani & Ethnici faciunt: Altior autem gradus est, si diligat eum, qui non benefacit aut diligit: Summus autem, si diligat inimicum, qui & odit & male facit.

Sic magna charitas est benefacere de suo: maior autem benefacere de seipso: maxima autem, mori pro his, quos diligis. Facile enim pecuniam & operã impendimus, non sic autem uitam, quæ charissima est. Vtroq; autem modo Christus summam charitatem, & qua maior esse non potest, ostendit. Nam & inimicos dilexit, & denique uitam pro eis impendit. Nec huic dilectioni simile est, quod aliqui Gentilium pro patria mortui sunt, ut Curtius & duo Decij, qui se pro patria deuouerunt. Hoc enim fecerunt laudis cupiditate, & honorifica mortis consuetudine, qua mortis horror, uel parte aliqua mollitur: Proinde non è uera charitate, qua ciues diliguntur, hoc proficiscebatur, sed qua potius unusquisque se suamq; gloriam diligit. Mori autem turpiter, idq; pro inimicis, hoc opus hic labor est. Posset adhuc inueniri, qui gloriosa morte pro amicis occumberet, sed qui turpi morte & pro inimicis moriatur, nemo facile inuenietur. Quod aũt Christus dicit (Pro amicis suis) non intelligit de his, qui ipsum dilexerunt, nemo enim Christum prior dilexit: sed de his, quos ipse adhuc inimicos exi- 1. Ioann. 4. stentes, prior dilexit; & morte sua amicos fecit. Vnde Paulus:

Pro

Rom.5. Pro bono forsitan quis mori sustinet. Commendat aũt charitatem suã Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Hoc itaq; suo exemplo Christus docet, nõ simplicem à nobis exigi dilectionem, sed summam, qua si opus fuerit, etiam uitam pro fratribus ponamus. Vbi uide, quantum nos absumus ab hac dilectione, qui etiam grauamur uel minimũ quid fratribus impendere. Signanter autem hoc uerbo monet Apostolos ad fortitudinem, ut & ipsi exemplo suo discant, proximorum salutem pluris facere, quàm sua ipsorum incommoda uel etiam mortem.

Obserua autem, quod cum dicit, Charitatem hoc exigere, ut si opus sit, etiam animam ponamus: per animã hic intelligit uitam corporalem, nõ internum hominem, uel conscientiam. Nemo enim debet animam suam spirituali morti, hoc est, peccato exponere, uel eius salutem postponere propter proximorũ profectum: Non enim facienda sunt mala, ut eueniant bona. Quid prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ uero suæ detrimentum patiatur? Miserere, inquit, animæ tuæ placens Deo: Qui enim sibi malus, cui bonus?

Roma. 3. Matth. 10. Eccles. 30.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ, &c.

Ne causentur de grauitate præceptorum, addit promissionem, & quidem nõ uulgarem. Amicitiã enim suam offert, quæ quantum bonum sit, uel ex hoc conijci potest, quod etiã in mundo nihil iucundius est amicitia uera et syncera. Nulla autem amicitia hominum gloriosior est, quàm amicitia Dei. Hæc est, de qua tam magnifice sancti gloriantur, ut Ioannes: Videte (inquit) qualem charitatem dedit nobis Deus, &c. Et Petrus: Quoniam omnia nobis diuinæ uirtutis donata sunt, &c. ad longum. Deinde nulla amicitia utilior est, q̃ Dei, id quod manifestant exempla patrum, & omnium piorum. Præterea, nulla amicitia constantior. Deus enim quos semel in amicitiam suscipit, perpetuo retinet, nisi ipsi desciscant: Nunquid (inquit) potest mater obliuisci infantis sui? &c. Ego tamẽ non obliuiscar tui. Ad hęc nulla amicitia insignis tam facile acquiritur, q̃ amicitia Dei, tantum enim dicit: Si feceritis quæ præcipio uobis. Omnes igitur possumus hanc amicitiam adipisci, quicunq; tandem sumus, si ipsius præcepta seruamus.

1. Ioann. 3. 2. Pet. 1. Isaie. 49.

Iam non dicam uos seruos.

Hoc loco Christus subijcit testimonia amoris sui erga nos, quorum primum est, quod nos, non seruos, sed amicos fecerit. Serui erant omnes homines, quia peccatores: Omnis enim qui facit peccatũ, seruus est peccati. Nemo nostrũ audebat corã Deo cõparere. Nemo audebat sperare hæreditatẽ Dei, deniq; suo tẽpore etiam è domo Dei ejiciendi eramus: Seruus enim non manet in domo in

Ioann. 8. Ibidem.

æternum

æternum. In hunc modum seruos nos fecit peccatum. Deinde serui eramus diaboli, qui potenter nobis dominabatur, & quocunq; uolebat nos ducebat. Præterea & lex seruitutis iugum augebat, quæ & multa & ardua exigebat, nec tamen uires subministrabat: quo fiebat, ut legem quidem ferentes, inuiti tamen & reluctantes sola spe mercedis aut timore pœnæ sequerentur. Atqui legem sic obseruare, uere spiritus est seruitutis, non spiritus filiorum. Christus igitur dicendo: Iam non dicam uos seruos, ostendit, quòd ipse nos & à peccatis, & à diabolo & à lege liberare possit & uelit, nō ut lex non fiat, sed ut non damnet. Item, ut uoluntariè fiat & seruetur, quod solus Spiritus sanctus præstat, quem Christus dat. Emphasim autem habet, quòd dicit, *Iam*. Iam (inquit) per passionem meam peccatum abolebo: Iam cum diabolo congrediar, & uincam: Iam maledictum legis destruam, factus maledictum: Iam spiritum uobis impetrabo, quo deinceps Dei præcepta nō seruili spiritu, sed spiritu adoptionis, spiritu libertatis impleatis. Habet & illud Emphasim, quòd addit. *Ego non dicam uos seruos*. Ego (inquit) uos honestiori titulo nominabo, uerum non ex hoc superbire debetis, sufficit, quòd ego nō dicam uos seruos: Vos autē etiamsi omnia feceritis, tamē dicere debetis, serui inutiles sumus. Item non dicam uos simpliciter seruos, sed seruos meos. Liberaui quidē uos à misera illa seruitute, non tamen ut nunc ociemini, sed ut perpetuo seruiatis iustitiæ à Deo.

1. Chori 1

Roma. 8.

Lucæ 17.

Roma. 6.

Quia seruus nescit, quid faciat dominus eius]

Sicut Paulus discernit filios à seruis in hunc modum, Filios esse, in quibus spiritus adoptionis est: seruos, in quibus spiritus non est. Filios hæredes esse uitæ æternæ, seruos eijci: sicut & solus Isaac hæreditatem patris adeptus est, Ismael aliò ablegatus. Ita Christus hic discernit seruos ab amicis, quòd serui nesciant uoluntatem domini, amici sciant. Non solemus enim seruis concredere arcana consilia. Vere autem dictum est: Seruus nescit quid faciat dominus eius. Qui enim peccati & diaboli seruus est, non intelligit opera Dei etiam in creaturis, nec attēdit, cur quodq; faciat Deus. Nescit ex creatis agnoscere creatorem, eiusq; potentiam, & bonitatem. Sed nec scit aut intelligit, quid Deus pro salute hominum fecerit & faciat: nec intelligit, quid in futuro de bonis & malis facturus sit. Hinc Christus: Si cognouisses & tu, &c. sed abscondita sunt ab oculis tuis, &c. Item, Confitebor tibi pater, quòd abscondisti hæc à sapientibus, &c.

Roma. 8. Galat. 4.

Roma. 1.

Lucæ 19.

Matth. 11

Tanta est cæcitas & ignorantia impiorum. Deinde etiam, qui sub lege seruit, nescit quid faciat Dominus eius: nescit quid sibi uelit lex: nescit quòd non ad iustificationem data sit, sed ad peccati ostensionem. Deinde, nescit cur dominus aduersa immittat, ideo cum mali quippiam acciderit, irascitur, impatiens est, blasphemat. Item

nescit

neſcit bonam Dei uoluntatẽ, etiam in aduerſus conſtare, neſcit quid de Deo boni ſperare poſsit: Pij autem ſciunt conſilium domini, eſſe remittere peccatum, iuſtificare credentem, ſub cruce benedicere, ſub morte uiuificare, &c. Proinde non eſt, quòd uel peccatum uel mors uel afflictio tanto mœrore ipſos afficiat, ut animum deſpondeant.

Vos autem dixi amicos.]

Magna Chriſtiani hominis dignitas, quòd amicus Dei dicitur & eſt. Hinc enim ſecure acceſſum habet ad Deum, hinc nihil nõ à Deo expectare & petere audet, hinc etiam ad hæreditatem filiorum Dei admittitur, &c. Verum unde hæc tanta gratia? Ego (inquit) uos dixi amicos: Ego illud nomen impoſui, ad hunc honorem perduxi. Per
Epheſ. 1. ipſum enim gratificauit nos: Et per ipſum acceſſum habemus ad pa-
Epheſ 2. trem: Et de plenitudine eius accipimus, &c. Monet igitur hoc uer-
Ioann. 1. bo, ut magni æſtimemus gratiam nobis collatam. Monet ſecundo, ut ſibi adſcribamus quicquid boni habemus. Monet tertio, ut deinceps nõ ut ſerui, ſed ut amici in domo Dei conuerſemur: hoc eſt, ut non tantum timore pœnę, uel ſpe mercedis, mala fugiamus, & bona faciamus, ſed amore & uoluntate ut Deo complaceamus. Monet demum, ut in amicitia Dei, quam accepimus, maneamus.

Quia omnia quæ audiui á Patre meo, nota, &c.]

Signum amicitiæ & dilectionis eſt, quòd nobis uoluntatem patris, hoc eſt, Euangelium, annunciauit. Niſi enim nos dilexiſſet, non tanta bona nobis reuelaſſet. Magni igitur æſtimemus uerbũ Dei & Euangelium, quandoquidem audimus, quòd ſolis amicis concreditur. Obſerua, quòd non ſimpliciter dicit. Omnia uobis nota feci, nõ enim neceſſe eſt ſimpliciter omnia noſſe, ſed addidit: *Quæ audiui*. Non dicit quæ ſcio, ſed quæ audiui, hoc eſt, quæ iuſſus ſum manifeſtare. Omnia, inquam, quæ ad ſalutem ueſtram neceſſaria ſunt, & iam oſtendi per uerbum meum, & deinceps oſtendam per Spiri-
1. Ioann. 2. tum meum. In hunc modum & Ioannes dicit: Vnctio uos docebit de omnibus, ſcilicet ad ſalutem neceſſarijs. Cæterum per hoc quod dicit ſe ea à patre audiſſe, innuit, quod qui uerbum ſuum recipit, non
2. Petr. 1. ſolum eius, ſed & patris amicus efficitur. Omnia hæc eo tendant, ut uideamus quæ à Deo donata ſint nobis.

Non uos me elegiſtis.]

Locus hic notatu digniſsimus eſt. Paucis enim & breuiſsimis uerbis explicat exordium & finem, uel perfectionem noſtræ ſalutis, ut
Deut. 6. non abſurde hic exclamare poſsim cum Moyſe: Verbum quod hodie tibi præcipio, ſemper ſit in corde tuo, narrabisq; filijs tuis: ſit quaſi ſignũ in manu tua, &c. Docet autem hoc primo uerbo, quòd Deus nullius hominis debitor eſt, quaſi diceret: Qui per alios honorẽ aliquem conſequuntur, merito eorum debitores ſunt: uos autem me

non

non elegistis, nihil mihi priores contulistis, nullius uestrum debitor eram, nihil meriti eratis, ut ad tantam gratiam perduceremini, poteram & uos cum alijs relinquere, quod in uobis est non minus pernisetis, quam ceteri infideles. Sic in Isaia dicit: Non me inuocasti Iacob, &c. sed seruire me fecisti in peccatis tuis, &c. Isa. 43. Sic Paulus ait: Gratia saluati estis per fidem, non ex operibus: Dei donum est, ne quis glorietur. Item, Apparuit benignitas & humanitas Dei non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos. Non sine causa autem Christus hoc nobis inculcat, quod scilicet nullius debitor fuerit, & quod non meruerimus hanc, quam habemus, gratiam. Primo enim hæc cogitatio nos facit humiles. Deinde facit, ut gratiora fiant Dei dona & maiora appareant. Magnum quidem est, esse amicum Dei & filium, sed longe excellentius uidebitur, si attendas, quod eam gratiam non merueris, sed immerito tibi data sit. Sic magnum est habere sanitatem, diuitias, scientiam, &c. sed maiora apparebunt, si attendas, quod nihil horum merueris, immo cum omnibus pœnis dignus sis, tamen tanta contulerit Deus. Hic aperietur os in laudem Dei. Ephes. 2. Tith. 3.

Sed ego elegi uos.]

Hoc uerbo ostendit, unde sit salutis nostræ principium: Ego (inquit) elegi uos. Potest autem uerbum hoc intelligi, uel de electione ad Apostolatū, uel de electione æterna ad salutem. Utrobique enim gratia est, non meritum, & utrumquè per Christum fit. In ipso siquidem & per ipsum, elegit nos Deus ante mundi constitutionem. Ipse item est, qui ascendens in altum, dedit dona hominibus: Et alios quidem dedit Apostolos, alios Euangelistas, &c. Singulę autem dictiones Emphasim habent. Ego (inquit) qui Deus sum, ac propterea nullius indigens: Ego qui punire & damnare poteram, non simpliciter assumpsi, sed elegi uos multis alijs neglectis ex massa corruptionis. Elegi autem uos, qui in nulla re præ alijs conspicui eratis: Non (inquit) elegit te Dominus, quod maior esses alijs, sed tantum ob id, quia dilexit te, &c. Nec propter iustitias uestras, &c. cum sis populus duræ ceruicis. Elegi uos, non diuites, non potētes, sed uos pauperes idiotas, &c. Videte igitur uocationē uestrā, &c. Docet igitur Christus hoc uerbo, quod ipse sit autor nostræ salutis. Deinde, quod gratia est quicquid habemus, siue sint dona illa iustificantia, fides, spes, charitas, Spiritus sanctus, &c. siue externa illa dona, quæ alio nomine dicuntur gratiæ gratis datæ, de quibus Paulus in prima ad Corinthios, & ad Ephesios scribit. Utraq; dona per Christum accepimus, utraque in ipsum referenda sunt. Hac denicq; gratuita nostri electione, iterum suam erga nos dilectionem probat, quemadmodum & in Malachia per eandem Pſal. 15. Deut. 7. Deut. 9. 1. Cor. 1. 1. Cor. 12. Ephes. 4.

gratuitam electionem Israëlitarũ probat, quod eos dilexerit: Num⁹
Mal.1. quid (inquit) Esau erat frater ipsius Iacob, & tamen Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Et posui uos, ut eatis]

Iterum alludit ad parabolam de uite & palmitibus: Sicut (in-
Mal.1. quit) ex una uite plures palmites nascuntur, quorum aliqui postea & ipsi plantantur, ut ex una uite cum tempore efficiatur tota uinea: Sic & ego uos posui & plantaui, ut & alij ex uobis pullulent, sicque totus mundus impleatur.

Posui uos ut eatis, uos latius extendatis, non enim tantum uestri causa electi estis, sed & pro salute aliorum. Item posui uos ut eatis, nolite sedentes expectare, donec homines ad fidem ueniant, sed errantibus manum porrigite, & etiam audire nolentibus, immo & persequentibus sermonem salutis ingerite, &c. hoc est officium Apostolorum. Pertinet hoc uerbum etiam ad omnes, ideo enim in Ecclesia positi sumus, non ut nobis tantum consulamus, sed ut etiam alios, quos possumus adducamus. Item ideo in Ecclesia positi sumus, ut eamus de bono in melius, de fide in opus, semperque proficiamus, non ut sedeamus, multo minus ut retrocedamus.

Et fructum afferatis]

Primo refertur ad Apostolos, quorum officium est fructus ferre
Psal. 25. in horrea Domini. Iuxta illud: Euntes ibant & flebant, mittentes
1. Cor. 9. semina sua, &c. Hinc Paulus: Væ mihi, si non euangelizauero.

Signanter autem dicit, ut fructum afferatis, non ut ab alijs fructum accipiatis, sed ut ipsi alijs prositis. Licet quidem pastoribus accipere de lana ac lacte ouium, sed non hoc potissimum est, quod eis incumbit, sed pascere, custodire, fouere, &c. Deinde etiam ad omnes nos pertinet uerbum hoc. Nobis enim indicitur, ut fœcundi simus operibus bonis, si non uolumus excindi & in
Psal. 91. ignem mitti. Hinc Dauid dicit: Iustus ut palma florebit, &c. Et
Matth. 5. Christus: Luceat lux uestra coram hominibus. Et Paulus: Studet
1. Tim. 6. ant diuites fieri bonis operibus.

Et fructus uester maneat]

Manet fructus Apostolorum, quia sunt Ecclesiæ in æternum
Eph. 2. manentis fundamentum, Iesu Christo summo angulari lapide existente. Deinde ideo manet fructus eorum, quia prædicarunt Euangelium, quod est uerbum in æternum constans. Cœlum enim
Lucæ. 21. & terra transibunt, uerba autem Christi non. Præterea ideo etiam fructus eorum manet, quia pro labore suo in æternum præmiabuntur.

miabuntur. Hoc igitur uerbo Apoſtolos conſolatur, ne propter ſuam humilitatem deſperent, ſe quicquam poſſe in mundo fructificare: Non ſolum (inquit) fructificabitis, ſed etiam fructus ueſter manebit. Manet & piorum fructus propterea, quod ſunt fructus ſpiritus inæternum manentis. Deinde, quod & ipſi æternaliter præmiabuntur. Admonemur hoc uerbo, ut ea operemur, quorum fructus perpetuo manent, non temporalia, quæ tranſeunt. Qui enim in carne ſeminat, de carne metet corruptionem. Gal. 6. Hinc Chriſtus: Theſaurizate uobis theſauros in cœlo, &c. Matth. 6. Gal. 5.

Vt quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo]

Ne uel de labore, uel ſua infirmitate cauſentur, addit inſignem promiſsionem, qua oſtendit, unde auxilium ſit petendum, ut fructificare poſsimus, nempe à Deo per orationem. Primus fructus Spiritus ſancti, Oratio. Miſit enim Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba, pater. Manet autem iſte fructus in nobis, nam quamprimum renati fuerimus è ſpiritu, ſine intermiſsione Deum ut Patrem appellamus. Vnde Paulus: Sine intermiſsione orate. Non igitur habet Chriſtianus, quod conqueratur de impoſsibilitate præceptorum, cum tantam habeat promiſsionem, & toties repetitam. Vt autem ſciamus, quorum orationes exaudiantur, præmiſit: Eatis, & fructum afferatis. Qui enim uocationi ſuæ inſeruiunt, his Deus non deeſt. Rom. 8. 1. Teſſ. 5.

Hæc mando uobis, ut diligatis inuicem]

Hoc iam tertio præceptum charitatis repetit, ut ſciamus ante omnia à Chriſtiano exigi charitatem. Deinde cum dixiſſet, Apoſtolorum officium eſſe, ut euntes fructum ferant, prædicando ſcilicet Gentibus, congrue ſubiecit præceptum dilectionis, quod uel ſolum eos ad huiuſmodi pios labores inducere deberet. Qui enim cogitat, ſibi præceptum eſſe, ut diligat proximum, is non facile fugiet labores pro ſalute proximi.

Præterea dicturus de futura ipſorum perſecutione, præmittit præceptum dilectionis. Non parum enim ſolatium præſtat in aduerſis, mutua dilectio fratrum. Si mundus odit, at nos inuicem diligamus: ſi nullum ſolatium à mundo habemus, ſaltem inter nos alter alterum conſoletur.

Si mundus uos odit, ſcitote quia me, &c.]

Tria mala Apoſtolis euentura prædicit: Odium mundi, perſecutionem à mundo, contemptum prædicationis, & unicuique

malo remedia & consolationes apponit, atque adeo fidelem medicum agit Christus. Hactenus enim contra præsentia mala eos consolatus est, nunc consolatur contra futura. Hactenus contra internam tentationem (qua homo de diuina uoluntate dubitat) remedia dedit: Nunc etiam contra externam tentationem, quæ ex ingratitudine mundi oritur, consolatur. Non parum enim pios cruciat, quod tantam experiuntur ingratitudinem pro tantis laboribus. Obserua igitur, quod non ad uindictam eos excitat,
Deut. 32. sed ad patientiam. Scriptum enim est: Mihi uindictam. Secundo, Non iubet ut desistant prædicare & benefacere, ubi mundum ingratum inuenerint, sed eo fortius perseuerare docet in bono, si forte bono suo aliorum malitiam superare possint. Vide autem qualem consolationem contra odium mundi adferat: Scitote, inquit, &c. Poterat etiam Gentilium exempla adducere, qui ingratitudinem mundi experti sunt, ut Camilli, Scipionis, Lycurgi, Themistoclis, &c. Nam etiam inter Ethnicos, quo magis quis saluti Reipublicæ consuluit, & populi commodis, eo pertinaciori odio à mundo tractatus est. Non enim potest mundus ferre bene consulentem, si is non affectibus eius carnalibus obsequatur.

Poterat item Prophetarum exempla adducere, qui & ipsi odium mundi experti sunt. Quem enim Prophetarū non occiderunt?
Act. 7. Amos. 5. Odio (inquit) habuerunt corripientem in porta. Sic Achab Mi-
3. Reg. ult. chæam odiebat, eò, quod ipsum arguebat, &c.

Omnibus tamen omissis, seipsum in exemplum proponit Christus: *Scitote (inquit) quia me priorem*, hoc est, quia prior fuit. Vel priorem, id est, prius quàm uos. Prima igitur consolatio est, quod nihil noui nobis contingit. Vetus mundi ingenium est, quod
1. Ioan. 2. ingratus est in bene consulentes. Hinc Ioannes: Nolite mirari, si odit uos mundus, &c. Altera consolatio, quod non soli, sed cum sanctis omnibus patimur.

Tertia, quod cum ipso Christo patimur. Multo autem melius est cum sanctis & Christo pati, quàm cum impijs gaudere. Si enim
2. Cor. 1. cum illis patimur, simul etiam cum illis glorificabimur. Econtra, Si cum his gaudemus, cum ipsis quoque peribimus. Hinc Moyses
Heb. 11. omnibus bonis Ægypti prætulit improperium Christi, ac maluit cum populo Israël pati, quàm cum Ægyptijs gaudere.

Cæterum mundus odit Christum, quia ex alio mundo uelut peregrinus uenit in hunc mundum. Siquidem peregrinus inter alie-
Ioan. 7. nos non facile reperit amicum. Secundo, Odit mundus Christum, quia contrarius est operibus eius, & arguit mundum, quod opera eius mala sint: Omne enim quod est in mundo, aut est con-
1. Ioan. 2. cupiscentia carnis, &c. Verum Christus hæc damnat.

Tertio, quia Christus etiam iustitiam, sapientiam, potentiam mundanam

mundanam arguit, quod mundus ferre non poteſt, ipſum odit.

Si de mundo eſſetis, mundus quod ſuum eſt, &c.]

Similis amat ſimilem, & mala ſcabies non amat, niſi commode ſcalpentem. Sic mundus eos amat, qui illi ſimiles ſunt, qui non arguunt, ſed applaudunt, adulantur. Mala ſiquidem ſcabie prurit, nec patitur, niſi qui commode ſcalpit, hoc eſt, qui loquitur placentia, &c. Duæ ciuitates ab exordio mundi conſtrui cœperunt: Prima Dei, altera Diaboli. Prima bonorum, altera malorum: Et hæ ciuitates ſemper ſibi aduerſantur. Igitur ſi ciues Babylonis eſſetis, mundus uos diligeret ut ſuos. Nunc autem, quia Babylone exiſtis, & ciues ſupernæ Hieruſalem aſcripti eſtis, ideo uos odit mundus. Iam nihil obeſt, ſi ciues Babylonis te odiant, dummodo ciues Hieruſalem te diligant, immo ipſe Deus. Non igitur triſtandum de odio mundi, immo potius gaudendum. Per hoc enim aperte monſtratur, quod ciues eſtis ſanctorum, quod mundo diſſimiles eſtis, quod iuſti eſtis, quod ueritatem dicitis: Atque hæc ſumma ueſtra gloria eſt. Gaudendum igitur, quod è mundo erepti ſumus. Docemur hoc uerbo, ne mundi amicitiam ambiamus: Qui enim eſt amicus huius mundi, efficitur inimicus Dei. Nec curemus odium mundi, quod diuturnum eſſe non poteſt. Suo enim tempore ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, &c. Deinde mundi odium externe quidem nocere poteſt, ſed non interne. Iacob. 4. Sap. 5.

Obſerua malitiam mundi, quod nedum malus eſt in ſe, ſed & bonos odit & argui non uult, quod eſt certiſsima damnatio eius.

Mementote ſermonis, quem dixi, &c.]

Si nihil aliud, certe hoc uos conſoletur, quod & ueſtri & mei & Dei inimici ſunt. Sæpius autem hoc uerbum inculcat: Non eſt ſeruus maior domino ſuo, nam & ſupra etiam hoc dixit. Nihil enim eſt, quod æque conſolari poteſt hominem & patientem reddere, quàm ſi cogitet ſe non maiorem eſſe domino. Quomodo enim audebit murmurare, cum uideat Dominum eadem, immo maiora paſſum eſſe? Quomodo audebit dulcia appetere, qui uidet dominum ſuum ſpinis coronatum? Hoc modo Helias conſolabatur ſe ipſum: Obſecro (inquit) Domine, tolle animam meam. Non enim melior ſum, quàm patres mei. Ioan. 13. 3. Reg. 19.

Summa, ideo nos elegit, uocauit, iuſtificauit Deus, ut efficiamur conformes imagini Filij eius. Iam, cum Chriſtus crucifixus ſit, noli tibi meliora ſperare: Qui, inquit, uult uenire poſt me, abneget ſemetipſum, Rom. 8. Matth. 16.

metipsum,& tollat crucem suam,&c.

Si me persecuti sunt,& uos persequentur]

Hæc enim inimicitiarum consuetudo est, quod qui Dominum persequuntur, etiam seruos fidelitati eius studentes persequantur.
Lucæ 23. Si in uiridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? inquit Christus. Qui in Deum impius est, quando pius erit in proximum?

Si sermonem meum seruauerunt,&c.]

Si me in uerbis meis insidiose obseruarunt, & uobis laqueos ponent. Vel si mihi crediderunt, & uobis credent. Monet hoc uerbo, ne ideo à prædicatione cessent, si pauci credant. Nam
Num. 14. & Christo pauci crediderunt. Et Moyses fidelis in domo Dei ex omnibus, quos ex Ægypto duxit, uix duos in terram promissam induxit. Et Prophetæ nusquam non conqueruntur, se non audiri:
Isa. 53. Domine (inquit Isaias) quis credit auditui nostro? &c. Item, Hæc
Isa. 49. dicit Dominus, ut reducam Iacob ad eum, & Israël non congre-
Osee. 7. gabitur. Et Oseas: Ego, inquit, erudiui eos, & ipsi cogitauerunt in me malitiam. Exemplo igitur agricolæ agrum quidem diligenter colamus, quod nostrum est: sed fructum Deo committamus,
1. Cor. 3. quod ipsius est opus. Ipse dat incrementum.

Sed omnia hæc facient uobis propter nomen,&c.]

Omnia hæc, odiendo scilicet, persequendo & sermonem contemnendo, facient uobis, non propter uestram culpam, sed propter nomen meum. Primo, quia occidendo uos, existimabunt se obsequium præstare Deo, nomen enim Dei, nomen meum est.

Secundo, quia nomen meum odiosum est: Nomen meum est iustitia, hoc ferre nequeunt, qui propria iustitia gloriantur. Nomen meum est sapientia, quod ferre nequeunt mundi sapientes. Nomen meum est potentia, quod ferre nequeunt mundi potentes.

Tertio propter nomen meum, hoc est, propter me, uel propter
Hier. 11. nomen meum extinguendum. Iuxta illud: Nomen eius non memoretur ultra. Iam etsi ignominiosum sit, pro peccatis pati proprijs, glorioſissimum tamen est, pati pro iustitia, pro Deo, pro
1. Pet. 4. Christo. Hinc Petrus: Si exprobramini in nomine Christi, beati. Item, Communicantes passionibus Christi gaudete, ut in reuelatione gloriæ eius gaudeatis. Ostendit igitur Christus hoc uerbo, sibijpsi fieri quicquid mali pijs infertur. Iuxta illud: Qui uos
Lucæ 10. spernit, me spernit, &c.

Quia nesciunt eum, qui me misit]

Gloriantur

Gloriantur de Deo, iactant se Dei cultores, sed non nouerunt eum, quia uerbum eius non agnoscunt, quo solo uidetur et cognoscitur. Arrogant sibi pietatem in Deum, & in Filium Dei impij sunt. Gloriantur de lege, & eum quem lex prædicat, abnjciunt, &c. Causa omnium malorum, quæ mundus agit, est, quod nesciunt Deum, & quod non attendunt, quod Filium miserit.

Si non uenissem & locutus eis non fuissem]

Dixerat: Nesciunt eum qui misit me. Ne quis autem putet eos ob id excusatos, ostendit ignorantiam eorum fuisse affectatam. Non enim quælibet ignorantia excusat. Et quidem ubi paruuli petunt panem, petūt instrui, & non est qui frangat, qui doceat recte: hæc ignorantia excusat. Vbi autem dicitur uidentibus: Nolite uidere, loquimini nobis placentia. Et Deo: Recede à nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus, &c. illic ignorantia non excusat, sed aggrauat peccatum, quemadmodum hic in Iudæis. Cæterum uides hoc loco, Christum tria quædam exprobrare incredulis, nempe aduentum suum, prędicationem, & miracula, siue etiam beneficia, quibus omnibus inuitauit eos ad credendum. Sic & alibi exprobrat eis sua beneficia, ut cum dicit: Quoties uolui congregare filios tuos, &c. Et in Isaia: Quid ultra debui facere, & non feci? Et in Ezechiele: Multiplicatam quasi germen agri dedi te, &c. Magnum erat, quod Christus ad Iudæos uenit: Non (inquit) sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israël: Item, Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Verum nihil ex hoc tanto beneficio moti sunt: In propria, inquit, uenit, & sui eum non receperūt. Magnum & hoc erat, quod in propria persona eis locurus est: Multi reges & Prophetæ hoc desiderabant, sed tamen eis concessum non est. Non fecit taliter omni nationi, &c. Locutus est aūt non inania uerba, sed talia, unde poterat agnosci è cœlo uenisse: Quare, inquit, loquelam meam non cognoscitis? Hinc & serui eorum dicebant: Nunquam sic locutus est homo, ut hic loquitur. Locutus est autem omnia, quæ illos poterant ad meliorem uitam reducere. Verū nec sic ad pietatem moti sunt: Cecinimus uobis, inquit, & nō saltastis: Lamentauimus, & non ploraſtis, &c. Merito igitur dicit: *Si non uenissem, &c.* peccatū non haberent, hoc est, tantum, quantū nunc habent. Vel peccatum non haberent, odij scilicet, in me & Patrem, quod nimirum summū peccatum est. Vel peccatū non haberent ingratitudinis & incredulitatis, quæ nimirū Deum maxime offendunt. Nam in alijs cōdescendere potest humanæ infirmitati: Ingratitudinem aūt, obstinationē, odium Dei & ueritatis, pati nō potest.

Thren. 4. Isa. 30. Lucæ 13. Isa. 5. Ezech. 16. Matth. 15. Heb. 2. Ioan. 1. Lucæ 10. Psal. 147. Ioan. 7. Matth. 11.

Vel peccatum non haberent, hoc est, non sentirent peccatum in

conſcientia. Nam mundus quidem ſemper peccat, ſed non ſemper uidet peccatum, niſi reueletur per uerbum Dei. Peccabant Iudæi cultu excelſorū, ſed latente Dei lege, non agnoſcebatur peccatum. Reuelata igitur lege per Prophetas, reuelabatur etiam peccatum. Sic odiſſe inimicum peccatum eſt, ſed nondum cognitum: Expoſita autem lege, Non occidas, reuelatur peccatum. Sic Iudæorum Pontifices & Phariſæi, extremi erant Dei oſores & aduerſarij, de Deo interim & uerbo eius gloriantes, ſed hoc ipſorum peccatum ante Chriſtum latebat: ueniente autem Chriſto, reuelatum eſt. Quis enim unquam uel ſuſpicatus eſſet, eos tam impij cordis eſſe? ſi in Chriſto odium ſuum non declaraſſent. Docet igitur Chriſtus, aduentu ſuo impietatem mundi reuelari, quemadmodum cæcus quiſpiam, nondum cęcus apparet, tenebris adhuc præſentibus:
Rom. 7. orta uero luce, manifeſta redditur eius cæcitas. Sic Paulus: Peccatum non cognoui niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret: Non concupiſces. Sic Scribarum cęcitatem nō nouiſſemus, quanquam ab initio cæci fuerint, niſi Chriſtus lumine ſuo eam declaraſſet.

Nunc autem excuſationem non habent de peccato]

Grauiſsimum uerbum. Vbi enim nulla excuſatio prætendi poteſt, quid aliud reſtat, niſi certiſsima damnatio? Cæterum, ſicut hoc uerbo impios terret, ſic conſolatur pios, ne graue ipſis ſit, quod mundus uideri uelit, ſe eos iuſte perſequi. Suo enim tempore apparebit, quod iniquiſsime pios perſecutus ſit.

Qui me odit, & Patrem meum odit]

Nec mirum: Si enim in Deum peccat, qui pium hominem moleſtat. Iuxta illud: Qui tangit uos, tangit pupillam oculi mei. Nec
Zach. 2. 1. Ioan. 4. quiſquam Deum diligere poteſt, qui proximum odit. Item, Si in Deum peccat, qui Prophetam aut uerbum Dei abijcit. Iuxta illud:
1. Reg. 8. Non te abiecerunt, ſed me. Multo magis in Deum peccat, qui Filium Dei odit. Retundit autem hoc uerbo Iudæorum ſuperbiam, qui gloriabantur de cultu Dei, cum interim impij eſſent in proximos, & in uerbum Dei. Deinde omnes nos terret, ne in Chriſtum aut eius membra peccemus, alioqui in ipſam Dei perſonam peccamus. Iuxta illud: Qui uos ſpernit, me ſpernit: & qui me
Luc. 10. ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit, &c.

Si opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit]

Non ſolum (inquit) ueni, non ſolum locutus ſum, ſed etiam mirabilibus

rabilibus factis ostendi, qui sim, ne dicere possint: Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est uerũ. Igitur, si parum erat, quod ad eos ueni, quod locutus sum, saltem operibus credant, alioqui manifeste legis præuaricatores se esse probant. Lex enim dicit, Duorum hominum testimonium uerum esse. Ioan. 8. Deut. 18.

Item, si uerbis nolebant trahi, saltem tot beneficijs traherentur.

Atque hoc est tertium, quod ipsis exprobrat Christus, nempe opera sua, miracula, ac generaliter omnia beneficia. Signanter autem dicit: *Quæ nemo alius fecit*, hoc est, nullus malus & blasphemus, qualem me esse putatis, tale quiddam facere potest.

Vel, nullus alius etiam sanctus talia fecit. Alij enim per preces fecerunt miracula, Christus per propriam potentiam. Vel, nullus alius talia fecit. Omnia enim miracula Christi non ad terrorem, sed ad subsidium afflictorum facta sunt. Vel, nullus tanta fecit, quo ad multitudinem & magnitudinem. Generaliter autem nemo tanta beneficia nobis fecit, ut Deus.

Hæc igitur tria, quod Christus in mundum uenit, quod Euangelium prædicauit, quod beneficia præstitit, sicut pios summe consolantur, sic ingratos certissime damnant: Hæc nobis diligenter consyderanda sunt, magna siquidem necessitas nobis incumbit. Aut enim emendanda sunt, quæ male fecimus, aut sine omni excusatione damnandi sumus. Nemo certius & grauius damnatur, quàm malus Christianus. Alij enim utcunque possunt excusari, hic autem non.

Nunc autem uiderunt & oderunt me & Patrem]

Moysen non uiderunt nec Prophetas, & tamen crediderunt: Me autem & mea opera uiderunt, & tamen nedum non credunt, sed etiam insuper oderunt. Vide autem, quomodo exaggerat peccatum eorum. Primo non crediderunt, secundo oderunt, tertio non solum me, sed & Patrem. Gloriantur se colere Deum, uidentur zelare gloriam Dei, quemadmodum Cayphas scissis uestibus exclamauit: Blasphemauit. Verum Christus non respicit ad oris sermonem aut operum laruam, sed in cordis profundum, in quo impius non solum odit Deum, sed etiam dicit: Non est Deus. Matth. 26. Psal. 13.

Sed ut impleatur sermo, &c.]

Non semel in Psalmis hoc legitur, ut cum dicit: Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Item, Non supergaudeant mihi qui oderunt me gratis, & annuunt oculis. Item, Locuti sunt aduersum lingua dolosa, & expugnauerunt me gratis. Indicat autem hoc uerbo, Iudæorum peccatum in summo gradu esse. Psalm. 68. Psal. 34. Psal. 108.

esse. Tolerabile siquidem est, apud mundum saltem, si quis prouocatus aliquem odit: Vtcunq; ignosci potest, si quis ignotum oderit, cæterum quis ignoscat illi, qui & notum & benemerentem odio prosequatur? Gratis igitur odiebant Christum, quia nihil mali ipsis fecerat, nec quicquam mali in ipso erat. Secundo gratis, quia nedum non odij causam, sed summę dilectionis fomitem illis præsta-
Psal.34. bat, iuxta illud: Retribuebant mihi mala pro bonis, &c. Tertio gratis, quia uerebantur, ne Moysi gloria pessum iret, si doctrina Christi promoueret: Atqui nihil opus erat hoc timere, cum Christus
Matth.5. non ad destruendam, sed ad implendam legem uenerit. Sic sapientes & potentes mundi timebant suis donis, si Christi sapientia & prudentia promoueret, ideo eum odiebant, sed sine causa. Non enim Christus sapientiam & potentiam mundi auferre uenerat, cū admodum necessaria sint ad statum Reipublicæ: sed tantum ostendere uoluit, ea non satis esse ad salutē. Quia igitur mūdus ex imprudentia persecutiones mouet, non est quod irascamur, sed cæcitati condoleamus. Quarto gratis me persequuntur, quia ex hoc nullum consequentur commodum, sed maximum damnum. Item, quia ni-
Act.9. hil proficient. Durum est enim, contra stimulum calcitrare, &c. Videamus igitur & nos, ne cuiquam odij causam demus, sed potius dilectionis, exemplo Christi. Quod si præterea odimur, gaudeamus quod gratis odimur, item quod odientes nihil proficient.

Cum autem uenerit Paracletus]

Ne plus debito terrerentur ex his, quæ iam dixit de Apostolorum persecutione, & quæ adhuc dicturus est, intermiscet consolationem. Quemadmodum enim Deus fidelibus suis nimis læta temperat tristibus, ne insolescant, sic & nimis tristia temperat lætis, ne desperent. Natura nostra neutrum ferre potest, nec nimis læta, nec nimis tristia: Lætis extollitur, tristibus dejicitur. Cæterum, quod toties Spiritus sancti meminit, ideo potissimum fit, quia in multis opus habemus gratia Spiritus sancti.

Quod autem etiam hic, cum de persecutionibus Apostolorum loquitur, mentionem facit Spiritus sancti, ideo fit, quia tempore aduersitatis omnium maxime indigemus Spiritu sancto, alioqui non persistimus in cruce & tentatione: Nostra enim fortitudo, non est
Iob.6. fortitudo lapidum, &c. Hinc Petro ante acceptum Spiritum dixit:
Ioan.13. Non potes me sequi modo. Et Apostolis in communi: Sedete in
Luc.24. ciuitate, donec induamini uirtute ex alto, &c. Hinc Dauid: Deus
Psalm.45. nostrum refugium & uirtus, adiutor in tribulationibus, &c.

Deinde Spiritus sancti hoc loco meminit ad consolationem Apostolorum: Alioqui dicere potuissent, si tua uerba quæ uere ignea sunt & cor penetrantia, eos non mouerunt, quando monebunt.

buntur uerbis nostris admodum frigidis? Et si tu tot miraculis ipsis persuadere non potuisti, quomodo nos persuadebimus, qui soli sumus? Frustra igitur nos emittes ad prædicandum, ideo pollicetur eis Spiritum sanctum affuturum, qui & ipsorum uerba ignea faceret, & doctrinam eorum miraculis confirmaret. Præterea, quod statim post commemorationem Iudaicæ ingratitudinis Spiritus sancti meminit, manifestum indicium est, quod Dei bonitas uincit malitiam humanam, & quod impiorum incredulitas non irritum reddit fructum eorum, qui Christo adhærent. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum Rom. 3. fidem Dei euacuat? ait Paulus. Sic & nunc impiorum peruersitas, non impedit dilectionem Dei erga pios & iustos.

Vide autem quàm sapienter loquatur sapientia Dei. Primo enim antequam de testimonio Spiritus sancti loquitur, prius eius personam describit, ne quis leue esse putet testimonium Spiritus sancti. Si personam attendis, à Deo procedit & Deus est: Si certitudinem requiris, Spiritus ueritatis est, & ipsa ueritas mentiri & fallere non potest: Si uirtutem testimonij eius quæris & effectum, Paracletus est. Non in aurem loquitur, sed in cor: Non in sermone est eius testimonium, sed in uirtute.

Est & hoc diuinæ sapientiæ signum, quod quasi singulis uerbis futuras hæreses prosternit. Primo enim cum dicit: Quem ego mittam, clare ostendit, quod non à solo Patre, sed etiam à Filio procedit Spiritus sanctus, contra errorem Græcorum.

Deinde quod addit: Mittam à Patre, clare ostendit, se unius cum Patre substantiæ esse, quandoquidem unum spiritum habent Pater & Filius, contra Arrium. Præterea, quod addit: Qui à Patre procedit, ostendit Spiritum sanctum non creaturam esse, sed Deum, contra eundem Arrium. Quod enim ex Deo procedit, Deus est: Creaturæ autem non ex substantia Dei, sed ex nihilo factæ sunt. Obseruandum autem, quod de Spiritu sancto loquens, præsenti tempore dixit: Qui à Patre procedit, cum de seipso supra dixerit: Ego à Deo processi, præterito tempore. Nec mirum, Cum Ioan. 8. enim hæc diceret, iam utique processerat ipse tanquam sponsus de Psal. 18. thalamo suo, scilicet factus homo uisibilis, qui inuisibilis Deus erat. Spiritus autem sanctus, nondum erat datus, quia Iesus nondum Ioan. 7. erat glorificatus, sed iam imminente passione Christi, tempus erat, ut procederet. Hoc enim Christus sua morte meruit: Rogabo (inquit) Patrem, & alium Paracletum dabit uobis. Ioan. 14.

Deinde Christus iam processerat, & uenerat ad condendam Ecclesiæ domum, & semel tantum sic uenit. Spiritus autem sanctus & tunc processit, & nunc procedit usq; in finem sæculi, ad dedicandam & illustrandam domum eandem, ut inhabitet in illa Deus. Præterea,

terea, quia semel & simul Deus omnia creauit per uerbum, nihilquè nouum de cætero creat, recte dicitur Filius processisse in præterito: Spiritus autem sanctus ex tunc usque inæternum in subiectam sibi rationalem creaturã procedit, quia absque eius processione, inopia creaturæ subsistere nequit, quomodo absque solis lumine luna non lucet, ut dicunt Physici. Et quidem beata sanctorum Angelorum societas, semper quasi luna plena est, nec deficit, nec minuitur: Ecclesia autem huius temporis, non semper in eodem statu permanet, sed nunc subleuata per contemplationem, donis eiusdem Spiritus plus fulget, nunc obscura pressuris uel sæculi turbinibus, minus lucet, &c.

Ille testimonium perhibebit de me]

Quod scilicet uere sim Christus & Filius Dei, hoc primum inscribet cordibus uestris & omnium credentium, deinde per euidentia signa etiam toti mundo hoc ostendet. Primo enim uobis, qui nunc
Act. 2. formidolosi estis, dabit inuincibilem fortitudinem: uobis qui ideoq; estis, dabit perfectam scripturarum omnium cognitionem: uobis, qui in una tantum lingua nutriti estis, dabit omnium linguarum notitiam: uobis, qui homines estis, dabit uirtutem diuina miracula faciendi. In hunc modum toti mundo testimonium perhibebit de me, ut nemo dubitare possit, quin Dei opera sint, mequè uerum illum Messiam esse. Denicp ille declarabit omnia, quæ dixerim, & quæ gesserim, ex quibus liquebit & mea bonitas, & illorum obstinata cæcitas. Ille docebit nihil in me factum, quod non prædictum sit in ipsorum libris. Cæterum, sicut Spiritus sanctus & in cordibus piorum, & coram mundo testificatus est & testificatur de Christo,
Rom. 8. sic & de nobis interne testimonium perhibet, quod simus filij Dei, & externe per honestatẽ uitæ testatur coram mundo, quod uere Deus in nobis sit. Docemur hoc loco, quod etsi uerba & opera Christi efficacissime testentur de Christo, efficacissimum tamen testimonium de ipso est Spiritus sanctus, sine quo nec uerba nec opera mouent hominem: immo sine Spiritu sancto, nemo recte æstimare potest aut uerbum Dei, aut opera Dei: Qui autem Spiritum sanctum habent, hi sciunt magnificare Dei uerba & opera.

Deinde ingens est testificatio fidei nostræ, quod filius hominis, in quem credimus, tam multa tamcp insignia testimonia habet, si-
1. Ioan. 5. quidem tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Pater per opera, Filius per uerba, Spiritus sanctus per collationem gratiarum. Secure igitur glorietur fides nostra, erigatur spes, exultet charitas. Ea ipsa autem tam insignia Christi testimonia, omnem incredulis excusationem auferunt. Quid enim prætendere possunt, Verbum audiunt, opera uident, Spiritum sanctum apertissime sentiunt, alioqui quomodo Apostoli tanta potuissent

efficere,

efficere, quomodo Ecclesia consistere in tot persecutionibus & erroribus, nisi Spiritu sancto fulciretur? &c.

Et uos testimonium perhibebitis]

Hoc addit primo, ne quis somniet Spiritum sanctum se habere citra uel contra uerbum Dei externum. Deinde ut ostendat, Spiritum sanctum per externum uerbum, tanquàm per medium, sua dona diffundere & suum opus exequi. Præterea, ut sciamus etiam nostram operam requiri ad salutem nostram. Non enim sine nobis suum opus exequitur, sed necesse est, ut & nos cooperemur contra ociosos. Quod autem tam certò pronunciat ipsos futuros testes, subindicat eos per Spiritum immutandos, alioqui quomodo hoc potuissent? Deinde etiam subindicat, quales esse debeant: Ad testem enim multa requiruntur. Primo, ut sciat, non opinetur. Secundo, ut constanter ueritatem testetur. Tertio, ut talis sit, ne reiici possit.

Sic igitur latenter submonet Apostolos, ut diligenter attendant, quo certius de hinc testificari possint. Deinde, ut quod sciunt, intrepide fateantur, nihil timentes. Demum, ut ita uiuant, ne testimonium eorum reiiciatur propter malam uitam. Hæc & nobis obseruanda sunt, &c. maxime Prædicatoribus.

Quia ab initio mecum estis]

Hæc est authoritas Apostolorum, contra eos qui dicunt, eos fuisse homines. Natura quidem homines permanserunt, sed uerbo suo Christus potentes eos fecit. Denique & ab initio cum Christo fuerunt, ideo dicere potuerunt: Quod audiuimus, quod uidimus, & manus contrectauerunt nostræ, &c. Item, Cum eo manducauimus & bibimus. Item, Non indoctas fabulas secuti, sed speculatores facti illius magnitudinis, &c. 1. Ioan. 1. Act. 10. 2. Pet. 1.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Vnquam non opus habemus doctrina & consolatione ex uerbo Dei, maxime tamen afflictionis tempore, cum aduersa uel tentationes imminent. Hinc est, quod Christus tempore instantis passionis, omnium dulcissimum & copiosissimum sermonem discipulis fecit. Neque id abs re, ipse enim præuidebat magnitudinem futuræ tempestatis, quæ tanta fuit, ut Apostolos etiam tam copiosa consolatione instructos, etsi non omnino deiecit, certe concusserit. Quid futurum erat, si non tantis consolationibus præmuniti fuissent: Quia igitur Christus eo potissimum tempore copioso uerbo illos præmuniuit, satis constat uerbum Dei singularem quandam uirtutem & efficaciam habere in afflictione, quare & tunc uel maxime uerbo Dei insistendum est, & quo maior tentatio, eo diligentius ad uerbum Dei recurrendum.

Hæc locutus sum uobis, ut non scandalizemini]

Pronomen (Hæc) referri potest uel ad consolatoria uerba, quæ hactenus dixit: uel ad id, quod de obstinatione Iudæorum & mundi dixit: uel etiam ad id, quod de discipulorum persecutione supra subindicauit: Omnia enim in eum finem tendunt, ne uel obstinatione hominum, uel sua persecutione offenderentur. Vbi uides, in quem finem nobis datum sit uerbum Dei, nempe, ut Paulus ait, in doctrinam & consolationem. Ad doctrinam contra scandala uitiorum, ad consolationem contra scandala afflictionum. Obserua quod non dixit: *Hæc locutus sum, &c.* ne scandala uobis occurrant, sed ne impingatis, & ita ut retrorsum cadatis. Impossibile enim est, ut scandala non occurrant. Fieri item non potest, ut peccata cor non titillent, & aduersa non tangant: hoc tamen agendum, ne ita impingamus, ut cadamus. Obserua & hoc, quod in Matthæo quidem dicit: Omnes uos scandalizabimini in me, sed addit: In ista nocte, hic autem simpliciter loquitur. Aliud est enim una nocte scandalizari, aliud ex toto scandalizari. Sicut igitur supra monuit, ut etsi lingua præ timore confiteri non audeat, tamen fides in corde non deficiat: Non (inquit) turbetur cor uestrum. Sic hic monet, ut etsi contigerit malis futuris moueri, non tamen ob id omnino deficiant à fide. Palam autem hoc uerbo ostendit, plura nobis occursura scandala uel offendicula, quibus uel impediamur, uel ita impingamus,

Rom. 15.

Matth. 18.

Matth. 26.

Ioan. 14.

mus, ut retrorsum cadamus. Primo occurrit ipsius Christi humilitas & contemptus, ut dubitari possit, utrum Filius Dei sit uel esse potuerit, qui tanta mala perpessus sit. Hinc Christus ipse: Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Offendit plærosque multitudo aspernantium, immo & persequentium Christum & doctrinam eius, ut apud se cogitent. Si hæc doctrina uera esset, non tot haberet contradictores, imò persecutores. Contra hoc igitur nos præmunire uoluit Christus. Ideo ostendit mundi hoc ingeniũ esse, nec mundum in ipsis mutaturum mores suos, &c. Summa, nedum contra hæc quæ dixi offendicula ualet uerbum, sed & contra omnia alia, quæ offendere possunt, ut sunt prædestinatio, desperatio gratiæ consequendæ, &c. Docemur etiam hoc loco, ad Christianum pertinere, ut non facile scandalizetur, non omni uento moueatur, sed ita se firmet fide & uerbo Dei, ut nec inferorum portæ eum possint mouere ac deijcere. Matth. 11. Eph. 4.

Absq; synagogis facient uos]

Supra generaliter dixit: Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Hic autem specialiter describit, qualis & quanta futura sit fidelium persecutio. Vbi primo obseruandum, quòd quæ hic dicuntur Apostolis, hoc est, sanctissimis dicuntur, ne durum nobis uideatur, si & nobis quicquam mali accidat: Nondum (inquit) usq; ad sanguinem restitistis. Deinde obseruandum, quod Christus suis non promittit prospera huius mundi, sed aduersa, nec qualiacunque, sed maxima & grauissima (nam odium mundi & ablationem bonorum temporalium, quasi leuiora non commemorat, sed tantum ea, quæ maxime affligunt) ut sciamus bona nostra in futuro sæculo reposita esse, econtra autem impijs mala. Primum igitur malum, quod recenset, est excommunicatio, eiectio è synagoga, proscriptio. Sic enim Apostolis contigisse legimus, sed non impune. Qui enim eos à synagoga eiecerunt iniuste, iuste è domo Dei eiecti sunt. Hinc Paulus dicit, Christianos esse peripsema mundi. Et in alio loco: Circuierunt in melotis & pellibus caprinis, &c. quibus dignus non erat mundus. Iam, sicut in Ecclesia, summa pœna habetur excommunicatio, ut Christus dicit, & Paulus re ipsa ostendit: sic apud Iudæos summa pœna erat eñci à synagoga. Terribile enim est, è populo Dei eñci. Ioan. 15. Heb. 12. Act. 4. 1. Cor. 4. Heb. 11. Matth. 18. 1. Cor. 5.

Consolationem tamen præstat, quod Christus dicit eos eñciendos, non ex populo Dei & Ecclesia sanctorum, sed è synagoga Diaboli & Iudæorum. Ecclesiæ quidem & sanctorum communionem ac Dei gratiam, mundus nobis auferre non potest: quod autem suam nobis interdicit amicitiam, nihil obest, immo plurimum prodest. Quo enim longius à mundi consortio recedimus & impiorum amicitia, eo propitius Deo accedimus. Arguit autem hoc uer-

bum mundi malitiam & cæcitatem: Malitiam, quod pios pati non poteſt, ſed eiicit & perſequitur iniuſte. Cæcitatem, quod eos eiicit, quorum beneficio uiuit. Quod autem Deus non ſtatim animad-
Matth. 13. uertit in impios, ideo fit, ne ſimul eradicetur & triticum. Propter pios, qui in mundo ſunt, mundo parcitur. Poſtquam autem à malis ſeparati fuerint, ſtatim iudicium Dei irruet in impios: Id quod uide-
Geneſ. 7. mus in Noë, Loth, & Ægyptijs. Quamprimum enim Noë ſe ſe-
Geneſ. 19. parauit ab impijs, Loth a Sodomis, Iſraëlitæ ab Ægyptijs, impij pe-
Exod. 14. rierunt horrendo iudicio. Non igitur eiiciamus bonos, ſed hoc agamus, ut & nos boni fiamus.

Sed uenit hora, ut omnis qui interficit, &c.]

Aliud & maius malum. Tolerabile forſan eſſet proſcribi, niſi & impij pios prorſus occiderent. Non ſolum enim mali ſunt & ingrati, ſed & crudeles & omnibus beſtijs immaniores filij mundi, nec niſi ſanguine ſatiantur eorum quos oderunt. Verum etiam occidi tolerabile eſſet, ſi mundus agnoſceret aperta fronte ſe impie agere, & confiteretur coràm, ſe ideo occidere pios, quod credant in Deum & bene agant: ſed tantum abeſt, ut hoc confiteatur, ut potius uelit uideri occidendo pios ſe bene agere, & cultum præſtare Deo: hæc demum uera crux eſt. Sicut enim ſumma gloria eſt, ſi quis ſapiens & iuſtus dicitur, ſic ſumma ignominia, ſi quis ſtultus & impius iudicatur. Crux in ſe ipſa contemptibilis eſt & grauis, multo tamen grauior & contemptibilior fit, ſi acceſſerit inuidia. Sic ſanctum Iob plus cruciabat, quod amici eius contenderent eum mala illa meruiſſe, quàm ipſa in ſe mala.

Signanter autem dicit: *Omnis qui interficit uos, &c.* Iudæi ſcilicet & Gentiles. Vtrique enim putabant ſe iuſte perſequi Apoſtolos: Iudæi, ut contrarios Moyſi. Gentiles, ut nouatores rerum, & perturbatores ſtatus Reipublicæ. Conſolatio autem eſt, quod addit: *Venit hora*, breui ſcilicet durabit impiorum potentia. Non
Pſal. 124. enim relinquet Dominus uirgam peccatorum, ſuper ſortem iuſtorum. Breui item durabit ſanctorum afflictio, & ſuccedet æterna conſolatio. Obſeruandum hoc, quatenus Deo placeat bona intentio & zelus, cum ſcilicet proficiſcitur ex fide & uerbo Dei. Vbi autem uerbo Dei contrauenitur, non excuſat bona intentio: Alioqui Deo
Rom. 10. placuiſſet perſecutio Apoſtolorum. Hinc Paulus de Iudæis: Zelum habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Sicut enim fides non eſt fides, ſed merum commentum, ſi non fundetur in uerbo Dei: Sic bona intentio non eſt recta, ſed mera impietas, niſi ortum ſuum habeat ex præcepto & uerbo Domini.

Sed hæc facient uobis, quia non nouerunt]

Conſolatio

mus, ut retrorsum cadamus. Primo occurrit ipsius Christi humilitas & contemptus, ut dubitari possit, utrum Filius Dei sit uel esse potuerit, qui tanta mala perpessus sit. Hinc Christus ipse: Beatus, qui non fueris scandalizatus in me. Offendit plærosquè multitudo aspernantium, immo & persequentium Christum & doctrinam eius, ut apud se cogitent. Si hæc doctrina uera esset, non tot haberet contradictores, imò persecutores. Contra hoc igitur nos præmunire uoluit Christus. Ideo ostendit mundi hoc ingeniũ esse, nec mundum in ipsis mutaturum mores suos, &c. Summa, nedum contra hæc quæ dixi offendicula ualet uerbum, sed & contra omnia alia, quæ offendere possunt, ut sunt prædestinatio, desperatio gratiæ consequendæ, &c. Docemur etiam hoc loco, ad Christianum pertinere, ut non facile scandalizetur, non omni uento moueatur, sed ita se firmet fide & uerbo Dei, ut nec inferorum portæ eum possint mouere ac deijcere. Matth. 11. Eph. 4.

Absq; synagogis facient uos]

Supra generaliter dixit: Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Hic autem specialiter describit, qualis & quanta futura sit fidelium persecutio. Vbi primo obseruandum, quòd quæ hic dicuntur Apostolis, hoc est, sanctissimis dicuntur, ne durum nobis uideatur, si & nobis quicquam mali accidat: Nondum (inquit) usq; ad sanguinem restitistis. Deinde obseruandum, quod Christus suis non promittit prospera huius mundi, sed aduersa, nec qualiacunque, sed maxima & grauissima (nam odium mundi & ablationem bonorum temporalium, quasi leuiora non commemorat, sed tantum ea, quæ maxime affligunt) ut sciamus bona nostra in futuro sæculo reposita esse, econtra autem impijs mala. Primum igitur malum, quod recenset, est excommunicatio, eiectio è synagoga, proscriptio. Sic enim Apostolis contigisse legimus, sed non impune. Qui enim eos à synagoga eiecerunt iniuste, iuste è domo Dei eiecti sunt. Hinc Paulus dicit, Christianos esse peripsema mundi. Et in alio loco: Circuierunt in melotis & pellibus caprinis, &c. quibus dignus non erat mundus. Iam, sicut in Ecclesia, summa pœna habetur excommunicatio, ut Christus dicit, & Paulus re ipsa ostendit: sic apud Iudæos summa pœna erat eijci à synagoga. Terribile enim est, è populo Dei eijci. Ioan. 15. Heb. 12. Act. 4. 1. Cor. 4. Heb. 11. Matth. 18. 1. Cor. 5.

Consolationem tamen præstat, quod Christus dicit eos eijciendos, non ex populo Dei & Ecclesia sanctorum, sed è synagoga Diaboli & Iudæorum. Ecclesiæ quidem & sanctorum communionem ac Dei gratiam, mundus nobis auferre non potest: quod autem suam nobis interdicit amicitiam, nihil obest, immo plurimum prodest. Quo enim longius à mundi consortio recedimus & impiorum amicitia, eo propitius Deo accedimus. Arguit autem hoc uer-

hum mundi malitiam & cæcitatem: Malitiam, quod pios pati non
poteſt, ſed eijcit & perſequitur iniuſte. Cæcitatem, quod eos eijcit,
quorum beneficio uiuit. Quod autem Deus non ſtatim animad-
Matth. 13. uertit in impios, ideo fit, ne ſimul eradicetur & triticum. Propter
pios, qui in mundo ſunt, mundo parcitur. Poſtquam autem à malis
ſeparati fuerint, ſtatim iudicium Dei irruet in impios: Id quod uide-
Geneſ. 7. mus in Noë, Loth, & Ægyptijs. Quamprimum enim Noë ſe ſe-
Geneſ. 19. parauit ab impijs, Loth a Sodomis, Iſraëlitæ ab Ægyptijs, impij pe-
Exod. 14. rierunt horrendo iudicio. Non igitur eijciamus bonos, ſed hoc
agamus, ut & nos boni fiamus.

Sed uenit hora, ut omnis qui interficit, &c.]

Aliud & maius malum. Tolerabile forſan eſſet proſcribi, niſi
& impij pios prorſus occiderent. Non ſolum enim mali ſunt & in-
grati, ſed & crudeles & omnibus beſtijs immaniores filij mundi,
nec niſi ſanguine ſatiantur eorum quos oderunt. Verum etiam
occidi tolerabile eſſet, ſi mundus agnoſceret aperta fronte ſe impie
agere, & confiteretur coràm, ſe ideo occidere pios, quod credant in
Deum & bene agant: ſed tantum abeſt, ut hoc confiteatur, ut potius
uelit uideri occidendo pios ſe bene agere, & cultum præſtare Deo:
hæc demum uera crux eſt. Sicut enim ſumma gloria eſt, ſi quis ſa-
piens & iuſtus dicitur, ſic ſumma ignominia, ſi quis ſtultus & impius
iudicatur. Crux in ſe ipſa contemptibilis eſt & grauis, multo ta-
men grauior & contemptibilior fit, ſi acceſſerit inuidia. Sic ſanctum
Iob plus cruciabat, quod amici eius contenderent eum mala illa me-
ruiſſe, quàm ipſa in ſe mala.

Signanter autem dicit: *Omnis qui interficit uos, &c.* Iudæi ſcili-
cet & Gentiles. Vtrique enim putabant ſe iuſte perſequi Apoſto-
los: Iudæi, ut contrarios Moyſi. Gentiles, ut nouatores rerum, &
perturbatores ſtatus Reipublicæ. Conſolatio autem eſt, quod
addit: *Venit hora*, breui ſcilicet durabit impiorum potentia. Non
Pſal. 124. enim relinquet Dominus uirgam peccatorum, ſuper ſortem iuſto-
rum. Breui item durabit ſanctorum afflictio, & ſuccedet æterna con-
ſolatio. Obſeruandum hoc, quatenus Deo placeat bona intentio
& zelus, cum ſcilicet proficiſcitur ex fide & uerbo Dei. Vbi autem
uerbo Dei contrauenitur, non excuſat bona intentio: Alioqui Deo
Rom. 10. placuiſſet perſecutio Apoſtolorum. Hinc Paulus de Iudæis: Zelum
habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Sicut enim fides non eſt fides,
ſed merum commentum, ſi non fundetur in uerbo Dei: Sic bona
intentio non eſt recta, ſed mera impietas, niſi ortum ſuum habeat ex
præcepto & uerbo Domini.

Sed hæc facient uobis, quia non nouerunt]

Conſolatio

ſpirituales efficiamur, Spiritus ſancti capaces non ſumus. Secundo, quoniam Spiritus ſancti eximia plenitudo danda non fuit, niſi reconciliatis per Chriſti paſsionē. Ideo dicit: Si non abiero in mortem, indigni adhuc eſtis conſolatione Spiritus ſancti. Tertio, quia Chriſtus tam eximia dona diſtribuere non debuit, donec priſtinam ſuam maieſtatem reſumeret. Quarto, quia membra tanta gratia adornanda non erant, niſi ipſo capite glorificato, ideo ſupra dictum eſt: Spiritus ſanctus nondum erat datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Ioan. 7.

Si autem abiero, mittam eum ad uos]

Ex hoc loco Sacramentarij ſuum errorem ſtatuere conantur. Si (inquiunt) expedijt, ut Chriſtus corpore abiret, quomodo poteſt corpore præſens eſſe? Aut ſi præſens eſt corpore, Paracletus non eſt præſens. Atqui iam dictum eſt, corpus Chriſti nō adeo contrarium eſſe Spiritui ſancto, ut ſimul eſſe non poſsint, ſed unum alteri cedere cogatur. Deinde huiuſmodi homines neſciunt, quomodo Chriſtus abierit. Non enim ſic abijt, ut plane non ſit nobiſcum, ſed ſubduxit ſe ab oculis noſtris ad dexteram & poteſtatem Patris, ut omnia adimpleat, ac uerius ac præſentius nobiſcum ſit, quàm ſi ſemper uiſibiliter ob oculos carnales eſſet poſitus: adeo, ut Chriſti abitus nihil aliud ſit quàm quod ſeſe a corporali aſpectu ſubduxerit, & in æqualem Deo poteſtatem intrauerit, ut nobiſcum totus, quantus quantus eſt, perpetuo uiuat. Hoc autem nedum non impugnat præſentiam corporis Chriſti in Sacramento, ſed inſuper confirmat. Præterea neſciunt hi homines, cur Spiritus ſanctus uenerit. Non enim ideo uenit, ut deinceps in Eccleſia nihil corporale ſit, ſed omnia ſpiritualia. Non enim aufert nobis ſpiritus corpora noſtra, non aufert ex Eccleſia corporale uerbū, non abſtulit Chriſto ſuam humanitatem. Sic nec in Sacramento nobis aufert corpus Chriſti, ſed tantum docet, quid in his rebus quæramus, nempe in homine Chriſto deitatem, in corpore & ſanguine Chriſti, uitam & remiſsionem. Eſt igitur ſenſus uerbi, Si abiero ſcilicet in mortem & paſsionem, mittam uobis eum, per paſsionem enim meam uobis eum impetrabo.

Igitur mors Chriſti nobis impetrauit Spiritum ſanctum, & ab eo tempore dictus eſt Paracletus. Habent quidem etiam mali dona aliqua Spiritus ſancti, ſed non in remiſsionem peccatorum, ideo non eſt eis Paracletus. Docemur ex hoc uerbo, quod ſubtractio temporalium, eſt initium ſpiritualium. Qui igitur ſpiritualia deſiderat, terrena deſpiciat.

Et cum uenerit ille, arguet mundum, &c.]

Tripliciter exponi poteſt. Primo, Cum uenerit, hoc eſt, primo ſtatim die ſuæ manifeſtationis, admonitus mundus agnoſcet

ſe

se peccasse, sic enim ipso die Penthecostes statim cœperunt dicere:
Act.2. Quid faciemus uiri fratres? Secundo, Cum uenerit, hoc est, cum perfecte corda uestra impleuerit, & ablato inordinato timore ueram animi libertatem, inconcussam constantiam, feruidamq; Dei & proximi dilectionem, uobis infuderit, tunc per uos incipiet arguere mundum. Tertio, Cum uenerit per publicationem Euangelij, tunc simul etiam arguet, Euangelium enim nulli parcit, sed omnes
Rom.1. includit sub peccato. Reuelatur enim in eo ira Dei super omnem impietatem hominum, &c. *Ille* (inquit) *arguet*. Nam si nos ipsos
1.Cor.11. iudicaremus, non utiquè iudicaremur: Mundus autem & caro se-
Hier.6. ipsum arguere nescit. Hinc Hieremias: Erubescere nescierunt. Et Sapiens: Via stulti recta uidetur in oculis eius. Hinc de Iudæis dicit
2.Cor.3. Paulus: Velamen positum est super cor eorum. Et de omnibus im-
Ephes.4. pijs: Tenebris (inquit) obcæcatum habent intellectum.

Deinde, Ille (inquit) arguet, hoc est, plenius & euidentius arguet, quàm ego. Sic enim conuincet mundum, ut nisi resipuerit credens Euangelio, nullam sit prorsus habiturus excusationem. In me siquidem carnis imbecillitas sicut illos offendit, sic nonnihil præbere uidetur, quod possit incredulitati suæ prætexi. Illic autem nihil non glorioſum erit: Nulla igitur remanebit excusatio.
sup.Io.14. Arguet autem mundum, nam pijs est consolator. Alterum ex his duodus tibi pollicearis de uerbo Dei, aut enim consolabitur te, si pius sis, aut arguet te, si impius sis. Iam, cum admodum terribile sit, ubi Deus loquitur in ira sua, studeamus pietati ut digni simus, quibus Deus mansuete loquatur. De tribus autem dicit mundum arguendum, Peccato scilicet, iustitia, & iudicio. Tum quia mundus plenus est peccatis, iniustitia, & temeritate: tum quia Euangelium ostendit peccatum mundi, iustitiam Christi, & futurum iudicium,
2.Cor.5. quo & peccatoribus & iustis uel præmium uel pœna dabitur, secundum quod quisquè gesit in corpore.

De peccato quidem, quia non credunt in me]

Generaliter arguit mundum de peccato. Ostendit enim omnes
Rom.3. homines peccasse, & destitui gloria Dei: ostendit omnia nostra peccata esse: ostendit item multitudinem & grauitatem peccatorum. Horum nihil uidetur sine Spiritu sancto, ubi autem is cor perfuderit, omnia hæc uidentur & sentiuntur. Primo igitur arguit peccata per internam illuminationem. Secundo per exter-
2.Tim.4. nam prædicationem. Instat enim per Apostolos opportune, importune, ut conuertamur à uitijs, & exuamus ueterem hominem.

Tertio arguit mundum de peccato per piam & sanctam fidelium conuersationem, quo enim pij sanctius uiuunt, eo damnabilius apparent

spirituales efficiamur, Spiritus sancti capaces non sumus. Secundo, quoniam Spiritus sancti eximia plenitudo danda non fuit, nisi reconciliatis per Christi passionē. Ideo dicit: Si non abiero in mortem, indigni adhuc estis consolatione Spiritus sancti. Tertio, quia Christus tam eximia dona distribuere non debuit, donec pristinam suam maiestatem resumeret. Quarto, quia membra tanta gratia adornanda non erant, nisi ipso capite glorificato, ideo supra dictum est: Spiritus sanctus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ioan. 7.

Si autem abiero, mittam eum ad uos].

Ex hoc loco Sacramentarij suum errorem statuere conantur. Si (inquiunt) expedijt, ut Christus corpore abiret, quomodo potest corpore præsens esse? Aut si præsens est corpore, Paracletus non est præsens. Atqui iam dictum est, corpus Christi nō adeo contrarium esse Spiritui sancto, ut simul esse non possint, sed unum alteri cedere cogatur. Deinde huiusmodi homines nesciunt, quomodo Christus abierit. Non enim sic abijt, ut plane non sit nobiscum, sed subduxit se ab oculis nostris ad dexteram & potestatem Patris, ut omnia adimpleat, ac uerius ac præsentius nobiscum sit, quàm si semper uisibiliter ob oculos carnales esset positus: adeo, ut Christi abitus nihil aliud sit, quàm quod sese a corporali aspectu subduxerit, & in æqualem Deo potestatem intrauerit, ut nobiscum totus, quantus quantus est, perpetuo uiuat. Hoc autem nedum non impugnat præsentiam corporis Christi in Sacramento, sed insuper confirmat. Præterea nesciunt hi homines, cur Spiritus sanctus uenerit. Non enim ideo uenit, ut deinceps in Ecclesia nihil corporale sit, sed omnia spiritualia. Non enim aufert nobis spiritus corpora nostra, non aufert ex Ecclesia corporale uerbū, non abstulit Christo suam humanitatem. Sic nec in Sacramento nobis aufert corpus Christi, sed tantum docet, quid in his rebus quæramus, nempe in homine Christo deitatem, in corpore & sanguine Christi, uitam & remissionem. Est igitur sensus uerbi, Si abiero scilicet in mortem & passionem, mittam uobis eum, per passionem enim meam uobis eum impetrabo.

Igitur mors Christi nobis impetrauit Spiritum sanctum, & ab eo tempore dictus est Paracletus. Habent quidem etiam mali dona aliqua Spiritus sancti, sed non in remissionem peccatorum, ideo non est eis Paracletus. Docemur ex hoc uerbo, quod subtractio temporalium, est initium spiritualium. Qui igitur spiritualia desiderat, terrena despiciat.

Et cum uenerit ille, arguet mundum, &c.]

Tripliciter exponi potest. Primo, Cum uenerit, hoc est, primo statim die suæ manifestationis, admonitus mundus agnoscet

se

se peccasse, sic enim ipso die Penthecostes statim cœperunt dicere:
Act.2. Quid faciemus uiri fratres? Secundo, Cum uenerit, hoc est, cum perfecte corda uestra impleuerit, & ablato inordinato timore ueram animi libertatem, inconcussam constantiam, feruidamq; Dei & proximi dilectionem, uobis infuderit, tunc per uos incipiet arguere mundum. Tertio, Cum uenerit per publicationem Euangelij, tunc simul etiam arguet, Euangelium enim nulli parcit, sed omnes
Rom.1. includit sub peccato. Reuelatur enim in eo ira Dei super omnem impietatem hominum, &c. *Ille* (inquit) *arguet*. Nam si nos ipsos
1.Cor.11. iudicaremus, non utiquè iudicaremur: Mundus autem & caro se-
Hier.6. ipsum arguere nescit. Hinc Hieremias: Erubescere nescierunt. Et Sapiens: Via stulti recta uidetur in oculis eius. Hinc de Iudæis dicit
2.Cor.3. Paulus: Velamen positum est super cor eorum. Et de omnibus im-
Ephes.4. pijs: Tenebris (inquit) obcæcatum habent intellectum.

Deinde, Ille (inquit) arguet, hoc est, plenius & euidentius arguet, quàm ego. Sic enim conuincet mundum, ut nisi resipuerit credens Euangelio, nullam sit prorsus habiturus excusationem. In me siquidem carnis imbecillitas sicut illos offendit, sic nonnihil præbere uidetur, quod possit incredulitati suæ prætexi. Illic autem nihil non glorioſum erit: Nulla igitur remanebit excusatio.

sup.Io.14. Arguet autem mundum, nam pijs est consolator. Alterum ex his duobus tibi pollicearis de uerbo Dei, aut enim consolabitur te, si pius sis, aut arguet te, si impius sis. Iam, cum admodum terribile sit, ubi Deus loquitur in ira sua, studeamus pietati ut digni simus, quibus Deus mansuete loquatur. De tribus autem dicit mundum arguendum, Peccato scilicet, iustitia, & iudicio. Tum quia mundus plenus est peccatis, iniustitia, & temeritate: tum quia Euangelium ostendit peccatum mundi, iustitiam Christi, & futurum iudicium,
2.Cor.5. quo & peccatoribus & iustis uel præmium uel pœna dabitur, secundum quod quisquè gesit in corpore.

De peccato quidem, quia non credunt in me]

Generaliter arguit mundum de peccato. Ostendit enim omnes
Rom.3. homines peccasse, & destitui gloria Dei: ostendit omnia nostra peccata esse: ostendit item multitudinem & grauitatem peccatorum. Horum nihil uidetur sine Spiritu sancto, ubi autem is cor perfuderit, omnia hæc uidentur & sentiuntur. Primo igitur arguit peccata per internam illuminationem. Secundo per exter-
2.Tim.4. nam prædicationem. Instat enim per Apostolos opportune, importune, ut conuertamur à uitijs, & exuamus ueterem hominem.

Tertio arguit mundum de peccato per piam & sanctam fidelium conuersationem, quo enim pij sanctius uiuunt, eo damnabilius apparent

parent peccata mundi. Hinc Christus: Viri Niniuitæ eo quod pœnitentiam egerũt, condemnabunt generationem istam, hoc est, merito condemnandam ostendent. Matth. 12. Obserua autem, quod Christus in singulari loquitur: Arguet de peccato, non de peccatis. Vnum est enim peccatum, quod Spiritus sanctus uel maxime arguit & ostendit, nempe incredulitas, ideo addit: *Quia non credunt in me.*

Siquidem etiam antequam Christus ueniret, lex docuit adulterium, furtum, homicidium, luxuriam, &c. esse peccata. Immo etiam Gentiles hoc sciuerunt. Verum in Christum non credere, adeo non putabant esse peccatum, ut iudicarent cultum Dei esse Christum persequi. Atqui non credere in Christum, unicum illud & maximum est peccatum, quod certissime damnat. Qui enim non credit (inquit) iam iudicatus est. Et in alio loco: Ego non iudico eum, sermo quem locutus sum, iudicabit eum. Ioan. 3. Ioan. 12. Nec mirum, quod non credere in Christum, damnat hominem. Solius enim Christi meritis saluamur, horum autem meritorum per solam fidem participes efficimur. Dedit (inquit) eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Ioan. 1. Deinde congrue sola incredulitas argui dicitur. Est enim radix omnium peccatorum, quemadmodum & fides radix est omnium bonorum. Et sicut fides uera in Christum, omnia peccata nostra in profundum abijcit: Sic incredulitas omnia etiam in speciem bona, facit ingrata. Summa, Spiritus sanctus ostendit non tantum peccata esse externa illa & crassa, quæ mundus uidet, sed incredulitatem etiam aliamq; cordis humani impietatem, immo ea uel maxime esse peccata. Mich. 7. Ostendit hominem non solum externe, sed etiam interne malum, atque adeo totum uenditum sub peccato & damnatum, ni Christus redemisset. Rom. 7.

De iustitia autem, quia ad Patrem uado]

Varie exponitur. Primo arguet de iustitia in communi, quam neglexerunt. Vere enim reprehensione dignum est, non quærere iustitiam. Secundo arguet de iustitia & sanctitate Christi, quam non acceptauerunt nec imitati sunt, cum ipse uerbis & factis eam docuisset. Tertio arguet de iustitia fidelium, comparatione enim iustitiæ fidelium, magis damnabiles erunt impij. Quarto arguet de iustitia hoc est, damnabit etiam iustitiam mundi. Pollicebantur sibi Iudæi iustitiam ex operibus legis, Gentes ex uirtutibus moralibus: Spiritus autem sanctus utranq;, & Iudæorum & Gentilium iustitiam arguit & damnat. Non quod malum fuerit legi Moysaicæ aut uirtutibus moralibus inseruire, sed quod neutrum nos coram Deo iustificat. Si enim quicquam istorum nos iustos reddere potuisset, nihil opus fuisset Christo: Si ex lege (inquit) iustitia, ergo Rom. 10. Gal. 2.

go

go Christus gratis mortuus est? Ideo subdit Christus.

Quia ego ad Patrem uado. Mea (inquit) iustitia cœlum penetrare potest & coram Deo consistere, non autem quæcunque alia iu-
1 on.3. stitia. Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit, &c. Quis
Mal.3. (inquit) stabit ad uidendum eum?

Ostendit igitur Spiritus sanctus, iustitiam mundi non sufficere ad salutem, ut iam dictum est. Deinde ostendit, iustitiam ueram coram Deo esse, quod Christus transijt ad Patrem, hoc est, quod
Rom. 4. ipsius mors & resurrectio nos iustificant. Mortuus est enim propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, &c.

De iudicio autem, quia princeps mundi, &c.]

Et hoc uarie exponitur. Primo arguet de iudicio, quod me iniu-
Act. 2. ste iudicauit. Propter hoc Petrus statim ipso die Penthecostes Iudæos arguit. Secundo arguet de iudicio, hoc est, ostendet eos iuste condemnandos & iudicandos. Tertio arguet de iudicio, quod nec attendunt, nec timent, nec præcauent iudicia Dei, quæ uident & audiunt super impios recidisse. Quarto signanter arguet de iudicio, quo Diabolus princeps mundi iudicatus est. Quamuis enim uideant eum debilitatum, nec sic tamen ei resistunt aut fugiunt. Item, quamuis sciant eum perpetuis ignibus deputatum, adhuc tamen ei adhærent. O magna cæcitas, & dignissima quæ reprehendatur. Quinto arguet de iudicio, hoc est, errore, quod præpostero iudicio Deum relinquunt, & Diabolo adhærent: uanis rebus student, ueris neglectis. Sexto arguet de iudicio, quod non iudicant aut damnant, sed probant mundum, & quæ in
Eccles.1. eo sunt, cum Sapiens clamet: Vanitas uanitatum, & omnia uanitas. Demum arguit de iudicio, hoc est, mundi sapientiam. Arrogat
1.Cor.3. enim sibi mundus ueram sapientiam: Spiritus autem sanctus ostendit, sapientiam mundi esse stultitiam apud Deum.

Mundus probat opes, gloriam, uoluptates, potentiam: Econtra autem crucem putat maledictum esse, immo mundus nihil omnino scit de rebus diuinis. Hanc igitur uanam sapientiam reprobat Spiritus sanctus, & docet ueram sapientiam. Vera autem sapientia est, nosse opes, uoluptates esse uanitatem. Item credere, quod Christus uicerit Diabolum, peccatum, mortem. Præterea scire, quod crux sit benedicta per attactum Christi, immo uia ad gloriam.
Act.14. Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

Cæterum, quod dicit principem mundi iam iudicatum esse, terret eos, qui etiamnum Diabolo adhærent. Si enim princeps & caput damnatum est, iudicabuntur & membra eius.

Adhuc multa habeo uobis dicere, &c.]

Contrarium

Contrarium huic uidetur, quòd supra dixit: Quęcunq; audiui à Patre, nota feci uobis, sed non sunt contraria. Primo enim quod illic dicit: Nota feci uobis, præteritum accipit pro futuro, propter certitudinem, id quod frequens est in scripturis Prophetarum. Vt cum Isaias pręterito tempore dicit: Vulneratus est propter iniquitates nostras, &c. quod tamen longo post tempore contigit. Ioann. 15. Isai. 53.

Deinde re uera Christus omnia ad salutem necessaria nobis notificauit, quia Euangelium prædicauit, quod est fons omnis ueritatis. Quicquid enim spiritus postea Ecclesiæ reuelauit, ex hoc fonte profluxit. Sic ueritas illa, quam Spiritus sanctus in primo Apostolorum Concilio reuelauit, nempe, quòd circumcisio & alij cultus legales, non essent res necessariæ ad salutem: non aliunde profluxit, quàm ex Euangelio, ubi Christus patenter ostẽdit, fide in ipsum nobis contingere salutem, non ex operibus legis. Sic ueritas illa, quòd filius consubstantialis est patri, quæ in Nicæna Synodo contra Arrium emicuit, ex Euangelio profluxit. Etsi enim uerbum illud, Omousion, uel consubstantialis, in Euangelio non reperitur, reperiuntur tamen alia uerba idem ualentia, ut cum dicit: Ego & Pater unum sumus, &c. Item: Qui me uidet, uidet & patrem. Act. 15. Ioann. 10. Ioann. 14.

Sic & de alijs dici potest. Vere igitur dixit Christus: Omnia quæ audiui à Patre, nota feci uobis. Nihilominus tamen etiam uerum est, quod hic dicit: *Adhuc multa habeo uobis dicere.*

Plura siquidem Apostoli obliti erant, plura non recte intellexerant. Plura itidem Christus obscure dixerat, quæ poterant in falsum sensum trahi, id quod postea contigit in hæreticis. Necessarius igitur erat Spiritus sanctus, qui & oblita ad memoriã reuocaret, & non intellecta elucidaret, & obscuris uerum sensum redderet. Potest igitur uerbum hoc ad totũ Euangelium referri, quasi diceret, Etiam si omnia uobis dixerim, adhuc tamen indigetis ulteriori instructione, ob causas iam dictas. Hinc uidemus, quòd uerbum Dei externe auditum nihil prodest, immo nec recte intelligitur, nisi adsit Spiritus sanctus. Item, quod non satis est semel audisse uerbum Dei, nisi subinde audiamus. Sic Apostoli quotidie audiebant Christum, & triennio audierant, & tamẽ eis dicit: *Adhuc multa habeo uobis dicere.*

Sic etiãsi diu & multũ audieris uerbum Dei, non tamẽ frustra erit, etiamsi iterum audias. Potest etiam uerbũ hoc referri ad ea, quæ ultimo loco iam dixerat de Spiritu sancto & operibus eius. Audierant Apostoli Christum prędicantem, adhuc tamen ignorabant regnum Christi regnũ spirituale esse, nesciebant spargendũ esse Euangeliũ in gẽtes, crucẽ esse uiã ad gloriã, fidem esse uerã iustitiã, infidelitatẽ esse uerum peccatum, sapientiam huius mundi esse stultitiam, &c. Nesciebant itẽ, quomodo, qua de causa, quo certamine, uictus & iudicatus esset Diabolus: Multa (inquit) adhuc de his rebus dicenda essent.

Sed non poteſtis portare modo]

Primo, quia nondum renouati eſtis per Spiritum ſanctum, & noui homines facti. Mea autem doctrina nouos homines requi-
Matth.9. rit: Nemo enim uinum nouum mittit in utres ueteres, &c.

Deinde, modo triſtitia pleni eſtis, paſsiones enim uehementes actum rationis multum impediunt. Hinc Iob ait: Non poſſum me-
Iob.9. tuens reſpondere. Monentur hoc uerbo Prædicatores, ut non tantum attendant, quid dicant, ſed & quibus & quo tempore quę-
Eccleſ.32. que loquantur: Vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem: Et eſt
Cant.3. tempus loquendi, & tempus tacendi.

Cum autem uenerit Spiritus ille ueritatis, &c.]

Vbiq; Chriſtus egregios titulos Spiritui ſancto tribuit, & tales, unde agnoſci poteſt, quod ſit Deus (Solus enim Deus & perfecte conſolare poteſt, & docere ueritatem) ut & nos diſcamus magni æſtimare Spiritum ſanctū, ac ſciamus eum nobis ſumme neceſſarium: Ille, inquit, uos docebit. Tunc enim capaciores eritis ad percipiendā doctrinā Spiritus, q̄ nunc eſtis. In aduentu ſiquidē Spiritus ſancti,
Lucæ.24. Apoſtoli triſtitiam excuſſerant, propterea quod uidiſſent Chriſtum
Act.1. aſcendiſſe in cœlum. Deinde etiam à turba ſemoti erant, & orationi uacabant: atq; hæc ſunt, quæ hominem ueritatis capacem faciunt.

Docebit (inquit) non externo ſtrepitu uerborum, ſed interna
Iob 4. inſpiratione. Iuxta illud: Quaſi furtiue ſuſcepit auris mea uenas ſuſurrij eius. Docebit autem ueritatem aboliis figuris, item quę nunc obſcura & dubia ſunt explicabit. Omnem autem ueritatem docebit, non ſicut ſeductores, qui unam aut alteram ueritatem inculcant, reliquis quæ non minus neceſſariæ ſunt prætermiſsis. Omnem autem ueritatem edoctus eſt, qui ſcit quid credendum, quid agendum, quid ſperandum, quid timendum. Nullum enim horum ſine alijs ſufficit.

Non enim loquetur à ſemetipſo]

Hoc addit, ne quis putet propterea Spiritum ſanctum maiorem eſſe Filio, quod maiora effecturus ſit in cordibus fidelium. Deinde, ne quis putet Spiritum ſanctum nouam aliquam fidem allaturum. Præterea, ut probet ipſum eſſe Spiritum ueritatis. Qui enim à
Ioann.7. ſeipſo loquitur, non eſt Spiritus ueritatis, ſed mendacij, qui omnes
Hier.27 Prophetas mendaces facit, ut prophetent de corde ſuo, quod Domi-
nus non eſt locutus, et confingant eſſe, quod nō eſt: uel malum eſſe,
Iſai.5. quod bonum eſt, & econtra.

Sed quæcunq; audiet loquetur]

Non dicit quæcunq; ſcit loquetur, ſed quæcunque audiet, quo
Ioan. 15. modo & Chriſtus ſupra de ſe dixit. Non autem ſic intelligendum eſt, quòd Spiritus ſanctus aliquid corporaliter audiat uel audi-

tirus sit, aut quod aliquid de nouo intelligat, quòd prius nesciuit. Sed omnia quæ audiet loquetur, hoc est, ea quæ pater uult nobis reuelari, reuelabit: uel omnia quæ audiet, hoc est, quæ uere sunt, uere existunt, & authoritatem in scripturis habent, nihil confingens, nihil peruertens. Hinc discamus quid in Ecclesia docendum sit, alioqui audiemus: Non loquebar, & ipsi Prophetabant, &c. Hiere. 23.

Et quæ uentura sunt annunciabit uobis]

Non solum uos faciet Prophetarum auditores, sed etiam Prophetas uos faciet. Docebit quid in Ecclesia futurum sit, quemadmodum in Apocalypsi uidetur, &c. Vel uentura annunciabit, hoc est, futura præmia, &c. Iam quia Spiritus sanctus futura etiam præscit & annunciat, constat ipsum esse Deum, hoc enim solius Dei est.

Ille me clarificabit]

Hoc summum & potissimum opus est Spiritus sancti, ad quod omnia alia diriguntur, ut scilicet Christus glorificetur & agnoscatur ab omnibus uerus saluator, & quod nõ sit aliud nomẽ sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri, &c. Clarificabit in cordibus fideliũ, ut eum talem agnoscant. Clarificabit me per prædicationem uestrã, ac in toto mundo per uos annunciabit glorioſam meam uictoriam, super peccatum, mortem, Diabolum & mundum. Clarificabit me miraculis, per inuocationẽ nominis mei fiendis. Vnde omnes agnoscent, mihi datam esse potestatem in cœlo & in terrra, &c. Multum enim refert, immo omnis salus nostra in hoc dependet, ut magna de Christo sentiamus, & ab ipso omnia expectemus. Actor. 4. Matth. 28.

Quia de meo accipiet, & annunciabit uobis]

Primo quia ego sum uerbum Dei, de meo igitur accipiet. Secũdo, De meo, hoc est, de eo, quod de me scriptũ est in lege, Psalmis & Prophetis. Quale est illud: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, &c. Postula à me, &c. Hæc & alia uobis ostendet, & aperiet sensum, ut intelligatis scripturas. Obserua quod non dicit, Mea annunciabit uobis, sed: *De meo*. Non enim omnia intelligere possemus, quæ de filio Dei dicenda essent, &c. Psalm. 2. Lucæ 24.

Omnia quæ habet Pater, mea sunt]

Hoc addit, ut sciamus magna esse & uere diuina, quæ per Spiritum sanctum nobis reuelaturus, immo daturus erat. Omnia bona Patris Christus habet, ea autem Spiritus sanctus fidelibus distribuit. Deinde etiam ideo patris meminit, ne pater uideatur exclusus ab opere nostræ salutis. Tota siquidem Trinitas cooperata est ad salutẽ nostram, id quod summe nos cõsolatur, summe etiam nos

incitare debet, ut & nos uicissim in salute nostra cooperemur Deo, &c. Vide autem q̃ pulchre Trinitatẽ personarũ coniungat. Primo, ne Spiritus sanctus credatur alienus à filio, dixit: De meo accipiet. Deinde, ne filius alienus à patre putetur, addit: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Igitur si Spiritus unum est cum filio, & filius unum est cũ patre, ergo tres personę æquales sunt, nec Spiritus sanctꝰ ideo minor est, qa ultimo nominat̃, &c. Hæc est fides nostra Catholica, &c.

Modicum & iam non uidebitis me]

Pergit Christus Apostolos consolare, longe tamen aliter, quàm mundus. Nam mundus si quem consolatur, omnino retinet ea quæ tristia sunt, & tantum ea dicit quæ lætificare possunt. Hoc autem non semper utile est, id quod uidemus in morituris. Econtra Christus consolatur quidem, sed iuxta hoc planè indicat pericula. Consolationem promittit, sed non ablationẽ eorum, quæ aduersa uidentur. Hoc autẽ uerbo prędicit, breui se moriturum, & à conspectibus eorum subducendum. Et q̃uis planè & manifestis uerbis hoc dicere potuisset, maluit tamen obscurius loqui, ut eos excitaret ad quærendum, id quod & factum est. Ob eandem causam & aliàs in scriptura obscuris uerbis usus est Spiritus sanctus, ut torporem nobis excutiat. Hoc autem uerbum etiam nobis dici putemus, quoties uel tempus gratiæ negligimus, uel nimium prospere nobis arridet fortuna: Adhuc modicum (inquit) & non uidebitis me. Nolite igitur negligere tempus gratiæ. Dum tempus habemus, operemur bonum: Nolite confidere in externa prosperitate. Gal. 6.

Et iterum modicum, & uidebitis me]

Hoc uerbo indicat se breui resurrecturum, & conspectibus eorum reddendum. Obserua quod utrunq; coniungit, mortẽ & resurrectionẽ, tristitiam & consolationẽ: Nõ uidebitis me, & iterũ uidebitis me. Sic enim cum electis suis agit, nunc tristia, nunc læta eis conferendo.

Hoc autem uerbum etiam nobis dictum putemus in aduersitatibus. Modicum (inquit) & iterum uidebitis me: Noli igitur desperare. Sic in Isaia dicit: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis colligam te. Et iterum, Vade populę meus, abscõdere modicum, donec pertranseat indignatio mea, &c. Isai. 54. Isai. 26.

Quia uado ad Patrem]

Christus cum sit naturalis Dei filius, semper fuit cum Patre. Sed interim tempore carnis suæ exinaniuit seipsum, formam serui accipiens, ut hominẽ ad Deum adduceret. Ex ingenti enim misericordia sua, noluit esse solus apud Patrem. Itaq; ire ad Patrem, est hominem ad Deum adducere, atq; adeo per crucẽ & mortem in gloriam Patris, una cum suis electis intrare, immo quodammodo ex homine

Deum

Deum facere. An non mira crux? an non mira est mors? per quã homo fit Deus, traduciturq; ad dexteram Dei, hoc est, fit omnipotens. Hinc Iacob uocatur Israel, hoc est, potens Dei, uel cũ Deo. Et Christus in Euangelio: Omnia possibilia sunt credenti. Hęc igitur consolatio nostra sit in afflictionibus, hoc uerbum etiam nobis dici putemus, quoties uel in uia salutis cessamus, grauitate laboris fatigamur. *Vado* (inquit) *ad patrem.* Vides me præcedere, uiam parasse. Vides mẽbra mea sequi, & cessas? Deinde, noli fugere labores, quia ad patrem pergis, ad gloriam, non ad perditionem. Vtinam hęc uerba sic auribus nostris insonarent. Genes. 32. Marc. 9.

Quid est quod dicit nobis modicum? &c.]

Vides ex hoc loco, carnem plane ad prædicationem crucis esse surdam, nec intelligere crucis uerbum. Toties nunc inculcatum est Apostolis, quòd uelit abire ad Patrem, & nouum regnum auspicari, sæpius item passionis suæ meminit, & tamen non dum quisquam est inter Apostolos qui intelligat. Docemur hic non satis esse, audire uerbum Dei, sed insuper requiri internam illustrationem. Hinc Salomon: Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. Et Dauid: Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Deinde uidemus hic nihil tam impedire uerum scripturæ intellectum, ut affectus. Sapie. 9. Psalm. 118.

Seponat igitur affectus suos, qui scripturas legit, alioqui facile scripturas ad suos affectus trahet, id quod uidemus non raro accidere. Obserua quod signanter Apostolos turbabat, uerbum illud (Modicum) Sic qui in longa afflictione sunt, plærunq; dubitant, quomodo uerum sit, quòd Christus eos breui consolandos promiserit, cum ipsi nihil sentiant consolationis.

Cognouit Iesus quod uolebant eum, &c.]

Exemplum est sollicitudinis, quod prœuenit eos sua responsione priusquam interrogent. Tanta cura Dominus suos fouet. Eandem sollicitudinem & nos quotidie experimur, dum benefacere non cessat, etiamsi non oramus. Iuxta illud: Erit antequam clament, exaudiam eos. Benignitatis autem & mansuetudinis est, quòd non reiicit tardos & stupidos ad intelligẽdum, immo quòd nec duriter eos tractat, sed multa mansuetudine erudit, quod & ipsum nos consolatur. Hinc Dauid: Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, &c. Isai. 65. Psal. 102.

Amen dico uobis plorabitis, &c.]

Mirum in modum exaggerat quod dicit. Primo enim non contentus dixisse: *Plorabitis*, addidit: *Et flebitis*, ut ostenderet eos interne & externe tristandos. Deinde quod grauius est addit: Mundus gaudebit. Ad cumulum enim tristitiæ facit, si impijs uidemus

omnia prosperè cedere. Demum repetit: Vos autem contristabimini, id quod summè angit, cum pij uident se pati, mundum gaudere, & interim se nihil consolationis sentire. Hæc autem omnia contigerunt Apostolis in passione Christi. Contingunt etiam nunc pijs, cuius causam supra posuit: Iam non uidebitis me. Putabāt Apostoli Christum omnino perijsse, uidetur & pijs Deus omnino recessisse, &c. Vides quid pijs in hoc mundo expectandum sit, nempe fletus & planctus. Et quidem non desunt eis causæ plangendi, etiam si nihil aduersi externe accidat. Tristantur de peccatis propijs. Iuxta illud: Ad me ipsum anima mea conturbata est, &c. Tristantur de peccatis alienis. Iuxta illud: Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo pro fratribus meis, &c. Tristantur de præsenti incolatu. Iuxta illud: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Itē, Quale mihi gaudium esse poterit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non uideo. Tristantur de beatitudinis dilatione, iuxta illud: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi, Vbi est Deus tuus? Summa, qui seipsum agnoscit & mala mundi, non habet occasionem gaudij, sed mœroris. Et qui inaniter gaudent, profecto ignorant malum suum.

Pſal. 41. Rom. 9. Pſalm. 119. Tob. 5. Pſalm. 41.

Mundus autem gaudebit]

Non pij, sed mundus hic gaudet. Vide iudicia Dei mirabilia, impijs uidetur fauere, pios autem negligere, id quod nōnunquā etiam sanctos mouet. Quare (inquit Abacuk) taces conculcante impio iustiorem se? Et Hieremias: Quare uia impiorum prosperatur, &c. Et Dauid: Zelaui super iniquos, pacem peccatorum uidens, &c.

Abac. 1. Hiere. 12. Pſalm. 72.

Verum non est, quod ob id murmuremus. Ideo enim impios exaltat, ut postea profundius deijciat. Ideo pios uidetur negligere ad tempus, ut in æternum eorum misereatur. Causa autem, cur mundus gaudet, est quòd prospere eius cuncta succedunt, quod non habent redargutorem, quòd uidentur uincere, cum tamē hæc maxime plāgenda essent. Sic Christo in crucē sublato triumphabant, gloriabantur, &c. quasi securi, quòd deinceps eos arguere nō posset. Sed ò insaniam, non effugies iudicem & accusatorem tuum: Etiamsi in terram te obstruxeris, inde detraham te, ait Dominus. Summa, mundi gaudium breui durabit. Iterum enim ueniet dominus consolaturus pios, perditurus impios. Sic Iudæis accidit post resurrectionē Christi, sic omnibus impijs continget in iudicio.

Matth. 27. Amos. 9.

Tristitia uestra uertetur in gaudium]

Hoc factum est in resurrectione, apparitione, ascensione Christi, & Spiritus sancti missione. Perfectius autem impletur in morte, perfectissime in resurrectione futura.

Obserua quòd dicit signanter, *Tristitia uestra, &c.* Nō enim quæ-

quælibet triſtitia in gaudium uertetur. Nam impij etiam nonnunquam triſtantur, ſed eorum triſtitia non ceſſat, immo augetur. Qui autem pie triſtantur, pro ſuis ſcilicet peccatis, pro iniuria Dei, pro malis proximorum, pro dilatione gloriæ, &c. horum triſtitia uertetur in gaudium: Beati enim qui lugent, quoniam conſolabuntur. Matth. 5.

Mulier cum parit triſtitiam habet]

Vbiq; Chriſtus fidelem agit doctorem. Primo enim ne dum uiam oſtendit ad Patrem, ſed etiam præmunit, ne offenſi retrocedamus. Deinde, ne dum nudis uerbis, ſed etiam externis exemplis docet, non deſpondere animum in aduerſis, ut fortius perſuadeat. Omnia autem eò tendunt, ut certo nobis perſuadeamus uenturas eſſe tentationes, ne poſtea dicamus: Non putaſſem. Item, ut prius exploremus uires noſtras, Num ferendis tantis laboribus ſimus idonei. Huc pertinet parabola de eo, qui ædificare uult turrim. Item alia de rege ituro in bellum, quorum uterque prius uires ſuas experitur, alioqui ludibrio omnibus fiet. Lucæ. 14.

In hunc finem Chriſtus etiam parturientis mulieris exemplum proponit, quaſi diceret. Optaret mulier talis potiri filio ſine dolore, ſi fieri poſſet, uerum hoc non fit. Lata enim eſt ſententia in Euam: In dolore paries filios. Si gaudium habere cupit de filio, oportet ut prius doleat. Hanc ſibi ſcit ſtatutam horam, quæ præteriri non poteſt, uerum hunc eius dolorem mitigat, quod ſcit non fore diuturnum. Item, quòd ingentem ſperat uoluptatem de filio naſcituro. Sic ueſtro animo adluberet, ut regnum meum, gloria, gratia Spiritus ſancti, & quæcunq; alia promiſi, citra meam mortem, & ueſtram deſertionem uobis obuenirẽt, ſed hoc fieri nequit: non aliter, quàm per paſsionem meam, tanta bona contingent. Genes. 3.

Lata eſt ſententia: Percuti oportet paſtorem, & diſpergi oues. Zach. 13.

Hæc hora iam inſtat, præteriri non poteſt, quare forti animo ſuſtinendum eſt, quod uitari nequit, hiſq; duobus firmandus animus noſter. Primo, quòd non diu durabit hora hæc. Secũdo, quod ingens fructus & gaudium inde conſequentur. Hic eſt ſenſus huius parabolæ, quantum ad Apoſtolos attinet. Poteſt autem parabola hæc applicari ad totam Eccleſiam, immo ad quemlibet fidelem, quandoquidem in ſcripturis frequẽs eſt, quòd afflictiones piorum dolori parturientium comparantur. Vt eſt illud: Dole et ſatage filia Syon quaſi parturiens, &c. Item illud Iſaiæ: Sicut quæ concepit, cũ appropinquat ad partũ, dolens clamat, ſic facti ſumus nos, &c. Item illud Ezech: Venerunt filij uſq; ad partũ, & uires nõ habet parturiẽs, &c. Mich. 4. Iſaiæ. 26. Iſaiæ. 37.

Sunt quidẽ & aliorum hominũ dolores plerũq; magni, nulli tamen accommodatius comparatur afflictio piorũ, q̃ dolori parturiẽtium. Parturientis enim dolor uehemens eſt, immo non procul à morte.

Deinde talis est, cui hominum nullus mederi potest. Ad hæc supra dolorem, quem habet, etiam timor eam cruciat, nescit enim an ad uitam uel ad mortem partus fiat: Interim tamen is idem dolor, etsi est pœna peccati, est tamen initium uitę & consolationis. Et quanto maior fuerit dolor in partu, tanto maius gaudium de nato puero.

Sic omnino piorum tribulationes non paruæ sunt, sed maximę, omnibus enim malis subijciuntur, ut interdum non procul absint à
2. Chor. 1. desperatione. Sic Paulus ait: Supra modum grauati fuimus supra uires, ita ut tæderet nos uiuere, immo nos ipsi responsum mortis in no
1. Chor. 4. bis habuimus. Et in alio loco: Spectaculum facti sumus mundo, &c. omnium peripsema, & tanquam purgamenta, &c. Deinde piorum
Psalm. 26. afflictionibus solus Deus mederi potest: Pater (inquit) meus & mater mea derelinquerunt me, Dominus autem assumpsit me, &c.

Insuper præter externa mala, etiam ipsos cruciat infirmitas carnis propriæ, & instabilitas cordis humani, nesciunt enim an perseraturi sint an non, ideo semper timent, orant: Interim tamen, etsi crux & afflictio propter peccatum imposita sint homini, tamen pijs sunt initium & ingressus in uitam.

Immo quo maior fuerit eorum afflictio, eo maius gaudium se-
Psalm. 65. quetur. Hinc sancti dicunt: Transiuimus per ignē & aquam, & eduxisti nos in refrigerium, quemadmodum econtra de Babilone dici-
Apoc. 18. tur: Quantum in delitijs fuit, tantum date ei de tormentis. Hinc in
Osee. 6. Osea dicitur: Venite, reuertamur ad Dominū, &c. Viuificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos. Nam iuxta triduū, quo Christus passus & sepultus est, omnem afflictionem triduum appellare possumus: non quod tantum tres dies duret, sed quòd futuræ liberationis certi per fidem sumus. Si enim uerè crediderimus, nostras afflictiones esse triduum Christi, certo etiam sperabimus futu-
Iob 5. ram resurrectionis diem. Hinc in Iob dicitur: In sex tribulationibus liberaberis, in septima non tanget te malum.

Per sex tribulationes, intelligit omnes tribulationes huius mundi,
Genes. 1. qui sex diebus creatus est. Per septimam autem mors, in qua triplex malū impios tangit: Horror à Dæmonibus, pudor comparendi coram Deo, dolor damnatiōis. Horum nullum tangit pios, non enim timent Dæmones, cum Christum habeant ducem: Non uerentur iudicio Dei apparere, cum Christum habeant aduocatum. Nec dolorem damnationis sentient, cum Christum habeant liberatorem.

Igitur & uos nunc quidem tristitiam, &c.]

Illud (Nunc) refertur ad tempus passionis Christi. Potest etiam referri ad omne tempus huius uitæ, quæ comparatione ad futuram uitam, uix momentum est. Hoc autem primum nos consolatur, quòd scilicet prius horam dixit, nunc momentum dicit, tem-

pus

pus persecutionis nostræ. Huc pertinet, quod in Isaia dicit: Ad punctum in momento dereliqui te, &c. Deinde docet nos omni uita, quàm diu nunc dicitur expositos periculis, nec esse quod hic speremus fœlicitatem. Isai. 54.

Iterum autem uidebo uos]

Impij gaudent de recessu Christi, ut supra dictum est: pij autem de reditu eius. Iterum autem uidit Apostolos Christus in resurrectione, tunc redijt eorum gaudium: Gauisi (inquit) sunt discipuli uiso Domino. Videt etiam nos Christus, quando mittit Spiritũ sanctũ, quo uelut arabone obsignat & confirmat cor nostrum, ut perpetuo gaudio spiritus afficiamur. Atq; hoc est gaudium Christianorũ, q; Deus uidet eos, & ipsi Deum: Quis (inquit) tu, ut timeas ab homine mortali, & oblitus es Domini Dei tui? Videt quidẽ Deus etiã malos, sed longe aliter quàm pios: Oculi (inquit) Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, uultus autem eius super facientes mala. Videt pios, ut misereatur, ut patet de Israëlitis: Videt impios, ut iudicet & puniat, ut de Ægyptijs. Ioann. 20. Isai. 51. Psalm. 33. Exod. 3. Exod. 14.

Et gaudebit cor uestrum]

Mundus gaudet de uanitate, pij autem de uisione & cognitione Dei, eiusq; misericordia. Deinde mundus externe quidem gaudet, sed interne cor uerũ gaudiũ non sentit, immo perpetuam sentit crucem. Non enim est pax impijs, et si idipsum non semper sentiant aut dissimulent, suo tamen tempore sentient manifeste, &c. Quale aũt gaudiũ esse potest, ubi cor inquietũ est: Econtra pij interne gaudent, corde scilicet, quod cum uero gaudio perfusum fuerit, quid nocere possunt externa mala? Hinc est quòd Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilij. Hinc est quod gaudenter etiam hodie clamant pij: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? &c. Isaiæ. 48. Act. 4. Psalm. 2.

Et gaudium uestrum nemo tollet à uobis]

Mundi gaudium facile tollitur, ideo enim comparantur pulueri, quem proijcit uentus à facie terræ, immo extrema mundani gaudij luctus occupat. Piorũ aũt gaudiũ nemo tollere potest, quia ne dum in prosperis, sed in aduersis persistit eorum gaudium, ut iam dictum est. Deinde, Nemo tollet à uobis, nullus homo, nullus Dæmon, nulla tribulatio. Vide diuitias Christianorum, Miseros nos qui perituras diuitias, & gaudia quærimus, neglectis his, quæ solida & firma certaq; sunt. Hinc Christus monet: Thesaurizate uobis thesauros in cœlo, &c. Hæc una promissio, omnem nobis laborem & etiam afflictionem mitigare posset. Si agricolis, nautis, militibus omnes labores mitigat spes fructus & lucri consequẽdi, qui tamen sæpe frustra laborant, quid nobis recusandum laboris, quibus tam certa promissa Psalm. 1. Proue. 14. Matth. 6.

promissa data sunt: Aliqui totum hunc locum ab eo quo dicitur: Iterũ uidebo uos, &c. referunt ad secundum Christi aduentũ, qui uere
Lucæ.21. lætificabit pios. Iuxta illud: Respicite & leuate capita uestra, appropinquat enim redemptio uestra. Hoc autem eorum gaudium, ne-
Isai.35. mo ab eis tollere poterit in æternum. Hinc Isaias: Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & luctus. Et Ioannes: Tunc abster-
Apoc.21. get Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, &c.

In illo die non me interrogabitis.]

Referunt etiam hoc ad tempus futuræ uitæ, quod uere dies dicit, & est, quia noctẽ non habet. In illo die non opus erit quicquam interrogare, quia Deum coram uidebimus. Quàm diu hic sumus, non habemus perpetuum diem, quia subinde interrumpitur nocte tribulationis. Deinde magna adhuc laboramus ignorantia, & incertitudine, quare opus habemus, ut interrogemus. Potest tamen uerbum hoc etiam ad hoc tempus referri, ut sit sensus. Iam quidem nescitis, cur mihi moriendum sit, iam quæritis quid sibi uelit illud modicum: cæterum in illo die, scilicet Penthecostes, certo cognoscetis bona patris uoluntate id factum esse. Sic & nos in aduersis nescimus, quid sibi uelit Deus, postea intelligimus ad nostram hoc salutem factum esse. Hinc est quod monemur, ne sententiam præcipitemus,
Isai.8. immo monemur, ut expectemus. Sic Isaias: Expectabo Dominum, qui auertit faciem suam à nobis. Et iterum: Hic est Deus noster, ex-
Isai.25. pectabimus eum. Vel aliter: In illo die, scilicet Penthecostes, non me interrogabitis: non quod nõ indigeatis lumine meo, sed quia præsentem habebitis doctorem Spiritum sanctum, & quanquam me in persona propria non interrogabitis, tamen consuletis scripturas. Hæc satis uos instruent, ut non sit opus, meipsum interrogare.

Amen amen dico uobis, si quid petieritis.]

Hoc uerbo concludit quæ de Apostolorum tribulatione hactenus dixit, quasi diceret, Quid opus multis: Vnum hoc ad consolationem uestram sufficeret, etiamsi omnia alia deessent, quòd patrem habetis, qui omnia potest, quẽ secure inuocare potestis, qui & certo exaudiet. Nihil enim negare potest meis amicis, & meo nomine petentibus. Quanquam autem promissionem hanc etiam supra posue-
sup. ca.14. & 15. rit, nec semel tantum, sed pluries, tamen hic eam repetit. Primo, ut ostendat in tribulationibus unicum esse refugium, orare Deum.
2.Para.20. Iuxta illud: Cũ ignoramus quid agere debeamus, hoc nobis restat, ut oculos ad te leuemus. Secundo, ut ostendat se mediatorem inter
Ioann.14. Deum & nos, ut sicut nemo ad Patrem uenit, nisi per ipsum: sic nemo quicquam à Deo impetrat, nisi per ipsum. Tertio ideo hoc repetit, quia paulo ante fecerat mentionem de Spiritu sancto, qui potissimũ ad orandũ nos incitat. Ipse enim clamat in cordibus nostris:

Abba

Abba, Pater. Est enim oratio donum Spiritus sancti non infimum. Roma.8.
Hinc in Zacharia dicit: Effundā super domum Dauid spiritum gra- Zach.12.
tiæ & precum. Demum etiam ideo toties repetit hoc uerbum, quia oratio multas & magnas tentationes habet. Primo enim nemo respondet. Secūdo, interdum exauditio diu differtur. Tertio, interdū contrarium accidit, &c. Ideo indigemus copiosa promissione, ne ob iam dicta impedimenta ab oratione cessemus. Singula autem uerba Emphasim suam habent. Primo nō loquitur de multiplicatione uerborum, sed de oratione uera cordis, quæ sola nubes penetrat. Ideo dicit: *Si quid petieritis*. Petere enim, est necessitatem exponere.

Deinde in generali dicit: *Si quid*, nihil excipit. Hinc Dauid: Tu Psalm. 31.
es refugium meum in tribulatione, quæ circumdedit me.

Hoc uerbo etiam indicat, quid sit petendum. Non scilicet quod malum est, nam malum nihil est. Item non temporalia, quæ uana sunt. *Si quid* (inquit) hoc est, si bonum aliquid & solidum aut salutiferum petieritis: Ea enim sola petenda sunt. Addit (*Patrem*) quo uerbo ad orādum nos excitat. Non (inquit) Iudex est, sed Pater. Si uos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis Pater uester cœlestis dabit petentibus se? Lucæ 11.
Addit (In nomine meo) Non enim in nomine nostro petere debemus, hoc est, propter merita nostra: Non, inquit, in iustificationibus nostris prosternimus Danie.9.
preces nostras, &c. Docemur hoc uerbo, quantæ efficaciæ sit nomen Christi, quod solummodo inuocatū omnia præstat. Docemur item fidē necessario requiri ad orationē. Cæterū nomen Christi est ipsius incarnatio, passio, mors, meritū, &c. Quicquid in hoc nomine petimus, accipimus. Addit in fine: Dabit uobis, ubi promittit exauditio nē, de qua ne quis dubitet, præmisit iuramentū, ut hæredibus gratiæ Hebr.6.
abundantius ostenderet consilij sui immobilitatem. Iam quanquam exauditio non semper statim sentiatur, non dubitemus tamen nos exauditos, & suo tempore accepturos. Sic oratio Thobiæ exaudita Thob.3
dicitur, & tamen diu postea primum fuit reuelata, effectumq; sortita. Omnia hæc ad orandum nos incitare debent.

Vsq; modo non petistis quicquam]

Omnia quæ hactenus in hoc ultimo sermone Christus dixit, talia tantaqué sunt, ut qui ea ueraciter attenderit, cum Christo exclamaturus sit: Confitebor tibi Pater, quod hæc abscondisti sa- Matth. 11.
pientibus, & reuelasti paruulis. Singula enim uerba singulas habent consolationes, unde exultare potest spiritus noster. Singula uerba talia sunt, ut merito pro his Deo gratias agamus: denique solis paruulis ea reuelauit Christus. Sic enim monet Sapiens: Prouer.31.
Date siceram his, qui amaro sunt animo, ut obliuiscantur malorum suorum, &c. In hunc finem etiam Christus uerba hæc nobis

protu-

protulit. Obserua autem, quod non simpliciter dicit: *Vsque modo nihil orastis aut petistis*, quomodo enim Apostoli tam stupidi esse potuissent, ut non orarent, cum uiderent Christum etiam totas noctes orantem? Immo aperte ex Euangelio colligitur eos orasse, alioqui non dixissent: Doce nos orare. Lucæ. 11.

Signanter igitur dicit: *Vsq; modo nihil petistis in nomine meo.* Primo, quia nondum sciebant per Christum omnia nobis dari. Secundo, adhuc toti pendebant à corporali Christi præsentia, & si quid deesset, ab ipso petebant, ut cum dicerent: Domine salua nos, perimus. Item: Domine adauge nobis fidem. Ablata autem præsentia Christi, cogebantur oculos ad cœlum leuare. Vnde discimus ideo nobis plærunq; eripi ea, quæ diligimus, & in quibus confidimus, ut cogamur auxilium à Deo quærere & sperare. Vel simplicissime sic intelligitur: *Vsq; modo non petistis quicquam.* Nondum missus erat Spiritus sanctus clamãs, Abba, Pater, nec dum reuelatum erat Euangelium, quo docemur, Deum nobis per Christum factum esse Patrem, & omnium precum exauditorem. Matth. 8. Lucæ 17.

Lex enim peccata ostendens, et iram Dei declarans, deterret nos ab oratione, nec admittit, ut ingrediamur ad Deum. Euangelium uerò gratiam nobis ostendens, rursus inuitat nos ad orandum, & per Christum nos ad Deum Patrem ducit. Optimo autem iure Pseudo Christianis improperari posset uerbum hoc: *Vsq; modo non petistis quicquam*, hoc est, Tanto tempore sub Euangelio fuistis, tanta promisi, &c. & nec dum accurritis, &c.

Petite, & accipietis]

Hoc uerbo primo indicat, iam nobis patere aditum ad Deum. Secundo, Nihil aliud in causa esse, quo minus omnia bona Dei in nos deriuentur, quàm quòd non petimus. Posset quidem Deus citra orationem nostram dare omnia, quibus opus habemus, sicut et plæraq; etiam non rogatus dat: Vult tamen etiam à nobis rogari, ut uel sic testemur, ipsum esse omnis boni fontem, ac omnia nos ab ipso habere, non ex nobis. Orationes nostras exigit, sicut & opera nostra. Qui enim creauit te sine te, non saluabit te sine te.

Cæterum, si ad nos hoc uerbum aptamus, uidemus ingentem Dei misericordiam. Poterat iusto iudicio sic dicere: Quia usq; modo nec petere, nec accipere uoluistis. Deinceps clamabitis, & non exaudiam, immo in interitu uestro ridebo. Non tamen sic dicit, sed: *Petite, et accipietis.* Hactenus cessastis, uel nũc petite: Adhuc manus mea aperta est, &c. Quid leuius posset præcipere. Igitur qui etiam nunc gratia Dei caret, non potest culpam in Deum reijcere, sed uel ignauiam suam uel superbiam incusat. Obserua quod dicit, Accipietis. Isai. 1. Prou. 1.

Certum

Certum est enim, quod qui recte orat, is accipit, uel consequitur aliquid, etiam si non semper id consequatur pro quo orat. Non tamen uacuis manibus recedit: Aut enim quod petis datur tibi, aut melius aliquid. Scit enim Deus, quid nobis maxime expediat.

Vt gaudium uestrum plenum sit]

Dupliciter exponitur. Primo, quasi diceret. Dixi corda uestra perfundenda esse gaudio, hoc autem tunc fiet, cum acceperitis dona Dei, quæ daturus est. Petite igitur, ut citò ea accipiatis, quo gaudium uestrum perficiatur. Incepit gaudium uestrum, cum bona promisi: perficietur autem, cum ea acceperitis. Vel aliter, iussi uos petere, promisi exauditionẽ: sed non dixi, quid petendum sit. Hoc igitur nunc dico, Petite non temporale aliquid, sed ut gaudium uestrum plenum sit. Incipit gaudium uestrum, cum pacem conscientiæ acquiritis: Perficietur autem & plenũ erit in futura uita, cum Deum uidebitis sicuti est. Iuxta illud: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ea igitur petere nos uult, quæ uel ad pacem conscientiæ, uel ad consequendam uisionem Dei pertinent. Subindicat etiam hoc loco, nullum gaudium mundanum plenum esse, sed illud solum, quod à Deo per Christum datur. Psalm. 16.

Hæc in prouerbijs locutus sum uobis]

Prouerbia hoc loco pro obscuris, & nondum reuelatis dictis intelligit. Ad literam autem Christus plures parabolas & similitudines dixit, & in hoc nostræ infirmitati condescendit. Huius igitur commonefacit Apostolos, ut et ipsi discant infirmitati aliorũ condescendere. Deinde, ne dum parabolæ Christi obscuræ erant, sed & alia eius uerba: Immo omnia Christi uerba nondum Spiritu donatis, sunt quasi parabola uel enigma. Hinc Paulus dicit, Euangelium esse mysterium ab oculis mundi abscõditum. Si enim mundus intelligeret, quantus bonorum thesaurus in Euangelio situs esset, non tam insanus esset, ut ipsum persequeretur. Iuxta illud: Si cognouissent, nunquã Dominum gloriæ crucifixissent. Generaliter autem potest uerbum hoc intelligi de toto tempore ueteris Testamenti, quasi diceret. Hactenus nihil nisi umbras & figuras habuistis, nunc tempus est, ut succedat ueritas, & manifestentur quæ in figuris latuerunt: In huius signũ in morte Christi uelum templi scissum est. Ephes. 3. 1. Cor. 2. Matth. 27.

Venit hora, cum iam non in prouerbijs, &c.]

Hoc quidam exponunt de futura beatitudine, in qua uidebimus Deum sicuti est, non per speculum tantum & in enigmate, sicut modo. Melius tamen refertur ad diem Pentecostes, quo misit Spiritum sanctum, qui manifestat Euangeliũ, quo per Christum agnoscimus, Deum patrem nostrum esse factũ, & nos filios Dei. Itemq; 1. Cor. 13.

quod à Deo omnia bona expectare debeamus & possimus, hoc est, palam annunciare de Patre, quod etiam nũc fit usq; ad finem mũdi.

In illo die in nomine meo petetis]

Hoc uerbum indicat, præcedens uerbum non posse intelligi de futura uita, illic enim nihil opus erit oratione. Est igitur sensus.

2.Cor. 6 In illo Die reuelatæ gratiæ, die salutis & acceptabili tempore, quando Spiritus ueritatis docebit uos omnem ueritatem, in nomine meo petetis. Tunc enim cognoscetis uere, quod ego in Patre, & Pa-
Act.3. ter in me est. Sic legimus Apostolos post acceptũ Spiritũ sanctum, crebro orationi inuigilasse. Immo etiam nunc ubicunq; Spiritus sanctus est & dies gratiæ, ibi crebræ orationes sunt & fiunt: Vbi autem non fiunt, certum est, nondum adesse Spiritum sanctum.

Non dico uobis, quod ego rogabo Patrem]

Ioann. 14. Contrarium uidetur dixisse supra: Ego (inquit) rogabo Patrem, sed facile concordari possunt hæc scripturæ uerba. Primo sic, hactenus solus rogaui, deinceps non solus rogabo, sed uos mecum: nõ igitur excludit suam interpellationem, sed admittit nos in suã communionem, ut simus nos ipsius fratres, cohæredes & mẽbra, & in ipso
Ephes.2. simus reges & sacerdotes. Vnde Paulus ait: Iam non estis hospites & aduenæ, &c. Secundo sic, in hoc passionis & humilitatis meæ
Ioann.14. die, rogabo pro uobis, impetrabo Spiritum, ut supra dictum est.

In illo aũt altero die reuelatæ gratię, non rogabo pro uobis, non opus uocali oratione ut nunc, non opus erit noua reconciliatione:
Heb.9. Astabo quidem cultui Dei pro uobis, uerum ibi nõ erit uocalis oratio, sed tantum repræsentatio passionis meæ, &c.

Ipse enim Pater amat uos, &c.]

Fideles sermo, & omni acceptione dignus. Quis non uel hic præ gaudio exultaret? Quid maius nobis contingere potuisset: Magnum uidetur amari à principibus, uerum Dauid ait: Nolite con-
Psal.144. fidere in principibus, in quibus non est salus: Fœlix quem Deus amat. Vnica autem causa huius amoris est, quod Christum amamus, & in eum credimus. Non enim propter iustitiam nostram nos amat. Habes igitur ex hoc loco, gratissimum cultum Deo Patri esse, si filium eius amamus, & in eum credimus. Cæterum, si propter hoc solum nos amat Deus, consequitur, quod qui Christum non amant, eos nec Deus amat.

Exiui à Patre, & ueni in mundum, &c.]

Duas uias transijt Christus: Vnam è cœlo in mundum, in qua conspicitur eius immensa charitas. Alteram è mundo per crucem ad Patrem, in qua conspicitur perfectissima eius obedientia.

Vtranq;

Vtranq; uiam & nos transire oportet. Primo ad proximum per dilectionē. Secundo ad Deū per obedientiā. Obserua, quod Christus nos & incarnationis et passionis suæ in hoc uerbo cōmonefacit. Vere enim dignū & iustū est, utrunq; deuote recolere. Cæterum, sicut Christus non ita exiuit à Patre, ut ipsum relinqueret. Nusq; enim ab eo separatur, unde etiā in terra positus dixit, se esse in cœlo & in sinu Patris: Sic non ita reliquit mundū, ut prorsus iam non sit in mūdo, ut Sacramentarij fingunt. Quomodo enim in hunc modum exiret è mundo, cuius uirtute, prouidentia & cura administrantur omnia? Sic igitur uerbū hoc intelligitur: Exiui à Patre, formā serui accipiens, & ueni saluare mundū, custodiendo uias duras propter uerba labiorum eius: Iterum relinquo mundū, deponens seruitij iugum, et uado ad Patrē propter passionē mortis, accepturus gloriā & honorē. Ioan. 3. Philip. 2. Psalm. 16. Heb. 2.

Ecce nunc Palam loqueris &c.]

Eandem præsumptionem hic in Apostolis uides, quam supra in Petro redarguit Christus. Caro enim semper magna præsumit, nec ante tentationem agnoscit propriam infirmitatem. Sic Apostoli hoc loco sibi placent, quasi probe intellexerint uerba Christi, omniaq; plana sint, cum longe aliter sentiant postea. Sic etiamsi uidemur nobis satis intelligere uerbum Dei extra tentationem, ingruente tamen tentatione, dubitare incipimus, &c. Cæterum, quod hic dicunt, in se uerissimū est, præsertim hoc tempore. Vere enim palam loquitur, non per inuolucra figurarum, nec paucis ut olim: sed manifeste & omnibus etiā peccatoribus, quod utinā attenderemus. Ioann. 13.

Nunc scimus, quia scis omnia, &c.]

Et hoc in se uerum est, uere omnia scit Christus. Est enim sapientia Patris, attingens à fine usq; ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter. Quod autē omnia sciat, uel hoc indicio probauit, quòd eorum interrogationē præuenit. Vnde dicūt: Non opus est, ut quis te interroget. Hoc autem plane idoneum est tantæ rei testimonium. Quis enim doctorū adeo strenuus est, ut saltē obiectis semper sufficere possit interrogationibus, ne dicam tacitis auditorum occurrere cogitationibus? Christus aūt quanta beneuolentia docebat, tanta & potentia corda hominū in manu sua tenebat: ita, ut non nesciret, quid cuiq; deesset, quandoquidē etiam nulla eum cogitatio lateret. Sapien. 8.

Cæterum etiam hoc uerbum præsumptuose hic dicitur ab Apostolis. Est enim sensus, Quandoquidem experti sumus, quod nihil te fugit, nō opus est, ut te quicquam præterea rogemus, & istis dictis ita animi nostri mœrorem exemisti, ut non opus sit aliis sermonibus. Sic nimirum ante tentationem, uidemur nobis satis audisse, legisse, noscq; arrasse: In tentatione autem nihil nobis sufficit, immo uix tota sacrarum literarum Biblia nos consolari possunt.

In hoc credimus, quod á Deo existi]

Tertia præsumptio est, præsumunt se credere, sed opinio erat non fides: Præsumunt se constanter perseueraturos in fide, quemadmodum & supra Petrus dixit. Vnde & alij Euangelistæ ibidem addunt: Similiter & alij omnes dicebant. Sic caro magna de se præsumit: Irascitur, si qui cedunt & superantur, putat se fortiter consistere posse, indignatur, cum propriæ infirmitatis admonetur. Sed audi Christum. Matt. 26.

Modo creditis?]

Solet Christus ubiq; acriter cohercere, si quid humanæ arrogantiæ, ambitionis aut fiducię, sentit oboriri in animis discipulorum suorũ, quo planè discerent diffidere suis uiribus, quibus nihil poterant, sed toti penderent à præsidijs Patris. Nihil enim periculosius est, quàm sui ipsius fiducia. Sic etiam hoc loco retundit eorum arrogantiam, quod cum nondum intelligerent quę dixisset, nõdum uere crederẽt, nondum essent pares instantibus procellis: tamen sibi uendicarent, quod precibus postulandum erat á Patre. Dupliciter autem uerbum hoc accipere possumus. Primo interrogatiue, quasi diceret, Modo creditis? uos ne ante susceptionem Spiritus sancti, putatis uos intelligere uerba mea, aut credere? Item q; in aduersis consistere posse? Nihil horum sine spiritu potestis, igitur uos ipsos decipitis. Secundo, intelligitur uerbũ hoc assertiue, ut sit sensus. Modo quidem creditis, sed non satis est, nisi perseueretis. Parum est et leue, credere ante tentationem, sed in tentatione credere, hoc opus hic labor est. Ostenditur igitur nullam in nobis esse firmitatem & securitatem, quã diu hic sumus, quare nemo de seipso aut suis uiribis præsumat.

Ecce uenit hora, & iam uenit, &c.]

Sicut supra Petro suum casum prædixit, sic hoc loco etiam alijs prædicit suam dispersionẽ. Pulchrè autem futuram tentationẽ exaggerat. Primo cũ dicit: *Ecce uenit hora*, etc. Secũdo cũ addit: *Et iam uenit*. Oportet nos certo expectare tentationem. Hinc Sapiens: Cum accedis ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Quod autem dicit: Dispergemini unusquisq; in propria, idem est cum eò, quod in Luca dicit: Sathanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum, &c. Addit: Relinquetis me solum. Sic in Matthæo dicit: Omnes uos scandalum patiemini in me. Et in Zacharia: Percutiam pastorem, et dispergentur oues. Per hoc autem quod hæc duo coniungit, Dispergemini, & Me relinquetis, ostẽdit eos & à fide & à charitate casuros, quasi diceret, Non solum mihi nõ adhærebitis, sed nec uobis mutuo consortio & auxilio assistetis, quisque timebit, ne alterius iudicio prodatur, ubi uidere licet, quid possit Diabolus & tentatio, ita scilicet terrere & obruere hominem, ut & Ioann. 13. Eccles. 2. Lucæ 22. Matth. 26. Zach. 13.

Dei

Dei & hominum obliuiſcatur. Non immerito igitur Chriſtus mo- Matth. 26.
nit, ut oremus, ne intremus in tentationem. Sic & nos orare docuit: Matth. 6.
Ne inducas nos intentationem.

Sed non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.]

Videbor quidem ab omnibus derelictus, uidebitur etiam Deus & omnes creaturæ mihi contrarij eſſe, ſed non ſum ſolus: tacebit qui dem Pater ad tempus in paſsione mea, ſed nõ longe faciet auxilium Pſalm. 21.
ſuum à me, immo eruet de framea animam meã, &c. Obſerua quod Chriſtus nunquam ſolus eſt, ſed habet ſecum & à parte ſua ſtantem Patrem, & una cum Patre omnem creaturam, ſiue cœleſtem ſiue ter reſtrem. Vnde ad Petrum ait: An putas quod non poſſum rogare Matth. 26.
Patrẽ, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiões Angelorum? Sic pius homo per fidem Chriſtum habens, & ſi uideatur ab omnibus derelictus, nunquã tamen eſt ſolus, etiamſi deſtituatur omnium creaturarum auxilio. Sic Iſraẽlitæ in deſerto Dominum habebant in diuiduum comitem, quanquam uidebãtur ab omnibus creaturis de relicti. Sic Heliſæus dixit: Plures ſunt nobiſcum, quàm cum illis. Hoc 4. Reg. 6.
uerbo etiam ſubindicauit futuram credentium multitudinẽ, quanq; inquit, nunc ſolus relinquendus ſim, uerum non ſemper ſolus ero, Iſai. 8.
ſed ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus. Hinc & in Pſalmo Pſal. 21.
dicit: Narrabo nomen tuum fratribus meis, &c.

Hæc locutus ſum uobis, ut in me pacem, &c.]

Referri poteſt ad id, quod iam dixit de Apoſtolorum diſperſione. Hoc (inquit) ideo dixi, ut ueſtris uiribus diffiſi, in me conquieſcatis.

Poteſt etiam ad totũ præcedentem ſermonẽ referri, ut ſit eiuſdem ſermonis concluſio. Ideo, inquit, tam prolixum ſermonem feci, ut in me pacem habeatis. Primo, ut ſciatis per me & in me quærendam pa cem conſcientiæ, hoc eſt, remiſsionem peccatorum. Secundo, ut per Rom. 5.
me pacem habeatis ad Deum, iuſtificati enim ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Tertio, ut in me pacẽ habeatis, hoc eſt, in mea cognitione & dilectione. Quar to, ut in me pacem habeatis, hoc eſt, in his quæ ad me & Deum ſpe ctant, pacem ueſtram conſtituatis: non in his, in quibus mundus pa cem quærit, ut ſunt diuitiæ, uoluptates. Quinto, ut in me, id eſt, in uer bo Dei, quod ego ſum, pacem quæratis. Verbum enim Dei abunde conſolationẽ præſtat, contra omnia aduerſa. Si à ſapientibus mundi irridetur fides tua, habes Euangelium, quo arguitur ſapientia huius mũdi. Si infirmitate, paupertate, morte, exilio, obrueris, ex Chriſto & in uerbo pacem inuenies. Sic enim dicit: Cũ ipſo ſum in tribulatio Pſalm. 90.
ne: Pater ſcit, quod opus his habetis: Domini eſt terra & plenitudo Matth. 6.
eius. Ero mors tua ò mors: Ego ſum reſurrectio, &c. Vides hic, in Pſalm. 23.
quem finem Chriſtus locutus ſit, nempe ut pacẽ habeamus, atq; hoc loann. 11.
eſt quod in Euangelio quærere debemus, non carnalem libertatem.

In mundo pressuram habebitis]

Verissima sententia, quocunq; enim respexeris, siue ad corporalia siue spiritualia, semper obiecta est crux. Nũc periclitatur corpus, nũc uita, nunc opes, nunc gloria & fama. Impugnat nũc mundus, nunc Diabolus, Anima sentit peccatum, mortem, infernum. Summa, mundus est Sathanæ aula: nihil igitur tibi quietis aut securitatis in mundo pollicearis.

Sed confidite, Ego uici mundum]

Mirabilis consequentia, si ad humanã rationem spectes. Nam perinde est, ac si quis ad pauperem diceret: Confide, ego diues sum. Verũ quid hoc ad pauperem, quod tu diues es? Sed dulcissima consequentia est, si eam exigas ad rationẽ fidei. Nam Christi uictoria nostra est, fecit enim nos sibi cohæredes & fratres. Est igit sensus, Quẽ admodũ nec mundus, nec peccatũ, nec crux, nec mors, nec Sathan, nec infernus me uincere potuerunt: Ita nec uos, si in me per fidẽ perduretis uincent: Omnia enim mea bona uestra sunt. Iubet aũt, ut in sua uictoria cõfidamus. Primo, quia per ipsam nobis impetrauit Spiritũ sanctũ & uires, ut & nos uincere possimus. Secundo, quia ipsius uictoria in nos effusa est. Sicut enim Adã uicto, omnis nostra natura condẽnata est: sic Christo uincẽte, in omnẽ naturã uictoria trãsijt, & uirtus nobis data calcandi super serpentes & scorpiones. Per hominem enim mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Præterea ideo nos suæ uictoriæ admonet, ut sciamus mundum deuictum nihil in nos posse, nisi quantum à Deo permittitur. Demum uictoriæ suæ nos admonet, ut uel ipsius exemplo discamus, quomodo & quibus armis uincendus sit mundus & Diabolus: hic quidem humilitate, ille autem patientia. Hinc dicit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Per patientiam igitur curramus ad propositum certamen, aspicientes in authorem fidei nostræ Iesum, &c.

Lucæ 10.
2. Cor. 15.
Matth. 11.
Heb. 12.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

In ueteri Testamẽto tria legimus fuisse officia sacerdotũ: Docere populũ, orare & sacrificare pro populo. Cæterũ, sacerdotium illud Leuiticũ figurã fuisse sacerdotij Christi, Paulus ad Hebræos manifeste probat. Immo, ipse Dauid manifeste etiam hoc prædixit: Dixit (inquit) Dominus Domino meo, &c. Et post pauca: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundũ ordinẽ Melchizedeck. Vt igitur Christus uerũ se

Psal. 109.

seprobaret sacerdotem, tr ia hæc officia perfectissime præstitit. Docuit enim, orauit & sacrificauit. Docuit non legem, sed Euangelium: orauit oratione efficacissima; obtulit non sanguinem hircorum, sed propriũ sanguinẽ. Et hactenus quidẽ in hoc Euangelio docuit, nunc Heb. 9. etiam ad alia duo officia accedit, & primo quidẽ ad orationẽ in hoc capite. In hac autem Christi oratione, plura obseruanda sunt: Ipsum scilicet opus, tempus, gestus, & uerba, nihil enim horũ sine mysterio est. Primo quod Christus orat, ideo fit, ut ianuam nobis aperiret ad Patrem. Præmonuerat in nomine suo petendum, & ad Patrem accedendum: Accedere autem non possumus, nisi antea uia fuerit parata, nec orare licet, nisi ianua ad Patrem fuerit aperta. Proinde Christus hoc capite parat sua oratiõe uiam, & aperit ianuam ad Patrem, ut impetrationis certi fiamus. Nam cum Christus certo exauditus sit, propterea quod dilectus est Filius, consequitur, quod & nos in nomine eius orantes exaudiamur. Ioann. 16.

Hæc cum dixisset]

Obserua hic, quo tempore Christus orauerit, nempe post prædicationẽ & ante passionẽ. Sic & nobis omni quidẽ tempore orandum Luc. 18. est, sed potissimum post auditum uerbum Dei, & instante tentatione. Oratione enim impetrandum est, ut uerbi Dei semen acceptum, infructuosum non permaneat. Oratione item præmunire nos oportet ad futuras tentationes.

Subleuatis oculis in cœlum]

Hic habes quo gestu Christus orauerit. Quod igitur supra in fine præcedentis capitis monuerat, fiduciam nõ in nobis, sed in Deo ponendam, hoc nunc suo ipsius exemplo & externo gestu docet.

Hæc autem subleuatio oculorum in cœlum, indicat internam deuotionem, certamq; impetrandi fiduciam. Vnde & supra subleuatis oculis dixisse legitur: Ego sciebam quod semper me audis. Ioann. 11.

Docemur hic in orando oculos mentis ad Deum leuare, quemadmodum Dauid: Oculi mei semper ad Dominum. Hoc enim est orare: Oratio est ascensus mentis in Deum. Admonemur secundo conditiõis nostræ. Ideo enim os homini sublime dedit, ut sciat se nõ ad terram, sed ad cœlum intuendum creatum esse. Docemur tertio ipsam cœli fabricam attendere, ut uel hinc cognoscere etiam possimus eius opificem. Demum monemur etiam per hanc oculorum subleuationem cœlestium gaudiorum, ut uel hinc excitemur ad bonum. Obserua quod Publicanus non quidem oculos leuare audet in Lucæ 18. cœlum, sed tundit pectus: Salomon autem flectit genua & leuat manus, Christus autem oculos. Tres igitur gradus orationis sunt. Primo tunde pectus. Secundo, leua manus pro auxilio. Tertio, leua oculos omnino in Deum te subleuando. Psalm. 24. 3. Reg. 8.

Pater uenit hora, clarifica filium tuum]

Singula uerba Emphasim habent. Primo Patrem nominat. Patris enim nomen facit, ut petere audeamus, facit ut orando gaudeamus. Deniq; & fiduciam impetrandi dat. Hinc Christus: Cum oratis dicite, Pater noster, qui es in cœlis. Quod autē nos Deum Patrē appellamus, ex gratia est, nec sine timore hoc dicimus, memores q̄ ingrati & inobedientes filij simus. Christus aūt optimo iure Deū Patrē nominat, tum quia naturalis eius Filius est, tū quia nusq̄ non obedientem se filiū exhibuit. Addit congruentiam orationis: *Venit hora*, &c. quasi diceret. Tuo iussu & uoluntate meipsum exinaniui, formam serui accepi, obediui, ministraui, ac propter humilitatē meam despectus sum & ludibrio habitus: Nunc cum obedientiā meam ad finem usq; perduxerim, uenit hora, ut pristinam meam claritatem reassumam. Igitur amodo clarifica filium tuū, ostende ac palam fac mundo, quod ego filius tuus sim, id autem potissimum fiet per resurrexionem meam & Spiritus sancti missionē. Obserua quod Christus q̄uis de sua glorificatione certissimus esset, tamen pro eadem orat. Vnde discimus, quod etsi Deus ab æterno prædestinauerit omnia bona nobis dare, nihilominus tamen uult, ut oratione ea quæramus. Deinde obserua, quod glorificationem suam non petit, nisi perfecta obedientia, quam à Patre acceperat, contra eos qui præmia & gloriam quærunt ante laborem. Obserua item, quod & supra monuimus, quod instāte passionis tempore dicit, uenisse horam glorificationis suæ. Crux enim certum est glorificationis initium. Sed quis hæc credit: Ideo toties ea Christus inculcat.

Matth. 6.

Philip. 2.

Vt Filius tuus clarificet te]

Vide in quē finē Christus petat glorificari, nēpe, ut Pater glorificet, cuius gloria, nomen, bonitas, ueritas, tūc uel maxime orbi innotuit, postq̄ Christū mundo manifestauit. Ex Euāgelio enim Christi, gloria Patris manifestata est. In hunc finem etiā nobis orandū est, nempe ut gloria Dei promoueat & crescat. Hinc est quod sancti ueteris Testamenti, plerunq̄ suis orationibus hanc clausulā annectunt: Vt sciant oēs gentes, quod tu es Deus uerus. Ob eam causam & Christus docuit, ut primo petamus ea, quæ ad Dei glorim pertinent, ut est: Sanctificetur nomen tuum, &c. Immo in eum finem uult nos etiam opera nostra dirigere: Sic (inquit) lux uestra luceat coram hominibus, ut glorificent Patrem.

Iudith. 9.

Matth. 6.

Matth. 5.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis]

Et hæc est una conditio ad orationē pertinēs, memoria scilicet beneficiorū acceptorū. Qui enim gratus est pro acceptis, dignus est & alia accipere. Hinc Patres ueteris Testamēti, in omnibus orationib. primo recensecebāt priora beneficia, quæ acceperāt, &c. Cæterū, q̄ dicit sibi datam potestatē omnis carnis, per carnem intelligit homines,

accipi-

accipiẽdo partem pro toto, ut cum dicitur: Videbit omnis caro ſalutare Dei. Addit autem: Omnis carnis, hoc eſt, omniũ hominum Iudæorum & gentium. Non eſt enim Iudæorũ Deus tantũ, ſed etiam gentiũ. Obſeruandum aũt, quod Chriſtus dicit ſibi datam eſſe poteſtatẽ omnis carnis, omnium ſcilicet hominũ, ut ſciamus unde ſalutem quærere nos oporteat. Sic et alias ſæpe dicit: Omnia mihi tradita ſunt. Et: Pater omne iudicium dedit filio, &c. Ne quis aũt ſuſpicetur, Chriſto tantum datam poteſtatem iudicandi & condemnandi, addit. Iſai. 40. Rom. 10. Matth. 11 Ioan. 5.

Vt omne quod dediſti ei, det eis uitam æternam]

Vide Dei bonitatem. Ad hoc dedit Chriſto poteſtatem, ut det nobis uitam æternam. Hinc & Petrus dicit: Hunc dedit Deus principẽ et ſaluatorẽ, ad dandam pœnitentiã et remiſſionem Iſraëli, &c. Obſerua quæ ſint donatiua Chriſti, quæ ſuis militibus diſtribuit, non pecunia, non carnalis potentia, &c. ſed uita, & æterna uita, hæc à Chriſto quærenda & expectanda eſt. Obſerua quibus det uitam æternam: His, inquit, quos dediſti mihi, quos ſcilicet ab æterno prædeſtinaſti, & nunc mihi uocandos, redimendos, iuſtificandos, dediſti, &c. Sic Paulus, quos prædeſtinauit, hos & uocauit, &c. Et ſupra: Omne quod dat mihi Pater, ad me ueniet, &c. Ne quis autem ob id triſtetur, quod neſcit an prædeſtinatus ſit, & Chriſto ad redimendum datus, addit: Et omnem qui uenit ad me, non eiiciam, &c. Tertio autem hic dicit, quod poteſtatem acceperit, nec ſimplicem, ſed omnis carnis, & talem, ut poſsit dare uitam æternam: quę omnia indicant, Chriſtum non dubium fuiſſe in ſua oratione. Deinde ſingula etiam nos conſolantur. Pulchrè autem hic humilitatem & poteſtatem coniungit. Humilitatis eſt, quod dicit ſe à Patre accepiſſe: Poteſtatis autem, quod dicit ſe uitam æternam dare poſſe. Roma. 8. Ioann. 6. Ibidem. Act. 5.

Hæc eſt autem uita æterna, ut cognoſcant, &c.]

Oſtendit in quo conſiſtat uera uita & beatitudo hominis, ac uno uerbo omnes Philoſophorum de fœlicitate hominis opiniones reiicit. Non (inquit) in diuitijs, nõ in uoluptatibus, nõ in cognitione rerũ creatarum, &c. conſiſtit fœlicitas hominis, ſed hęc eſt uita ęterna, &c. Loquitur aũt nõ de ſimplici cognitione, ſed de ea, qua & per intellectũ & affectũ Deus apprehenditur, quæ non eſt aliud, q̃ fides. Hinc in Pſal. non tantũ dicit: Videte q̃ ſuauis ſit Dominus, ſed præmittitur, Guſtate. Hoc modo Deũ cognoſcere ueraciter, uita æterna eſt. Deus enim fons eſt omniũ bonorũ, & apud eũ eſt fons uitæ: qui igit̃ p fidẽ eũ apprehendit, omnia bona uel omnis boni fontẽ habet. Hinc Sapiẽs ait: Noſſe te conſũmata iuſtitia eſt. Hinc Moyſes: Faciẽ Domini quærebat. Si (inquit) inueni gratiã in oculis tuis, oſtẽde mihi faciẽ tuam. Et Dauid: Oſtẽde nobis faciẽ tuã, & ſalui erimus. Obſerua aũt, quod nõ ſimpliciter dicit: *Hęc eſt uita æterna*, ut cognoſcãt Pſalm. 33. Pſalm. 35. Exod. 33. Pſalm. 79.

te, ſed tria addit. Primo, ut cognoſcant quod Deus ſis. Secũdo, quod ſolus Deus ſis, quo uerbo non excludit ſeipſum, ut infra patebit. Tertio, quod ſolus uerus Deus ſis, ad differentiam falſorum Deorum.
1. Cor. 8. Siquidẽ, ut Paulus ait, ſunt Dij multi & domini multi, ſed unus ſolus uerus eſt Deus. Sũt enim aliqui dij opinatiue, ut Idola. Vt cũ dicitur:
Pſal. 114. Omnes dij gentiũ dæmonia. Alij ſunt dij participatiue, ut ſancti: Ego
Pſalm. 81. (inquit) dixi dij eſtis. Alij ſunt dij nũcupatiue, ut Prælati: Ego, inquit,
Exod. 7. cõſtitui te Deũ Pharaonis. Vnus aũt ſolus eſt Deus per ſubſtantiam.

Et quem miſiſti Ieſum Chriſtum]

Hoc addit primo, ne cũ Patrem ſolum uerũ Deũ dixerit, ſe ab hac gloria excluſiſſe uideatur. Secundo ideo addit, quia Pater cognoſci
Matth. 11. nõ poteſt niſi per Filiũ. Hinc in Matthæo dicit: Nemo nouit Patrẽ,
Ioann. 1. niſi Filius, et cui uoluerit Filius reuelare. Et iterũ, Deũ nemo uidit unq; quã, unigenitus filius enarrauit nobis. Docemur hic, quod uitã non alibi quærere debemus, niſi in Deo, nec per alium, q̃ per Chriſtum. Docemur item cognitionem Dei & fidem, ueram eſſe uiã ad uitam æternam, & radicem eſſe omnis boni. Hinc & ſupra dixit: Qui cre-
Ioan. 11. dit in me, etiã ſi mortuus fuerit, uiuet, &c.

Ego te clarificaui ſuper terram]

Singula uerba Emphaſin habent. Primo q̃ dicit, Ego. Satis quidẽ Deus in creatione et in creaturis oſtenderat gloriam ſuã. In mundo
Ioann. 1. erat, et mundus ab ipſo factus eſt, & tamẽ eũ non cognoſcebat. Hinc
Act. 17. Paulus: Nõ longe eſt ab unoquoq; noſtrũ, in ipſo enim uiuimus, mo-
Act. 14. uemur, & ſumus. Et iterum: Non ſine teſtimonio ſeipſum reliquit
Rom. 1. Deus benefaciẽs de cœlo, etc. Pauci tamẽ Deũ etiã cognitũ glorificabãt ut Deũ, maior pars Deũ blaſphemabat, alij etſi ore laudarent eũ,
Iſai. 29 cor tamẽ longe erat à Deo. Clarificauerat Moyſes Dominũ, oſtendens ipſum iuſtum, iratũ, immiſericordẽ, damnatorẽ, &c. Atqui hæc non eſt perfecta Dei clarificatio, merito igitur dicit, *Ego te*, &c. Deinde & hoc Emphaſin habet, q̃ dicit Clarificaui te, nõ meipſum. Vt
Ioann. 8. de ſupra dixit: Ego gloriã meã non quæro, ſed honorifico Patrẽ. Clarificauit aũt Chriſtus Deũ. Primo, quia eſt eius imago, ſplendor & ſapientia. Sicut igitur imago oſtendit eũ, cuius eſt imago, & ſplẽdor manifeſtat ſolẽ, & ſapiẽtia commendat artificem, ſic Chriſtus Deum oſtendit. Secũdo clarificauit Deũ, quia eius gloriã prædicauit. Glori atur mundus de ſua ſapiẽtia, iuſtitia, potẽtia, &c. Chriſtus aũt oſtẽdit hanc gloriã uanã eſſe, docuit aũt Dei ſapientiã, potentiã & iuſtitiã.
Ioann. 16. Ideo ſupra dixit: Arguet mundum de peccato, iuſtitia & iudicio. Tertio clarificauit Deũ, quia bonã famam de ipſo ſparſit, effecitq; ut credentes nũc inuocent eũ Patrẽ nutritorẽ, ſaluatorẽ, &c. His titulis credentes laudẽ Dei nũc decantãt, ipſum ſolũ amant, ad ipſum ſpirant, ipſum ſolũ cõmendant & glorificãt. Quarto glorificauit Deũ ſignis et miraculis, quibus oſtẽdit eũ adhuc omnipotentẽ eſſe ut prius fuit,

adhuc

adhuc quoq; promptum esse ad auxiliandum. Quinto glorificauit eum, omnia bona illi ascribendo. Vnde dicit: Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me. Item, Pater in me manẽs, ipse facit opera. Sexto clarificauit Deum, ipsi usque ad mortem obediendo, & in omnibus sanctissime uiuendo. Nam etiam obedientia & sanctitate nostra glorificatur Deus, quemadmodum impietate nostra blasphematur. Iuxta illud: Propter uos nomen meum blasphematur. Hinc Christus dicit: Luceat lux uestra, ut glorificent Patrem uestrum, qui in cœlis est. Et Petrus: Vt ex bonis operibus uos conſyderantes, glorificent Deum, &c. Ioann. 7. Ioann. 14. Isai. 52. Matth. 5. 1. Pet. 2.

Vides quàm uere dixerit Christus: *Ego te clarificaui ſuper terram*, &c. Hoc exemplũ Christi & nos imitemur. Ideo enim uocati sumus, ut enarremus uirtutes eius, qui nos uocauit, ut uerbis & factis ipsum glorificemus. Signanter aũt dicit: *Clarificaui te ſuper terrã*. In cœlo enim semper glorioſus est, semper illic adoratur & glorificatur, terra autem eum nesciebat. Vnde & hic ingratitudo nostra taxatur, qui Deum ex creaturis & quotidianis beneficijs cognitũ, non ut Deum glorificamus. Obserua quod supra dixit, se clarificaturũ Patrem: Hic autem dicit se clarificasse Patrem. Vtrunq; uerum est, sicut enim ante passionem eum glorificauerat coram Apostolis, sic postea per Apostolos fecit in toto mundo. Ibidem. Roma. 1.

Opus conſummaui, quod dediſti mihi]

Opus illud est ministerium prædicationis Euangelij. Iuxta illud: Spiritus Domini super me euangelizare pauperibus misit me. Hoc aũt opere Christus fideliter functus est et constanter, nõ solum enim prædicauit, sed & prædicationem miraculis confirmauit. Vel opus illud est, totum illud quod pro redemptione nostra faciendum susceperat. Quod quamuis nondum completũ esset (in morte enim ipsius primum completũ est, unde tũc dixit, Consummatũ est) tamen iam ipsum consummauerat uoluntate. Itẽ, quia iam quod maximum erat perfecerat, & radicem omniũ bonorum iam plantauerat, dæmone scilicet uicto, & se obiecto uoracissimæ bestiæ, morti. Hanc radicem necessario secuturi erant fructus diuinæ notitiæ. Ideo dicit, Perfeci opus: seminaui, fructus sequet. Obserua de quibus Christus gloriatur, quod Deũ glorificauerit, & quòd opus consummauerit, non quodcunq;, sed quod Pater ipsi dedit. Hæc duo nos commendant, & gloria Dei dignos efficiunt. Vnde de primo dicit: Qui me glorificat, glorificabo eum. De secundo autem dicitur: Voluntatem timentium se faciet, & orationem eorum exaudiet. Vnde subdit. Isai. 61. Ioann. 17. 1. Reg. 2. Psal. 144.

Et nunc glorifica me tu Pater, &c.]

Nunc (inquit) quãdo ego te prior glorificaui et obediẽs fui, restat, ut tu me glorifices. Tũc em̃ gloriæ tempus est, cũ obedientiã perfecerimus.

mus. Signanter aũt dicit: *Glorifica me tu Pater*, A ſolo enim Deo, gloria & quærenda & expectanda eſt. Quod autem dicit: Clarifica me, nihil aliud uult, quàm quod per reſurrectionem eius, & collocationem ad dexteram Dei, oſtendat toti mundo, quod ſimilis ſit ei in potentia & maieſtate.

Hæc eſt enim clarificatio Chriſti, quod per reſurrectionẽ eũ extulit in ſummã ſublimitatẽ, liberans ipſum ab omnibus malis, conferens
Matth. 28. ipſi omnium creaturarum poteſtatem, & dans illi nomen ſuper om-
Philip. 2. ne nomen, &c. Ne quis autem putet, eum mundanam gloriam quærere, addit: Apud temetipſum me glorifica. Deinde, ne quis putet eum hactenus gloriæ egenum fuiſſe, aut alienam gloriam appetere, quemadmodum Diabolus & primus homo, addit: Ea claritate me clarifica, quam habui apud te priuſquam mundus fieret.

Hæc autem eſt gloria Chriſti, quam ab æterno habet, quod ſemper ſedit ad dextram patris, hoc eſt, cum ipſo omnia creauit & adminiſtrauit, quemadmodum in Prouerbijs ſapientia Dei dicit:
Prou. 8. Dominus poſſedit me ab initio uiarum ſuarum, &c. Cæterum, quamuis Chriſtus ſecurus eſſet de ſua clarificatione, immo ſecundum diuinitatem nunquam eam amiſiſſet, tamen eam à Patre petit. Ipſius enim humanitas nondum incorruptibilitate fruebatur, nec dum regium thronum acceperat. Deinde & propter credentes hoc orat, ut & ipſi ſimul conglorificentur ac efficerentur filij Dei.

Manifeſtaui nomen tuum hominibus]

Explicat quod ſupra dixerat de clarificatione Patris. Principium nanq; paternæ clarificationis, horum hominum inſtitutio eſt, per quos nomen patris oportebat innoteſcere orbi, qui & ideo recte di-
Matth. 5. cti ſunt lux mundi. Cæterum, quamuis etiam antequam ueniret
Pſalm 75. Chriſtus, in Iudæa notus eſſet Deus, non tamẽ notus erat gentibus. Deinde plura quidem nomina Dei ſcripta habebant Iudæi, immo
Exod. 6. etiam nomen illud ineffabile, quod nec patribus oſtenderat: Neſciebant tamen ueram diuini nominis uirtutem.

Præterea ſciebant quidem Deum, ſed neſciebant ipſum eſſe Patrem, & habere filium: Vnitatem ſubſtantiæ ſciebant, non autem Trinitatem perſonarum. Vere igitur dicit Chriſtus: Manifeſtaui hominibus, non Iudæis tantum, ſed etiam gentibus, nomen, inquam, tuum, non ſecundum literam, ſed ſecundum uirtutem, hoc eſt, oſtendi te eſſe patrem, me filium, &c. Simpliciſsime autẽ per nomen intel-
2. Reg. 7 ligi poteſt gloria uel fama. Iuxta illud: Feci tibi nomen, iuxta nomen
Proue. 22. magnorum, qui ſunt in terra. Item, Melius eſt nomen bonũ, quàm diuitiæ multæ. Nomen igitur, gloria uel fama Dei, quam Chriſtus manifeſtauit, eſt ipſius miſericordia, bonitas, iuſtitia, remiſsio peccatorum, &c. Hoc nomen Dei, ſapientia ſcilicet, potentia, bonitas

nitas &c. satis ostensum erat in creatione, sed postea obscuratum: Nunc autem per Christum restitutum est, per ipsum enim iam cognoscit mundus, quanta fuerit eius charitas erga genus humanum, cuius seruandi gratia Filium unicum in mortem tradidit: quanta potentia, qui Diaboli Tyrannidem fregit: quanta sapientia, qui tam mirabili consilio mundum à se alienum ad se rursum conuertit.

Signanter autem addit, Hominibus, quos dedisti mihi, quo uerbo primo innuit, non omnes homines credituros, sed solos electos: Non enim omnes obediunt Euangelio. Secundo ostendit se non contrarium Deo: Non rapui, inquit, eos, sed tu cõprobasti, ut mihi illos lucrarer, & ita non es aduersarius mihi. Tertio ostenditur hoc uerbo, quòd uoluntas Patris sit, ut credamus Christo: Mihi (inquit) eos dedisti per me saluandos. Sic supra dixit: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit. Rom. 10. Ioan. 6.

Tui erant & mihi eos dedisti.]

Tui erant per creationem & gubernationem, mihi autem eos dedisti, ut ego etiam secundum humanitatem sim Rex eorum, quemadmodum supra dixit: Dedisti ei potestatem omnis carnis. Tui erant, te solum inuocabant, mihi eos dedisti, ut à me quoq; salutem sperent, meq; inuocent. Tui erant per prædestinationem, mihi eos dedisti per temporalem uocationem & conuersionem. Tui erant à te electi, mihi eos dedisti uocandos, docendos, iustificandos, redimendos. Vide autem hic pulchrum ordinem. Primo Deus eligit. Nemo enim saluatur nisi electus. Deinde electos ad Christum mittit, ut per ipsum doceantur, iustificentur, &c. Nullum enim saluare uult, nisi in Christum credat, iuxta illud: Qui non credit, iudicatus est. Prædestinatio igitur occulta quidem est in se, sed in Christo manifestatur. Occurrit autem iste locus egregiè curiositati carnis de prædestinatione. Quid enim profuerit, etiam si multa diligentia inquiras, num à Deo sis electus, quando Dominus omnes electos Christo dederit? Proinde noli primum te in Deo quærere, sed in Christo, in quo si te per fidem & dilectionem inueneris, certus esto te à Deo esse prædestinatum. Ioan. 3.

Et sermonem tuum seruauerunt]

Hoc est, me, qui sum uerbum tuum: Vel doctrinam meam, quæ itidem tua doctrina est. Seruauerunt autem primo per fidem, quia crediderunt. Deinde seruauerunt opere, omnia enim propter uerbum tuũ reliquerunt. Atq; hoc est, quod tertio loco requritur, ut quoniam à Patre electi, & Christo dati sumus, in ipsum credamus & ipsi obsequamur. Ioan. 1. Ioan. 7.

Nunc cognouerunt, quod omnia quæ dedisti, &c.]

Isa. 28. Fidem sequitur perfecta cognitio. Iuxta illud: Nisi crediderit is, non intelligetis: Nunc (inquit) quia credunt, cognoscunt. Vel nunc cognouerunt, hoc est, quia eos mihi dedisti. Nisi ẽm eos tu mihi dedisses, nunq; cognouissent, sicut non cognouit perditus Iudas, cuius ab effectis palã omnibus est, quia nõ eũ tu mihi dedisti, nec tui causa me secutus est, sed cũ non esset tuus, tuis per hypocrisim admixtus fuit, propterea illi non saputt, quicquid dixi aut feci. Nunc cognouerunt, q; abs te sunt, hoc est, quòd non arte magica uel diabolica operatus sim quicquam. Item cognouerunt, quòd Euangelium meum non sit humanum commentum, sed uerbum tuum, & potentia
Rom. 1. Dei ad salutem omni credenti. Item cognouerunt, quòd quæ dedisti mihi abs te sunt, hoc est, quòd naturaliter ad me pertinent, ut ad naturalem filium tuum.

Quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis]

Explicat quid illud sit, quod Pater ipsi dederit, nempe Euange-
Isa. 61. lium, quod Filio à Patre demandatum est, ut orbi annunciet. Quisquis igitur Euangelium fide acceperit, is cognoscit uere Christum, quo cognito, cognoscitur Deus: Cognitio autem Patris & Filij, per Spiritum sanctum est uita æterna.

Et ipsi acceperunt ea & cognouerunt, &c.]

Tria dicit de Apostolis: Acceperunt, cognouerunt, crediderunt, quæ omnia nobis necessaria sunt. Cæterum, quamuis exire Filium a Patre idem sit quod mitti, utrumq; tamen hic expressit, ut æqualem
Ioan. 3. ostendat charitatem & suimet, Filij scilicet uenientis & Patris mittentis. Ex charitate enim Christus exiuit & Pater misit.

Pro eis rogo]

Antea Christus pro se rogauit ut glorificetur, nunc pro Apostolis rogat. Ideo autem ipsis audientibus orat, ut uel hinc discant, q; diligat eos & pro ipsis curet, id quod non parum nos consolatur in aduersis. Maxime autẽ consolatur, quòd scimus eum exauditum esse
Heb. 5. pro sua reuerentia. Hæc igitur oratio Christi, Apostolis fuit, immo etiã omnibus nobis murus est æneus, immo igneus (ut in Propheta
Zach. 2. dicitur) quo uincunt & uincimus peccata, mortem, Sathanam & mundum. Singula aũt uerba emphasim habent. Primo seipsum offert mediatorem inter Deum & nos: Ego (inquit) rogo, quasi diceret, Multum hactenus ad te clamatum est, sed frustra, nullius oratio tibi satisfacere potuit. Orauerunt sacerdotes Iudaici pro populo, ue-
Heb. 5. rum cum & ipsi sint peccatores, non potuerunt perfectè reconciliare tibi hominem: Ego aũt, qui sanctus sum & innocens, deinde Filius tuus dilectus, cui nihil negare potes. Ego (inquit) rogo, quod ut congruentius possem, formam serui accepi, ac ipsis habitu similis effectus sum: igitur, cum ab eorum parte stem, quod ipsi non merentur, propter me consequãtur. Magna certe consolatio, q; Christus à parte

te noſtra ſtat, q̃ nobiſcum & pro nobis rogat. Hinc Paulus: Cum talem habeamus pontificẽ, qui in ſe eſt ſanctus, innocens, &c. Item, qui poteſt compati, &c. Item, qui cœlum penetrauit &c, Accedamus cum fiducia, &c. Heb.4.

Non pro mundo, ſed pro his, quos dediſti mihi]

Mundus hic amatores mundi ſignificat. Nec ſimpliciter, ſed qui obſtinate adhærent mundo, de quibus Iacobus ait: Qui uoluerit amicus mũdi fieri, inimicus Dei cõſtituetur. Cæterũ, quod Chriſtus non rogat pro mundo, horrendum auditu eſt. Quid enim reſtat, niſi certiſsima damnatio eis, quos Chriſtus non agnoſcit? Oſtendit aũt hoc uerbo, mundum iuſto Dei iudicio traditum in reprobam mentem, ac ſuę libidini et manui derelictum. Hinc eſt quòd mundus quotidie in extrema facinora ruit. Et ſicut ſcelerate & prę fracte uiuit, ita horribili iudicio condemnatur. Hinc eſt, quod Chriſtus toties in Euangelio terribiliter clamat: Vę uobis diuites, qui hic habetis conſolationẽ ueſtram, &c. Hinc eſt, quod Ioannes monet: Nolite diligere mundum, nec ea quę in mundo ſunt. Et Paulus: Exite de medio eorum, & ſeparamini dicit Dominus, &c. Oſtendit igitur hoc uerbo non omnibus profuturam ſuam paſsionem & orationem, quemadmodum ſanguis agni non profuit, niſi Iſraëlitis. Oſtendit quòd amatores mundi ſunt, qui hoc tanto bono priuantur, ut uel unum hoc nos ab amore mundi abducere poſſet. Oſtendit tertio, quod magnus numerus futurus ſit eorũ, quibus paſsio Chriſti nihil prodeſt. Oſtendit quarto, ſolis illis prodeſſe paſsionẽ ſuam, quos Pater elegit, Chriſtus uocauit, & iuſtificauit, qui ad eum conuerſi ipſi adhærent, mundo q̃ uita & moribus ſtudent eſſe diſsimiles, &c. Hinc eſt quòd mundus quotidie in extrema facinora ruit. Et ſicut ſcelerate & prę fracte uiuit, ita horribili iudicio condemnatur. Hinc eſt, quod Chriſtus toties in Euangelio terribiliter clamat: Vę uobis diuites, qui hic habetis conſolationẽ ueſtram, &c. Hinc eſt, quod Ioannes monet: Nolite diligere mundum, nec ea quę in mundo ſunt. Et Paulus: Exite de medio eorum, & ſeparamini dicit Dominus, &c. Oſtendit igitur hoc uerbo non omnibus profuturam ſuam paſsionem & orationem, quemadmodum ſanguis agni non profuit, niſi Iſraëlitis. Oſtendit quòd amatores mundi ſunt, qui hoc tanto bono priuantur, ut uel unum hoc nos ab amore mundi abducere poſſet. Oſtendit tertio, quod magnus numerus futurus ſit eorũ, quibus paſsio Chriſti nihil prodeſt. Oſtendit quarto, ſolis illis prodeſſe paſsionẽ ſuam, quos Pater elegit, Chriſtus uocauit, & iuſtificauit, qui ad eum conuerſi ipſi adhærent, mundo q̃ uita & moribus ſtudent eſſe diſsimiles, &c. 1.Cor.6. Exo.12. Luc.6. Rom.1. Iac.4.

Quia tui ſunt]

Plures cauſas adducit, cur pro mundo non roget, ſed tantũ pro Apoſtolis & credentibus, quarum prima eſt, electio, uel prædeſtinatio. Ideo (inquit) pro eis rogo, quia tu eos elegiſti. Secunda, quia eos mihi commiſiſti. Tertia, quia ipſi ſermonem tuum acceperunt & crediderunt, &c. De his tribus ſupra dixit. Nihil autem horum mundus habet aut facit, ideo non rogo pro mundo. Quarta cauſa, ideo pro Apoſtolis rogo, quia tui ſunt, non tantum creatione, ſed quia te colunt, te quærunt, agnoſcunt. Et mundus tuus eſt creatione, ſed non te cognoſcit. Vide pro quibus Chriſtus oret. Cæterum hoc uerbo uel maxime eos Patri commendat, cum dicit, *Tui ſunt*. Nulla alia re magis mouetur ad miſerendum, q̃ quòd eius ſumus. Si peccauerimus (inquit) tui ſumus, & ſi non peccauerimus, ſcimus quòd apud te ſumus reputati. Hoc uel maxime allegabant Patres ueteris Teſtamenti in orationibus ſuis, ut cum Dauid dicit: Deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam, &c. Quaſi diceret, non noſtra Sap.15. Pſal.78.

tantum res agitur, sed tua. Sic Hester: Nos quidem peccauimus & iuste punimur, sed non contenti sunt hostes nostro interitu, insuper nolunt mutare tua promissa & claudere ora canentium te, &c. Ob. Hester. 14.
serua quod prius dixit, sibi datos Apostolos & credentes, nunc statim subdit: *Tui sunt*, ut sciamus & Patrem & Filium pro nobis curare. Hinc est, quod Paulus dicit: Propter te quidem mortificamur tota die, &c. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit Rom. 8.
nos, &c.

Omnia mea, tua sunt, & omnia tua mea]

Hoc addit, ne quis miretur, quomodo nunc dicat Apostolos Dei esse, quos antea sibi datos dixerat. Omnia (inquit) mihi & Patri communia sunt, ideo & mei sunt & ipsius, pro quibus nunc rogo. Deinde hoc uerbum confirmatio est orationis Christi. Ideo enim impetrat quod rogat, quia omnia bona Patris ipsius sunt. Est enim Filius Patris Gazophilacium, ut enim Pater omnipotens est, ita & Filius tut Pater in se ipso uitam habet, sic & Filio dedit uitam habere Ioan. 5.
in semetipso. Præterea hoc uerbo plane ostendit, se non seruum aut creaturam esse, sed Patri per omnia æqualem. Nam dominus potest dicere ad seruum: Omnia tua mea sunt, at seruus nequaquam hoc dicere potest. Christus autem utrunq; dicit.

Et clarificatus sum in eis]

Hæc est quinta causa, cur pro Apostolis roget, non pro mundo. Mundus (inquit) me odit, blasphemat: hi autem glorificant. Et hactenus quidem per eorum simplicem credulitatem & per seuerantem adhęsionẽ glorificatus sum in eis, deinceps aũt amplius in eis glorificabor. Ipsi enim triumphum meum super peccatum, crucem, mortem, toti orbi annunciabunt: Ipsi enim sunt fundamentum Ecclesiæ, Christo summo lapide angulari manente. Deinde glorificabunt Ephes. 2.
me uita, itemq; morte propter nomen meum constantissime tolerata, ideo pro ipsis rogo. Vide & hic pro quibus roget Christus.

Et iam non sum in mundo]

Cum diceret hæc, adhuc erat in mundo, uerum quia iam litori appropinquabat, & à traditore uenditus erat, iamq; in exitu mundi pedem irreuocabilem posuerat, quodammodo in mundo non erat. Hæc igitur est sexta causa, cur pro Apostolis roget, quia (inquit) ego iam ad te uenio, ac corporalem uisibilemq; præsentiam eis subduco, unde hactenus consolationem non modicam habuerunt, ideo pro eis rogo.

Cæterum, quemadmodum Christus hic dicit: *Iam non sum in mundo*, cum tamen corporaliter præsens esset. Sic omnibus nobis dicendum,

dicendum, immo uiuendum esset. Hinc Paulus: Viuo ego iam non ego, uiuit uero in me Christus. Et iterum: Mihi mundus crucifixus est, &c. Et iterum: Reliquum est ut qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utantur, &c. Gal. 2. Galat. 6. 1. Cor. 7.

Et hi in mundo sunt, & ego ad te uenio]

Septima causa, cur pro Apostolis orat, quia sunt in mundo, quæ uel sola satis esset. Quid enim est esse in mundo, nisi laboribus & periculis & tentationibus innumeris obnoxium esse? Ego (inquit) stabilitati littoris appropinquo, immortalitatisq; paci & securitati: Illi autem adhuc in medijs fluctibus sunt, ideo pro eis oro. Sed quid?

Pater sancte serua eos in nomine tuo]

Sanctum nominat Patrem, tum quia in se sanctus est, tum quia sanctos facit: Ego (inquit) Dominus sanctificans eos: tum quia sanctitatem quærit & diligit, ideo dicit: Sancti estote, quia sanctus sum ego. Et Paulus: Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestra. Non sine causa aũt orat, ut seruet eos, immo summe necessarium erat. Est enim sensus. Serua eos in bono, ne deficiant: serua eos à malo, ne in tentationes incidant: serua eos etiam si ceciderint, ne desperent, supponendo manum tuam ne collidantur, sed citius resurgant. Nihil horum possumus sine Deo. Addit autem, In nomine tuo, hoc est, in uirtutute nominis tui. Nomen autem Dei est uerbum, potentia, misericordia. Vt enim unaquæq; res cognoscitur nomine suo, sic Deus cognoscitur suo uerbo, sua potentia, sua misericordia, &c. Hinc est quod frequenter orat Dauid: Deus in nomine tuo saluum me fac, & propter nomen tuum, &c. Cæterum, quod nos legimus, Serua in nomine tuo quos dedisti mihi: Cyrillus legit, Serua in nomine tuo quod dedisti mihi. Vere enim Christo datum est nomen Dei, potentia, scilicet misericordia, &c. Ipse enim factus est nobis à Deo, iustitia, sapientia, redemptio, etc. Igitur Iesus Christus est illud nomen Dei, per quod credentes saluantur. Hinc Petrus ait: Hic est lapis, qui reiectus est à uobis ædificantibus, &c. Nec est in alio aliquo salus. Non enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, &c. Ezech. 20. Leuit. 11. 1. Thes. 4. Psal. 36. Psal. 53. 1. Cor. 1 Act. 4.

Vt sint unum sicut & nos]

Supra præcepit dilectionem: Hoc (inquit) est præceptum meum, nunc pro eadem orat, nec mirum, impossibile enim est uiribus humanis tantam præstare dilectionem. Rogat autem ut unum sint. Primo in doctrina, id quod plurimum refert. Nam dissensio opinionum, abrogat doctrinæ fidem. Secundo, ut unum sint in dilectione & concordia mutua, quæ sola eos reddit inuictos. Frater enim qui adiuuatur à fratre, tanquam ciuitas firma. Vel rogatur Ioan. 15. Pro. 18.

unum sint, hoc est, sine permutatione perdurent. Hoc enim est unum esse, semper idem esse, nunquam deficere aut ad alia deflecti. Sic Deus unus est, quia semper idem subsistit. Ad hanc unitatem & stabilitatem primum hominem creauerat, sed eam perdidit & cecidit in mutabilitatem maximam, ut nunquam in eodem statu permaneat. Dei autem Filius hoc uel maxime sua morte & oratione quæsiuit, ut ad unum, hoc est, ad æternitatis stabilitatem peruenire possemus, ut deinceps nullis casibus, nullis perturbationibus obnoxij efficiamur. Addit autem: *Sicut & nos*, ut sciamus inter nos summam requiri unitatem, quemadmodum inter ipsum & Patrem summa unitas est. Vnus est enim Patris & Filij spiritus, unus animus, una mens, unum uelle & nolle, nec ab inuicem separari possunt. Vt igitur supra summam nobis dilectionem suo exemplo iniunxit, sic hic summam unitatem precatur nobis.

Iob.14.

Cum essem cum eis, ego seruabam eos]

Verissima sentẽtia, nihil enim non egit, quo illos in officio contineret, &c. docuit, fouit, &c. Merito igit̃ comparat se gallinę pullos suos sub alas conuocanti, itemq; pastori bono. Cęterum q̃ dicit, se eos seruasse, ostendit se esse eiusdẽ uirtutis cum Patre. Addit aũt: In nomine tuo, ut ostendat eos non carnali præsentia sua, sed Deitatis uirtute seruatos hactenus, & deinceps seruandos. Iam si Christus suos seruauit, antequam introgressus esset in regnum Patris, quanto magis nunc custodire nos potest? Nunc enim propius adest nobis salus, q̃ tunc, cum tantũ credebamus. Et si cũ adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est, multo magis nunc iustificati sanguine eius, seruabimur per eum ab ira. Obserua quòd Christus nunc quidem uidetur Apostolos relinquere, sed interim tradit eos in manus Patris. Sic in afflictione uidetur nos relinquere, uerum ex hoc loco discamus nos non derelictos, sed in manus Patris traditos & commendatos. Qui autem Deo per Filium est commendatus, quomodo potest perire? ut maxime ab omnibus creaturis uideatur derelictus.

Matth.23.
Ioan.10.
Rom.13.
Rom.5.

Quos dedisti mihi, ego custodiui]

Iterum repetit, & addit: *Quos dedisti mihi*, ne quis obijciat, quod supra multi discipulorum eius dicuntur ab eo defecisse, hi enim non ipsi dati erant nec electi. Vnde ibidem dicit: Nemo uenit ad me, nisi Pater traxerit eum. Deinde ideo repetit, ut doceat etiam nos curam q̃ diligentissime agere eorũ, qui nobis à Deo cõmendati sunt.

Ioan.6.

Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis]

Vere filius perditionis, quia & sua culpa periit, & perditionem amauit. Dilexit (inquit) maledictionem, & uenier ei: Noluit benedictionem,

dictionem, & elongabitur ab eo. Atqui etiam eius pernicies alijs profuit. Primo enim hinc discitur ueritas scripturæ, quæ hoc prædixit. Vnde subdit: Vt impleretur scriptura. Secundo, quia per hoc procurata est salus mundi. Tertio per hoc admonemur, ut in eo persistamus quod cœpimus, ne quod gratuita Dei bonitate collatū est ad consequendam æternam salutem, ipsi nobis nostra culpa uertamus in exitium æternum.

Nunc autem ad te uenio, & hæc loquor in mundo]

Hoc uerbo indicat, cur tam longam orationem orauerit. Non (inquit) mei causa hæc feci, certus enim sum de mea glorificatione. Nec ideo, quòd dubitem de uoluntate Patris: Ipse enim Pater amat uos. Nec ideo, quòd Pater adeo durus & inexorabilis sit, sed propter uos, ut gaudium meum in uobis sit. Externum gaudium nullum habebitis, ideo omnibus modis hoc ago, ut meum, hoc est, internum gaudium habeatis. Quid enim magis nos exhilarare potest, quàm scire, quòd Christus pro nobis orauit, Deo nos commendauit, & in manus Patris obtulit, quòd Deo Patri curæ sumus & in eius auxilio, &c. Potest etiam sic intelligi uerbum hoc: Hæc loquor in mundo, ideo oro ut impetrem ipsis spiritum, qui perfecte eos consolabitur. Vel sic, Vt gaudium meum, &c. hoc est, ut me cognoscant, non solum hominem, sed etiam Deum, & ex consequenti non tantum præsentem posse seruare, sed etiam cum uideor absens, quod uel solum hominem exhilarare posset.

Ego dedi eis sermonem tuum]

Alias adfert causas, quibus ostendit iure se pro ipsis orare, ipsos etiam auxilio diuino dignos esse. Primo (inquit) dedi eis sermonem tuum, prædicaui Euangelium & uoluntatem tuam, ostendi eis uiam uiuendi: dignum est, ut & gratiā accipiant, qua sequi possint. Secundo sermonem tuum eorum cordibus indidi & inscripsi, ut præ omnibus alijs rebus ipsis dulcescat: dignum igitur, ut gratiam præstes, qua possint perseuerare. Tertio dedi eis sermonem tuum etiam alijs prædicandum, ad quod opus habent fortitudine: Merito igitur pro ipsis rogo, nec immerito tu eos gratia tua donas.

Et mundus eos odio habet]

Secūda causa, Non solum (inquit) in mundo diutius coguntˆ permanere inter malos, in multis aduersis, longe à patria sua exules, sed insuper in mundo ne dum nullum præsidium sunt habituri, uerumetiam persecutionem passuri: Dignum est igitur, ut à te consolentur. Tibi enim derelictus est pauper, &c. Æquum (inquam) est, ut qui à mundi partibus desciuerunt ad nos, secp totos nobis crediderunt, curæ sint tibi, quo mundus intelligat tutiores esse, qui se nostris tradunt præsidijs, quàm qui nituntur auxilijs mundi. Simplex illorum erga nos fiducia meretur cœlestem fauorem, & odium in eos mundi Psal. 9.

noſtra cauſa exortũ, prouocat noſtram erga illos beneuolentiam.

Quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum, &c.]

Non (inquit) ideo inuiſi ſunt mundo, quòd fures ſint aut homicidæ, aut raptores uel impoſtores, ſed primo quòd immunes ſunt à uitijs huius mũdi, ambitiõe, auaritia, turpitudine, etc. quibus paſsim laborat mundus. Deinde odit eos, quòd ſpreta doctrina Phariſaica, ſpreta ſtulta philoſophia mundi, ſimplici credulitate pareant meis decretis. Præterea non ſunt de mundo, quia mundo contraria docent. Ibi enim impietatem eſſe prædicant, ubi mundus iuſtitiam ponit, & ibi peccatum faciunt, ubi mundus putat ſe innocentem. Summa, ideo odit eos mundus, quia hæreditarium eis poſt me reliqui prædicandæ ueritatis officium. Veritas autem, etiam Ethnico teſte, odium parit. Si non loquerentur quæ mundo non
Pſal. 68. placent, non occiderentur, nec in mundo preſſuram haberent. Ob eam enim cauſam etiam ego extraneus factus ſum fratribus meis, &c. quia non loquor placentia. Addit autem, *Sicut ego non ſum de*
Gal. 6. *mundo*, tum ad conſolationem eorum, ne graue ipſis uideretur odium mundi: tum ad doctrinã, ut exemplo illius diſcerent mundo eſſe diſſimiles, quẽ admodũ Paulus, qui ait: Per ipſum mihi mundus cru
1. Cor. 4. cifixus eſt. Et in alio loco: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.

Non rogo ut tollas eos de mundo]

Non rogo, ut confeſtim eos tollas ex hoc ſæculo, ſicut Enoch et Heliam. Hoc enim non expedit mundo. Si enim iam de mundo tollerentur; quo uehiculo, quibuſue curribus, quoue equitatu exiret in
Pſal. 18. omnem terram & in fines orbis terræ ſermo tuus, aſſignare mihi po
Pſal. 2. ſtulanti datas à te gentes in hæreditatem meam. Iſti enim ſunt ſoli reſidui equi tui & quadrigæ tuæ, de quibus dicitur: Qui aſcendis
Abac. 3. ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio. Hinc etiam Paulus
Phil. 1. ait: Cupio quidem diſſolui & eſſe cum Chriſto, ſed propter uos neceſſariũ mihi eſt manere in carne. Immo nec ipſis Apoſtolis tunc expediebat tolli è mundo hoc, erant enim adhuc imperfecti, nec adhuc curſum miniſterij ſui abſoluerant. Non uult Chriſtus ſanctos tolli, antequam uirtute pietatis effulſerint, & multos exemplo & uerbo ſuo ad pietatem reduxerint. Hinc Dauid orabat: Ne reuoces me in
Pſal. 101 dimidio dierum meorum, &c. Per mundum, hoc loco poſſumus etiã intelligere calamitates et afflictiones, quarẽ mundus plenus eſt: Non q̃ mundus ſic conditus ſit, ut non niſi calamitatẽ producat, ſed q̃ Adam peccato ſuo in terrarum orbem tota plauſtra calamitatũ in uexit. Sic enim ei dictum eſt: In laboribus comedes ex terra fru-
Gen. 3. ctus, &c. Vbicunq; enim peccatum fuerit, neceſſe eſt, ut calamitates ſequantur, ut patet Deut. 28.

Orat igitur Chriſtus, non ut calamitates, afflictiones, & mors, à no-

à nobis auferantur, sed ut maneant. Est enim crux schola pietatis. Non (inquit) rogo, ut tollas eos de mundo, Sed quid?

Sed ut serues eos à malo]

Supra in generali dixit: Serua eos in nomine tuo, hic specialiter dicit à quibus nos seruari uelit. A malo (inquit) non corporis, sed animę, hoc est, à peccato, impietate, infidelitate, defectiõe à fide, etc. Hæc enim uera mala sunt, creaturę enim rationali nihil præter peccatum nocere potest. Afflictio externa mala non est, si non adsit peccatum: Peccatum autem qui sentit, hic uere male habet, etiamsi externe omnia prospere succedant. Rogat igitur Christus, ut in malis non succumbant, ut peccatum non dominetur ipsis, & non intrent in tentationẽ, item ut probentur, non perdantur. Fidelis enim Deus, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, &c. Cæterum, quod hic Christus petit à Patre, hoc & nos petere iussit in oratione Dominica, ubi dicimus: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Potest etiã per malum intelligi, spiritus malignus. 1. Cor. 10. Matth. 6.

Non sunt de mundo, sicut ego non sum, &c.]

Repetit quod supra quoq; dixerat. Primo, ut sciamus pro quibus oret Christus, nempe non pro his, qui mundanis uoluptatibus dediti sunt, sed pro his, qui animo, uoluntate & uita è mundo exierunt. Secundo, ut ostendat eis opus esse multo subsidio, quasi diceret. Nihil habent commune cum terra cœlorum facti cives, quia igitur mundus ut alienos eos reputabit, tu ut cœli ciues ad iuua. Tertio hoc dicit, ut magis odiant, uel potius fugiãt mundum.

Sanctifica eos in ueritate]

Duę sunt partes iustitiæ: Declinare à malo, & facere bonum. Pro utroq; orat Christus. Primo, ut declinent à malo, cum dicit: Serua eos à malo. Secundo, ut faciant bonum, cum dicit: *Sanctifica eos*, Ne quis putet satis esse à malis cessare. Cæterum sanctificare, interdum est emundare, ut cum dicitur: Sanctifica populum, &c. Interdum est abusu prophano in cultum diuinũ aliquid separare, ut cum dicitur: Sanctifica mihi omne primo genitum. Interdum est sanctitatem conferre, ut cum dicitur: Ego Dominus sanctifico uos. Petit igitur Christus primo, ut eos sanctificet & emũdet à reliquijs peccatorum. Nec obstat, quòd supra dixit: Iam uos mundi estis, &c. Nam etiam qui loti sunt, opus habent, ut subinde pedes lauent: Et Pater etiam fructuosos palmites subinde purgat, ut uberiorem fructum afferant. Deinde petit Christus, ut eos sanctificet, hoc est, separet ab huius mundi malis moribus, ut sint uasa & instrumẽta sancta Dei, soli gloriæ Dei promouendæ accommodata. Psalm. 33. Isa 1. Exo. 19. Exo 13. Exo. 31. Ioan. 15. Ioan. 13. Ioan. 15.

Tertio petit, ut per spiritum sanctum sanitatẽ cordis & corporis ipsis infundat. Ideo addit: *In ueritate*, hoc est, ut non in specie & apparentia

parentia tantum coram mundo ſancti ſint, ſed in ueritate et re ipſa coram Deo. Vel in ueritate, hoc eſt, non in figura & umbra, ſicut in lege & ſub lege fuit. Vel in ueritate uitę, iuſtitię & doctrinę. Vel aliter: *Sanctifica eos in ueritate*, hoc eſt, cõfirma & eos in ueritate dogmatum. Vel ſepara eos in uerbum & prędicationẽ, & fac eos ſacrificium, quod ueritati tuę miniſtret, huic ſuam uitã conſecrent, pro ueritate ſe ſacrificent. Simpliciſsime autem intelligitur: *Sanctifica eos in ueritate*, hoc eſt, in uerbo tuo, quod eſt ueritas. In ueteri Teſtamẽto ſanctificabatur populus per aſperſionem ſanguinis uituli: Atqui hęc non erat uera ſanctificatio. Impoſsibile eſt enim ſanguine uitulorum auferri peccata. Vera aũt ſanctificatio fit per aſperſionẽ ſanguinis Chriſti: Sanguine eñ Chriſti lauamur à peccatis noſtris. Hæc aũt aſperſio ſanguinis Chriſti, non fit per hyſſopum, ſed per uerbũ et Sacramẽta uerbo annexa. Sic cum audis quod Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt, uel quod dicit: Animam meã pono pro ouibus meis, &c. & credis iam anima tua ſanguine Chriſti conſpergit et mundatur. Idem fit, cum Sacramenta per fidem & in fide ſuſcipis.

Exo. 24. Heb. 9. Apo. 1. Ioan. 10.

Sermo tuus ueritas eſt]

Pſal. 118. Veriſsima ſententia. Vnde Dauid: Principium uerborũ tuorum ueritas. Mundi ſapientia plurimũ habet falſitatis admixtũ. Moſaica lex rerum umbris eſt inuoluta, ſed tuus (inquit) ſermo quem ego docui, eſt pura ueritas, non habet fucos, non habet umbrarũ fumos. Sola igitur doctrina mea ſimplex & omnibus obuia, ſi modo acceſſerit credulitas, ſufficiet ad ęternam fœlicitatẽ. Sermo igitur tuus ueritas eſt, hoc eſt, uerę ſanctificatiõis cauſa & inſtrumentũ. Vide igitur, ubi ſanctitatem quęrere debeas, &c.

Sicut miſiſti me in mundum, ſic miſi eos]

Etiam hoc uerbo oſtendit Apoſtolos dignos eſſe ſpirituali Dei auxilio. Idem (inquit) officiũ eis impoſui, quod tu mihi, qui igitur onus imponit, ſubminiſtret & uires. Miſit autem Pater Chriſtum ex charitate et miſericordia: Eadem cauſa & Chriſtus Apoſtolos miſit. Miſſus eſt Chriſtus, ſine ullis humanis præſidijs: Filius (inquit) hominis non habet ubi caput ſuum reclinet. Sic miſit & Apoſtolos, Matth. 10. Luc. 10. Miſſus eſt Chriſtus, ut annunciet Patris uoluntatẽ, ut ſit exemplar uiuũ, & ut crucem ferat. Ita & Apoſtoli mittunt, non ut humana cõmenta doceant, ſed Euangelion: non ut pro libidine ſua uiuant, ſed ut lux eorũ luceat eorã hominibus, &c. Non ut ſint mundi huius principes, ſed ut crucẽ una cum Chriſto ferant. Quia autem hoc non eſt uirium humanarum, ideo ſubditur.

Matth. 8. Matth. 5.

Pro eis ſanctifico meipſum]

Trifariam intelligitur. Primo, Pro eis ſanctifico, hoc eſt, ſancta operor: facio, per quę mereor eis gratiam & gloriam. Omnia enim opera ſua & etiam paſsiones, Chriſtus retulit ad profectum noſtrum.

strum. Secundo, sanctifico, hoc est, sanctū me ostendo, & prædico ad ipsorū ædificationem & informationem, ut uidelicet eo citius in me credant, ideo ostendo me esse sanctum sanctorū. Tertio sanctifico, hoc est, sanctū sacrificiū offero meipsum, sicut Paulus dicit: Christus tradidit seipsum pro nobis oblationē, et hostiam Deo in odorē suauitatis. Cęterū, quamuis clarius fuisset, si dixisset, Pro eis sacrifico uel offero meipsum, maluit tamē dicere sanctifico, quo uerbo primo innuit se sordidum fuisse. Dicendo aūt Pro eis, non suis, sed alienis sordibus se sorduisse, clare definit, id quod Isaias patenter exprimit: Omnes nos (inquit) errauimus, &c. Et: Dominus posuit in eo iniquitatem omniū, &c. Igitur, quia propter nos uestibus sordidis indutus erat agnus Dei, qui in se innocentissimus erat, congrue dicit: *Pro eis sanctifico meipsum.* Ephes. 5. Isa. 53. Zach. 3.

Vt & ipsi sanctificati sint in ueritate]

Vide quales Christus uelit habere discipulos, non diuites, aut glorioſos, sed sanctos. Vide quam ob causam Christus seipsum sanctificauerit, hoc est, sancte uixerit, & mortuus sit, Deoq; se obtulerit: non ut nobis ociari aut impie uiuere liceret, sed ut & nos sanctificaremur, nec simpliciter, sed in ueritate. Vult igitur ut & nos simus diuinæ gloriæ instrumenta & uera sacrificia. Huc pertinet quod Paulus ait: Consepulti sumus Christo per mortem, ut quomodo ipse surrexit, &c. Per totum caput. Item: Præbete corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem, &c. Non satis est Christum fuisse sanctum & Deo oblatum. Vide igitur ne te seducas, &c. Rom. 6. Rom. 12.

Non pro his autem rogo tantum, &c.]

Hoc addit, ne quis putaret ad solos Apostolos pertinere quę hactenus dixit. Obserua quod non pro omnibus futuris orat, sed tantum pro credituris. Soli enim credentes orationis eius participes sunt. Deinde generaliter sine exceptione dicit: Pro his, qui credituri sunt, ne quis uideatur excluſus. Non tantum orat pro his, qui ex Iudęis credituri erant, alioqui Gentiles excluderentur. Nec orat tantū pro his, qui Apostolorū exemplo, multos ad Christū adducūt, alioqui excluderentur indocti & idiotę, pueri, &c. Non orat tantum pro his, qui magnas diuitias relinquunt, aut pauperibus distribuūt, alioqui pauperes uiderentur excluſi, &c. Sed simpliciter dicit: Pro his qui credituri sunt. Credere aūt possunt & pauperes & diuites, & docti & indocti, & serui & liberi, & uiri & mulieres, et senes & pueri. Nullos igitur excludit, nisi qui seipsos excludunt. Signanter autem addit: Qui credituri sunt in me. Non em̄ quęlibet fides sufficit, nisi in Christum credatur. Nec simpliciter dicit, Qui per uos credūt, alioqui uideretur de his solis loqui, quos Apostoli uiua uoce conuerterunt. Sed dicit: Qui per uerbum eorū credituri sunt, ut etiā nos & posteri nostri includantur. Æqualiter enim est ei cura de omnibus. Sapien. 6.

Hic

Hic igitur uides impletum, quod in Psalmo prædictum est: Memor ero Raab & Babylonis scientiũ me, &c. Vere eñ sicut tunc promiserat, sic nunc in passione sua Dominus memor fuit Raab & Babylonis, hoc est, latitudinis & confusionis, id est, latius diffusæ & nimium confusæ gentilitatis. Deinde in illa memoria eius etiam fuimus nos alienigenæ, alieni scilicet à Testamento Patrum. Nos Tyrus, hoc est, angustiati in carcere & tenebris peccatorũ. Nos denique populus Æthiopum præ nimia nigredine uitiorum uel tenebris ignorantiæ, &c. Ex hoc igitur loco, confirmandæ sunt conscientiæ nostræ aduersus omnia mala, hic enim certificamur de bona erga nos Dei uoluntate. Orante enim Christo, Pater exaudit: Exaudiente Patre, quid reliquum est, nisi gratia & fauor? Quemadmodum igitur si quis ab amicissimo parente uerbum audiat etiamnum iræ plenum, non mox despondet animum, quòd certo sciat amicam patris uoluntatem sub inimico uerbo: sic & nobis faciendum si affligimur, &c. Deinde ex hoc loco discimus, quantum Christo debeamus, qui pro nobis nondum natis iam orauit. Videmus item, quantum nobis pro salute nostra aduigilandum sit, pro quibus sic sollicitus est Christus. Consolatur hoc uerbo etiam Apostolos, dum palam indicat non defuturos, qui per uerbum ipsorum crediturí sint, ipsosq; fore plurimorum fidei & salutis autores.

Psalm. 86.

Vt unum sint, sicut tu Pater in me, &c.]

Non sine causa in ultimo sermone & charitatem præcepit, & pro unitate fidelium orauit. Præuidebat enim Ecclesiam summe profecturam ex unitate & charitate: Eandem autem uel maxime defecturam ex discordia, ideo primum orauit, ut Apostoli unum sint, uno scilicet spiritu, & concorditer doceant. Non satis autem est hæc unitas Apostolorum, nisi & alij quoq; uniantur, ideo nunc uult, ut omnes unum sint. Primo, ut non sit amplius distinctio inter Iudæos & Gentes, sed ut ex duobus populis fiat unus populus, una Ecclesia. Hocem agebat Christus, ut duos populos in se uniret, pariete inimicitiarum, lege scilicet, sublato, &c. Secundo orat, ut unum sint in spiritu, fide & pietatis studio. Tertio, ut unum sint in charitate ac mutuo sibi cohæreant, hoc enim fortes & inuictos reddit credentes: Frater (inquit) qui adiuuatur à fratre tunquam ciuitas firma. Quarto, ut sint unum corpus, ac omnia Dei dona, quę singuli habent, ad aliorum commodum & salutem impendant, id quod faciunt membra corporis, &c. Quid autem pulchrius esset Ecclesia, si hanc haberet unitatem?

Ephes. 2.

Pro. 18.

1. Cor. 12.

Sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis, &c.]

Sicut nulla maior charitas esse potest, quàm ea quam Christus ostendit, sic nulla maior unitas, quàm inter Filium & Patrem. Sicut igitur

igitur ſupra ſuo exemplo docuit ſummam charitatem, ſic hic exigit ſummam unitatem. Signanter aũt addit: *Vt in nobis unum ſint.* Non enim quælibet unitas Deo placet, ſed ea tantum, quæ ex Deo & in Deo eſt, & in Deum dirigitur. Deinde dicendo: *Vt in nobis unum ſint,* uult ut non ſolum inter nos charitate uniamur, ſed etiam ut ipſi & Deo copulemur, nempe ut & inter nos & cum Deo unum ſimus. Hæc enim fortiſsima eſt colligatio, ubi Deus in Chriſto eſt, Chriſtus in nobis, noſq; mutuo cohęremus. Deus Pater radix eſt, Chriſtus ſtipes eſt, Spiritus ſanctus eſt ſuccus, nos rami, opera noſtra fructus ſunt. Hunc ordinem, hanc unitatem & colligationem quærit Chriſtus, nec ſolum eam habere cupit, ſed & media præſtitit, quibus hoc fieri poteſt. Vt enim cum ipſo uniamur, accepit a nobis naturam noſtram, econtra dedit nobis corpus & ſanguinem ſuum. Vt autem etiam cum Deo uniamur, dedit nobis Spiritum ſanctum. Hic igitur uides, quid ſit Chriſtianiſmus, unum ſcilicet eſſe cum Deo per fidem, unum item cum proximo per charitatem, & hoc eſt ſanctificari in ueritate.

Vt credat mundus, quia tu me miſiſti.]

Hoc eſt, ut etiam coram mundo manifeſtum fiat, me diuina authoritate in hũc mundum miſſum eſſe. Hoc aũt tum primũ impleri cœptum eſt, quando Spiritu ſancto miſſo, factũ eſt cor credentium unum, & anima una, quæ res etiam coram mundo ſtupenda erat, ut Act. 4.
& procul dubio etiam impĳ exclamare coacti ſint. Digitus Dei eſt, Exod. 8.
& hæc mutatio dexterę excelſi, &c. Alioqui natura omnes auari ſumus, & noſtra tantum quærimus. Pſal. 76.

Et ego claritatem, quam dediſti mihi dedi eis.]

Quicquid, inquit, clarum, glorioſum & bonum in me habeo, ipſis communicaui. Primo claritatem ſapientiæ ueræ. Dedi enim eis uerbum tuum, quod uera claritas & lux eſt, qua Deus cognoſcitur: Dedi eis Euangelium, quod eſt gloria & potentia Dei ad ſalutem. Nam ſi miniſtratio condemnationis fuit in gloria, quanto magis miniſtratio iuſtitiæ erit in gloria. Rom. 1. 2. Cor. 3.
Secundo claritatem poteſtatis. luxta illud: Ecce dedi uobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, &c. Et iterum: Signa eos qui crediderint hæc ſequentur, &c. Et iterum: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Tertio claritatem filiorum Dei, ut ſicut ego per naturam Filius Dei ſum & uocor, ſic illi per adoptionem filĳ Dei nominentur & ſint. Quarto claritatem unionis. Sicut enim humanitati Chriſti datum eſt unum eſſe cum Deo, ſic & nobis datum eſt uniri Deo. Quinto dedi eis claritatem meam, hoc eſt, omnia bona mea, omnes titulos meos, ut etiam ipſi ſint reges & ſacerdotes. Sexto claritatem immortalitatis dedi Lucæ 10. Mar. 16. Ioan. 14. 1. Ioan. 3.

eis iam in ſpe & promiſsione, daturus ſuo tempore & re ipſa. Vides ex hoc uerbo, quantum debeamus Chriſto, quantum nos dilexerit. Omnia autem iam dicta nobis in hunc finem dedit, ut ſimus unum, nec ſimpliciter, ſed ſicut Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, hoc eſt, perpetuo & indiſſolubiliter unum ſimus.

Ego in eis, & tu in me, &c.]

Chriſtus eſt nexus illius noſtræ cum Deo unionis. In ipſo enim quaſi in mediatore coniuncta ſunt terrena cœleſtibus, quæ alioqui nunquam coniungi potuiſſent. Addit autem: Vt ſint conſummati in unum, quod primo ſic intelligitur, ut ſint directi in unum finem ad futuram, ſeu ad ſtabilem æternitatem. Secundo intelligitur ſic: Vt ſint conſummati, hoc eſt, perfecti in unitate. Quemadmodum enim in lege oportebat hoſtias immolandas eſſe integras,
Leuit.22. non morbidas, nõ uitioſas, &c. Ita & ſanctos oportet eſſe integros, non claudicare in duas partes, partim Baal, partim Deo ſeruire, ſed ſoli Deo adhærere, &c. Tertio intelligitur ſic: Vt ſint conſummati in unum, hoc eſt, in unitate ſubinde creſcant & proficiant.
Eph.4. Hinc Paulus: Creſcamus in illo per omnia, &c.

Et cognoſcat mundus, quod me miſiſti, &c.]

Hæc enim duo mundus ignorat. Primo, quod Deus Chriſtum miſerit, alioqui non ſic eum uerbumq; eius contemneret. Secundo, quod Deus diligat pios homines, quemadmodum propriũ Filium diligit: Hoc (inquam) neſcit mundus, alioqui non tam male tractaret pios. Atqui utrunq; ex unitate & concordia fidelium cognoſci poſſet. Dilexit autem Pater Chriſtũ ab æterno, & in eum finem, ut glorificaretur. Denicq; dilexit ut Filium. His tribus modis etiam nos dilexit & diligit.

Pater uolo, ut quos dediſti mihi, ſint ubi ego ſum]

Nedum rogat ut ſeruemur à malo, ſanctificemur, & unum ſimus, ſed uult, ut etiam perpetuo cum ipſo ſimus. Vide autem Emphaſim uerborum, primo ſæpius in ſua oratione nomen Patris repetit, nec mirum, eſt enim dulce ad nominandum, dat fiduciam impetrandi, denicq; & deuotionem accendit. Deinde non dicit hic, Rogo, ſed Volo, quaſi poteſtatem habens, ut oſtenderet ſe non ſolum hominem eſſe, cui oratione opus ſit, ſed etiam Deum eſſe, qui quod petitur, dare poteſt. Repetit & illud: *Quos dediſti mihi*, ut fortius imprimat ſolos illos bonorum Chriſti participes, qui ipſi per fidem adhærent. Volo (inquit) ut mecũ ſint in patria, in regno, in conſolatione, in lætitia, in gloria, qui mecum fuerunt in uia, in exilio, in tribulatione, in triſtitia, in ignominia. Iuſtum enim eſt, ut quos ſocios habuit in uita, ſimiles in pœna, conformes in moribus, fide ſtabiles,

operibus

operibus fidei efficaces, spe gaudentes, charitate feruẽtes, &c. etiam secum habeat in æternitate. In generali autem dicit, Vt ubi ego sum, &c. ne putemus pios solum in cœlo cum Christo futuros. Vbiq; enim cum ipsis est, siue in morte siue in uita. Vnde Dauid: Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et Paulus: Siue uiuimus, siue morimur, Dñi sumus. Psalm. 22. Rom. 14.

Vt uideant claritatem meam, &c.]

Hoc addit, ut sciant eum postea non in uili habitu apparituru, sed in gloria. Non tamen dicit, ut habeant claritatem meam, sed ut uideant, ne putentur credentes omnino similes Christo futuros, id quod est impossibile. Nec simpliciter dicit: *Vt uideant claritatem meam*, hoc est, meæ humanitatis, hanc enim & impij uidebunt. Vnde Christus: Videbunt filium hominis uenientem cum potestate in nubibus cœli. Et Ioannes: Videbit eum omnis caro, etiam qui eum pupugerunt. Ideo Christus addit, quia dilexisti me, &c. quod soli uidere merebuntur oculi beati iustorum. Formam quippe Dei, in qua Patri dilectus erat ante constitutionem mundi, soli uidebunt pauperes spiritu, mites, lugentes, &c. Vnde & in cœlis regnabunt, & terram uiuentium possidebunt, & consolabuntur, &c. Itaq; dixisse: *Vt uideant claritatem meam*, satis est ad indicium futuræ beatitudinis. Videre nanq; est habere, immo uisio claritatis æternæ, est claritudo uidentium, & efficiens claritatis eorum causa. Vnde & Ioannes, cum dixisset: Similes ei erimus, statim causam efficientem subiungit, quoniam uidebimus eum sicuti est. Lucę 21. Apo. 1. Matth. 5. 1. Ioan. 3.

Pater iuste mundus te non cognouit]

Pulchre Christus in sua oratione obseruauit quatuor illa, quæ Paulus obseruari uult & fieri in Ecclesia, uidelicet obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Primo enim obsecrationem præmisit, dicens: Pater uenit hora, clarifica, &c. in quibus uerbis quasi beneuolentiam Patris ambiuit. Ab eo autem loco, ubi dicit: Ego pro eis rogo, &c. oratio, hoc est, uerba supplicantia sunt, sed nondum explicantia, quid uelit aut quo tendat. At uero cũ ait: Pater sancte serua eos, &c. postulatio est. Hic autem cum dicit: Pater iuste, &c. gratiarum actio est, qua iustitiam Patris ac misericordiam commendat & collaudat. Iuste enim factum est, ut creatorem suum mundus ob culpam superbiæ cæcatus, non agnosceret: Misericorditer uero indultum, ut lumen oculorũ suorum, scilicet Dei Filium in humilitate suscipientes, ad uisionem claritatis Dei perducerentur. Dicendo igitur: Pater iuste, quasi idem est cum eo, quod alibi dixit: Confiteor tibi Pater, quod abscondisti hæc à sapientibus, &c. Obserua quod supra petiturus discipulorum sanctificatio- 1. Thim. 2. Matth. 11.

tionem, præmisit: Pater sancte. Hic autem iudiciorum Dei nos admonens, præmisit: Pater iuste. Deus enim pijs sanctus est, im-
Psalm. 17. pijs iustus. Cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris, ait Dauid. Per hoc autem quod Patrem iustum nominat, præmonuit, ne temere iudicia Dei reprehendamus, sed certo persuadeamus nobis, eum in omnibus iustissime agere. Mundus te non cognouit, uerissima sententia. Primo enim cognoscere noluit, cum potuisset ex his quæ Christus fecit & docuit, immo & ex cre-
Rom. 1. aturis. Secundo, quia etsi Deum esse cognouit, tamen non sa-
Ibidem. lutari cognitione cognouit, quia non sicut Deum glorificauit. Tertio nec Patrem nec iustum esse Deum cognouit, hoc est, nec ipsius bonitatem amplectitur, nec iudicium timet. Digna igitur retributione cæcatus est mundus, ut eius perderet cognitionem, cuius non recepit dilectionem, eiusq; amitteret auxilium, cuius spreuit consilium.

Ego autem noui te, & hi cognouerunt, &c.]

Matth. 11. Nemo enim nouit Patrem nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare. Laus autem & commendatio Apostolorum est, quod subdit: *Et hi cognouerunt.* Per hoc enim eos longe separat à mundo. Ne quis autem putet discipulos æqualiter cognoscere ut Christus, addidit: Ego notum eis feci nomen tuum. Vt autem sciamus sine Spiritu sancto nunquam perfecte cognosci Deum, addit: Et notum faciam, per Spiritum sanctum scilicet. Dupliciter enim manifestatur Deus. Primo per uerbū, Secundo per Spiritū sanctum.

Vt dilectio, qua dilexisti me, in eis sit, &c.]

Dilectio, qua Pater diligit filium, est Spiritus sanctus. Vel per dilectionem (more Hebraico) bona è dilectione collata intelligit. In hunc finem Christus omnia & fecit & docuit, orauit & passus est, ut Spiritum sanctum omniaq; Dei bona acciperemus. Addit in fine: Et ego in eis. Ne dum enim bona sua, sed & seipsum nobis communicauit. Hæc igitur summus ille Sacerdos noster pro nobis orauit, & uultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Non enim cessantibus uerbis, ualidus eius clamor cessauit, sed quod nunc uerbis orat, hoc deinceps ipsa passione clamabit. Cæterum orando exemplum nobis dedit, ut tempore tentationis è cœlo auxilium quæramus, & potissimum spiritualia quæramus. Quod pro hominibus orauit, consolatio est: Quod autem non pro mundo, terrere nos debet, ne & nos adhuc in mundo simus aut permaneamus.

CAPVT

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Hactenus concio Christi in ultima cœna habita est, qua Christus seipsum totum, quantus quantus est, exposuit, declarauit, manifestauit, ut certo scire-mus, quantum bonorum in se contineat, idq; sub cruce. Nam frustraneus est nobis thesaurus, qui non manifeste nobis aperitur. Ita nihil prodesset Christus, si non bona sua uerbo Euangelij declarasset. Externe enim uideri non possunt propter humilitatem crucis, quæ uisum impedit. Opus igi-tur erat uerbo manifestante. Hinc est, quod nūc se dixit Patri æqua-lem, nunc uitem ueram, nunc amicum, nunc uiam, ueritatem, uitam: nimirum, ut sub his nominibus ostendat, quantum bonorum in se contineat. Finita igitur concione & oratione Christi, nunc ad pas-sionem eius describendam accedit Euangelista.

Hæc cum dixisset Iesus]

Hactenus (inquit) uerbo doctrinæ & orationis sacerdotem ægit, nunc ipso quoq; sacrificio se sacerdotem uerum ostendet. Congrue aūt ad memoriam reuocat, quæ Christus in ultima cœna dixerit. Illic enim mysticum illum summi sacerdotis ornatū pulchre expressit. Deorsum (inquit Dominus ad Moysen) ad oram tunicæ Exod. 28. summi sacerdotis, facies quasi mala punica & tintinnabula aurea, &c. Et uestietur ea Aarō in officio ministerij sui, &c. Fines tunicę sa-cerdotalis, extrema tempora sunt uitæ Domini nostri Iesu Christi: Mala punica sunt ignea charitatis eius opera, quæ in ultima cœna ostēdit. Tintinnabula autem sunt clarissima dilectionis eius uerba, quibus in prædicta cœna discipulos instituit, & deinceps Patrē pro ipsis orauit. Ita mixtis tintinnabulis doctrinę, et operę eius malis pu-nicis, nihil uisu pulchrius, nihil auditu dulcius, nihil experimento de-lectabilius est. Igitur, quia iam & pulchritudinē malorū punicorę ui-dimus, & sonitū tintinnabulorę clare personantiū nouissime audiui-mus, deinceps qualiter in sacerdotali suo officio ingressus uultui Dei Heb. 9. pro nobis astiterit, quoq; ordine semetipsum obtulerit, attēdamus.

Egressus est cum discipulis suis]

Quod sæpe hactenus testatus est uerbo, nempe se pro nobis passurum: hoc nunc opere exequitur, sponte egrediens ad locum proditori non ignotum, & captioni congruum. Egressus igitur est infœlicem illam Hierusalem Christus, lux mundi, & in fine diei, fi-nis ipse factus lucis misero illo populo, tenebrasq; eis reliquit lux

abiens & noctem ſempiternam. Sicq; impleuit, quod dudum per
Hier. 12. Hieremiā prędixerat: Reliqui domū meam, dimiſi hęreditatē meam,
Matth. 23. Item per ſeipſum: Relinquetur uobis domus ueſtra deſerta. Hic n. egreſſus Chriſti, præfigurabat deſolationē templi & ciuitatis. Tempus enim erat, ut abolito carnali illo cultu, inſtitueretur uerus cultus
Ioan. 4. Dei, qui conſiſtit in ſpiritu & ueritate. Iamdudum aūt impietas Iudęorū meruerat, ut à Deo relinquerētur. Quod igitur ſępe commi-nando prædixerat, hoc nunc re ipſa in ſuo illo egreſſu oſtendit. Et quanquam ipſi tunc nihil curarent præſentiam Chriſti, nec aliquod damnum propter ipſius egreſſum timebant, immo omnibus uotis cupiebant, ut quàm primum à conſpectu ipſorum quoquo modo tolleretur: Paulo tamen poſt ſenſerunt, omnia bona per egreſſum Chriſti ab eis ablata. Vnde & ante captam Hieroſolymam, audita fuit uox in templo, dicens: Migremus hinc, ut Ioſephus teſtatur. Ideo & poſt clamabant, et nemo exaudiebat. Sic mundus minimum damnum æſtimat Chriſtum amittere, ſed poſt aliter ſentiet. Quod autem uno tempore Chriſtus & Apoſtoli egrediuntur, præfiguratio fuit, quod & Deum & Prophetas perdituri eſſent: Miſerrima plane ciuitas, quæ nec Chriſtum, nec Apoſtolos habet.

Congrue autem Chriſtus peracturus ſacrificium ſuum, ſecedit & egreditur, docens nos uitare tumultum tempore orationis. Iuxta
Thren. 3. illud: Sedebit ſolitarius, & tacebit, & leuabit ſe ſupra ſe. Hinc in
Oſee 2. Oſea dicitur: Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius.

Signanter autem Euangeliſta uiam deſcribit huius exitus.

Trans torrentem (inquit) Cedron]

Vallis erat inter Hieruſalem & montem oliuarū, dicta Kidron, & eodem nomine uocabatur fluuius, illic tranſiens. Pulchre autem paſſionis moleſtiam hic torrens adumbrabat. Sicut enim torrens imbribus adauctus, cum impetu tranſit, ſtatim autem aqua defluit & omnino ceſſat. Sic tentatio magno quidem impetu hominem aggreditur, ut parum abſit à ſubmerſione, quemadmodum Dauid
Pſal. 68. clamat: Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ uſq; ad animam meam: Non tamen diu durat. Fidelis enim Deus, qui
1. Cor. 10. non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus. Hunc torrentem
2. Reg. 15. etiam Dauid olim filium ſuum fugiens, in mœrore & triſtitia legitur tranſiiſſe. Hunc & Chriſtus tranſiit, & quidem bis. Primo in perſona ſua. Secundo in membris. Omnino enim per hanc uiam oportet nos ſequi Chriſtum: Nec tamen eſt, quod deſpondeamus animum. Nam etiam in torrente hoc turbido ingentia bona latent.
Gen. 26. Sic Iſaac in torrente fodiens, repperit aquam uiuam. Sic è ualle tor-
Num. 13. rentis exploratores botrum abſciſum in caſtra Iſraēl portant. In
2. Par. 15. hoc ipſo torrente Ezechias combuſsit Idola domus Iudæ. Sic in

torrente

torrente tribulationis inuenitur aqua uiua consolationis, cibus lætificans cor. Tribulatio enim optimos in nobis parit fructus: Denique comburit & incendit, quicquid in nobis est uitiorum, quemadmodum ignis purgat & mundat aurum.

Vbi erat hortus, in quem intrauit ipse & discipuli eius]

Alij Euangelistæ scribunt eum in montem oliuarum secessisse, id quod pulchre quadrat ad exordium passionis. Oleum enim lætitiam significat, iuxta illud: Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, &c. Tunc autem fructuose crucem portas, cum non ex tristitia aut ex necessitate, sed hilari corde teipsum Deo offers. Hilarem enim datorem diligit Deus. Cęterum, quod alij prętermiserant de horto, Ioannes supplet: *In hortum (inquit) intrauit*, ut nimirum in horto inciperet satisfactio, quemadmodum in horto (nempe Paradysi) etiam cœperat peccatum. Cum enim Adam in horto illo sua libertate aut potius licentia abusus, nos captiuos tradiderit Sathanæ, omnibusq; malis (Cui enim malo non expositus est homo?) Admodum conueniens erat, ut Christus sua captiuitate nos in horto à captiuitate liberaret. Confer nūc inter se, quæ in Paradyso primum, & nunc hic facta fuerunt. In horto Paradysi Adam inobediens inuētus est, in hoc horto Christus obediuit usq; ad uincula: Illic Adam libertate captiuitatem meruit, hic Christus libertatem captiuitate uindicauit: Illic sententiam damnationis in hominem pronunciauit Deus, hic eandem sententiam in seipsum misericorditer suscepit, ut uel hinc uideamus, quomodo superexaltet misericordia iudicium, & quod miserationes eius super omnia opera eius. Cæterum, ne quis putet Christum fugiendi & sese occultandi gratia hoc secretum horti petijsse, addit Ioannes:

Matth. 6.

2. Cor. 9.

Gen. 3.

Psal. 144.

Sciebat autem & Iudas locum, &c.]

Magnū adminiculum salutis esse poterat misero illi, scire ubi Iesus esset, & inueniri posset: quid n. aliud petit sponsa? Indica, inquit, mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes, etc. Verū miser ille pessime abusus est hac sciētia in suā ipsius perniciē, tanto nequior cunctis hominibus, quanto serpens callidior erat cunctis animantibus, et ob hoc opportunius fuit Diabolo homicidę satellitium, sicut serpens eidē Diabolo ad decipiendū primū hominē competentius extitit diuersoriū. Sicut n. tunc serpēte usus est diabolus ad occidendum in anima terrenū hominē: Sic nūc isto traditore utebat ad occidendū in corpore hunc hominē cœlestē & nouū. Cæterū, sicut ille serpens propterea, quod diaboli instrumentū fuerat, præ omnibus animātibus maledicitur: Ita hic Iudas ob eandē causam grauissimis maledictionibus obnoxius factus est, quemadmodum supra ostensum est. Nos interim obseruemus, quod Christus frequēter ad hortum hunc cum discipulis suis conuenerit. Solitaria enim loca & si-

Cant. 1.

Gen. 3.

Psal. 108.

lentij officinas, quærere ſolebat Dominus: Maxime, ſiquando myſticum aliquid tradebat. Locus enim quietus ad orandum, & docendum aptus eſt. Vnde diſcimus hic, quod Chriſtus frequenter
Lucæ 18. orauerit, quemadmodum & nobis præcepit: Non tamen propter ſe elegit locum quietum (nihil enim ipſum inquietare poterat) ſed
Matth. 6. ad exemplum noſtrum, quemadmodum & alibi dicit: Cum oraueris, intra in cubiculum tuum, &c. Quod autem non alibi, quàm in horto frequenter cum diſcipulis conuenit, ſignum eſt, quod amat uirorem uirtutū, & gratiæ fideiq; fructum: Illic enim libenter moratur & inuenitur. Secus autem, ubi omnia arida et infrugifera ſunt, qualis erat ſterilis illa ſynagoga, quam & ſub typo ficulneæ infru-
Mar. 11. giferæ maledixit: Nunc̄, inquit, oriatur ex te fructus inæternum.

Iudas autem cum accepiſſet cohortem, &c.]

In Iuda multa ſpectanda ſunt. Ante omnia miſerabilis ipſius caſus, ut qui è diſcipulo factus ſit proditor, è comite Chriſti dux latronum: Et qui modo in eadem menſa cum Chriſto cœnabat, qui ſanctum eius panem manducauerat una cum alijs, qui denique Chriſtum uerbis & factis ad pietatem exhortantē audierat, ab ipſa menſa exiliens, impijs ſe coniunxerit ob exiguum lucrum, non pietatis Chriſti recordatus, totius ſpei oblitus, nullam curam gerens Apoſtolicæ dignitatis, omnibus illis bonis tam paruum ac uile proponens precium. Sic enim auaritia excæcat hominē, facitq; ut omnium præterq; pecuniæ obliuiſcatur. Deinde in Iuda attendendum eſt imperueſtigabile Dei conſilium, quod permiſerit, aut uoluerit hunc, quem tam honorifico munere honeſtauerat, proditoris ſcelere contaminari. Caue uero, Deum in hoc iniuſtum putes. Audi enim Sa-
Sap. 12. pientem: Cum iuſtus, inquit, ſis, omnia iuſte diſponis, &c. Porro
Rom. 9. hoc exemplum ludę, partim iram & potentiam Dei declarat, quemadmodum & Paulus Pharaonem ideo excitatum dicit, ut in eo Deus oſtenderet potentiam ſuam: Partim nos monet, ne efferamur animo, ſed timeamus. Si enim Deus naturalibus ramis non pe-
Rom. 11. 1. Cor. 10. percit, uide ne qua fiat, ut ne tibi parcat, proinde qui ſtat, uideat ne cadat.

Venit illuc cum laternis, facibus, & armis]

Perdita pace conſcientiæ, externis armis & multitudine ſe munit, quod ſignum timoris eſt. Nec ſimpliciter multitudine ſe munit, ſed utraq; poteſtate. Hinc Romanorum, hinc Phariſæorum, his fultus præſidijs, ſperabat ſe ſecurum. Verum ô ſtultum hominem:
Pſal. 145. Nolite (inquit) confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Cæterum, quod Iudas tam facile utranq;, & ſæcularem & ſpiritualem poteſtatem, contra Chriſtum comparauit, indictum eſt, quod utriq; Magiſtratus impij erant, nec ſuo offi-

cio

cio fungebantur. Videmus autem hic, quibus armis impij Babylonis ciues, impugnent ciues Hierusalem, hoc est, pios, nempe non ueritate & iustitia, sed tantum ui & potestate. Item impij cum arguuntur, ui humana se tueri uolunt, quia Deo non confidunt: Multitudine se muniunt, quia putant se minus peccare, si cum multis peccent. Denique etiam in hoc uidemus tam ludę quàm Iudęorum cæcitatem, quod lumen mendicant à lucernis, cum habere possent solem iustitiæ, timent ne in foueam incidant, aut in lapides impingant, & maius periculum animę non timent. Sic impij trepidant timore, ubi non timor: & ubi timere deberent, illic Psal. 13. securi sunt. Cæterum, sicut Iudæi hic gladium iniuste contra Christum euaginauerunt, sic iusto Dei iudicio factum est, ut gladius Psal. 36. eorum intrauerit in cor eorum. Pro una enim cohorte Romana, quam contra Dominum conduxerunt, immensum Romanæ uirtutis exercitū contra eos misit Deus. Et quia cum laternis, facibus & armis exierant ad capiēdum Christum, iusto Dei iudicio lucerna legis & Prophetarum cecidit è manibus eorum, sicut scriptum est: Obscurentur oculi eorum, ne uideant. Psal. 68.

Iesus itaq; sciens omnia quæ uentura, &c.]

Omnia sic facta & scripta sunt, ut manifestissimis argumentis uideamus, Christum prompte & uoluntariū accessisse ad crucem. Si enim uel dolo humano, uel ui in crucē adactus esset, iam constaret, mundum ipso fortiorem & astutiorem esse, atque adeo ipsum non esse Deum. Qualis enim Deus esset, cui mundus præualere posset? Deinde, si inuicto & coacto animo mortem pertulisset, iam non perspicua esset eius dilectio. Quia autem Euangelistæ ubiq; indicāt, eum nec dolis nec ui humana capi potuisse, donec ipse uellet, palam constat, ipsum esse mundo & sapientiorem & potentiorem, clariusq; inde in signis eius charitas apparet: omnia autem ad consolationem nostram. Quemadmodum igitur supra dixit: Sciens, quia uenit hora eius, ut transeat, &c. cū dilexisset, &c. Ioan. 13. Sic uere etiam nunc, quamuis sciret nō aliqua tantū, sed omnia quæ uentura erant super eum, idq; perfectissime sciret, & quod iam præsentibus essent: non tamen retrocessit, non fugit, non se abscondit, sed in finē usq; perseuerauit in dilectione nostri. Vnde & hostibus suis obuiam procedit, solus contra multos, inermis contra armatos, ut omnibus cōstaret, ipsum non timere mortē. Et aliâs quidem aliquoties legitur se abscondisse & fugisse: Hic autem hostibus spon- Ioan. 8. & 11. te occurrit. Iam enim aderat hora eius à Patre præfixa. In utroque autem nobis exemplum dedit. Nam fuga & secessionibus docuit nos, ut non tentemus Deum.

Hac autem sua obuiatione docuit, ut & nos promptos uolun-

tati

tati Dei offeramus, & multa animi libentia ei obsequamur. Sic
Act.9. & Paulus aliquando sponte fugit, in fine tamen etiam fratribus
enixe, & cum multis lachrymis fugam suadentibus, non consensit:
Act.21. Quid facitis, inquit, affligentes cor meum? &c. Hic enim obtulit
se uoluntati Dei, alibi Deum nõ tentauit: utrunq; ex fide. Vtrunq;
enim auxilium Dei postulat. Nam nec imminens periculum possu-
mus effugere, nisi manus Domini defendat, nec possumus nos uo-
luntati Dei resignare, nisi Spiritu Dei ducti. Obseruandum &
Ioan.6. hoc, quod Christus cum ad regnum quæreretur fugit, nec mirum.
Lucæ 19. Qui enim se exaltat, humiliabitur. Regna enim & imperia plæ-
runq; nihil aliud sunt, quàm præcipitia. Econtra autem cum ad cru-
cem quæreretur, obuiam processit. Sciebat enim se per crucem ire
ad Patrem. Discamus igitur & nos spe futuræ fœlicitatis, non hor-
rere præsentia & momentanea mala, nec attendere quid patimur,
sed quod per passionem ad Patrem pergimus.

Vide autem, quàm promptum habuerit animum Christus ad
patiendum. Non solum enim aduersarijs occurrit, sed prior inter-
rogat, Quem quæritis? Poterat sane eos seuerè arguere, ac præ-
terita ipsis beneficia, ipsorumquè ingratitudinem & impietatem
exprobrare, immo poterat uno nutu omnes perdere: Nihil tamen
horum fecit, sed tanquam nesciret ipsorum conamen, blandis uer-
bis interrogat quid quærerent. Iam enim tempus erat non iudicij,
sed misericordiæ. Non irascendum erat, sed patiendum, & malum
Rom.12. bono uincendum. Familiariter igitur dicit: Quem quæritis? quo
uerbo primum monet ipsos, ut cogitent, quid faciant: Quem, in-
quit, quæritis? Innocentem scilicet, & eum quem ex signis & mira-
culis cognouistis homine maiorem esse. Hoc cogitate. Magnum
Gen.4. est innocentem ad mortem quærere: Sanguis enim innocentium
clamat in cœlum, multo maius est in Deum peccare? Si peccauerit,
1.Reg.2. inquit, uir in uirum, propitiabitur ei: Si autem contra Deum pec-
cauerit, quis orabit pro eo? Deinde hoc uerbo (Quem quæri-
tis?) Christus irridet uanum eorum apparatum, immo timorem:
Quem, inquit, quæritis? id est, quid opus armis? Quem timetis?
Num me inermem? num meos & ipsos inermes? Non tamen sta-
tim à principio dicit: Ego sum quem quæritis, cum sciret ipsorum
conamen, sed primum interrogat, ut ex eorum responso occasio-
nem habeat ipsos confutandi, & ut toti mundo manifestum fiat,
tantam multitudinem ob unum hominem exijsse, quemadmodum
& ipsimet fatentur, se unum tantum quærere. Præterea etiam ideo,
antequam se capi permittat, hostes interrogat, quem quærerent:
per hoc enim quodammodo gratiam suam illis offerebat, quasi
diceret: Ad hoc missus sum, ut omnibus gratiam præstarem. Hoc
experti sunt, quotquot me hactenus bono corde quæsierunt.

Igitur,

Igitur, ſi & uos quæritis gratiam, en adſum præſtaturus etiam indignis. Quem igitur quæritis? Obſerua hic Chriſtiane, Si tam impijs hominibus gratiam ſuam obtulit Chriſtus, quanto promptius eandem gratiam, immo ſeipſum quoq; offeret his, qui ipſum in ueritate quærunt? Cæterum, quod impij illi & obſtinati non reſpondent: Te quærimus, quaſi eum agnoſcentes, ſed quaſi ad incognitum dicunt: *Ieſum Nazarenum quærimus*, hoc uerbo manifeſtiſsime indicatur, quod eum nec ex facie, nec ex uestibus, nec ex uoce cognouerunt, quamuis iam dudum omnibus hominibus cognitus eſſet. Hoc autem non fuit propter tenebras, quia habebant lucernas & faces, ſed diuina uirtute factum fuit. Primo ad ipſorum confuſionem, ut uel hinc diſcerent ſe fruſtra inſanire: Maxime autem ad conſolationem noſtri factum eſt, ut ſciamus hoſtes noſtros, ut maxime nos facie nouerint, nihil tamen malorum poſſe citra bonam Dei uoluntatem nobis intentare: Nec enim agnoſcere, nedum occidere poſſunt. Item, ut diſcamus Deum pluribus modis poſſe, ſi uelit, ſuos adiuuare. Hinc & olim Sodomitas excæcauit, ut tota nocte non poſſent inuenire oſtium domus ipſius Loth. Genes. 19. Sic & eos, qui ad comprehendendum Helizæum miſsi erant à Rege Syriæ, ita cæcauit, ut uidentes & colloquentes, immo & ambulantes cum eo, ipſum non cognoſcerent, donec ipſo orante, oculi eorum aperirentur. 4. Reg. 6.

Cæterum, nemo Chriſtianorum neſcit, quod Dominus noſter in circunciſione uocatus ſit Ieſus, quod nomen ipſi prius ab Angelo diuinitus inditum erat. Nazarenus dicebatur, à Nazareth patria Mariæ matris, ubi fuerat educatus. Hæc igitur duo nomina hic exprimunt impij: Tertium autem (quod eſt Chriſtus) tacent. A ſolis enim electis & credentibus nominatur et agnoſcitur, eſſe Chriſtus Meſsias rex & ſaluator: Veruntamen etiam, quod hic reſpondent ſe quærere Ieſum Nazarenum, non mala fuiſſet reſponſio, ſi cor malum non fuiſſet, ſicq; eo modo quæſiuiſſent, ut oportet. Quid eſt enim Ieſus Nazarenus, niſi ſaluator ſanctus? Verum is non armis quærendus eſt, ſed pijs precibus & fide firma: Verum hi non Saluatorem aut ſalutem quærunt, ſed ut habeant cuius nece & occiſione ſuæ inuidiæ ſatisfaciant. Lucæ 2. Matth. 2.

Quid igitur Chriſtus reſpondet? *Ego ſum*. Hoc uel uno uerbo indicatur, eum uoluntariè paſſum, quandoquidem ut ignotus potuiſſet uel aufugere, uel latere: uerum oblatus eſt, quia uoluit. Iſa. 53.

Obſeruandum autem, quod Chriſtus libere confitetur, nec pudet eum nominis ſui: Sum, inquit, Ieſus Nazarenus, id eſt, Saluator ſanctus, quo uerbo iterum nos admonet, & ſe paratum eſſe ad ſaluandum, ſi uelint: Et ipſis impune non ceſſurum, ſi ſe Ieſum & Saluatorem & ſanctum ad mortem quærant.

Deinde,

Deinde quia hoc ipsum nomen, ut esset saluator iustus, non habebat ex humana natura, sed ex uirtute diuina, quæ in ipso una cum diuinitate in unam personam conuenerant: recte dicentibus, se quærere Iesum Nazarenũ, propriam suæ diuinę essentiæ uocem respon-
Exod. 3. dit, dicens: *Ego sum.* Sic enim & olim Moysi dixit: Ego sum qui sum. Huius igitur uocis diuinæ ipsos commonere uoluit, cum dicit: Ego sum. Sed frustra fiunt omnia: Nihil enim horum attendunt. Discamus ex hoc uerbo Christiani nos, ut nomen nostrum, fidem nostram libere confiteamur. Si à Tyranno audis, Es Christianus? Es Catholicus? libere responde: Ego sum. Hæc enim uox maxime deiicit aduersarios. Negando enim & dissimulando peiores eos reddimus.

Stabat autem & Iudas cum eis.]

Sæpe Iudæ mentionem facit, ut ostendat magnitudinem peccati eius, ad terrorem eorũ, qui etiam nunc eum imitantur. Stabat miser ille cum eis, non tantũ corpore, sed etiam uoluntate. Nam solo corpore inter malos esse nihil obest, ut patet de Loth & Daniele, &c. Stabat, immo putabat se stare, cum haberet secum utranq; potesta-
Isa. 31. tem, uerum baculo arundineo innitebatur. Ægyptus enim homo
Hier. 17. & non Deus, &c. Et: Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. *Stabat cum eis.* Malus enim Christianus nihilo melior est Iudæis & Ethnicis, nam eodem animo Christum impugnat. Iam consydera, quantum doloris pium Christi pectus senserit, cum uideret se à discipulo prodi, & ab his ad mortem quæri, quibus maxime benefecerat. Magis enim affligit animum, si ab eo qui uidebatur amicus patimur, quàm ab eo, quem
Psal. 54. hostem nouimus. Hinc est & illa uox Christi in Dauide: Si inimicus meus male dixisset mihi, sustinuissem utique: Tu uero homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, &c. Vt interim taceam, quod per hoc præuidit hominum ingratitudinem non cum Iuda & Iudæis cessaturam, sed perpetuo mansuram. Sic enim reuera factum uidemus, quod cessarunt
Rom. 6. quidem externæ passiones Christi: Mors enim ei ultra non dominabitur, &c. Verum, nondum cessauit ingratitudo hominum.

Vide autem hic pertimescendam excæcationem Iudæ, uidebat ex una parte Christum stare cum suis, ex altera parte impios homines, proposita erat ei uita & mors: Ipse autem ad partes impiorum
Psal. 108. transit, ideo & in ipso impletũ est illud Propheticum: Noluit benedictionẽ, & elongabitur ab eo: Dilexit maledictionẽ, & ueniet ei.

Deinde mira eius excęcatio etiam in hoc apparet, quod cum tam sanguinolenta cõscientia audet corã Christo stare, & ipsum intueri: Verum hæc est impiorũ natura, quod neque Deum, neq; homines uerentur;

uerentur: Frons (inquit) mulieris meretricis facta est tibi. Et iterum: Ceruix tua ferrea, & frons ærea. Præterea nec in mentem ipsi prodi tori uenit fœlix illa Apostolorum societas, in qua fuerat. Auertat Deus hanc à nobis excæcationem, quanquàm eam ipsam non minorem etiam nunc uideamus in quibusdam. Hiere 3. Isai. 48.

Vt ergo dixit: Ego sum, abierunt retrorsum & ceciderunt]

Vna uoce Christi ne dum retro pulsi, uerum etiam in terram cadere coacti fuerunt. Quid hic ipsis profuit armata multitudo? Vna nanq; uoce & ea ipsa admodum leni & mansueta, tantam turbam odijs ferocem, armisq; terribilem, sine ullo telo percussit, repulit, strauit. Vere insigniter potẽtia eius hic monstrata est, idq; tripliciter. Primo, q; audita uoce ipsius, quasi ui aliqua repulsi, retro abeunt. Secundo, quod nec consistere possunt, sed coguntur cadere. Tertio, quod supinos eos deijcit, ut uel cœlum cogerentur aspicere & Deum, qui omnem humanam compassionem ex animo eiecissent. Cæterum, hic casus Iudæorum, præfigurauit casum Israëlitic̃ domus. Quicunq; enim contra Christum uenit, cadere cogitur, quantuscunq; sit. Ideo autem Christus hostes suos tam potenter deiecit, ut sint inexcusabiles, nimirum ex hoc signo manifeste uidentes hunc Iesum, quem ad mortem quærebant, homine maiorem esse, ac suo tempore iram suam in eos uersurum. Deinde hoc fecit ad consolationem piorum, ut certo sciant impios casuros, etiamsi ad tempus triumphent. Præterea hoc fecit etiam ad terrorem omnium impiorum, quos si uellet, uno nutu prosternere posset, nisi patienter expectaret. Qui enim uno uerbo poterat tot hostes prosternere, eadem facilitate potuisset efficere, ut terra dirupta ipsos cum omnibus suis armis absorbuisset. Ex hoc igitur loco consyderemus Christi potentiam in genere. Si enim in forma agni hoc potuit et fecit, quid faciet in forma leonis? Si iudicandus hoc fecit, quid faciet iudicaturus? Si moriturus hæc potuit, quid poterit regnaturus? Et nunc igitur reges, immo omnes homines intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, immo qui habitatis in terra: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur hic Dominus, et pereatis, &c. Signanter autem uidemus hic potentiam uerbi Dei. Nam uerbo eos prostrauit, nec austero aliquo uerbo, sed admodum leni. Quod si impij hi, stillas sermonum eius non sustinuerunt, quis tonitruum sermonum eius sustinebit? Leue quidem uidetur esse uerbum Dei, sed hic uides, quod uere est potentia Dei. Sicut igitur Iudęi uerbo prostrati sunt, sic coram uerbo Dei, nec peccatũ, nec mors, nec Diabolus constare potest. Vnde et à Paulo dicitur gladius spiritus. Videmus insuper hic, quàm nihil possit mundana potentia contra Psalm. 2. Iob. 26. Ephes. 6.

Deum: Dominus, inquit, in cœlo irridebit eos, non potuissent Iudæi
Psalm. 2. hunc Iesum Nazarenum comprehendere, nisi ipse uoluisset, etiamsi maiorem exercitum adduxissent, quam unquam habuerūt uel Alexander, uel Xerxes, uel Hannibal. Sic enim etiam adhuc sæpe Deus confundit, sperantes in potentia sua. Præterea uidemus hic, quod unum & idem uerbum, piis quidem est consolatio, impiis autem iudicium. Nam Christus aliàs sæpe territos Apostolos hoc uerbo con-
Matth. 14. Luc. 24. solatus est, dicendo: Ego sum. Immo pij etiam adhuc nihil dulcius audiunt, cū cum Christus dicit: Ego sum. Hoc enim uerbū omnia aduersa ipsis leuia facit. At impiis horrēdum tonitruū est & erit, quando Christus dicet: Ego sum, scilicet in quem pupugistis, quem con-
Zach. 12. tempsistis, &c. quemadmodū & fratribus Ioseph olim gladius acu-
Genes. 41. tissimus erat, cum diceret: Ego sum Ioseph, quem uendidistis in Ægyptum, &c. Postremo pulchrè hic expressa est natura impiorum. Primo enim unde emendari debuerant, inde peiores fiunt, hoc est retro abire: Retro autem abire, est à Deo & iustitia deflectere. Secundo cadunt, quia coram iudicio Dei constare nequeunt. Item semper cadunt impij, donec in profundum peruenerint. Cadunt autem retrorsum, quia non uident quo cadant, nec ubi iaceant, nec quo modo resurgant. Item non uident, quæ pœna ipsos maneat.

Denique nunquam agnoscunt peccatum, ut conuertantur. Pij autem etiamsi cadunt, cadunt tamen antrorsum. Statim enim peccatum agnoscūt & conuertuntur, immo etiamsi uel dextrorsum per prospera scilicet, uel sinistrorsum per aduersa uincantur, statim tamen resurgunt, nec ita cadunt, ut Deum omnino abijciant.

Vide autem, quàm uere dictum sit: Malitia confunditur multoties, nunquam autem uincitur. Superbia enim eorum, qui Deum oderunt, ascendit semper. Sic impios illos admonere debuerat repentinus ipsorum casus, ne quid contra hunc Iesum Nazarenum attemptarent, quandoquidm semel confusi erant.

Iterum ergo eos interrogauit, Quem quæritis?]

Vt magnitudo impietatis eorum manifesta fieret, qui tanto signo admoniti, adhuc in malitia perseuerabāt. Nam eadem proteruia respondēt qua prius, se quærere Iesum Nazarenum, quasi non quieturi, donec inuidiam suam in ipsum expleant, etiamsi maiora pati oporteret. Sic nimirum impius thesaurizat sibi iram in diem iudicij.
Roma. 2. Eccle. 7. Roma. 1. Quem enim Deus despexerit, nemo corriget. Sic impij illi, etsi Christi diuinam uirtutem in seipsis sensissent, non tamen eum sicut Deum glorificauerunt, sed semper contumelijs affecerunt. His similes sunt plærique, qui ueritate Dei conuincuntur, minime tamen emendantur. Quid igitur Christus ad hanc Iudæorum obstinatam malitiam respondet?

Dixi,

Dixi, inquit, uobis, quod ego sum]

Quasi diceret, Dixi & experti estis, me esse principem fortitudinis, ergo si adhuc me quæritis, & sic percussi nondum doletis, en adsum paratus in flagella. Vobis tamen attendendum est, quod dixi: Ego sum. Hoc igitur uerbo Christus se in locum nostrum statuit, patienter laturus, quicquid iustitia diuina exigeret pro peccatis nostris. Interim tamen iterum potentiam suam ostendit, cum dicit: Psalm. 37.

Si me quæritis, sinite hos abire]

Hoc enim uerbo potenter ipsos prohibet, ne discipulos lędãt, nam alioq Apostoli illęsi nõ abiissent, nisi aduersarij efficacia huius mandati, à furore suo coherciti fuissent. Poterat quidẽ Christus eadem potentia dicere: Sinite me abire, sed oportebat, ut ipse pateret. Nihil igitur aliud discipulos in illo tumultu præseruauit, ne lęderentur aut caperentur, nisi hoc uerbum Christi: Sinite hos abire. Eodem modo etiam nos regit & conseruat, etiamsi nos ignoremus uel non attendamus. Discipulos autem potenter seruauit, ad consolationẽ nostram, ut sciamus fortitudinẽ manus Domini. Noluit etiam eos secũ mori. Primo enim non expediebat eis eo tempore mori, quia si negantes morerentur, dammarentur. Deinde cũ electi essent ut fructum ferrent, impediretur eorum uocatio. Maxime aũt ideo eos secum mori noluit, ne quis putaret ipsius mortẽ solam nõ sufficisse. Solus igitur mori uoluit, ut solus agnoscatur esse saluator noster: Torcular, inquit, calcaui solus, & de gentibus nõ est uir mecum. Vnde et Moyses: Dominus solus dux eius fuit, nec fuit cum eo Deus alienus. Ipse igitur redemit nos & non ipsi nos. Ante omnia autem expressa nobis est in hoc uerbo energia charitatis, quæ, ut Paulus ait, patiens est, omnia incommoda proximi suffert, non quærit quæ sua sunt, immo mauult omnia semper sola sufferre, quã ut proximus quoq; patiatur. Si me, inquit, queritis, sinite hos abire. Hęc est uera cura proximi, ut pro ipso solliciti simus & eidem ubi possumus etiam cum nostro incommodo prospiciamus. Hanc curam proximi ostendit Dauid, cum diceret: Isti qui oues sunt, quid meruerunt? Vertę obsecro manum tuam in me & domum meam: Ego enim sum qui peccaui. Ex eadem ad proximos cura Paulus optabat, Anathema esse pro fratribus suis: Et Moyses deleri de libro Dei. Facessat igitur, à Christianorum auribus & mentibus illud triuiale: Gaudiũ est miseris, socios habere pœnarum. Sic enim mundani cum patiuntur, cuperent omnes simul pati: Verę charitati autem maximus mœror est, proximum in idem discrimen uenire. In fine tamen Ioannes aliã adhuc addit causam, cur discipulos simul mori secũ noluerit Christus: Isai 63. Deut. 32. 1. Cor. 13. 2. Reg. 24. Rom. 9. Exod. 33.

Vt sermo (inquit) impleretur, quem dixerat. Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Hoc autem uerbum dixerat in oratione illa Ioann. 17.

illa sua post cœnã: Pater, inquit, seruaui eos, quos dedisti mihi: cũ essem cũ eis, ego seruabã eos, nõ perdidi quẽq̃, nisi filiũ perditionis, ut scriptura impleretur. Loquit aũt illic de Apostolis, quos Pater sibi addi derat ut cooperatores in diuulgando uerbo regni. Horũ Apostolorum Christo in carne mortali uiuo nullus periit, nisi solus Iudas, qui etiã ipse non ab alijs, sed à seipso occisus fuit. Hunc Iudã nominat filiũ perditionis, propterea, quod misere in peccatis proprijs mortuus est & periit. Alij autem discipuli satis securi erãt, quàm diu cum Christo conuersabantur. Expressum est hoc uerbo insigne exemplum, omnibus pastoribus attendendum & imitandum, nempe quod Christus gloriatur se nullum perdidisse ex his, quos Pater illi dederat. Contrarium faciunt Pseudo pastores, qui nihil minus curant q̃ oues. Allegat autem Ioannes hoc uerbũ Christi, ut uideamus eam orationem Christi exauditam esse & efficacem. Nisi enim exaudita fuisset, discipuli permanere illæsi non potuissent inter tot hostes. Hæc est igitur summa consolatio nostra, quod scimus Christum in sua pro nobis oratione exauditum esse pro reuerentia sua. Heb. 5.

Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, &c.

Lucas dicit, discipulos prius interrogasse, Num percutere debeẽt gladio, uerum Petrus nõ expectato Domini responso, percutit. Sic caro impetu quodã ruit in uitia, non præmeditatur, nũ uoluntas Domini sit, immo ne iudicium quidem rationis expectat. Cæterum Christus, qui hoc factum postea in Petro arguit, nunquam ei idipsum permisisset. Et carnalis homo multa mala omitteret, si uel propriam rationem prius consuleret. Quamuis autem Petrus hic admodum audax & fortis animi uideatur, magis tamen est confidentiã carnalis, quàm fortitudo fidei. Nam nunc quidem audax est, cum uideat adhuc in Christo diuinam potentiam. Paulo post, ubi Christus potentiam suam abscondit, cessat etiam fortitudo Petri. Vnde patet, quod non ex fide processit hæc audacia, alioqui etiam in aduersis perduraſſet. Gladium igitur arripit Petrus, quia non intellexerat; quod Christus dixerat: Qui non habet, uendat tunicam, & emat gladium, hoc Petrus de externo gladio intellexerat, cũ Christus loqueretur de gladio spiritus, quod est uerbum Dei. Deinde nondum sciebat, quod oporteret Christũ pati. Præterea nec hoc sciebat, in schola Christi non artem pugnandi & uincendi, sed patientiam doceri. Cæterum, quod Petrus non malus damnum huic seruo intulit, non ipsius Petri uoluntas, sed ipsius Domini bonitas fuit, qui solet etiam indignis et ingratis benefacere, sicut & postea autẽ ei restituit, quem iustius ignis de cœlo consumpsisset. Verũ hæc est Dei natura, & hoc facto Christus opere impleuit, quod uerbo docuit, diligendos esse etiam inimicos, & beneficia præstanda etiam his, qui nos oderunt. Luc. 22. Luc. 22. Ephes. 6.

Quod

Quod autem signanter dicitur, Petrus seruo huic amputasse auriculam dextram, nō casu, sed Dei prouidentia factum est, nec uacat mysterio. Primo enim per hoc significatū est, Iudæos deinceps uerū & dextrum auditum legis & Prophetarū perdituros, omniaq; tantum sinistre interpretaturos, nihil autem dextre, id quod apertissime uidemus impletum. Quod tamen postea seruo illi auris restituta est per Christum, præsagium fuit, eos suo tempore iterū illuminādos. Cum enim conuersi fuerint ad Christum, auferetur ab eis uelamen. Exęcatio enim ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentiū intraueri t, etc. Quod autem is, cui auris amputata est, seruus fuit Pōtificis, indicium fuit, quod huiusmodi homines magnatibus huius mundi adhærentes, plærunq; unam tantum aurē habēt, & sinistram tantum: quo fit, ut tantū ea audiāt, quæ falsa, uana & mundana sunt, ueritatē autem, uerbum Dei, iustitiam, & bona aliorum nec audiunt nec attendunt. Generaliter autem omnis qui Christo contrarius est, dextra caret aure, omnia enim sinistre intelligit, nec unquam ad lucem ueritatis peruenit. Nomen autem serui, exprimit Ioannes, propter miraculum postea in ipso factum, in restitutione auriculæ. Quid autem Christus ad hanc Petri audaciam? Matth. 5. 2. Cor. 3 Roma. 11.

Conuerte (inquit) gladium tuum in locum suum]

Iam inciderat Petrus in ius gladij, quia gladium arripuerat, Christus autem diuina uirtute eum defendit, ne uis ei fiat, interim tamen uerbo eum increpat, neque id absre. Multipliciter enim reprehensibilis erat. Primo, quia gladius omnibus priuatis personis interdictus est. Secundo, quia in schola Christi tam diu uersatus, scire debuit, nostra arma esse spiritualia, potentia Deo, &c. Insuper etiam Apostolus erat, et Apostolorū primus, quorum officium est, non nocere, sed prodesse. Hinc et alio loco Christus discipulis uindictam quærentibus respondit: Nescitis cuius spiritus estis? Præterea, in hoc uel maxime reprehensibilis erat Petrus, quod prior percutit, cum nec ipse nec Christus adhuc læsus esset. Merito igitur eum arguit: *Conuerte (inquit) gladium tuum in locum suum*, quasi diceret. Nescis te etiam antea ob hāc causam à me increpatum, ac Sathanam appellatum? Noli mortem meam depellere, sed stude imitari. Auferhinc tuum illum gladium, qui homines necat: meus gladius, quem ego tibi commisi, uitia amputat, homines seruat. Conuerte illū tuum externum gladium in uaginā: Vel, ut alij dicunt, in locum suum. Locus proprius gladij & potestas, huc eum conde. Potestas eo utatur, non tu. Si corpus morbum patitur, ad medicum pertinet curare, non ad agricolam: Si quid in corpore mystico amputandum est, ad potestatem spectat, non ad quemlibet priuatū. Hoc itaq; uerbo, Christus primo prohibet uindictam. Secundo damnat nostram ira- 2. Cor. 10.

cundiam & impatientiam, qui ne uerbum quidem durum sustinere possumus, nec contenti sumus æquale damnum rependere, contra hoc quod monet Paulus: Noli uinci à malo. Tertio docet hoc uerbū, quatenus pietatis æmulatio procedere debet. Iustā quidem causam defendere licet, sed quatenus uocatio tua tulerit. Si Magistratus es, agnoscere Dei ministrum, ultorem in iram ei, qui quod malum est facit. Sin priuatus fueris, admone, argue, reprehende, idq; citra contumeliam. Cæterum, citra potestatem Magistratus propria authoritate nec pro Christo nec pro iustitia gladium usurpare debes. Non opus habet Christus aut iustitia tua gladio, Christus se ipso satis potens est, itidemq; & iustitia. Habet enim à parte sua Deum & omnes Angelos. Hinc in Psalmo dicitur: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, &c. Et iterum: Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua. Et Christus ipse in Matthæo: Non putas quod possim rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorū? Quarto docet Christus hoc uerbo, quibus armis se Christiani tueri debeant, nempe non gladijs & fustibus, sed humilitate, patientia, mansuetudine, & beneficijs: Discite (inquit) à me, quia mitis sum & humilis corde.

Pſal. 44. Pſal. 118. Matth. 26. Matth. 11.

Calicem quem dedit mihi Pater, non uis ut bibam illum?

Singula uerba Emphasim suam habent. Primo enim more scripturæ sacræ, passionem suam calicē nominat. Tribulatio enim alicubi comparatur aquæ, ut cum dicitur: Intrauerūt aquæ usq; ad animā meam. Aliquando torrenti, ut cum dicitur: De torrente in uia bibit, &c. Comparatur & calici uini meri. Sicut enim uinum plus iusto potum, mentis statum euertit, sic & tribulatio, &c. Deinde Christus passionem suam calicem nominat, ut ostēderet sibi mortem dulcem & desiderabilem esse pro salute hominum. Præterea etiam ideo calicem nominat, ut ostendat etiam grauissimas afflictiones in hoc mundo nihil esse, nisi (ut ita dicam) unum haustum, statim enim cessabunt. Addit Christus: *Quem dedit mihi Pater.* Non loquitur dubitatiue, Fortasse Pater hoc uult, sed assertiue: *Pater (inquit) dedit mihi hunc calicem.* Iam si Pater dedit, quis contradicet? Non licet repugnare aut contradicere, ubi Dei uoluntas nobis constiterit, sed simpliciter obedire. Signanter aūt non dicit, Deus aut iudex dedit, sed Pater, ut sciamus Deū etiā, cū flagellat, Patrē esse. Ira enim in indignatione eius, sed uita in uoluntate eius. Docet igitur hoc uerbo se non hominū arbitrio, sed Dei uoluntate pati. Docet item se nō esse contrarium Deo, sed usq; ad mortem Patri obediens in omnibus etiam grauissimis. Docet insuper nos in aduersis nō respicere in hominem aut Dæmonem mala inferentem (alioqui nunquam patienter feremus) sed in Deum permittentem, quemadmodum ipse hic facit. Sic Iob: Dominus

Pſal. 29.

minus dedit, Dominus abstulit, etc. Sic Dauid inquit: Sine, ut maledi- Iob. 1.
cat mihi. Dominus enim præcepit ei, ut malediceret Dauid. Addit Chri- 2. Reg. 16.
stus: *Non uis ut bibam illum?* Nõ uis tu homo, creatura, seruus, quod uult Deus creator, & omnium Dominus? Mihi hic calix datus est, & non alteri. Nemo enim ad hoc sufficit præter unum me: Non uis, ut ego eum bibam. Quis ergo alius eum bibet? Si ego hunc calicem non bibam, æterna siti omnes peribitis: Sin autem, & si amarum est poculum, omnem tamẽ in uobis sitim sedabit. Atq; ob hanc etiam causam, passionem suam calicem appellat, quod ex ea omnes bibimus, non tantum quod cum ipso & post ipsum patimur, sed etiam quod inde omnem consolationem haurimus. Sicut igitur Christus non renuit suum calicem, sed insuper dissuadentẽ Petrum corripuit, sic nos quoq; faciamus. Non est tolerandus, qui à diuinorum obseruantia mandatorum abducit, etiam si in uerbis præferat pietatem, sed increpandus, si subditus, si æqualis, penitus non ferendus, si uero superior sit, nullo modus timendus est. Obedire enim oportet Deo magis, quàm hominibus.

Cohors ergo & tribunus ac ministri Iudæorũ, comprehenderunt Iesum]

Hactenus præcessit interior passio Christi: Nunc incipit exterior. Postq; enim Iesus sui copiam eis permisit potius q; dedit, irruunt in agnũ lupi rapaces, in pastorẽ diri latrones, in Patrem filij degeneres, in Deum peccatores, in lumen uerum filij tenebrarum, nihil uel eius consuetudine, uel deitatis maiestate, uel miraculorum terriculamento permoti, manus iniecerunt in eum: Occupant paratum teneri, trahunt uolentem trahi, qui si uellet obniti, nihil quidem in iniuriam eius impiæ manus possent. Hic itaq; impletum est, quod iam dudum Dauid in persona Christi prædixerat: Quoniã, inquit, tribu- Psal. 21.
latio proxima est, et nõ est qui adiuuet: Circundederũt me uituli multi, thauri pingues obsederũt me: Aperuerũt super me os suũ, sicut leo rapiens & rugiens: Sicut aqua effusus sum, &c. Cæterum, quamuis Euangelistæ plane & paucis uerbis recitent hanc Christi captiuationem (Hoc enim tantum agebant, ut certa fides esset historiæ) nihilominus tamen occasionem præstant plura etiam cogitandi, id quod maxime ex hoc nostro Ioãne patet. Is enim primo subindicat, quid causæ fuerit, quod nũc potuerũt Christum comprehendere & nõ antea, quamuis id sæpius attentassent: Ergo, inquit, quia scilicet Pater hũc calicem dedit, ipseq; Christus obedienter eum ebibẽdum accepit, iamq; hora erat ab æterno ad hoc destinata, ideo comprehendere potuerunt. Hæc igitur fuit causa, non ipsorum uis aut potentia. Deinde idem Ioannes plures recenset nominatim etiam, qui Christum comprehenderunt: *Cohors, inquit, & tribunus & ministri Iudæorũ, &c.* ut innuat hũc primũ impetũ Christo Domino mirum

in modum fuisse grauem. Nec mirum, quomodo enim ipsi nunc recens capto parcerent, cui nec in cruce pendenti, postq̃ omnẽ suã malitiam in eũ compleuerãt, non pepercerũt? Primo igit̃ non unus aut alter in eum irruit, sed multi. Deinde omnes erant inflãmati ira & odio in eũ. Persuasi enim erant à primoribus, hunc peruersissimũ esse seductorẽ, hac ira et odio egressi erant: Auxerat irã, quod tam diu eũ capere non potuerunt, itemq̃ quod ipsos in terrã prostrauerat: Inci-
Matth 26. tauerat & Iudas, admonens, ut caute eum tenerent. Acceptа igitur licentia, omnes in eum irruunt, singuli suam iniuriam uindicare uolentes, simulq̃ & Pontificibus gratificare studentes, quibus sciebant, serem gratissimam facturos, si nulla compassione erga Christum mouerentur. Erat enim uidere, quasi cum oppidum aliquod munitum, ubi post longam obsidionem aditus tandem patefactus est, furibunde irrumpitur, oppugnatur, diripitur, nullo uidelicet cessante.

Ob hãc igitur causam, Ioannes captiuatores Christi sic nominatim perstringit. Obseruandum aũt in captiuatione Christi, ne dum esse milites, nedũ Iudęos, sed etiam Gentiles, Romanos, immo nec tantũ qui præsentes erant in Christũ peccabant, sed etiã absentes Principes, quorum iussu hæc fiebant. Sic non unus aut alter, sed omnes homines, & qui præcesserunt & secuti sunt, & adhuc etiã secuturi sunt, omnis sexus, oĩs conditionis, etc. rei sunt sanguinis Christi. Vere eñ
Thre. 4. in peccatis nostris captus est. Quis hic non expauescat: *Comprehenderunt (inquit) Iesum*, sed mala comprehensione. Nam et bona comprehensio est, qua pij homines ipsum comprehendunt fide, spe, & charitate. De qua Paulus: Sequor si quo modo cõprehendã. Et sponsa:
Philip. 3. Cant. 8. Tenui eum, nec dimittam. Verum de hac comprehensione, hic non fit mentio, sed de ea, quam Sapiens ponit: Circumueniamus, inquit, iustum, morte turpissima condemnemus eum. Sic igitur, qui
Sapien. 2 non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit ab illis ipsis, quo-
Hiere 13. rum manum apprehẽderat, comprehensus est indignissime: Immo qui non Angelis ruentibus, sed hominibus cadentibus misericordię suæ manum porrexerat, ipsorum manibus nunc capitur. Vere insignem Dei bonitatẽ. Ma[illegible]ũ quidem est, quod hominem ab exordio in tantũ sublimauit, sed longe maius est, q̃ pro homine seipsum tam profunde humiliauit. Sic magnũ est, quod plærunq̃ pios miraculose eripuit, sed longe maius est, quod nunc se amore nostri comprehendere sinit, quo scilicet ab æterna captiuatione nos liberaret. Magna siquidẽ Tyrãnide captiuauerat nos peccatũ, mors & Diabolus: Christus aũt, cum nullũ ius in eũ haberẽt hi captiuatores nostri, sponte tamẽ se capi permisit. Et quia fortior illis fuit, illos uicit, nosq̃ liberauit,
Psal. 29. Merito igitur canimus: Exaltabo te Domine, quoniã suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me, &c. Addit Ioannes,

Et

Et ligauerunt eum]

Hæc sola erat potestas tenebrarum, ut comprehenderent ad ligandum, quem comprehendere non poterant ad intelligendū. Ita cum comprehenderunt horā illa sua, hora una & momētanea. Nam post hac lucem comprehendere nulla unquā tenebris erat potestas: Comprehendentes, inquit, ligauerūt eum. O nimis horrenda temeritas peccatorum. Ligauerunt autem, ut securius ducerēt eum. Hoc enim præmonuerat Iudas, ut ducerent eum caute. Iam igitur securi sibi uidebantur, quia Christum captum in manibus habebant re uera tamen hęc Christi captiuatio & ligatio, summam ipsis attulit perditionem. Huius figura pręcessit in Samsone, itemq; in Archa Dei. Sicut enim Samson à Philistæis olim captus, perditionis eorum causa fuit, ut multo plures ex eis occideret moriens, quàm uiuens occiderat. Matth. 26. Iudith. 16. 1. Reg. 5.

Et sicut Archa Dei ab eisdem Philistæis capta, multipliciter eos afflixit: Sic uere Iudæos nemo alius perdidit, quàm qui captus & ligatus ab eis fuit. Gaudebant Philistæi capto Samsone, itemque capta Archa Dei, sed gaudium eorum non fuit Diuturnum. Gaudebant & Iudæi capto Christo, sed hoc gaudium ipsorum breue fuit. Paulò enim post à Romanis deuastati fuerunt. Atq; hinc est, quod etiam nunc clamant, orant, & nemo est qui eos exaudiat, manumq; porrigat. Et iuste quidem. Respōdere enim potest, utrunq; maiestatis suæ brachium esse ligatum, & idcirco nullum se præbiturum auxilium. Sic igitur ingrati filij Adam manus iniiciunt in eum, cuius manibus creati erant: ligant eum, qui omnes soluere uenerat. Interim mitissimus agnus tacet, & non aperit os suum, sed in amaritudine animæ suæ recogitat annos nostros, sciens quod hunc laborem non præstitit ei, nisi peccatum nostrum. De hac captiuatione iam antea per Dauidem dixerat: Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum conclusserunt, id est, incorrigibiliter impietatem suam perficere statuerunt, nullius monitis aut miraculis retrahendi: Os eorum locutum est superbiam. Non enim sine magno clamore, irrisione, & conuitijs eum comprehendisse credendum est: Proijcientes, inquit, me, nunc circumdederunt me: Oculos suos statuerunt declinare in terram, id est, decreuerunt nec Deum nec iustitiam, sed nec cœlum respicere. Susceperunt, inquit, me, sicut leo paratus ad prædam, &c. Ecce quanta fuit ira & furor, quæ non nisi per iram fortissimæ & crudelissimæ bestiæ exprimit. Et in alio Psalmo: Isai. 53. Isai. 38. Psal. 16. Psal. 16. Psal. 117.

Circumdederunt, inquit, me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis. Quibus uerbis iterum immanis hostiū Christi crudelitas, præostensa fuit. Apis enim in tantum ardet ira, quod licet amisso aculeo, nunquam possit mellificare, eundem tamen fremens infigit in hostem, & mauult mellificationem perdere, quàm se non

non ulciſci: Sic Iudæi expleuerunt inuidiam ſuam in Chriſtũ, nihil curantes, quod in æternum nunq; poſſent mellificare. Vnde & poſt
Matth. 27. dixerunt: Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Obſeruandum autẽ, quod etiam in ligatione ponit numerus pluralis. Non enim unus tantum eum ligauit, immo omnium hominum peccata Chriſtum ligauerunt. Vnde in Pſalmo dicit: Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Hos funes primi noſtri parentes nere aut texere
Pſal. 118. cœperunt, nos autem ipſos perfecimus. Vel hic igitur expaueſce peccator, cum audis & uides peccata tua tam immaniter Chriſtum ligaſſe. Noli tamen deſpondere animum, nam ſuis illis uinculis Chriſtus noſtra rupit uincula ac in ueram libertatem reſtituit. Merito igi
Pſal. 115. tur canimus: Dirupiſti uincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiã laudis. Hic igitur primo diſcamus, ut grati ſimus de noſtra liberatione. Deinde caueamus, ne unquam amplius Chriſtum peccatis noſtris ligemus. Diſcamus item, ut & nos conſtanter, ſi ita caſus fert, pro Chriſto uincula pariamur. Iã enim nihil amplius ignominiæ habent uincula & funes. In Chriſti nanq; ſacro corpore, ſanctificata ſunt & nobilitata, ut non ignominiæ, ſed gloriæ ſit ea ferre pro Chriſto, id quod in Apoſtolis & Martyribus uidemus, quibus nihil glorioſius erat, q; pro Chriſto pati. Et nos igitur non erubeſcamus pro Chriſto uinciri, quando ipſe prior pro nobis uinctus fuit. Præterea diſcamus et nos ipſos captiuare, omniaq; membra noſtra ligare funibus præceptorum Dei, uel potius funibus charitatis, ne laxentur ad ea, quæ Deo contraria ſunt, captiuentur et ligent̃ oculi ab illicito uiſu, aures à noxio auditu, lingua à noxio ſermone, manus à malis operibus, cor à malis cogitationibus, intellectus ab erroneis ſenſibus & prauis dogmatibus, &c. Hæc igitur de captione Chriſti paucis dicta ſint.

Adduxerunt autem Ieſum ad Annam primum]

Audiuimus attento animo, quomodo Chriſtus Dominus comprehenſus ſit ab impijs, ad quam tamen comprehenſionem ſe ſponte obtulit, ut qui ſciebat, quãtum bonũ hinc ad omnes homines perueniturum eſſet. Nihil enim plus poterant nocturni illi bellatores, q; capere, ligare, abducere. Ipſorum nõ erat occidere: Sic enim decreuerant principes, ut prius ad ipſos perduceretur, uolebãt ſic agere, ut nemo poſſet dicere ipſum iniuſte occiſum, ideo primũ eum audire uolebant, in ſpeciem iuſti iudicij. Deinde quicquid etiam reſponderet, iam decreuerant, eum poteſtati Romanæ mittendum. Nec enim animus eorum erat, ipſum dimittere, etiamſi optime reſpondiſſet, ſed omnino occidendum decreuerant: Nam mortui non mordent. Viuum eum timebant, quia ipſorum malitiam arguebat. Conſeruet Dei optimus maximus omnes regentes, ne in hoc exemplum incidant. Hoc igitur conſilio Chriſtum non ſtatim occiderunt,

ſed

sed adduxerũt in ciuitatẽ, maiori scilicet ludibrio & pœnis grauio ribus exponendũ. Quis aũt hanc ductionẽ satis æstimare potest, cũ miserabilis fuerit? Trahebatur siquidem magnis clamoribus, magna festinatione, multisq; irrisionibus, tanq; malefactor, tam arcte ligatus, ut uix anhelitũ habere posset. Et quãuis sponte ad passionẽ iret, dubitari tamẽ non potest, quin eũ nunc huc, nunc illuc impellerent, protruderẽt, agerent. Quomodo enim parcerent iam primũ capto, qui iam iam morituro non parcebant? Vt iam tunc uere dicere po- Thre.1. tuisset. O uos omnes, qui transitis per uiam, attendite & uidete, si est dolor, sicut dolor meus. Videte, inquam, quàm uiliter trahor, quàm crudeliter percutior, quàm patienter sustineo: Videte canes rabidos, homicidas uiolentos, & me agnũ mansuetissimũ inter eos: Videte faciem meã alapis iã multiplicibus percussam, sanguineo sudore, sputis Iudæorum maculatã, lachrymis humectatam, pedes scopulis concussos & laceratos, &c. Sic igitur qui solus ad cœlum nos perducere poterat & uolebat, contumelioſissime ductus fuit. Et primum quidem ad Annam, deinde ad Caypham. Hi enim duo & capita erant sacerdotum, et principatum habebant templi et rerum spiritualium. Quia autem causa Domini Iesu spiritualis erat (concernebat enim fidem & doctrinã) ideo ad suum iudicium eam pertinere arbitrabantur, iuxta legem. Sic & post cum Paulo actum est, coram principe sa Act.23. cerdotum Anania. Itemq; cum alijs Apostolis coram his ipsis, Anna Act.4. & Caypha, Ioanne et Alexandro. Ob eandẽ causam, nec Procõsul Achaiæ Gallion, causam Pauli iudicare uoluit, quod uidebat eam Act.18. non esse ciuilem, sed spiritualem. Cæterum, hi duo, mala fama notati erant, quasi qui honorẽ & sacerdotalem dignitatem pecunia ab Herode annuatim compararent, ut ueri Simoniaci & Giezitæ, immo patres omnium Simoniacorum. Nec hoc Euangelista tacitum uoluit, qui Caypham non simpliciter Pontificẽ, ut lex requirebat, sed tantum eius anni Pontificem nominat. Annuatim igitur hi duo Pontificatum sibi comparabant à Romanis. Vnde facile conijci potest, quàm nihil pietatis habuerint, multum autem arrogantiæ & uanæ gloriæ.

Ad Annã igitur primo ducitur, honoris uidelicet gratia. Nam & senior erat & socer Cayphę. Deinde ut iustior condemnatio Christi uideretur, si à multis condemnaretur: Maxime aũt ideo, ut impij sibi mutuo gaudium communicarent de capto communi hoste, ipseq; Annas, qui fortè propter senium futuro communi consilio adesse nõ poterat, interim oculos pasceret optato illo spectaculo. Sic enim futurũ prędixerat Christus: Mundus, inquit, gaudebit, id est, triumphabit in passione mea. Sic lætantur impij, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: Nec cogitãt breuem illã lætitiã futuram. Sic Prouer. 2 igitur uolebant quidem illi se inuicem honore præuenire, reuera aũt

Ioann. 16.

sacri-

sacrilegium suum communi consensu corroborāt, ne uidelicet apud Romanas leges unus, si solus uideretur sceleris author, notam uel accusationē sustineret. Vel etiā ideo ad Annā primo adducitur Christus, ne Cayphas solus inuidiā apud homines sustineret, si primus ipse qui consiliū dederat, primus etiā condemnaret. O Pharisęi, qui
Matth. 23. omnia facitis propter homines. Cæterū, ꝙ Christus ad plures iudices ductus fuit, non tam ludæorū consilio, quā diuina prouidentia factum est. Per hoc enim, quod à multis fuit examinatus, clarius eluscescit ipsius innocentia; immo per hoc omnes illos iudices fecit suę innocentiæ testes & professores, id quod certissimū est testimonium.

Erat autem Cayphas, qui consilium dederat, &c.

Non sine causa Ioannes hic etiam, anteꝙ ad domū Cayphę perducatur Christus, tam Caypham ꝙ ipsius consilium commemorat. Vnū enim hoc Cayphę consiliū potissima causa fuit, ut ne dum principes in mortē Christi conspirarent, sed etiam populus ab ipso deficeret. Ipsum igitur nominat Ioannes, quasi admirans tam impiū hominē, in tam sancto officio fuisse, nec sic tamē pietatis admonitū fuisse. Mirat item hunc Pontificē, tā cupide sitiſſe sanguinē Christi, ut alijs adhuc dubitātibus, ipse statim proclamaret & sententiaret occidendū, cum nihil minus competat Pontificibus, ꝙ sitire sanguinē. Præterea mirat Ioannes, quomodo tam uera, tamꝙ diuina sentētia ex ore impij hominis profluxerit. Quid enim uerius? quid magis consolatoriū est, ꝙ quod Christus pro populo mortuus est? At eam sententiā primus protulit impius ille, contra intentionem suam. Vnde & Io-
Ioann. 11. annes ait, eum hoc nō ex seipso, sed ex Spiritu sancto dixisse. Postremo Ioannes Caypham, ipsiusꝙ consilium nobis proponit, ut uideamus iustum & mirabile circa hunc hominem Dei iudicium. Vere
Iob. 6. enim in ipso impletum uidemus, quod scriptum est: Impio quod timet accidet. Et: Qui timet pruinam, irruet super eum nix. Timebat Cayphas, ne Pontificatum perderet per Christum, & quia iniquis medijs ipsum honorem retinere conabatur, paulo polt ipsum honorem, immo seipsum & totam gentem perdidit: Immo timebat temporale damnum, & incurrit æternum simul cum temporali. Insigne igitur exemplū totius impietatis, hic Cayphas erat cum suo so-
Matth. 21. cero, in quos maxime competebat illud uerbum Christi: Vos fecistis ex domo Dei speluncam latronum. Ipsi duo erant, in quos potissi-
Matth. 23. mum Christus, Vę illud æternum non semel intonuit. Vnde & ipsi præ alijs Christū audiebant, mortemꝙ illius cupiebant. Nam grauis
Sapien. 2. illis erat ad uidendum, quia improperabat illis peccata legis. Vnde et Cayphas suo illo consilio uel maxime populum à Christo alienare studuit. Nam non Deum, sed solum populum timebant, & nō parum in hoc etiam profecerūt. Ipsorum enim opera omnino persua-

sum

sum erat populo, quod propter Christum, si permitteretur uiuere, deuastanda essent & locus & gens Iudæorum. Quod audiens carnalis populus, qui temporalia diligebat, & multas captiuitates expertus fuerat, mirum in modum exarsit in ira contra Christum. Nam generaliter hoc insitum est hominibus, ut quanto quis maiora beneficia in aliquem contulerit, tanto maiorem indignationem incurrat, si in suspitionem uenerit, quod malo animo & in malum finem fecerit. Sic contigit Aman cum Asuero, itidem & Christo contigit. Persuasum erat populo, omnia quæ Christus faciebat, in eum finem tendere, ut populus in captiuitatem iterum duceretur. Hoc persuaso, facile erat omnia Christi miracula & beneficia ex animo eijcere, cum audirent terram, quam Deus Abrahæ & semini eius in possessionem dederat, occasione eius uastandam, omnemq; populum in captiuitatem abducendum. Non erat populo huic locus, audire amissionē terræ & libertatis. Iam se iustissime furere, immo non posse nimium furere certissimi erant. Hunc igitur furorem pius ille Pontifex Cayphas, populo simplici instillauit, ideo Ioannes hoc consilium ipsius ad perpetuam ipsius ignominiam commemorat. Verum satis sit de impietate horum Pontificum hæc dixisse. Vtinam nulli unquam ipsorum similes uel nascerentur. Hester. 7.

Sequebatur autem Iesum Simon Petrus]

Sunt qui putent nihil actum fuisse in domo Annæ, neq; cum Christo, neque cum Petro, sed Christum statim ab Anna ad Caypham ductum, ibiq; contigisse quæ hic de Petro dicuntur, idq; probant argumentis, non usquequaq; contemnendis. Alij autem contendunt primam Petri negationem in domo Annæ factam, & in eodem loco Christum de doctrina & discipulis interrogatum, alapaq; percussum: Et hi uidentur inniti historiæ, quam scribit Ioannes. Cæterum hac de re nihil hic digladiamur. Satis sit nobis scire, quod hæc facta & dicta sint, ubicunq; tandem facta sint. Obserua igitur, quòd tantum duo discipuli hic Iesum secuti dicuntur, & tamen utcunq;, cum omnibus discipulis Christus egressus fuerat: hic autem cum adhuc uix principium passionis esset, duo tantum sequūtur. Iam enim alij dispersi erant, unusquisq; in propria, ut Christus prædixerat. Vide autem quàm ualide etiam columnas Ecclesiæ concusserit tentatio. Promiserant filij Zebedęi, se posse bibere calicem Domini, sed ecce primo uisu, cum primum infunderetur fugiunt. Dixerat Thomas: Eamus & nos, & moriamur cum illo. Hic autem longe alia agit. Dixerant omnes discipuli pariter: Nunc scimus, quia scis omnia: Nunc credimus, quia à Deo existi, quasi dicerent, Nihil opus habemus ulteriori admonitione. Ad hęc instantissime monuerat Christus, & sæpius inculcarat, ut in ipso manerent: Manete, inquit, in me, & ego in uobis. Et iterum: Si quis in me non manserit, Ioan. 16. Matth. 20. Ioan. 11. Ioan. 16. Ioan. 15.

manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, &c. Non minus instanter admonuerat ipsos, ut se mutuo diligerent. Hic autem omnium obliti, & à Christo fugiunt, & à se inuicem separantur. Tanta est uis tentationis. Cæterum & à Christo & à se mutuo separatis, quid aliud restabat, nisi timere, fugere, & nusquã securos esse? Qui enim à Deo excidit, securitatem perdit, perpetuum timorem incurrit ac semper fugit, licet frustra. Duo tamen ex illis, etsi primo cum alijs ex timore fugissent, amore tamen & recordatione Christi animati & excitati, denuo sequuntur: Sed à longe, inquit Ioannes. Iam enim reipsa sentiebant, uerum esse quod Christus
Ioan.13. Petro dixerat: Quo ego uado, non potes me modo sequi. Atque hic plane uides, quid in homine faciat timor & amor. Timor auertit: Amor conuertit, donec alterum prævalcat. Et in Apostolis quidem hoc loco prævaluit timor: Postmodum autem amor, per
Rom.5. Spiritum sanctum in corda ipsorum diffusus, omnem expulit timo-
Rom.8. rem, ut intrepidi dicerent: Quis nos separabit à charitate Dei? &c.

Sed qui nam fuerunt hi duo, qui præ alijs ausi fuerunt Christum uel à longe sequi, ut uiderent finem? *Simon (inquit) Petrus, & alius discipulus.* De Petro nullum est dubium: Alium autem discipulum, communiter omnes putant fuisse Ioannem.

Discipulus autẽ ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu, etc.]

Hoc addit Ioannes, ad confirmationem Euangelij sui, ut sciamus eum scripsisse, non quæ ab alijs audiuit, sed quæ ipse præsens ac co-
Ioan.19. ram uidit, ideo & infra dicit: Qui uidit, testimonium perhibuit. Ne quis autem fortitudinem putet, quòd ausus fuerit intrare in atrium Pontificis, idq; cum Iesu iam uincto, addit: Se notum fuisse Pontifici, quasi diceret, Non animi constantia intraui, non ut magistrum defenderem aut excusarem coram Pontifice, sed tantum quia notus eram in domo eius. Sic nimirum seipsum extenuat, ut deuitet arrogantiam, ne se præferre uideatur Petro in constantia.

Vnde autem & ob quam causam notus fuerit Pontifici, non opus est quærere. Nihil enim ad rem facit, nec quicquam certi de hoc constat.

Petrus autem stabat ad ostium foris]

Vel quia ex timore non audebat ingredi, & tam prope accedere: Vel potius, quia ut pauper & incognitus exclusus fuerat. Pauperibus enim negatur accessus palatiorum: Magnatum siquidem domus his solum patent, qui diuites sunt & munera portant. Hinc
Isa.1. Isaias: Pupillo non iudicant, & causa uiduæ non intrat ad eos. Et
Isa.59. iterum: Veritas in plateis corruit, & iustitia non potuit ingredi. Exclusus igitur Petrus per Ioannem introducitur, sed malo suo. Præstiterat enim eum nunquam intrasse. Longe fœlicius olim ab An-
Ioan.1. dræa fratre suo introductus fuerat ad Christum: Hic autem quo-

dammodo

dammodò à Christo abducitur. In Annæ enim domo, nec ueritas, nec iustitia erat. Cæterum oportebat impleri quod Christus prædixerat: Ter me negabis. Hic igitur impletum in ipso fuit, quod Christus longe ante sub quodam typo præmonstrauerat.

Cum enim discipuli semel in mari periclitarentur, uenit Christus Matth. 14. ad eos, ambulans super aquas. Et Petrus ad uocem eius ultro se ingerens, ambulansq; & ipse super mare, ut ueniret ad Iesum, uidit uentum ualidum & timuit, & penè submersus, manu Domini retentus est. In eo miraculo præostensum fuit, quod hic contigit. Hic enim uerè Dominus super aquas ambulabat, discipulis in mari laborantibus, quia scandalum patientibus Apostolis, ipse pro arbitrio suo tribulationem patiebatur, mox uictor mortis futurus. Ambulabat & Petrus super aquas, ut ueniret ad Iesum, quia pristinæ dilectionis memor, adhuc per audaciam modicæ fidei sequebatur longe post Iesum. Sed uidit uentum ualidum uenientem, & timuit: timendo negauit, negando submergebatur, nisi Dominus manum illi porrexisset. Audi igitur, quis fuerit uentus ille: *Cum audisset, inquit, eum ancilla ostiaria.* Si ad illam ancillam spectes, nubecula fuit. Si autem ad Concilium illud malignantium, propter quod Petrus timuit proteruum huius ancillæ dictum, spectes, certe uentus ualidus fuit. Sic igitur cribrator ille Apostolorum Sathanas si- Luc. 22. bi prouidit, ut tentationis artificium inciperet à fœmina, qui sexus olim etiam in Paradyso primo parenti exitit deceptionis ianua. Gen. 3.

Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius?]

Fieri potest, ut ancilla hæc Petrum ex compassione allocuta sit, quasi admonens, ut si discipulus Iesu esset, citius abscederet. Atq; hoc uidentur etiam eius uerba præ se ferre. Non enim eum accusabat, nec assertiue loquebatur: Nec durius quid de Christo dicebat, quem non deceptorem, sed hominem appellabat. Denique interrogabat tantum Petrum, Num ex discipulis esset hominis illius.

Quid igitur Petrus? *Non sum.* Ecce quàm facile firmissima illa columna, ad unius aurę impulsum contremuit. Vide enim, quid negauit Petrus, & apud quem: Negauit se esse Christi. Quia autem Christi se esse negat, Diabolo se astringat oportet: Negat autem non coram milite aut Pontifice, sed coram ancilla. Vbi igitur nunc est eius pristina audacia? Iam ne satis aperte uides, ipsum carnali affectu, non spirituali iudicio, antea pro Christo gladium sumpsisse? Si enim tantus iustæ causæ propugnator est, cur nunc non dicam, gladio non pugnat, sed uel uerbo fatetur, Christi innocentiam? Quod si coram ancilla mulierum contemptissima negauit, quid fecisset coram Regibus & Principibus? Verum quod Petrus est, om-

nes ſumus ante iudicium Domini, & cum propriæ imbecillitatis adhuc ignari ſumus, ſolemus ſuperbire de uiribus noſtris, & ut uidetur, feruere zelo diuino.

Pſalm.1. In iudicio autem Domini uelut cera à facie ignis, & ſicut puluis quem proiicit uentus, à facie terræ deficimus. Petrus igitur typus eorum eſt, qui aliquid citra gratiam facere conantur, illis contingit, ut & Chriſtum mendacij accuſent, & quod facere geſtiunt, efficiunt nunquam. Chriſtum quidem mendacij arguunt, qui dixit: Sine
Ioan. 15. me nihil poteſtis facere. Ipſi autem propoſito non ſtant. Nam Pau-
Rom. 7. lus ait: Non quod uolo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago.

Ex his igitur facile colligi poteſt, quòd Euangeliſtæ non libidine inuehendi aut aggrauandi aliena peccata, hanc Petri hiſtoriam tam diligenter deſcripſerunt, ſed tantum ad inſtitutionem noſtram: Eſt enim notatu digniſsima. Nam primo uidemus hic, ne minimum uerbum Chriſti fuiſſe uanum, id quod maxime fidem noſtram confirmat: alioqui, ſi unum Chriſti uerbum uanum fuiſſet, de omnibus dubitari poſſet. Deinde uidemus hic, quàm nihil in uiribus humanis ſitum ſit. Quemadmodum enim ferrum, quamuis per ſe durum ſit, lapidibus tamen facile retunditur, niſi liquore quodam firmetur: Sic animus humanus, etiamſi ueritatis amore cuncta ſe pericula ſpreturum iactet, aſperitate tamen certaminum uincitur, niſi ſancti Spiritus gratia firmetur. Si enim Petrus tantæ fidei & dilectionis, qui tam diu cum Chriſto conuerſatus fuit, tam eidem familiaris, ut cœleſte ei gaudium in transfiguratione guſtandum præberet, ſic cecidit, quid de nobis ſperandum eſt? Nulla igitur uſquàm ſecuritas eſt, quàm diu ſumus in hoc mortali corpore. Cecidit Angelus in cœlo, Adam in Paradyſo, Petrus in mundo. Quis igitur
Rom.11. non timeat incomprehendibilem altitudinem iudiciorum Dei? Merito igitur Paulus monet: Noli altum ſapere, ſed time. Et iterum:
1.Cor. 10. Qui ſtat, uideat ne cadat. Iuſtus tibi uideris, ſed neſcis an talis ſis coram oculis Dei, ſaltem ignoras, quid cras futurus ſis: Intuere ſanctum Petrum. Quis credidiſſet aut ipſe aut alius, quòd à tanta fiducia & charitate, abſq; impugnatione ualida cecidiſſet in tantam inconſtantiam & impietatem? Ediuerſo, quis iudicaſſet latronem illum ſaluandum? Nihil igitur ſecurius eſt, quàm in profunda humilitate ſollicite manere, diuinam expectare miſericordiam, non ſe de propriis extollere meritis, aut ſtolide iudicare alios. Cum igitur aliquem peccare uideris, quantumcunq; malus tibi uideatur, geme in corde tuo, & dic Deo: Diues es Domine in miſericordia, potes hanc miſellam creaturam releuare à ſimo peccati. Ediuerſo, ſi uides hominem pietati ſtudentem, glorifica Deum, & dic: Cuſtodi quæ ſumus Domine, quæ in hunc collocaſti dona. Eſt enim pulcher gra-

tiarum

tiarum thesaurus, quem hic reposuisti, sed uas est fragile, uarijs circumdatum latronibus: Nisi custodieris, facile dissipabitur. En hoc nos docet negatio Petri. Specialiter tamen monentur per hoc Rectores Ecclesiæ ne superbiant, ne præsumant. Periculum enim est, si præsumptuosus quisque hoc fungatur ministerio. Is enim nescit alijs compati aut misereri: Nescit aliud, nisi cum austeritate præesse, terrere, punire, &c. Suaq; austeritate infirmas animas ad desperationem adigere, sicq; cadit tota administratio. Hinc Paulus pro speciali commendatione Christi dicit, eum talem Pontificem esse, qui possit & sciat compati alijs: immo ideo & Petrum cadere permisit, ut & ipse disceret alijs compati. Hebr.4. At hæc negatio Petri, etiam omnibus peccatoribus est consolatio & doctrina. Consolatio, ut non desperent de uenia, cum uideant Petrum post tantum casum ad gratiam receptum esse: Doctrina autem est, ut ipsius exemplo discant, quibus medijs in gratiam redire possint. De quo infra latius. Demum etiam non sine mysterio factum est, quòd Petrus in primo ingressu domus Pontificiq; negat, idq; ad impulsum ancillæ. Prima enim professio in aulis Principum, est Christum negare, hoc est, & Deum, Christum, iustitiam, & ueritatem, immo & propriæ animæ salutem postponere, & sola ea quæ sunt mundi curare.

Hoc autem maxime fit, cum quis ab ancilla introducitur, hoc est, auaritia: Radix quippe omnium malorum est cupiditas. Quem autem timor Domini, fidelis scilicet seruus introducit, is etiam in aulis Principum & negotijs mundi Christo adhærere potest, quemadmodum uidemus in Dauide, Daniele, Hester, & Mardochæo, item in Ioseph, &c. Finaliter qui casum & negationem Petri legit, oret Dominum, ne unquam in talem tentationem incidat, ut Christum neget. Sit nobis hæc Petri infirmitas fortitudo, quandoquidem & de ipso scimus, quod post acceptum Spiritum sanctum, se potius in frusta concidi passus fuisset, quàm ut Christum negaret, &c. 1.Timo.6.

Pontifex ergo interrogauit Iesum]

Qui contendunt nihil in domo Annæ factum esse, nisi quòd honoris ipsius gratia, Christus primo ad ipsum ductus est, omnia hęc ad Cayphã referunt, qui Pontifex illius anni erat. Cęterę, siue ipse siue Annas prioris anni Pontifex hoc fecerit, hoc parum refert: nos rem ipsam consyderemus. Pontifex ergo ille quisquis tandem fuerit, siue Annas siue Cayphas, pro officio suo Christum examinare erroriscq; conuincere conatur. Astat Christus uinctus, superbiamque illius impij fert, quasi esset omnium hominum infimus, itemq; patitur se examinari, quasi omnium indoctissimus esset. An non insignis patientia? Et tu igitur noli ægre ferre, si ab indoctis & superbis contemnaris, Christus hic te suo exemplo præcedit. Duo

autem inquirit Pontifex ille, de discipulis scilicet, & de doctrina eius. Hoc ne erat peccatum Iesu? Nihil ne aliud sciebat de ipso impius Pontifex? Ergo accusatio in interrogationem mutata est: Fortasis tamen hoc interrogare uoluit, ubi essent discipuli eius. Cur ipsos elegisset, & quid cum ipsis facere intenderet. Hæc autem quæstio eò tendebat, ut ipsum seditionis suscitandæ nouarumq; rerum moliendarum conuinceret. De doctrina autem uidetur interrogasse, qualis esset & unde eam haberet, Num doctrinæ Moysi & Prophetarum consentiret, quasi diceret, Longe alia doces, quàm Moyses & Prophetæ. Hæreticus ergo & seductor es, & discipulos habes, qui hæresim tuam in totum orbem Iudæorum spargunt. Ad hæc noua quædam instituisti de Baptismo, citra nostram authoritatem. Denicq; hæc omnia agis, cum non sis ex tribu Leuitica, & tamen authoritatem docendi tibi usurpas. Putas ne nobis tacendum esse? & tantam in te morum & doctrinæ insolentiam contra ueterum institutа tolerandam? Immo satis diu tacuimus, iam dabis pœnas, &c.

Obserua hic, quòd Christo non obijcitur, nec obijci potest, quòd fuerit homicida, aut fur, aut adulter, aut raptor: sed tantum quòd docuit & discipulos assumpsit. Hoc ante omnia mundus in ipso
Ioan. 7. odit, quòd non tacet, sed arguit: Me, inquit, odit mundus, quia testimonium perhibeo de ipso, quòd opera ipsius mala sint. Si Christus taceret & non argueret, mundus eum ferre posset: At quomodo posset ueritas tacere? non arguere? Qui fieri posset, ut Sol non manifestaret, quid pulchrum, quid deforme sit? Vide igitur ingratitudinem nostram, uel hoc ipso, quod mundus in eo odit, summo honore dignus esset Christus, & omnibus modis laudandus: summa enim gratia est, quòd ueritatem docuit, quodq; è mundo, ne cum impijs perirent, quos uoluit elegit.

Cæterum, quòd Pontifex ille de doctrina & discipulis Christi interrogat, malum non est, immo potestatis spiritualis officium est curare, ne aliena doceantur. Bonam igitur speciem prætendebat Pontifex, sed mala suberat mens. Sciebat nanq; Christum uera docuisse: Poterat insuper ex signis ipsius ueraciter conijcere, ipsum à
Ioan. 9. Deo missum, quemadmodum & cæcus: Si, inquit, non esset hic homo à Deo, non posset facere quicquam. Non igitur debebat Pon-
Ioan. 3. tifex interrogare de doctrina Christi, sed cum Nicodemo dicere: Rabbi scimus, quia à Deo uenisti magister, &c. Verum impius ille Pontifex, nihil horum agit, sed superbo ei animo & truci uultu obijcit, quòd docuerit, & discipulos asciuerit. Sperabat enim futurum, ut Christus territus, ueniam peteret & sua reuocaret, aut si pergeret seipsum defendere, aliquid fortasis diceret, unde cõmode posset accusari. Hoc uenabatur Pontifex ille pius.

Ego palam locutus sum mundo]

Mitissimus

Mitissimus Dominus, nihil de discipulis dicit, de quibus ab eo tempore parum boni sciebat. Nam unus eum tradiderat, alter negauerat, alij omnes ipsum deseruerant. Noluit tamen eorum mala reuelare, docens, non statim reuelanda esse aliorum mala.

De doctrina autem respondet, ubi docuerit, & coram quibus, nō autem quid docuerit. Sciebat enim Pontificem iniquo animo interrogasse. Boni siquidem iudicis est, ueritatem inquirere, non calumniam: hic autem tantum calumniam quærebat. Quod ad doctrinam igitur attinet, Christus non tacet, ne uideretur doctrinæ suæ pœnitere, sed eandem confirmat, docens nos constanter affirmare ueritatem. Duplici autem argumento probat doctrinæ suæ ueritatem. Primo, quod non occulte, sed palam docuit, qui enim male agit, odit lucem: Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem. Ioan.3. Secundo, quòd iudicium auditoribus suis permittit: Ego, inquit, palam locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil, quod scilicet occultare uelim, uel quod lucem ferre non possit. Immo manifeste etiam Apostolis præcepit: Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine, &c. Plærag; quidem solis discipulis dixit, uerum non ob aliam causam, quàm quod alij ea capere non poterant. Luc.12.

Quicquid enim Christus docuit, uult publicum esse & omnibus notum, ne quis se excusare possit. Hinc & Paulus: Si opertum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt opertum est. Reuera enim Christus palam loquitur mundo: Sapientia enim clamitat etiam nunc in plateis, &c. Nemo igitur se excusare poterit de ignorantia. 2. Cor.4. Prouer.8.

Ego semper docui in Synagoga, &c.]

Verissimum est & hoc, quod in Synagogis & templo Iudæorum docuit, ubi omnes solebant conuenire: immo non solum in templo et Synagogis, sed etiam in nauibus, in montibus, & campis, Luc. 16. Hoc est, publice, & ubi maxime conueniebant homines. Nec illi igitur quicquam excusationis habent. Vnde & aliàs ipsis dixit: Si non uenissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Hactenus igitur Christus responsione sua ostendit, ubi & quibus locutus sit: Restabat, ut diceret quæ fuerit doctrina eius, uerum hoc non merebatur impius Pontifex audire. Nihil igitur hic Christus aliud respondet, quàm quòd ad auditores suos prouocat & appellat, id quod est signum fidentis in ueritate dictorum. Matth. 5. Luc. 5. Ioan.15.

Hoc falsi doctores non facerent, propria nimirum absterrente eos conscientia, quæ ipsis dicit, quòd doctrina eorum lucem ferre non possit. Non appellant hæretici ad suos libros, uel ad suos auditores, sed propria uafricie uolunt errata sua defendere: Nam nec libris nec auditoribus suis satis fidunt. At Christus.

Quid (inquit) me interrogas? interroga eos, qui me audierunt]

Quasi diceret, Ille de causa necessario requiritur, cuius cum de facto constet, facti tamen modus nescitur. Sic necessario Iosue quæ-
Iosue.7. rebat ab Achan, quid fecisset. Deprehensus siquidem erat per sortem, quòd peccasset, sed quid peccasset ignorabatur: Ego autem cuius causa nunc à te tota in doctrina constituitur, palam locutus sum. Hæresim non docui, sed ueritatem, auditores testor, neq; enim in angulo hæc res gesta est, nec lucem odi. Cur auditores non interrogas? aut cur damnas uerbum non auditum? Item, quid me interrogas, quem indignum iudicas, cui credatur? Si malum est docuisse, male agunt omnes legis interpretes: Si uero male docui, hoc ipsum oportebat te non ex propria suspitione & inuidia iudicare, nec ex calumniatoribus discere, sed ex auditoribus. Ideo lege uel more iudicij, quia non conceditur in legitimo iudicio, ut quisquã sibi ipsi testis sit, ad auditores meos appello. *Interroga eos, ecce hi sciunt quæ dixerim.* Non enim ita timeo aut erubesco de doctrina mea, ut etiam auditores maxime de hac audiri uelim: Adeo non timeo, ut etiam ab aduersarijs tuta esse sciam quæ docui.

Obseruandum hic, quòd non dicit, Interroga discipulos meos aut amicos, sed generaliter appellat ad auditores, quasi diceret, Nullum excludo, nullum timeo. Atq; hic uides, quanta sit confidentia ueritatis: Sola ueritas dicere potest, Neminem timeo. Nulla alia doctrina adeo perfecta est, ut hoc dicere possit, præter eam, quam Deus per uerbum suum reuelauit. Cæterum Christus pulchre hac sua responsione impij Pontificis conscientiã percussit: Quid me (inquit) interrogas? Quasi diceret, Quid bonam adeo speciem prætendis, cum ueritatem non quæras, sed calumniam? Item, quid interrogas, quod scis? Conscientiam tuam appello, ipsa tibi pro me iam dudũ respondet. Vere terrificum uerbum, ubi Deus propriam cõscientiam nostram contra nos in testem producit. Sic & alibi conscientias impiorũ sacerdotum tetigit, cum diceret de adultera: Qui sine pec-
Ioan. 9. cato est, primus in illam lapidem mittat.

Hactenus igitur, q̃ uerissime & modestissime responsum dedit Christus, Sed quid secutũ est? Quid aliud, q̃ quod à contẽptoribus ueritatis fieri solet? Pro responsione accipit alapam: Attamẽ melius est suscipere alapam ab aperto inimico, quàm osculum à falso amico.

Vnus (inquit) ministrorum dedit alapam Iesu]

Hic exhorrescat cœlũ, contremiscat terra de Christi patientia, & serui huius impudentia. Quis non hęc legens imprecaretur seruo illi, ut uel igni desuper conremareẽ, uel à terra absorberetur. At patientiã
Ioan.8. hic nos docere uoluit Christus. Eodẽ modo et alibi nõ semel propter

annunci-

annunciatam ueritatem, lapidibus eum impetebant. Confesi erant iam dudum hi sacerdotum ministri, quòd nunquam sic locutus esset homo ut Christus, hic tamen eum alapis pulsant. Itaq; fortis iste percussor & mollis adulator, fortium illorum robustissimum se ostentauit, de quibus Domini spiritus in Propheta loquitur: Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Qui enim sunt illi fortes, nisi qui sic irruerunt in Dei fortitudinem? Eorum autem uel hic præcipuus erat, qui ut domino suo placeret, suumq; illi studium commendaret, tam atrociter irruit in Dei sapientiam & uirtutem. Vel hinc igitur discimus, qualis fuerit hic iudex, quale item iudicium. Nam primo iniquum est iudicium, ubi quilibet etiam ante iudicium, potestatem habet in reum. Deinde iniquus est iudex, qui uidens reum ante datam sententiam affligi, tacet & non prohibet: multo magis si uideat innocentem affligi. Signanter autem iniquitas huius serui, arguit iniquitatem domini sui. Secundum enim Principem & iudicem populi, sic & ministri eius. Et Princeps qui libenter audit uerba mendacij, omnes ministros impios habet. Tales igitur iudices, tale iudicium, tales accusatores Christus habet, qui non expectant iudicis sententiam. Quid igitur mirum, si Christus in humano iudicio succumbit? Sic & Paulo contigit, cum rationem in iudicio reddens, iussus fuit contra fas & ius in faciem cædi à Principe sacerdotum. Immo generaliter nihil aliud expectet Christianus à mundo, post confessionem ueritatis, nisi alapam. Sic igitur Christus, qui omnibus iuste iudicat, immo qui misericorditer etiam impios pœnitentes absoluit, nullam in hoc iudicio iustitiam inuenit, tantum abest, ut misericordiam inuenerit. Vide item huius serui impietatem, qui ut impio aduletur, in innocentem contumeliosius est, immo ut hominis fauorem acquirat, in Deum ipsum impius est. Vide enim quem percutiat, tamq; uiliter tractet, nempe Dominum maiestatis: Eum, inquam, cuius tanta est in creatura autoritas, & tanta creaturarum obedientia, ut omnia potius in nihilum redirent, quàm naturalibus suis actionibus uel minimam eius transgrederentur ordinationem. Hunc tamen percutit uilissimus hic seruus, qui nisi ab eo, qui percussus est, seruaretur, in nihilum continuo redigeretur, immo nisi ipse Dominus percussus prohiberet, omnis contra impium hunc creatura sui factoris iniuriam ulciscens, insurgeret. Si enim creaturæ sæpius uindictam exercuerunt in eos, qui contra seruos Dei peccant (Siquidem terra deglutiuit Dathan & Abiron, aqua submersit Pharaonem, ignis excussit Sodomitas, &c.) quanto magis creaturæ uindictam exercuissent in uilissimum hunc seruum, qui in ipsum Dominum maiestatis contumeliosus erat? sed Dominus prohibuit. Consydera hoc homo ingrate, qui ne unum quidem rigi-

Ioan. 8.
Ioan. 7.
Psal. 58.
Eccles. 10
Prou. 29.
Act. 23.
Num. 16.
Exo. 14.
Gen. 19.

dum

dum uerbum nis pati, quin mox excrucias te ira, exprobras, iuras, murmuras, non expectas, donec Deus te uindicet, sed mox meditaris uindictam per uerba & per facta, pœnitet te, quòd iniuriam non retuleris, gloriaris de uindicta: Hic tamen uides Regem omnium, qui talem susceperit iniuriam à tam uili homine, idq; in loco publico, & in faciem illam sanctissimam, etiam Angelis desiderabilem. Poterat quidem brachium Domini repercutere percutientem, nec eum solum, sed & illum parietem dealbatum, impium dico Pontificem, quem tam rigidus stipes fulciebat, sed accepit iniuriam, seruauit patientiam, reddidit doctrinam: Omnia in exemplum nostrum. Obseruandum autem, quòd seruus ille insignem illam contumeliam Christo illatam, insuper etiam uerbis contumeliosis auget.

1. Pet. 1.

Act. 23.

Sic (inquit) respondes Pontifici?]

Quasi diceret, Non attendis, quàm uilis tu sis, quàm glorioſus autem Pontifex Dominus meus? Typum igitur gerit hic seruus omnium adulatorum. Deinde omnium illorum, qui in aulis Principum Christum in pauperibus suis percutiunt, hoc est, contra ius, fasq; pauperes opprimunt ad conplacendum dominis. Denique plura agunt & comminiscuntur in grauamen pauperum, de quibus tamen nullam iussionem habent. Sed quid ad hęc dicit Pontifex, cum uideret seruum suum sic ante latam sententiã proteruientem? Tacet, dissimulat, & interim si quis eanem eius percussisset, non impune tulisset. Hæc est Tyrannorum natura, quòd pauperes canibus uiliores æstimant. Sic igitur Christus & tunc & nunc quoq; solus in mundo, non inuenit uindicem iniuriæ suæ. Nam proprias iniurias facile ulciscimur, Dei autem iniuriam nemo curat.

Iam attende, qua facie seruus hic Christum intuiturus sit in iudicio, quem tam atrociter percussit? quomodo non timebit aut expallescet? Atqui non solus hic seruus Christum percussit, immo omnes nos in ipso Christum percussimus. Nisi enim peccata nostra fuissent, non potuisset seruus hic uel Christum contingere: Peccata nostra manum illius armauerunt, & impulerunt ad percutiendum.

Quomodo igitur coram illo iudice comparebimus, quem sic dehonestauimus? Vides hic, quanta sint peccata nostra, quamq; merito terrorem nobis incutere debet passio Christi. Verum non ob id desperemus, quin potius ab eo ipso, qui hæc passus est, consolationem quæramus. Non solum enim à nobis, sed etiam pro nobis passus est. Hanc enim ignominiam in se recepit, ut nos ab eterna ignominia liberaret. Sed quid Christus hic agit? patienter quidem fert illatam iniuriam, nec repercutit, immo ictitius aliam

quoq;

aliam quoq; maxillam iniurianti obuertisset, quàm quòd se uindicas- Matth. 5.
set, id quod et alibi docuit. Interim tamẽ uerbis non tacet, sed ferien
tem arguit, immo potius benigniter admonet.

Si male (inquit) locutus sum, testimonium perhibe de malo.]

Poterat Christus dicere, Quomodo aliter responderem impie adulator? Quid amplius facerem? Num uelles, ut Pontifici, immo Idolo tuo pedes osculer, & ipsum lucem mundi dicerem? Quod interrogauit, hoc respondi, Quid amplius quæris impie? Sic, inquam, & adhuc acrius poterat Christus increpare hunc seruum: Verum, ut nobis daret exemplum, quàm mansuetissime illi respondit, idq; argumento bicorni, quod undiq; seruum illum constringeret. Est enim sensus uerbi, quasi diceret Christus, Aut male aut bene locutus sum, hoc ipse fateri cogeris. Si male, ostendere debueras, in quibus male dixerim: Si autem bene dixi, non debebas me contra ius & fas cædere. Hoc aũt Christus non dixit ex ira aut impatientia: Nec hoc ipsius uerbum ei contrariatur, quod alibi de obuertenda altera max- Matth. 5.
illa dixit. Si enim uerbum illud recte intellexeris, inuenies Christum plane & perfecte suę ipsius doctrinę satisfeciss̃e. Magnum em̃ illud patientię præceptum, non tam in corporis ostentatione, q̃m in cordis præparatione adimpletur. Habet enim hanc sententiã: Si iniuria, contumelia aut damno, à quopiam affectus fueris, tantum abest, ut liceat tibi iniuriam iniuriæ reddere, aut teipsum talione uindicare, ut citius & promptius grauiora & molestiora tibi ferenda sint. Hoc nimirum est alteram maxillam percutienti obuertere. Ad hanc igitur sententiam exige hoc Christi factum. Num uindicauit se? Nequaquam. Num maledicta regessit? Non. Scribit enim Petrus: Cum 1. Pet. 2.
malis afficeretur, non minabatur. Defensionem igitur audis, non accusationem: monitionem audis, non contumeliam.

Si bene, inquit, locutus sum, quid me cædis?]

Non percutio, non uindico meipsum, sed moneo te, ut resipiscas, ne peiora tibi à Deo contingant. Cædis me, quem reprehen- Ioan. 7.
dere non potes: cædis me, quem prius admirabaris: cædis me, qui non fungeris officio iudicis: cędis me, qui nunquã te læsi. Nihil igitur per hanc contumeliam efficis, quàm quòd teipsum damnas.

Tripliciter igitur Christus hic suam mansuetudinẽ ostendit. Primo, quod se non ulciscitur, cum tamen facillime hoc posset. Secundo, q̃ nec irascitur. Et tertio, q̃ eum etiam insuper monet, instruit, ac pro malis bona impendit. Hic igitur primo arguitur impatientia nostra, qui semper uindictę cupidi sumus, etiã in minimis iniurijs illatis.

Nec

Eccles. 10. Nec recordamur scriptum esse: Viæ ad mortem sunt eorum, qui in-
Eccles. 28. iuriæ memores sunt. Et iterum: Relinque proximo nocenti tibi, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Discamus igitur illatas iniurias patienter ferre, quandoquidem non primi nec soli sumus, quibus hoc contingit. Discamus item in aduersis os compescere, ne contra Deum murmuremus. Quod autem Christus omnia alia tacitus pertulit, præter hanc alapam, non sine causa factum est. Primo enim non tacuit, ne seruus ille putaret, propter externam persecutionem, reticendam esse ueritatem. Deinde, ne putaret sibi suisq; similibus in pauperes licere quicquid libet. Præterea, ne putaret non licere, ut principes arguantur uerbo Dei, cum uerbum Dei nulli parcat: Est enim omnium iudex. Per hoc igitur docere nos uoluit, ut patienter quidem feramus aduersa, sed tamen interim non taceamus, quæ ad persecutorum salutem faciunt, itemq;, ut causam iniustam nunquam probemus, etiamsi nobis patiendum sit, sed instemus opportune, importune, ac increpemus eos, qui uim afferunt: Interim autem parati expectemus, quicquid illaturi sint hostes. Cæterum quæ hactenus dicta sunt de alapa illa & responsione Christi, apertissimis uerbis prę-
Isa. 50. dixit Isaias: Faciem, inquit, meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Item, Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus. Item, Posui faciem meam ut petram durissi-
Mich. 5. mam, & scio quia non confundar, &c. Sic & Michęas: In uirga, inquit, percutient maxillam iudicis Israël.

Tunc misit eum Annas uinctum ad Caypham]

Christus uinctus ducitur ad Annam, uinctus item ad Caypham. Apud huiusmodi enim homines ueritas semper uincta est: Nemo enim illis audet loqui, nisi quæ uolunt & amant. Impietas autem Annę uel ex hoc apparet, quod Christum etiam post ipsius congruentissimam responsionem non absoluit, sed uinctum reliquit, immò maiori & potentiori aduersario tradidit, ut uel in ipso iterū uideatur
Dan. 13. illud Danielis impletum: A senioribus Israël egressa est iniquitas. Obserua, quod qui esse debebant asylum afflictorum, & iniuste oppressorum. Itemq;, quos uel maxime decebat ęquos esse iudices propter sacerdotium, scientiam & senectutem, hos Christus inuenit omnium iniquissimos. Sic nusquam minor misericordia inuenitur, q̄ apud hypocritas. Nusquam uilior est Christus, quàm apud eos, quos uel maxime gratos esse oportebat. Cæterę Ioannes hic omittit, quid in domo Cayphæ Christus perpessus sit, non q; ea iudicarit indigna quæ scriberentur, sed quia alij Euangelistæ diligentissime ea scripserunt. Deinde maluit ea silentio transire, quàm uerbis exprimere, quæ pro sua magnitudine satis exprimi non possunt. Igitur, incipit quidem de Caypha dicere, sed in medio conatu cessat, quasi magnitudine rerū uictus, dicere uelit, Quid opus est multis hic dis-

ferere,

scire, quid Christus in domo Cayphæ passus sit? sufficiat indicasse, quod ad ipsum perductus est, qui primus consiliū dedit ut occideretur, apud quem & eo anno erat potestas, & cuncti hostes Christi conuenerant. Hinc enim facile quis conijciet, quid illic perpessus sit. Si enim hactenus tanta passus est in captione & Domo Annæ, quanto maiora hic passus est, ubi ad ueros hostes peruentum erat? Ita profecto, iniquissima Christus in Domo Cayphæ perpessus est, sd quod ex alijs Euangelistis satis patet. Atq; utinā non eadem etiam nunc pateretur à nobis. Non enim frustra dictum est à Paulo, quod quidam denuo sibijpsis Christum crucifigant & ostentui habeant, &c. Non igitur in solos Iudæos hic, sed etiam in nosipsos respiciendum est. Heb 6.

Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se]

Iam enim algebat affectu. Magnū siquidem frigus est, ubi Christus non agnoscitur. Hæc igitur est secunda Petri tentatio, multo tamen maior & grauior priori. Iam enim non ab inermi muliere, sed à uiris & multis & armatis, denicq; Pontificum seruis interrogatur. Eundem tamen exitum habuit, quem prima. Negauit enim iterum. Nec mirum. Qui enim in prima tentatione non steterat, quomodo staret in secunda? Qui à muliere terrebatur, quomodo non terreretur à uiris armatis? Deinde, quomodo non iterum caderet, qui à suis separatus, inter impios conuersabatur, & tanquam oblitus sui, stabat ociosus, & calefaciebat se, cum Christus dixisset: Ego uos elegi, non ut stetis ociosi, sed ut eatis & fructum afferatis. Vides hic, quid faciat societas mala. Petrus in cœtu Discipulorum confitetur Christum, inter seruos autem Pontificum negat se Christianum. Adeo uerum est, quod dicitur: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Sic de Israëlitis dicitur: Commixti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum. Hinc pijs dicitur: Exite de Babylone populus meus, &c. Vides deinde iterum, quàm rara Christi professio sit in principum aulis, immo plærunq; in aulis principum impij efficiuntur, qui prius sancti erant. Vides tertio, quod Diabolus omnium maxime tentare solet ociosos. Semper igitur aliquid operis facito, ut te Diabolus occupatum inueniat: Omnia enim mala docuit ociositas. Cæterum Petro sic ociose stanti, comparantur ociosi pastores, qui diuitijs peccatorum assidentes, auide delectantur, gladio uerbi Dei recondito. Obliti quod Psalmista dixit: Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Putant enim se fortes clauicularios cœli esse, cum munera libenter accipientes, & ueritatem reticentes, tali Petro potius similes sunt, quales fuit, cum ad istas prunas resideret, quàm qualis fuit in die Penthecostes, & deinceps, ubi dicebat: Argentum & aurum non Ioan. 15. Psal. 17. Psal. 105. Apoc. 18 Eccles. 33. Psal. 36 Act. 3.

Eccles. 10. Ecclesi. 28. Nec recordamur scriptum esse: Viæ ad mortem sunt eorum, qui iniuriæ memores sunt. Et iterum: Relinque proximo nocenti tibi, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Discamus igitur illatas iniurias patienter ferre, quandoquidem non primi nec soli sumus, quibus hoc contingit. Discamus item in aduersis os compescere, ne contra Deum murmuremus. Quod autem Christus omnia alia tacitus pertulit, præter hanc alapam, non sine causa factum est. Primo enim non tacuit, ne seruus ille putaret, propter externam persecutionem, reticendam esse ueritatem. Deinde, ne putaret sibi suisq; similibus in pauperes licere quicquid libet. Præterea, ne putaret non licere, ut principes arguantur uerbo Dei, cum uerbum Dei nulli parcat: Est enim omnium iudex. Per hoc igitur docere nos uoluit, ut patienter quidem feramus aduersa, sed tamen interim non taceamus, quæ ad persecutorum salutem faciunt, itemq;, ut causam iniustam nunquam probemus, etiamsi nobis patiendum sit, sed instemus opportune, importune, ac increpemus eos, qui uim afferunt: Interim autem parati expectemus, quicquid illaturi sint hostes. Cæterum quæ hactenus dicta sunt de alapa illa & responsione Christi, apertissimis uerbis prædixit Isaias: Faciem, inquit, meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Item, Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus. Item, Posui faciem meam ut petram durissimam, & scio quia non confundar, &c. Sic & Michæas: In uirga, inquit, percutient maxillam iudicis Israël.

Isa. 50.

Mich. 5.

Tunc misit eum Annas uinctum ad Caypham]

Christus uinctus ducitur ad Annam, uinctus item ad Caypham. Apud huiusmodi enim homines ueritas semper uincta est: Nemo enim illis audet loqui, nisi quæ uolunt & amant. Impietas autem Annæ uel ex hoc apparet, quod Christum etiam post ipsius congruentissimam responsionem non absoluit, sed uinctum reliquit, immò maiori & potentiori aduersario tradidit, ut uel in ipso iterū uideatur illud Danielis impletum: A senioribus Israël egressa est iniquitas. Obserua, quod qui esse debebant asylum afflictorum, & iniuste oppressorum. Itemq;, quos uel maxime decebat æquos esse iudices propter sacerdotium, scientiam & senectutem, hos Christus inuenit omnium iniquissimos. Sic nusquam minor misericordia inuenitur, q̄ apud hypocritas. Nusquam uilior est Christus, quàm apud eos, quos uel maxime gratos esse oportebat. Cæterę Ioannes hic omittit, quid in domo Cayphæ Christus perpessus sit, non q̄ ea iudicarit indigna quæ scriberentur, sed quia alij Euangelistæ diligentissime ea scripserunt. Deinde mauult ea silentio transire, quàm uerbis exprimere, quæ pro sua magnitudine satis exprimi non possunt. Igitur, incipit quidem de Caypha dicere, sed in medio conatu cessat, quasi magnitudine rerū uictus, dicere uelit, Quid opus est multis hic disserere,

Dan. 13.

ſcire, quid Chriſtus in domo Cayphæ paſſus ſit? ſufficiat indicaſſe, quod ad ipſum perductus eſt, qui primus conſiliū dedit ut occideretur, apud quem & eo anno erat poteſtas, & cuncti hoſtes Chriſti conuenerant. Hinc enim facile quis coniiciet, quid illic perpeſſus ſit. Si enim hactenus tanta paſſus eſt in captione & Domo Annæ, quanto maiora hic paſſus eſt, ubi ad ueros hoſtes peruentum erat? Ita profecto, iniquiſsima Chriſtus in Domo Cayphæ perpeſſus eſt, id quod ex aliis Euangeliſtis ſatis patet. Atq; utinā non eadem etiam nunc pateretur à nobis. Non enim fruſtra dictum eſt à Paulo, quod quidam denuo ſibiipſis Chriſtum crucifigant & oſtentui habeant, &c. Non igitur in ſolos Iudæos hic, ſed etiam in noſipſos reſpiciendum eſt. Heb 6.

Erat autem Simon Petrus ſtans & calefaciens ſe]

Iam enim algebat affectu. Magnū ſiquidem frigus eſt, ubi Chriſtus non agnoſcitur. Hæc igitur eſt ſecunda Petri tentatio, multo tamen maior & grauior priori. Iam enim non ab inermi muliere, ſed à uiris & multis & armatis, denicq; Pontificum ſeruis interrogatur. Eundem tamen exitum habuit, quem prima. Negauit enim iterum. Nec mirum. Qui enim in prima tentatione non ſteterat, quomodo ſtaret in ſecunda? Qui à muliere terrebatur, quomodo non terreretur à uiris armatis? Deinde, quomodo non iterum caderet, qui à ſuis ſeparatus, inter impios conuerſabatur, & tanquam oblitus ſui, ſtabat ocioſus, & calefaciebat ſe, cum Chriſtus dixiſſet: Ego uos elegi, non ut ſtetis ocioſi, ſed ut eatis & fructum afferatis. Vides hic, quid faciat ſocietas mala. Petrus in cœtu Diſcipulorum confitetur Chriſtum, inter ſeruos autem Pontificum negat ſe Chriſtianum. Adeo uerum eſt, quod dicitur: Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. Sic de Iſraëlitis dicitur: Commixti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum. Hinc piis dicitur: Exite de Babylone populus meus, &c. Vides deinde iterum, quàm rara Chriſti profeſsio ſit in principum aulis, immo plærunq; in aulis principum impij efficiuntur, qui prius ſancti erant. Vides tertio, quod Diabolus omnium maxime tentare ſolet ocioſos. Semper igitur aliquid operis facito, ut te Diabolus occupatum inueniat: Omnia enim mala docuit ociositas. Cæterum Petro ſic ocioſe ſtanti, comparantur ocioſi paſtores, qui diuitiis peccatorum aſsidentes, auide delectantur, gladio uerbi Dei recondito. Obliti quod Pſalmiſta dixit: Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas. Putant enim ſe fortes clauicularios cœli eſſe, cum munera libenter accipientes, & ueritatem reticentes, tali Petro potius ſimiles ſunt, qualis fuit, cum ad iſtas prunas reſideret, quàm qualis fuit in die Penthecoſtes, & deinceps, ubi dicebat: Argentum & aurum non Ioan. 15. Pſal. 17. Pſal. 105. Apoc. 18 Eccleſ. 33. Pſal. 36 Act. 3.

est mihi, &c. Cæterum, sicut Petrus hoc secundo loco grauius tentatur quàm prius, sic & grauius peccat & cadit. Iam enim non
Matth. 26. simpliciter negat, sed cum iuramento, ut Matthæus ait: Sic uere peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Hoc idem uidemus in Dauide, qui perpetrato
2. Reg. 11. adulterio, non statim pœnitens, cecidit in maius peccatum, nempe in homicidium. Discamus igitur ex hoc casu Petri, principijs obstare, ac paruulos Babylonis, id est, primordia suggestio-
Psal. 136. num malarum allidere ad petram Christum: Qui enim primo non resistit, facile ad alia peccata trahitur. Discamus item, ne si contigerit nos labi, diu maneamus in peccatis, sed festine resurgamus. Sicut enim in Petro semper tentatio tentationem sequitur, donec in profundum caderet: Sic Diabolus, quos semel cepit, non cessat præcipitare, donec in profundum peccatorum uenerint. Sic contigit Petro, bis iam negauerat Christum, insuper gallus semel cantaue-
Mar. 14. rat, ut Marcus refert, nec dum tamen peccatum suum agnoscit, immo nondum prauam societatem deserit. Quid igitur? Iterum insurgit tentatio, iterum eum inuadunt, urgent & feruentius.

Dicit ei unus ex seruis Pontificis, &c.]

Hic iam Petro certum imminebat periculum à cognato illius, quem ipse percusserat. Quid igitur Petrus? Vndiq; constrictus ite-
Matth. 26. rum negauit, immo, ut Matthæus ait, cœpit execrari seipsum & deierare, omniaq; mala sibijpsi imprecari, si unquam nouisset hunc hominem. Vbi enim timor in corde prœualet, nihil aliud possumus, quàm negare. Quid igitur uel dicemus uel cogitabimus, super tanto casu principis Apostolorum? Vide enim, quàm nihil aliud iam possit respondere, quàm: Non sum: Non noui: Nescio quid dicas, cum tamen neq; uiri, nec mulieres illi quicquam minarentur, aut mali infligerent? & quantumuis ueris conuinceretur. Audiebat enim: Vere tu ex illis es: Galilæus es, loquela te prodit: Vidimus te in horto, tamen audet negare omnia. Insuper etiam diris se deuouere, quod tamen nimium fuisset, etiamsi gladium cordi eius appositum uidisset. Verum ita oportebat impleri uerbum Christi, non quod coactus fuerit negare, sed quod Christus præsciebat, eum sic negaturum. Non tamen est, ut propter Petri casum aut aliorum sanctorum lapsus, nobis ipsis placeamus, aut uitia nostra excusemus. Non enim ideo scripta sunt hæc, sed ut cautiores efficiamur & timidiores ante lapsum, & post lapsum non desperemus. Verum, quid tam diu de peccato Petri loquimur, uideamus tandem & pœnitentiam eius: hæc enim nobis proderit. Postquam igitur satis profunde Petrus cecidisset, & profundius adhuc casurus esset, Christus manum ei porrexit, ne omnino periret.

Et statim

Et statim (inquit) gallus cantauit]

Hoc addit, ut uel hic uideamus, quam certo eueniant, quæ Christus prædixit. Non igitur diffidamus etiam in his, quæ adhuc restant. Cæterum ex alijs Euangelistis claret, Petrum per hunc galli cantum admonitum fuisse & sui peccati, & uerborum Domini, statimq; ad lachrymas se conuertisse. Gallus igitur lex est, quæ in cognitionem peccati nos ducit. Cognito autem peccato, & abnegato Christo, quid aliud restat, nisi amarissimus fletus ac perpetua desolatio, nisi Christus oculo gratiæ suæ nos respiciat? De pœnitentia autem Petri alij Euangelistæ latius scripserunt, quam & merito attẽdere debent, qui de Petri casu sibijpsis applaudunt, & meminerint, quod casum secuta sit resipiscentia, idq; non post multos annos, sed statim. Fac igitur & tu similiter, id est, resipisce, & uiues.

Obseruandum in fine etiam hoc circa Petrum, tria requiri ad perfectam Dei dilectionem, ut scilicet diligamus affectuose, prudenter, & fortiter. Cum Petrus olim diceret: Absit à te Domine, non fiat istud, scilicet ut moriaris. Affectuose quidem diligebat Christum, sed non prudenter. Expediebat enim, ut Christus moreretur, quod Petrus nolebat. Matth. 16.

Cum autem hoc loco Christum etiam uinctum sequitur, diligit quidem affectuose & prudenter (uera enim prudentia est, passionem Christi non solum non impedire, sed etiam imitari) sed nondum diligit fortiter, ideo negat: Spiritu autem accepto, etiam fortiter dilexit, ideo & post resurrectionem Christi, tertio interrogatus fuit: Simon Ioannis amas me? Ob eandem causam & nobis non simpliciter dicitur: Diliges Dominum Deum tuum, sed additur: Ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, quod idem est, ac si diceretur, Dilige dulciter, prudenter, & fortiter. Ioan. 21. Matth. 22.

Adducunt autem Iesum à Caypha in Prætorium]

Hactenus quid Christus à Iudæis passus sit, ostensum est, nunc deinceps audiemus, quomodo etiam Gentes in ipsum offenderint, nam ab utrisq; passus est, Iudæis scilicet & Gentibus. Vnde & in Psalmo conqueritur, se & à uitulis, & à canibus circundatum fuisse. Psal. 21.

Cæterum Pilatus ille, ad quem Christus ducebatur, homo potens, & quasi princeps eo tempore erat, à Tyberio uidelicet Cæsare Hierosolymam directus, ut summus esset gubernator & rector Iudaicæ regionis. Habuit autem cognomen, uel potius prænomen, Pontius, fortasis à regione, quæ Pontus dicitur, iuxta Cappadociam & Bythiniam. Domum autem suam, in qua habitabat Hierosolymis, Romano more nominabat Prætorium, quasi domus Prætoris, cum tamen longe maiorem haberet potestatem, quam Præ-

tores Romani habebant. Nec dubium, quin magnæ authoritatis & prudentiæ fuerit. Hoc certe uel ex hac historia patet, quod longe iustior omnibus Pontificibus, sacerdotibus, & Pharisæis Iudæorum fuit. Ad Prætorium igitur Pilati Christum ducunt Iudæi, putantes per dementiam mentis, scelus ad ipsos non redundare, si per alium eum interficerent. Ducunt autem eum non unus aut alter, sed omnes simul, ut uel sic sua præsentia & multitudine & iudicem terrerent, & Iesum inuidia grauarent.

Et ipsi non introierunt in Prætorium, &c.]

Ex insita scilicet & innata hypocrisi, qua semper in paruis rebus erant superstitiosi, cum magna omnino non curarent, nolebant intrare in Prætorium: Vt non contaminarentur, inquit, sed ut manducarent Pascha, quasi hactenus nihil immunditiæ contraxissent in tam indigna tractatione Christi, aut quasi sola domus incircunciſi eos contaminaret, cum interim innocentem tot modis adigerent ad mortẽ. Animam habebant homicidam, linguas homicidas, conduxerant proditorẽ, conduxerant cohortẽ, conduxerant falsos testes, confinxerant falsa crimina, insuper urgent & terrent iudicem, & tamen sibi uidẽtur puri digniq; qui Pascha celebrẽt, nõ ob aliud, q; quod ab ingressu Prætorij se cõtinuissent. Egregia plane puritas, immo stulta & impia cæcitas. Habitaculo scilicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio? Vides quàm accurate hypocritæ illi mundauerint, quod de foris est calicis, cum intus plane cruenti sint.

Matth. 23. Vides præposteram horum hominum iustitiam, quæ tantum in externa specie consistebat, non in corde (erant enim sepulchra dealbata) Item tantum consistebat iustitia eorum in obseruantia humanarum traditionum, quasi Dei præcepta nihil ad iustitiam facerent. Humana constitutio erat, ne Iudæus domum incircuncisi intraret, ut ab immundo & incircunciso non contaminaretur. Lex autem diuina erat: Non inuideas: Non occidas: Non falsum testimonium dicas. Hanc autem Dei legem fortiter contemnunt Iudæi, seruata hominis constitutiuncula. Sic plærique etiam apud nos solis humanis constitutionibus fidunt, & hinc sibi iustitiam pollicentur, interim præcepta Dei nihil curantes. Contra hos non minus militat caput uigesimum tertium Matthæi, quàm olim contra Hypocritas Iudæorum. Immo plærique cum ex toto impij sint, tamen impietatem suam non aliter, quàm humanis traditionibus obseruandis tegunt, quemadmodum & Iudæi hic faciunt. Nam quis existimasset eum populum non sanctum esse, adeoque iustam in Christum habere causam, qui tanta sollicitudine & religione sanctorum patrum constitutiones obseruaret? Si in sancti hominis

mandatum

mandatum non peccant, quanto minus legem Dei præuaricari putandi sunt? Vides hypocrisim. Longe aliam iustitiam nos docuit Christus, cum diceret: Pater sanctifica eos in ueritate. Vera enim sanctificatio est, cum ipse Pater corda nostra usurpat, ut renouet & illuminet ea, cognitione Christi, fide & remissione peccatorum. Hanc autem sanctificationem non agnoscit caro, & sanctificationem quandam carnalem concipit, qua à quibusdam cibis & congressu quorundam hominum, &c. se abstinet, sicut hic Iudęi faciunt, neglecta uera iustitia. Cęterum, quod dicitur (Vt manducarent Pascha) non de agno Paschali intellige, quem præcedenti nocte comederant, sed de azymis panibus, quibus per totos septem dies uti debebant. Itemq; de alijs sacrificijs solennibus, de quibus solis mundis edere licebat. Non enim, ut quidam uolunt, Christus esum agni Paschalis uno die præuenit, quod manifeste patet ex Luca, qui expresse dicit, quod ea nocte, qua Christus agnum comedit, necesse erat agnum Paschalem occidere & comedere. Sed de hoc supra satis dictum. Optimum sane Iudęi comederunt Pascha, uerum nobis, non sibijpsis. Nobis enim sufficit agnus ille uerus, quem ipsi suo scelere immolauerunt. Hic enim est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & est Pascha nostrum. Sequitur: Lucæ. 22. Ioann. 1. 1. Cor. 5.

Exiuit ergo ad eos Pilatus]

Hoc quidem facit præter consuetudinem aliorum rectorum, qui non solent in tantum condescendere populo. Quantumuis enim Gentilis & Ethnicus esset, solamq; rationem in operibus suis ducem legesq; Cæsareas haberet, multo tamen & iustius & ciuilius se habuit, quàm Iudæi, qui scripturam & legem Dei habebant, populusq; Dei dicebantur. Primo enim ciuilitatis erat in Pilato, quod se accõmodauit moribus populi, & cessit pertinaciæ eorum. Videns enim ipsos Ethnici domum abominari, non coëgit ipsos Tyrannide quadam, ut contra receptam consuetudinem Prætorium intrarent, sed iure suo neglecto, exiuit ad eos foras. Oportet enim superiorem non semper esse pertinacem, sed moribus interdum subditorum se accõmodare. Sic & aliâs in Iosepho legis de Pilato, dum statuæ Cæsaris in templo Hierosolymitano erigi præciperentur. Nam uidens populi pertinaciam, qua citius mortem oppetere, quàm statuas in templo ferre uolebant, cessit eis, & statuas è templo deposuit, quanquam armato exercitu ad hanc rem instructo, potuisset omnes, ni obedirent, trucidare. Iustitiæ autem erat in Pilato, quod non mox oblatum & inauditum damnat, quemadmodum ipsi cupiebant. At longe ipsos sua fefellit opinio. Nihil ẽm temere, & sine causę discussione iudex agere uolebat, ideo dixit:

Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc?]

Nemo enim nisi accusatus & responsionis locum adeptus, condemnari debet. Hanc iuris æquitatem seruabat hic Ethnicus. At uero Iudæi econtra clamabant:

Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum]

Quasi dicerent, Euidentia patrati criminis, non indiget clamore accusationis: Solum exequere iudicium, non opus est alia examinatione: Num de nostra iustitia dubitas? Non uides qui simus, qui hunc hominem uinctum adducimus? Siccine honoras summi Dei sacerdotes? Nihil ne inter nos & quemlibet popularem distinguis? Noli putare, quod innoxium morti tradere uelimus. Vides quam obseruantes sumus legis, ut ne in domū tuam ingredi uelimus. Nec putes nos in hac re quicquam uel inuidia uel odio, uel nimium præcipites agere. Omnia enim cum deliberatione ægimus, & inuenimus morte dignum, tantū igitur fer sententiam. Nisi enim esset malefactor, &c. O hypocrisim, o mendacia, o malitiam, sic ne agi debet? Sic ne iustitia exequi debet? Ergo, ut audimus, quilibet uinctus, reus est mortis ut malefactor? Quis non uidet, quod causæ suæ diffidunt, ideo inanibus uerbis iudicem fallere nituntur, ne cogerentur probare ipsum esse malefactorem. Tu interim Christiane malitiam ipsorum consydera. Iusti enim uideri uolunt, etiam reclamante conscientia, quasi nunquam tale quid attemptassent, ac nullum unquam nisi malefactorem occidissent, cum constet, ipsos omnes Prophetas iniustissime occidisse. Deinde malitiam suam in hoc ostendunt, quod Christum uolebant non examinatum, nec conuictum occidi, immo indignum eum iudicant, qui à iudice audiatur, & in quo ulla iuris regula seruetur. Insuper et manifeste ipsum etiam coram publico iudicio malefactorem nominant, qui omnes infirmos ipsorū sanauerat: Interrogentur leprosi, quos mundauit: cæci, quos illuminauit, &c. num malefactor sit, &c. Verum sic scriptum
Psalm. 34. Psalm. 108. est: Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Itemq́, Pro eo quo me diligere debebant, detrahebant mihi: Ego autem orabam. Vere enim Christus hic tacendo orabat, recogitans peccata nostra, pro quibus hanc iniuriā patiebatur. Cæterum Pilatus tam superbe iniusteq́ dictis exacerbatus, iterum reclamat:

Accipite ergo eum & uos, & secundum legem uestram iudicate eum]

Quasi diceret, Si malefactor est, ut dicitis, at non probatis, age utimini lege uestra contra ipsum: Me prohibent leges Romanæ, ne ullum hominem inauditum condemnem. Re uera Pilate, hoc idem habet lex Moysi, & tamen istorum hominum malitia hic fit, ut leges Gentium hic diuinæ legi præferantur. Sciunt Iudæi ex capite 23. Exo. Scimus & nos id ipsum ex uerbis Nicodemi, quod lex Moysi
Ioann. 7.

neminem

neminem iudicat, nisi prius audiatur & conuincatur. Vide autem, quomodo hic elabantur.

Nobis (inquiunt) non licet interficere quenquam]

Quis ergo Stephanū occidit? Quæ potestas ipsum morti adiu- Act.7.
dicauit? Mentiuntur igitur. Vel, Nonne & hoc erat occidere, Christum ad mortem offerre, & mortem eius omni instantia procurare? Sed uolebant ipsum per Romanorū leges occidi, ut tam ipsi, quam lex sua immunes essent. Lapidare ipsorum erat: At crucifigere Romanorum. Hoc quærebant: Non enim simpliciter uolebant Christum occidi, sed cum summo opprobrio. Nec hoc tamen uel casu, uel propter ipsorum consilia sic contigit.

Sed ut sermo Iesu impleretur]

Quo certò prædixerat se Gentibus tradendum, & ab illis cru- Matth.20.
cifigendum. Dixerat item Christus: Oportet exaltari filiū hominis, Ioann.3.
sicut Moyses exaltauit serpentē. Item, Cum exaltatus fuero à terra, Ioann.12.
omnia traham ad me. Item, Cum exaltaueritis filium hominis, tunc Ioann.8.
cognoscetis, quod ego sum. Videntes igitur Iudæi, quod sine accusatione, certorumq; criminū contra Christum prolatione, intentum suum corā Pilato habere non possent, incipiunt eum accusare, ut est apud Lucam. Post auditam aūt accusationē, Pilatus iterum introiuit Lucæ.23.
in Prætorium. Etiam in hoc boni officio iudicis functus est paganus hic. Primo enim, quamuis Iudæi in magna multitudine aduenissent, quasi ui extorquere uellent sententiam, nō tamen eos timet Pilatus. Sic enim & Sapiens monet, ne quis cupiat fieri iudex, nisi animū habeat, qui ausit impijs resistere, etiam potentibus, ne eorum uultum pertimescat, & à iustitia declinet. Secundo, quamuis Iudæi in magnis & grauibus Christum accusassent, nō tamen statim eis credit, quantumuis magnę authoritatis essent, sed prius causam examinat. Præterea Christum secreto interrogat, ne aduersarij eius, qui potentes erant, impedirent, quo minus respondere posset. Insuper non minacibus, sed admodum blandis uerbis eum alloquitur. Decet enim iudicem mansuetum esse: Nam & ipse iudicem suum habet. Sap.7.

Postremo ex multis Iudæorum accusationibus, unam tantum arripit, alias silentio transit. Hæ sunt conditiones boni iudicis. Nec aliud defuit Pilato, quàm fides & timor Dei, quæ qui non habet, non diu manet iustus, id quod & infra in Pilato uidebimus. Sed quod nam illud est, in quo Pilatus Christum examinat?

Tu (inquit) es rex Iudæorum?]

De hoc crimine quærit, quod & ad Cęsaris maiestatē, & ad publicam tranquillitatem pertinebat, deniq; etiam uerisimile uidebatur.

Nam circa Christi tempora, uariæ erant seditiones inter Iudæos, authoribus Iuda Galilæo, item Ægyptio quodam Propheta, itemq; Theuda & Caphedone, ut Iosephus scribit. Verisimile autem uidebatur, Christum eiusdem farinæ esse cum seditiosis, quod noua quædam hactenus inaudita docebat, & miro quodam fauore uulgus sibi conciliarat. Seditiones uero hinc oriebantur, quod septuaginta hebdomadæ à Daniele præscriptæ, iam ferme præterierant, & expectabatur summo desiderio Messias, ut restitueret populum in pristinam libertatem, & è Romana seruitute uindicaret. Proinde multi sibi honorem Messiæ uendicantes, & populo libertatem pollicentes, authores fiebant defectionis à Romano imperio. Et plærique Iesum esse illum expectatum Messiam coniiciebant. Nisi enim fugisset, in regem electus fuisset. Itaq; Pilatus de spirituali regno Messiæ nihil intelligens, & tantum de regno & imperio carnali cogitans, regium nomen Christo obiectum non præterit silentio: timebat enim non tam Cæsari, quàm sibiipsi. Ideo quærit, an ipse sit rex Iudæorum. Nam regem Iudæorum ipsum nominauerant Magi: Populus autem ipsum nominauerat regem Israëlis. Et reuera rex erat Iudæorum & Israëlis, uerum non sicut Pilatus cum suis intelligebat. Et quid dico rex Iudæorum? Erat & est ipse Christus rex omnium regum, ne dicam omnium sæculorum, 1. Tim. 6. Psal. 46. Cæterum sicut mundus primo loco contra Christum queritur, quod non tacet, quemadmodum supra audiuimus in domo Annæ: Sic secundo loco conqueritur de Christo, quod regnare uelit. Timet enim mundus regnum suum perdere. Sic Herodes statim nato Christo timebat: Sic etiam hic Romana potestas timet, ne per Christum destruatur: Sic etiam adhuc mundani homines suis diuitijs & honoribus timent, ne per Christum ea perdant. Sed non est, quod timeatis stulti homines: Non arripit mortalia, qui regna dat cœlestia: Non uenit ut terrena auferat, sed ut cœlestia superaddat: Non prohibet Christus terrena, sed docet eisdem bene uti. Ad interrogationem igitur Pilati, Christus ita respondet, ut neq; se regem esse neget, neq; omnino etiam affirmet, idq; prudentissime fecit. Si enim statim respondisset: Rex sum ego, anteq; regnum suum à regno hominum distinxisset, occasionem calumniæ Pilato præbuisset. Quid igitur respondet?

Dan. 9.

Ioann. 6.

Mach. 2.

Ioann. 12.

Matth. 2.

A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?]

*Quod primo admiratiue legi debet, quasi diceret, Quantam rem dicis imprudens & nescius ô Pilate? Vnde tibi hoc, ut me dicas regem, cum nemo possit dicere hunc Iesum, id est, me esse Dominum, nisi in Spiritu sancto? Certe, undecunq; hoc habes, siue à temetipso siue ab alijs, uere magnã rem dixisti, si modo tua ipsius uerba intelligeres. In hũc modũ & olim Christus admiratus fuit nobile illud

1. Cor. 12.

Matth. 8.

le illud responsum Centurionis, dicentis: Domine nō sum dignus, &c. Vel potest hoc uerbum sic accipi, ut sit reprehensio Pilati, quasi diceret Christus, Si ex propria suspitione hoc mihi impingis, non æquum agis iudicem: Iudex enim non debet iudicare secundum propriam suspitionem, sed secundum causam: Sin autem alij tibi dixerunt hoc de me, ipsorum est probare quæ dicunt, & ostendere signa rebellionis. Maxime tamen in hunc modum respondit, ut occasionem illi daret dicendi quæ sequuntur.

Nunquid (inquit) ego Iudæus sum?]

Quasi diceret, Quomodo ex me ipso hoc dicere possum, quandoquidem Iudæus non sum, sed Ethnicus? Quid autem nos Ethnici de uestris rebus scimus? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi, & te hoc nomine apud me accusarunt: Ipsi tibi hoc impingunt, ego te nec captiuaui, nec accusaui.

Quid fecisti?]

Dic ipse, quibus factis tot & tantos, immo Prælatos illos tuos, omnemque tuam gentem in odium tui prouocaueris? Cæterum ad hoc uerbum Christus non respondet. Nihil enim dignum odio fecerat, immo omnia quæ fecerat, summa laude digna erant. Bene enim omnia fecerat, & bona omnia fecerat, & omnia bona per ipsum etiam creata erant. Ad priorem igitur quæstionem respondet, & distinguit regnum suum à regno mundi, ut ostendat, se nihil contra Cæsarem peccasse.

Regnum (inquit) meum non est de hoc mundo]

Quasi diceret, Pilate fateor & agnosco me esse regem. Hoc nimirum est, quod feci, hoc est crimen illud, quod mihi imponitur. Verum rem hanc recte intellige, Rex quidem sum, sed ita, ut nec Cæsaris tui potentiam usurpem aut imminuam, nec quenquam regum aut principum à potestate & dominio suo expellam. Et ut rem ipsam intelligas, non sum rex mundanus, sed cœlestis, in cuius manu sunt omnium etiam corda regum, quantumuis id tibi non uideatur. Regnum meum, id est, principatus uel administratio. Vel: Regnum, id est, leges & iura. Vel: Regnum meum, id est, ministri & subditi mei. Non est de hoc mūdo, id est, non est ab homine, sed à Deo: Ego, inquit, constitutus sum rex ab eo super montē sanctum eius, &c. Deinde non est de hoc mundo, id est, non est temporale, sed æternū. Transit enim mundus & concupiscentia eius. Præterea, Non est de hoc mundo, non enim consistit in rebus huius mundi, diuitijs, uoluptatibus, pompis (Quicquid enim est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia uitæ) sed in spiritualibus rebus, iustitia scilicet, pace, & gaudio

Psalm. 2.

1. Ioann. 2.

Rom. 14.

dio in Spiritu sancto. Item, Non est de hoc mundo, quia non est corporale, sed spirituale, alioq; modo administratur, quàm mundanum regnum. Hoc enim administratur gladio materiali: Meum autem regnum non opus habet hoc gladio. Nam eius gladius est uerbum Dei. Regnum mundi habet ciuitates, arces, oppida, uillas, exercitus, arma: Regnum meum exigit tantum corda hominum. Mundus dominatur rebus & corporibus: Ego autem cordibus & conscientijs. Mundus dominatur carnali potentia, sed succumbit spirituali: Ego autem carnalem potentiam nihil moror, sed spiritualiter dominor contra peccatum, mortem, & infernum.

Vides quàm pulchrè Christus regnum suum describat. Ad
Zach. 9. eundem ferme modum & Zacharias de regno Christi loquitur: Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, & ipse pauper, &c. Obseruandum tamen, quod non dicit: Regnum meum non est in hoc
Ioan. 1. mundo. Nam Christus etiam mundi Dominus est. Omnia enim per ipsum facta sunt, & omnia etiam adhuc per ipsum adminiMatth. 28. strantur. Data est enim ipsi potestas in cœlo & in terra. Iam si regnum Christi non est de hoc mundo, sequitur igitur, adhuc alium esse mundum. Ideo etiamsi non sentias Christi promissiones in hoc mundo impleri, non tamen despera: nam est alius mundus, in quo impletur quicquid hic non impletur. Item, quia regnum Christi non est de hoc mundo, ideo orare iubemur: Adueniat regnum
Matth. 6. tuum. Hoc igitur primo uerbo Christus Pilatum liberat ab omni formidine. Insuper etiam exemplo hoc ipsum probat, se scilicet immunem esse ab affectatione Cæsareæ aut Regiæ potestatis: *Si, inquit, de hoc mundo esset regnum meum,* non inermes mecum ducerem discipulos, sed armatos, immo haberem consiliarios, milites, exercitus, &c. qui utique in hac mea necessitate, me ut Dominum suum gladijs defenderent, pro me uel morti se offerentes. Vel, si regnum mundanum ambirem, uel ipsi Angeli me defenderent a uiolentia Iudæorum, immo nec Angelorum nec hominum auxilio opus haberem. Valeret enim dextera mea mihi auxiliari.

Ostenditur hoc loco impotentia mundani regni, quod omne robur suum non ex seipso, sed a ministris habet, qui si desint, nihil prodest regem esse: Si autem adsint, possunt multipliciter fallere, & infideles esse. Supernum autem regnum seipso sufficiens est, nullo indigens. Ex his igitur Christus concludit.

Nunc autem regnum meum non est hinc]

Quasi diceret, Ex hoc argumento certissime tibi persuade, regnum meum non esse mundanum aut terrenũ: Quicquid uel tu, uel Cæsar tuus habet, per me uobis saluum erit: Nihil uestrarũ rerum cupio, nihil moror gloriam & diuitias mũdi, quæ uos pro maximis bonis ducitis.

ducitis. Hæc Pilato quidem dicta fuerunt, uerum nihilominus etiam ad nos pertinent. Si enim regnũ Christi non est hinc, quid igitur tu Christiane quæris diuitias & honores huius mundi? Si Christi regnũ non est de hoc mundo, ergo Christianos oportet in mundo pressuram habere, dum in Christo pacem habent conscientiarum. Noli igitur mirari, unde tanta mala pijs in mundo accidant. Atq; hoc uerbo pius homo seipsum in aduersis consolari debet, ut dicat: Regnum meum non est hinc. Præterea, si regnum Christi non est hinc, errant igitur, qui in rebus externis & elementis mundi constituunt regnum Christi: Regnum Dei, ait, intra uos est. Itaq; uerbum hoc non sic intelligendum est, quasi mundus hic inferior non sit à Deo creatus, nec ad Deum pertineat, quemadmodum Manichæus dixit. Stat enim sententia: Ipsius sunt omnes fines terræ. Cæterum, quantumuis clare Christus destinxerat inter suum regnum & regnum mundi, adhuc tamen Pilati animo obuersabatur nomen regis. Non enim consueuerat audire in ditione principum suorum, ut quis regium nomen usurparet. Videbatur siquidem ei nulli hoc nomen competere debere, sine consensu Cæsaris. Itaq; dicit: Ioann. 16. Luc. 17. Psal. 94.

Ergo rex es tu?]

Quantumuis scilicet regnum tuum non sit de hoc mundo. Vrget titulum regij nominis, hunc ferre non potest. Videbat consequi, ut si regnum eius non esset hinc, aliunde esset: Et undecunq; regnum, regnum utiq; esset. Ideo per conclusionem infert: Ergo rex es tu? Melius autem sic interrogasset, Vbi est ergo regnum tuum? Vbi est ille alius mundus? Hic forte inuenisset responsionem, quæ ipsi utilis esse potuisset. Verum nihil horum quærit, sed adhuc timet regno & officio suo. Christus autem intrepide respondet:

Tu dicis, quod rex ego sum]

Quasi dicerer, Quid opus est, ut ego dicam, cum tuipse hoc dicas? An non satis est, quod tuipse hoc dicis? Quod idem est, ac si aperte dixisset: Ego sum.

Signanter aũt Christus nomen regis repetit, ut uideamus, quod cœlestis & spiritualis regni sui eum nõ pœniteat aut pudeat, quin uelit ipsum omnibus hominibus, etiam ipsi Cæsari, notũ hoc esse. Hoc enim regnum, quandoquidem omnium nostrũ salus in eo pendet, negari aut occultari nõ debet. Cæterq; ualde consolatorium uerbum est, quod Christus se regem fatetur: Vere enim rex est. Iuxta illud: Ego cõstitutus sum rex ab eo. Itemq;, Constituisti eum super opera manuũ tuarũ. Si igitur peccas, nõ statim desperes: non enim extra regnũ Christi cadis, nisi desinas esse opus Dei. Hinc Sapiens etiam inquit: Si peccamus, tui sumus, Agnoscet ipse te suam possessionem, si tu Psalm. 2. Psalm. 8. Sap. 15.

tu eum agnoueris Dominum tuum esse. Ne tamen Pilatus plus offendatur regio nomine, pergit Christus regnum suum adhuc planius declarare, quasi diceret: Pilate negocium hoc sane intellige, omnemq; suspitionem mundani regni aut Tyrannidis ex animo abijce. Sic se res habet, Regnum meum spirituale omnino negare nolo, siue coram te id fiat, siue coram Cæsare: Tantū hoc scito propositum meum non esse, uel armis quenquam infestare, uel more aliorum regum pompose regnare, sed diuinam ueritatem in terra erigere & stabilire.

Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati]

Ideo, inquam, ueni, ideo natus sum, non ut gladio pugnem, sed ut doceam & annunciem ueritatē & Euangelium, quod est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Et sicut Euangelium annuncio, sic per Euangelium dominor in cordibus credentium, super peccatum, mortem, & Diabolum, ut pro peccato iustitiam, pro morte uitam, pro cruce gaudium, pro inferno cœlum largiar. Hæc sunt feuda regni mei, horum particeps nemo esse potest, nisi audiat uocem meam, ut credat in corde suo: Non meos dito opibus, urbibus, & alijs feudis, sed per uerbum meum alijs communico gaudium, uitam, pacem, denicq; & cœlum ipsum. Euangelium igitur meum sceptrum regni mei est. Quid autem hæc contra Romanum Imperatorem? Num Cæsar nollet quenquam nasci, qui testimonium perhiberet ueritati? Num detrimentum honoris eius esset, si quis militum ipsius audiret uocem perhibentis testimonium ueritati? Quis non detestaretur eum, qui hæc sentiret? Veritatis enim nomen amabile est, immo ipsa natura humana consentit, id ipsum nomen ueritatis honorabile esse: & licet significatum eius nequissimi nebulones oderint, tamen ipsum eius nomen nulli unquam detestari licuit. Et quidem reuera Christus testimonium perhibuit ueritati. Confusio enim falsitatis, est testimonium ueritatis. Errabat mundus in usu temporalium. Quæ enim data erant in usum tantum, in his mundus etiam amorem & fiduciam ponebat: Christus autem hanc falsitatem arguens, ueritati testimonium perhibuit. Docuit enim præsentibus tantum uti, cœlestia autem amare. Errabant Iudæi in falsa intelligentia legis, errabant Gentes in Idololatria: Christus aūt utrorūq; errores arguens & destruens, testimonium perhibuit ueritati. Congrue igitur dicit, se ideo uenisse & natum esse: Ideo, inquit, homo factus sum, ideo hic sum, ut error & iniustitia destruatur: Veritas autem & iustitia regnet. Hoc ago & agam, ut Diabolus deprimatur, Deus autem regnet. Itaq; si filius es ueritatis, si ueritatem amas, si nihil cupis præter ueritatem, audies uocem meam cum gaudio. Ego enim sum ueritas, nec quicquam loqui aut docere

Rom. 1.

tere possum, nisi ueritatem: Id quod Christiani nos, qui ex ueritate sumus, ne dum credimus, sed etiam scimus. Vox Christi ueritas est, quæ in æternum manet, etiamsi Moyses, Iupiter, Mahometus, Hæreticus & Antichristus interierint, immo etiam Tyberius & Pilatus.

Omnis (igitur) qui est ex ueritate, audit uocem meam.]

Quo uerbo docet, qui ad regnum suum pertineant: Non autem dicit, Omnis qui uere est. Nam & diabolus et impij uere sunt, sed qui ex ueritate, inquit, est. Mẽdacium aũt est, quod non constat, Adam non constat, mundus non constat: Ex mendacio igitur est, qui ex Adam homine aut mundo est. Ex ueritate autem est, qui diligit ueritatem constantem: qui ambit æterna bona, qui sitit iustitiam & uitam æternam, hic audit uocem meam, hic pertinet ad regnum meum, & subdit se imperio meo. Igitur Christus non est Dominus eorum & rex, qui spirant opes, ambiunt honores huius mundi, sitiunt uoluptates. Nec est rex eorum, qui mouent seditiones, sed eorum qui sitiunt iustitiam, qui ardent gaudium cœleste, qui libenter audiunt ueritatem. Ex omnibus igitur his constat, Christum nihil in Cæsarem peccasse. Cum itaque Christus tantopere ueritatem commendaret, motus his Pilatus, & cui tanquam Ethnico hæc insolita erant, interrogando respondit.

Quid est ueritas?]

Optima sane interrogatio, si ex animo facta fuisset. Quid enim utilius & iucundius inuestigatur, quam ueritas? Omnis siquidem terra inuocat ueritatem, ut in Esdra legimus: Immo etiam impij, etsi mendaces sint & fallaces, ueritatem tamen ab alijs exigunt, nolunt falli, &c. Multo speciosior est ueritas in rebus spiritualibus: Verum Pilatus non ex animo hæc quærebat, sed quasi fastidiens & ex contemptu, quasi diceret, Aliam ne affers ueritatem, quam uel uestri Pontifices, uel nostri sacerdotes docent? Satis, plusquam satis dixisti, nihil opus est his pro nunc: Non hic sum, ut conciones audiam: Alia nunc agenda sunt. Sic impij nihil tam fastidiunt ut uerbum Dei, & ea quæ salutis sunt: hic omnis illis mora longa est. Oportebat Pilatum ex uerbis Christi inflammari & excitari: Verum sicut cæcus nihil mouetur, etiamsi aurum & fulgentissimam margaritã ei offeras, quippe qui nec luce solari mouetur, Sic animo cæcus, pulchritudinem ueritatis cernere nequit, quæ tamen diuini Spiritus radios in mentem piorum immittit. Reuera autem dignus non erat Pilatus, ut huius quæstionis solutionem audiret. Satis audierat, si credere uoluisset. Nec Christus passionem suam impedire uoluit. Quid enim opus erat quærere, quid esset ueritas? En Chri- 3. Esdr. 4.

stus, qui astabat, ueritas erat, & est: proinde, quod idolorum sacerdotes de uirtutibus nugantur, quod Iudæorum Pontifices de carnali iustitia docent, mendacia sunt: solus Christus, solum Euangelium ueritas est, & quod ex Euangelio trahitur uel sequitur.

loan. 14

Et cum hoc dixisset, iterum exiuit, &c.]

Non expectauit responsionem Christi. Putabat enim sibi sufficere leges Cæsareas, nec se opus habere alia ueritatis cognitione. Deinde uidebat hoc non magnopere pertinere ad causam præsentem. Præterea uidebat Iudæos festinare, nec tempus esse diutius cum Christo loqui.

Timebant enim Iudæi, ne Christus animum iudicis, suis uerbis, quæ sciebant efficacia & penetratiua esse, emolliret. Postremo experimento iam didicerat, nihil esse in Christo, unde interfecto illo se defendere posset, si de supplicio eius iniuste sumpto, apud Cæsarem se accusari contingeret. Quippe iustorum omnium princeps & iustitiæ Rex, induerat pro thorace iustitiam, & pro galea iudicium certum, pro scuto inexpugnabili, æquitatem, ut eum nullatenus in sermone capere posset. Ideo qui prius exierat, ut accusationem audiret: Nunc exit, ut Iesum excuset coram accusatoribus eius:

Sap. 5.

Ego, inquit, nullam causam inuenio in homine hoc]

Habes hic iterum iustitiam ciuilem in Pilato, idq; in duobus. Primo enim, quanquam ex altera parte essent diuites, potentes, &c. à quibus uel lucrum sperare, uel damnum timere poterat, Christus autem & solus & pauper, & ab omnibus derelictus, à quo nec lucri quicquam sperare, aut damnum timere posse uidebatur. Tamen pro Christo contra Iudæos stat, id quod iusti iudicis officium est, quamuis raro tales inueniantur. Hinc est, quod Iudæorum principes toties arguuntur, quod pupillo non iudicant.

Isai. 1.

Hinc etiam est, quod Moyses constitui uoluit eos iudices, qui oderint auaritiam: Munera enim excæcant. Hinc etiam est, quod toties monentur iudices, ut timeant Deum: Erudimini, inquit, qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, &c.

Exod. 23. Psalm. 2.

Nec solum pro Christo stat Pilatus, sed etiam aduersarios eius manifeste confundit, innocentem eum proclamando etiam post causæ examinationem, quem ipsi ut nocentem & mortis reum uinxerant: Immo apertissime eos mendacij arguit, si notare uoluissent, & erubescere potuissent. Verum ipsi ex illo populo erant, cui dictum est: Ceruix tua ferrea, & frons tua ærea, erubescere noluisti.

Isai. 48.

Discant tamen hic iudices, ut causam iustam nedum foueant, sed etiam iniusta molientes ita confundant, ut deinceps non

non audeant talia coram ipsis committere aut præsumere. Signanter autem notandum est, quod Christum non tantum absoluit ab eo crimine, quo accusatus erat, sed generaliter dicit: Ego nullam inuenio causam in eo. Et uerissime quidem hoc de Christo dicitur: Ipse enim nec peccatum fecit, nec dolus inuentus fuit in ore eius. 1. Pet. 2.

Emphasim etiam habet, quod signanter dicit: In hoc homine non inuenio causam. Solius enim Christi est, omnis criminis & peccati expertem esse, aliorum autem hominum nemo mundus à sorde. Magnum igitur innocentiæ Christi testimonium est, quod ipse iudex, qui ipsum postea crucifixit, non semel, sed sæpius, & in ipso iudicio innocentem proclamauit hunc Iesum, quod uel solum nobis satis est contra calumnias Iudæorum & Paganorum.

Qui igitur adhuc incredulus est, uel hic uideat, an non Christus innocenter passus sit:

Hæc igitur defensio innocentię Christi, diligenter attendenda est, simulque & illud obseruandum, quod à suis Christus accusatur, ab extraneis aũt excusatur. Sic enim futurum erat, ut Iudæis blasphemantibus, Gentiles Christum summo studio susciperent & glorificarent. Sic etiam nunc Euangelium apud suos interdum pessime, apud extraneos autem optime audit.

Est autem consuetudo, ut unum uobis dimittam in Pascha]

Consuetudo hæc dimittendi unum uinctum in Pascha, nata erat è liberatione ex Ægypto, quæ Paschali die facta est. Et habebat quidem hæc consuetudo speciem pietatis, sed erat contra legem Dei, quæ iubet puniri sontes. Nec opus habebant Iudæi, ut per hanc liberationem uincti hominis, admonerentur liberationis suæ ex Ægypto olim factæ. Nam Deus ipse huius rei memoriale signum instituerat, nempe agnum Paschalem, atque adeo totum ipsum festum. Ipsi autem hoc signo à Deo instituto non contenti, etiam aliud instituerant, idquè contra legem Dei. Sic enim hypocrisis non contenta est uerbo Dei, sed semper sua uel addit uel præfert uerbo Dei. Cæterum in Pilato hic iterum uidemus egregiam iustitiam & prudentiam ciuilem, atque utinam nunquam sortiremur peiores & imprudẽtiores Magistratus. Optamus quidem bonos ac pios Reipublicæ principes, sed si omnino propter iniquitates nostras meremur impios Magistratus, optamus Pilato non peiores aut imprudentiores. Nam consydera, quæso, quanta prudentia insontẽ Christum liberare studeat. Cum enim ui aut potestate hoc nõ posset præ tumultu populi, & Pontificum potentia & importunitate, rem prudenti consilio & iudicio aggreditur, consuetudinem proponens, &

ipsis satisfacere uolens, etiam antequàm petatur. Nam sperabat fore, ut animos Iudæorum sibi hac parte promptos & obedientes faceret ad dimittendum Iesum, quod consuetudinem eorum, quamuis Ethnicus, tanta promptitudine ueluti confirmaret, & nonnihil uideretur regno ipsorum fauere: Est, inquit, consuetudo uobis, &c. Deinde ex eadem prudentia duos illis proponit, & non plures. Nec alium cum Christo ipsis proponit, quàm Barabbam illum nocentissimum, cui sciebat omnes esse infensos, & ideo ne suspicari quidem poterat illum ab ipsis absoluendum, ut uel sic utriusq; conspectu, factorum utriusq; admonerentur.

Vultis ergo dimittam uobis regem Iudæorum?]

Iesum autem nominat regem Iudæorum, uel ut nonnihil uideretur ipsorum regno deferre: Vel ut saltem risu mitigaret ipsorum furorem, simulq; ostenderet ipsum falso hoc crimine accusari. Nunc quàm enim Romanus Præfectus cupiditate Tyrannidis accusarum aduersus Romanos dimitteret, si uel in minimo eum reum deprehendisset. Cæterum apud alios Euangelistas, cum Christo proposuit illis Barabbam latronem, cuius & personam ijdem Euangelistæ diligenter describunt, ut maior appareat Iudæorum malitia, qui hunc talem Christo proposuerint. Interpretatur autem Barabbas filius patris, nempe Diaboli uel Antichristi: erat autẽ non simpliciter, sed insigniter malus secundum Matthæum. Nam & seditiosus erat, & latro, & homicida. Vnde & Petrus: Petistis, inquit, uirum homicidam donari uobis: Authorem autem uitæ interfeciſtis. Potest etiam Barabbas interpretari filius multitudinis, uel filius magistri. Eundem enim magistrum Patrem habuit, à quo & Iudas edoctus fuerat Dominum suum prodere.

Matth. 27.

Acto. 3.

Deinde & uere multitudinis, id est, mundi filius erat. Cum hoc igitur confertur & comparatur Christus, innocentissimus scilicet cum nocentissimo latrone, denicq; dilectissimus Filius Dei, cum ipsissimo filio Diaboli. Hoc figuratum fuit in lege de duobus hircis, super quibus sortem mittere iubebatur sacerdos, quis eorum immolari Domino deberet, & quis esset in caprum emissarium. Hircus unus & fœtidus erat Barabbas: Hircus alter Christus, qui secundum quidem innocentiam suam uere erat agnus, attamen secundum iniquitates nostras, quas in se receperat, quasi etiam hircus extitit. Et hic quidem immolatus est, alter autem dimissus. Cæterum, sicut qui caprum immolabat, de sanguine eius contra altare aspergebat, ut propitiaretur Deus. Qui autem educebat caprum emissarium, immundus fiebat, donec se lauaret aqua.

Leuit. 16.

sic Christi sanguine Patris ira repropitiata est, Iudæi autem petentes Barabbam liberari, immundi facti sunt, nec unquam mundari possunt, donec sanguine Christi lauentur. Audi igitur iudicium & sortem. Non dubitabat Pilatus, quin Christum potius dimittendum censerent, quàm publicum latronem, sed multum in hoc fuit eum fefellit opinio. Principes enim sacerdotum, turbam alio persuadebant: Nimirum, ut peterent Barabbam sibi dimitti, Iesum uero nedum non dimitti, sed insuper morte turpissima condemnari. Hoc, inquit, principes illi persuaserunt populo: Ergo ipsi uel maxime rei sunt effusi sanguinis Christi. Hic uide, quàm pestilens sit malus persuasor. Turba populi prius tota Christi erat, & ipsi adhærebat, nunc ab impijs illis persuasa, ipsius mortem petit.

Clamant rursum omnes]

Inuidia non quiescit, donec in eo quem odit, plenam uideat miseriam. Rursum autem clamant, quia & prius clamauerant: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Quid autem hic clamauerint, subdit Ioannes. sup. eod. c.

Non hunc, sed Barabbam]

O insignem cæcitatem, immo furiam. Quid enim hoc aliud erat dicere, quàm occidatur qui suscitat mortuos, & dimittatur qui occidit uiuos: pereat lux, & remaneant tenebræ: auferatur pacificus, relinquatur seditiosus: uitam nolumus, mortem præoptamus. Denique ex contemptu ne nomen quidem Christi exprimunt, Barabbam autem petunt liberari: cum hoc libentius uolebant Pascha suum celebrare, quàm cum Iesu. Hic enim etsi malus esset, tolerabilior ipsis erat, quia ipsos non arguebat: Christus autem intolerabilis erat, quia uitia arguebat. Hic igitur est clamor ille, de quo in Isaia: Expectaui ut facerent iustitiam, & ecce clamor. Et in Hieremia: Facta est mihi hæreditas mea, sicut leo in sylua dedit contra me uocem. Sicut enim leo uoce & rugitu terret animalia, sic isti clamore Dominum ad crucem adegerunt. Duo igitur hic mala fecit populus hic, ut dicitur in Hieremia: Me dereliquerunt fontem uiuum, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non possunt aquam. Primum malum erat, quod nocentem pro innocente liberandum decernunt: Alterum, quod etiam benefactorem insuper morti condemnant. Orare ut noxius dimittatur, non adeo malum est, sed optionem habere, & tamen potius pro liberatione mali, quàm pij hominis orare, bonum esse non potest. Nos Christiani debemus pro omnibus orare, etiam pro incredulis: interim tamen uelle obliuisci eorum, qui unius nobiscum fidei sunt, hoc malum esset. Isa. 5. Hiere. 12. Hiere. 2.

Hoc igitur clamore insigniter prodiderunt Iudæi suam ingratitudinem, cum tam uili æstimant eum, qui tanti ipsos æstimauerat, ut ipsos præ omnibus alijs in populum suum eligeret.

Deinde produnt & suam insanam malitiam, quæ tanta erat, ut potius cuperent omnem iustitiam pessum ire, & omnem malitiam procedere, quàm à sua malitia cessare. Præterea etiam suam cæcitatem prodiderunt hic, quod scilicet hoc petunt, quod omnibus modis timere, cauere & deprecari debuerant, nempe, ne eis Saluator auferretur, & latro dimitteretur.

Cæterum, sicut petierunt, sic utrunque ipsis contigit: Latronem elegerunt, Saluatorem reprobarunt, merito igitur latronibus & gladio obnoxij facti sunt sine ullo saluatore. Item homicidam petierunt donari sibi, authorem uero uitæ interfecerunt. Iuste ob hoc ipsum seditionibus & homicidijs perituri, tantisquè calamitatibus inuoluendi, quantas nemo uel satis scribere uel eloqui possit, ideo & ob hoc ipsum factum, merito in Prophetis gens illa dicitur filia latronis. Merito item ipsis Isaias dicit: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, Dominum dereliquerunt. Isa. 1.

Hic igitur uidemus primo, quàm nihil sit, quod impia mens non præferat Christo & ueritati, si lucrum inde uel modicum sciat & speret. Deinde docemur, ne in mundi applausu confidamus. Qui enim paulo ante Christo concinebant: Benedictus qui uenit in nomine Domini, nunc clamant: Tolle hunc, &c̄.

Præterea uides hic ingenium mundi, qui semper quod malum est eligit, bonum reprobat, &c̄. Item ferme semper nocentibus benignior est, quàm innoxijs. Cæterum, omnia quæ hic audis, non casu euenisse credas, sed diuino consilio. Oportebat enim Christum extenuari infra nouissimum uirorum, & descendere in extremum contemptum, ut summe glorificaretur. Maximus autem descensus est, abiectiorem & nequiorem latrone putari: sed hic descensus, est ascensus meditatorium, & uera uia ascendendi. Isa. 53.

Proinde, si contemptus fueris & uilissimo postpositus, huc festinus ad Christum accede, qui in se affectum tanti contemptus transtulit & uicit, ut & tu in ipso per fidem uincas. Non igitur mirum est, si aliquando insons ad supplicium ducitur, & sons dimittatur. Sic enim & Christo contigit, immo, quod hic in iudicio Pilati contigit, hoc idem uere contigit in iudicio Dei. Astabat insignis ille latro Adam cum tota sua posteritate, qui omnes mortem commerauerant: Astabat & Filius Dei innocentissimus. Iam alter eorum exigente iustitia diuina, morte plectendus erat. Ex magna autem misericordia Deus latroni pepercit, & Filium suum innocentissimum pro eo morti tradidit. Amplectamur hanc misericordiam

fratres, & gratias agamus. Deinde curemus, ne etiam in nobis Christus uinctus sit & maneat, hoc est, iustitia: Latro autem, hoc est, iniustitia, libere uagetur.

CAPVT DECIMVM NONVM.

HACTENVS audiuimus, quid Christus à Iudæis passus sit, nempe quod captus, uinctus, hinc inde pertractus, percussus, accusatus, consputus, & tandem etiam publico latrone peior iudicatus est.

Nunc audiemus deinceps, quid à Gentibus passus sit. Quamuis enim quæ hactenus audiuimus, satis fuissent etiam ad totius mundi redemptionem, plus tamen adhuc pati uoluit, tum ut plene pro peccatis nostris satisfaceret, tum ut magnitudine remedij consyderata, nullus desperandi occasionem haberet, tum etiam, ut uel sic nos ad amorem sui redaccenderet: quandoquidem homini naturale quasi est beneficijs trahi. Vnde & huiusmodi beneficia apud Prophetam dicuntur funiculi Adam, quibus scilicet homo trahitur: Traham, inquit, eos funiculis Adam, id est, beneficijs, quibus homines facile se trahi permittunt. Et quem non traheret hæc tanta charitas Christi? Osee 11.

Apprehendit, inquit, Pilatus Iesum, & flagellauit]

Hic tandem Diabolus, per insanam Iudæorum rabiem, Pilatum huc usq; politicæ iustitiæ studiosum eò perduxit, ut manus in Christum iniiceret: Manus, inquam, in eum iniicit, quem toties excusauerat. Verum sic implenda erat scriptura. Sciebat Pilatus, quod per inuidiam tradidissent Christum, & tamen in tantum ipsis condescendit & gratificatur, ut in ipsorum gratiam innocentem flagellari permittat & iubeat. Et quot huiusmodi Pilatistæ in omnibus regionibus inueniuntur, qui sæpissime etiam innocentes capiunt, opprimunt, spoliant, occidunt, non ob aliud, quàm quod sciunt hoc principibus suis placere. Potuisset Pilatus Christum ui & potestate fretus, è manibus Iudæorum eripere, quemadmodum Tribunus Lysias eripuit Paulum: Verum sic oportebat fieri. Christus flagellationem suam longe ante præsciuit & prædixit, Marc. 10. Luc. 18. Immo longe ante incarnationẽ Christi, Isaias hoc prędixit: Act. 21.

Isa.50. Corpus, inquit, meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus, &c. Iuxta hoc exemplum postea etiam Apostoli flagellati fuerunt, Actorum 5. & 22. quod & ipsum præscierat & prædixerat Christus, Matthæi 10. & 23.

Hæc igitur fuit prima iudicis sententia in Christum, & quidem iniquissima: quandoquidem ipse iudex non semel iam eum innocentem declarauerat. Verum hanc sortem habet Christus in mundo, quod etsi innocens sciatur, nihilo tamen melius habet, aut ciuilius tractatur, id quod omnes sancti, qui membra Christi sunt, experti sunt, & etiamnum experiuntur. Quoties enim etiam impij dicere coguntur, Vere hic homo probus est, & tamen nihilo plus illi benefaciunt, &c. Flagellatur autem Christus secundum aliquos, quia mos erat Romanis, ultimo supplicio afficiendos, prius flagellis cedere, & coram omnibus expoliare, ad ostendendum, quod non habeant, quo peccatum suum tegant uel excusent. Hoc quanquam partim uerum sit, hic tamen locum non habet. Christus enim nondum morti adiudicatus erat, immo iudex ipse nondum intendebat eum morti adiudicare, atque adeo hac flagellatione Christo consulere uolebat. Videbat enim Iudæos tanta inuidia debacchari in Christum, ut nulla eloquentia, nullis blanditijs, à cede eius cohiberi possent. Proinde ut maius malum euitet, nempe insontis occisionem, minus supplicium eligit, & pronunciat Christum flagellis esse cedendum, si forte Iudæi hoc supplicio exatiati, mentis suæ furorem remitterent. Hæc igitur est misericordia, quam mundus Christo exhibet, quod flagellis eum cedit. Hic igitur oculos mentis aperiamus. Grande enim spectaculum & mundo, & Angelis, & hominibus est, quod à seruis peccati princeps libertatis seruilibus modis conciditur. Primo enim qui omnia uestit, suis uestibus nudatur. Deinde, qui confusionem nostram tegit, coram omnibus confunditur, ne in æternum nos confunderemur, id quod certò nobis futurum erat, nisi Christus pro nobis hanc denudationem & confusionem sustinuisset. Præterea, qui soluit compeditos, ligatur: immo qui Israëlitis ex Ægypto egredientibus dedit columnam ignis & nubis, nunc ab eisdem ad columnam ligatur, quamuis & hoc rectitudini iustitiæ eius recte congruerit: semper enim rectus stetit. Postremo, qui pie & misericorditer infirmos & male habentes tetigerat, nunc flagellis attrectatur, cedituŕq; tam multiplicibus ictibus, tam crebris uerberibus, ut nisi nouas uires plura patiendi diuinitas subministrasset, respirationis inopia, sanguinisq; profluuio deficiens, inter lictorum manus finijsset uitam.

Sic igitur additur plaga super plagam, liuor super liuorem, fractura super fracturam, uulnus super uulnus, sanguis super
Psal.44. sanguinem, donec corpus illud speciosum præ filijs hominum totum

eorum deformaretur, ut ſecundum Prophetæ teſtimonium non remaneret ei ſpecies neque decor. Hic igitur impletum eſt illud Pſalmi: Supra durſum meum fabricauerunt peccatores. Et iterum: A planta pedis uſque ad uerticem capitis, non eſt in eo ſanitas. Iſai. 53. Pſal. 128. Iſai. 1.

Omnia autem hæc propter nos ſuſtinuit. Flagella eius peccata noſtra ſunt, & quot peccata commiſiſti, toties Chriſtum uerberaſti.

Scriptum eſt enim: Poſuit Deus in eo iniquitates omnium noſtrum. Et ipſe uulneratus eſt propter peccata noſtra, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Iſai. 53.

Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Peccatis autem iure debentur flagella, quæ cum eſſent innumerabilia, & tamen Chriſtus omnia in ſe ſuſcepiſſet, immo Deus ipſe omnium peccatorum pœnas ab ipſo exegerit: non dubium eſt, pœnoſiſſimam fuiſſe hanc flagellationem, maxime, ſi conſyderemus corporis Chriſti nobiliſsimam & tenerrimam complexionem. Fecit igitur Chriſtus inſtar piæ Matris, quæ cum uidet Patrem iratum filiis, occurrit expanſis brachijs, ſequè pro filijs flagellis exponit.

Sic & Deo Patri irato propter peccata noſtra, & iam iam flagella præparanti perpetua, Chriſtus occurrit, & ſe pro nobis flagellandum præbuit. O igitur ineffabilis Dei benignitas, qua effectum eſt, ut tam care redimeremur: O mirabilis cenſuræ conditio, & ineffabilis myſterij diſpoſitio.

Peccat iniquus, & punitur iuſtus: quod perpetrat ſeruus, exoluit Dominus: quod committit homo, hoc ſuſtinet Deus. Quo nate Dei, quo tua deſcendit humilitas? quo tua flagrauit charitas? quò tua proceſsit pietas? quo peruenit compaſsio? Ego inique egi, tu pœna mulctaris: Ego facinus commiſi, tu ultione plecteris: Ego ſuperbui, tu humiliaris: Ego inobediens extiti, tu in omnibus obedientiſsimus, inobedientiæ tamen ſcelus luis. Ego uuam acerbam comedi, & dentes tui obſtupuerũt: Ego, inquam, homo perditus totius contritionis, totius confuſionis tuæ cauſa fui: Amor tuus, & iniquitas mea, ſic te fecit imbecillem. Ezech. 18.

Hæc conſydera miſer peccator, cum uoluptati corporis operam das. Hic enim uides, quàm uere dictum ſit: Non corruptibilibus auro & argento, ſed precioſo ſanguine agni, immaculati redempti ſumus. Hic, inquam, uides, quomodo Chriſtus ſatisfecerit pro peccatis carnis. Vides item, quo labore ouis perdita, & inuenta ſit, & in humeris pij paſtoris reducta. Væ miſeris illis, qui manus ſuas polluerunt in ſanguine innocentis: Sed & uæ nobis, ſi ingrati fuerimus. 1. Petri 1. Lucæ 15.

Cæterum in hac flagellatione Chriſti, etiam aliud quiddam attendendum eſt. Interim enim, cum mundus ſua opera in flagellando Chriſto agit, nec Deus ſua negligit. Solet enim Dominus

ſub

sub impiorum operibus, quibus pij afficiuntur, suum opus exequi. Nam & Patriarchis Iosephum fratrem insontem uendentibus, & suam libidinem in ipso explentibus, etiam Deus suum opus executus est. Sub ea enim uenditione, occulte admodum ipsum Ioseph ad dominium supra fratres euexit. Sic in hac flagellatione, dum Pilatus & Iudæi sua agunt, etiam Deus interim sua exequitur.

Genes. 37.

Nam omnia flagella, omnes afflictiones, in his filij sui flagellis sanctificauit & benedixit: adeo, ut quicquid afflictionum pio acciderit, non officiat, sed potius prosit, & pietatem iuuet. Immo per hęc flagella, quibus Christus ceditur, factum est, ut Deus Pater, omnibus flagellis pio homini contingentibus faueat. Ad hæc, declarauit hic in unigenito suo filio, qua conditione uelit adoptiuos & electitios filios in hoc mundo tractare.

Si enim passus est, ut flagellaretur unigenitus, quanto magis patietur flagellari adoptiuos? Quem enim Dominus diligit, corripit, flagellat autem omnem filium, quem suscipit. Quid ad hęc dicturi sunt, qui in delitijs uiuunt, nec cogitare quidem tristia possunt, tantum abest, ut uel minimum uelint pati, quasi alterum in terra Paradysum ædificare conantes? Ecce, inquit, quos ædificaui, ego destruo, & tu tibi quæris grandia? Et quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, biberunt, & tu innocens relinqueris?

Prou. 3.

Hiere. 45

Hiere. 49.

Disce igitur Christiane ex hac flagellatione Christi, ut & tu patienter feras flagella Dei, & dicas cum Dauide: Ecce ego in flagella paratus sum. Et cum Paulo: Ego non solum alligari, sed etiam mori paratus sum pro nomine Domini Christi.

Psalm. 37.

Act. 21.

Hactenus igitur de Christi flagellatione audiuimus, quæ reuera sufficisset pro totius humani generis redemptione. Verum nondum finis adest, nondum satiata fuit perfidorum impietas, tam Iudæorum quàm militum, sed afflicto superadditur afflictio, crescuntquè regis nostri iniurię, & multiplicium dolor pœnarum & opprobriorum. Sequitur enim:

Et milites plectentes coronam de ſpinis, &c.]

Milites illi Romanis mercede militabant, & semper Hierosolymis morabantur cum præside, propter crebras Iudæorum seditiones & tumultus. Hi igitur Christum illudere incipiunt, idquè tanta libidine & petulantia, ut similia nusquam aut lecta aut uisa sint, immo nec facile creditu essent, si non tam diligentes Euangelistæ singula scripsissent. Non quidem legitur Pilatus hæc præcepisse, sed milites sua sponte hoc fecerunt, ut Iudæis gratificarentur: interim tamen Pilatus conniuet, tacet, dissimulat

simulat, non prohibet. Vnde quidam suspicantur, Pilatum ficto animo hactenus Christum defendisse, reuera autem cum Iudæis in mortem eius conspirasse. Vnde & ad capiendum Christum cohortem Romanorum militum missam supra audiuimus, nimirum à præside. Quod si etiam milites inscio Pilato hoc fecissent, non tamen excusari posset Pilatus, qui tantam malitiam in innocentem factam, non saltem uerbis coarguerit. Iterum igitur leuate oculos Christiani, magnamque hanc passionem cogitate, simul tamen & hoc consyderate, peccata scilicet nostra in causa fuisse. Multipliciter hic impleta fuit Prophetia Dauidis in Psalmo 21. 38. & 68. Itaque non absurdum uidetur, etiam ea quæ ab alijs Euangelistis circa hunc locum dicuntur, paucis hic inferere. Decem igitur illusionum species ab eis numerantur, quas nebulones illi Christo intulerunt, pro quibus sine dubio mercedem acceperunt à Iudæis: neque enim gratis ad captionem Christi se educi passi sunt. Militaris siquidem ordo auri mancipium est: Ibi fas, ubi maior merces.

Et hi tamen erant Tyberiani & Ethnici milites. Quid autem sunt & faciunt nostri, qui tamen Christiani baptizati sunt? Quis populus sub sole peior & minus Dei timens? Illi Tyberiani milites Christum flagellarunt, coronarunt, illuserunt, conspuerunt, ac tandem crucifixerunt: Hi nostri, quos quotidie præ oculis uidemus, Christo non minus faciunt iurando & blasphemando sanguinem & uulnera Christi, &c.

Nec mirum esset, si tales milites non solum à Turcis semper uincerentur & occiderentur, sed etiam à terra uiui absorberentur. Nec dubium, quin huiusmodi blasphemiæ, terræ & populis noceant. An non enim Diabolica res est, quod Christiani nihil aliud, quàm hoc ipsum iurare sciunt, per quod redempti sunt? Sed de hoc alias. Nunc decem illa consyderemus, quæ Christus à militibus illis passus est.

Horum primum est, quod totam Diabolicam cohortem conuocant, ut ludibrium & derisio maiora fiant. Certe illudi etiam inter duos tantum, multum angit, quanto magis inter tot homines?

Secundo congregata simul cohorte, circundant ei uel induunt chlamidem coccineam, quæ erat uestis rubea & militaris, quibus uti consueuerant duces exercitus. Nam aliorum militum militaris uestis, Paludamentum dicebatur. Hoc igitur illusorie faciebant, significantes per hoc eum esse regem. Itaque serui Herodis Christum alba ueste induunt, hi rubea.

Tertio plectunt coronã de spinis, eãq; imposuerũt sancto capiti eius pro regia corona. Quis autem satis uel cogitare potest, quantus dolor, uenerandum illud caput tot aculeis confixum affecerit, cum

nos

nos uel ad unius ſpinæ puncturam ferme intolerabili dolore uexemur: Spinæ igitur hæ primo fuerunt, auaritia & diuitiæ Phariſæorum, quibus permoti, Chriſtum perſecuti ſunt. Sic enim non ſatis eſt mundo, quod ſeipſum pungat ſpinis ſuis, id eſt, diuitijs, niſi inſuper his ipſis etiam proximum lædat, & Deum inhonoret, dum uel iniuſte eas acquirit, aut auare nimium conſeruat. Deinde ſpinæ illæ peGeneſ. 3. cata noſtra ſunt. Propter peccatum enim hominis, terra hanc maledictionem incurrit, ut ſpinas & tribulos germinet. Hanc igitur ſpineam coronam, non tam milites illi, quàm nos pio capiti Ieſu impoſuimus. Nos enim peccauimus, at Chriſtus peccatorum noſtrorum pœnas portauit. Vide & attẽde hoc impie & ingrate homo, qui etiã nunc uanitatibus & uoluptatibus ſtudes, cum Chriſtus interim ſpinis coronatus ſedeat. Vide, inquàm, quam grauiter Chriſtus pro expianda ſuperbia & uanitate noſtra afflictus ſit. Nam & hæc corona, præter dolorem quem inferebat, etiã contumelioſa, deriſoria & confuſibilis erat. Vtrumq; enim nobis debebatur, tam pœna ſcilicet quàm æterna confuſio: Vnde & Chriſtus utrunq; pro nobis ſuſcepit. O igitur uere ineffabilem eius erga nos charitatem: Econtra autem deteſtabilem noſtram ingratitudinem. Quarto milites illi dederunt in manus Chriſti calamum uel arundinem, pro ſceptro ſcilicet, & hoc uidelicet in contemptum, ſignificãtes per hoc, quod ſe regem feciſſet, & tamen nihil regiũ haberet, et quale ſceptrũ haberet, tale ipſius & regnũ eſſet, nẽpe inane, uacuũ & fragile. Quinto genu flexo ante eum, illudebant & deridebãt deriſoria illa ſalutatione: Aue, inquiunt, Rex Iudæorum. Hic multum nobis gemẽdum eſt, ſuper tanta malitia impiorum horum. Quomodo enim uel infimum uel contemptiſsimum hominem uilius illudere potuiſſent: Et tamen manet Ieſus noſter uerus rex Iſraël, uel inuitis Pilato & militibus, etiãſi adhuc uillius ipſum tractaſſent: Manet, inquam, rex, ipſis iam in infernalem ignem coniectis, & perpetuò concremandis. Non igitur offendimur tam inauditis illuſionibus Domini noſtri, quin potius inde roboramur ad ſimilia perferenda. Cæterum impij adoratores hi, adumbrarunt hypocritas illos, qui geſticulationibus externis pios ſe ſimulant, cum interim cor eorum prauum & ſine fide, immo longiſſime à Deo ſit. Sexto dederunt ei alapas. Impio enim homine nihil crudelius & magis alienum ab omni compaſsione. Hinc & in Pſalmis perſecutores Chriſti comparantur leonibus, tauris, et canibus, et ſimilis, propter crudelitatem ſcilicet & petulantiam. Item impij ſemper peccata peccatis addunt, quaſi non ſatis ſit, toties peccaſſe.

Iſai. 3. Hinc Iſaias: Væ, inquit, qui trahitis iniquitatem in funiculis. Poſt illuſionem igitur, Chriſtus alapis percutitur: Ex ioco fit ſerium, ex riſu pœna. Sic enim ſolent impij primo illudere, poſt percutere & omnem furorem ſuum euomere in miſeros. Sic contigit Chriſto,

omnis

omnis gloriæ Regi: Sic contigit omnibus, qui crucem suam post ipsum portant. Interim tamen scimus, quòd sicut omnia flagella, ita & omnes alapæ, quibus pij uapulant, in Christo sanctificatę sunt: Proinde, qui alapa percussus percutit, quid aliud facit, quàm quòd sanctificationē à se reijcit? Septimo expuunt in eum, quę est summa contumelia & contemptus. Æterne Deus, qui fit, ut homo creatura tua, tam indicibiliter mala & peruersa esse possit, ut proprium Dominum & saluatorem conspuat. Quis enim non exhorrescat uel tantummodo hæc audiens? Cogitate hic fratres maximam illam Christi patientiam, & uere admirabilem taciturnitatem.

Octauo percutiunt eum arundine super caput illud, etiam Dæmonibus tremendum, cunctisq; cœlorum uirtutibus reuerendum, & omnibus sanctis uenerandum: Caput, inquam, benedictum in sæcula, à quo omnis benedictio in nos descendit. Ex hac autem percussione aculei spinarum magis ac magis ipsum sanctum uerticem penetrabant. Vnde semper dolor renouabatur & augebatur; ita, ut & sanguis inde fluens, totum caput & genas & collum tingeret, ac commixtis execrandis militum sputis, uenustissimam faciem apparere fecerint horrendam, & quasi leprosam. Iuxta uaticinium Isaiæ, iam sæpius allegatum: Vidimus, inquit, eum, et non erat ei aspectus, & desiderauimus eum despectum, & nouissimum uirorum, & quasi absconditus uultus eius & despectus. Absconditus, inquit, propter tumores scilicet, uulnera, sputa, & sanguinem: Ideo putauimus, inquit, eum tanquam leprosum & percussum á Deo & humiliatum. Ideo autem milites illi omnia hæc fecerunt, quia audierant à Iudęis, ipsum affectasse regnum Iudæorum. Huc pertinebat totus ille ludus cum corona, ueste, sceptro & adoratione illusoria. Vide igitur spectaculum à sæculo non uisum, sed nec unquam antea auditum, nisi quòd postea Martyres quidam in contemptum Christi similia passi sunt. Si non essent hæc scripta in Euangelio, quis ea crederet, aut quis prædicare hæc auderet? Sed quia scripta sunt, secure ea credimus & prędicamus. Quis aũt hęc audiēs, non statim contremiscat, cum certũ sit, ea omnia nos sine fine passuros fuisse (uermē scilicet, & compunctionem conscientię, irrisionem ab omnibus creaturis, & denicq; etiam ab ipso Deo separationem) nisi Christus uoluntarie hęc pro nobis sustinuisset. Sic igitur granum illud multiplicandum, seminatur horribili contumelia, ut mirabiliter pullulet in gloria. Sic regnum, quod de mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed humilitate patiendi uincebat. Interim tamen quòd milites illi summo contemptu & crudeli ioco fecerunt, hoc Christus Dei uirtus & sapientia, nedum serio suscepit, sed ut hæc ita fierent, utiliter prouidit. Vestis igitur purpurea (quæ regiæ maiestatis insigne est) id significat, quod Christus morte sua,

Isa. 53.

Ioan. 12.

deiectis hostibus, ut pote Diabolo, peccato, mundo, inferno, uniuersum hominum genus in libertatem asserturus esset. Vel per chlamidem coccineam, significatum est ministeriū charitatis, quo in passione sua pro nobis fungebatur. Exo.26. Coccus enim coloris ignei, qui in tabernaculo Domini bis tinctus, iubetur assumi, geminam significat dilectionem Dei & proximi, qua fit, ut quicquid offerimus ignitum & bene coloratum, coram diuinis placeat conspectibus: Christus autem propter nimiam charitatem erga nos, bibit calicem passionis. Merito igitur ad hanc ipsius charitatem significādam, chlamide coccinea uestitur. Vel etiam ideo, ut ostenderetur eum ipsum esse, Num.19. qui in lege per uitulam rufam significatus fuit, cuius corpus iubebatur extra castra cremari pro peccato, & cinis eius in aqua super populum spargi. Spinea autem corona significat, quòd regnum Christi non sit de hoc mundo, hoc est, non præclarum pompa, nec externis uiribus potens, sed spinosum & purpureum, id est, passionibus & afflictionibus obnoxium. Nam coronæ Regum huius mundi, partim sunt ferreæ, partim argenteæ, partim aureæ, quibus significatur, imperium huius mundi constare potentia, splendore, & nobilitate carnali. Corona autem Christi spinea est, ut hoc indicio cognoscas, regnum Christi constare spinis & afflictionibus: Et qualis Rex Christus, tales & nos reges facit, omnibus scilicet tribulationibus obnoxios. Itaq; si cum Christo cupis 2.Cor.1. regnare, noli abhorrere, aut abñcere spineam coronam. Si enim hic Psalm. 8. cum ipso spinis coronatus fueris, coronaberis & illic cum eo corona Ioan.10. gloriæ & honoris. Arundo in manibus significabat, quòd potestatem haberet ponendi animam suam, & iterum sumendi eam, quantumuis ipsi ad aliud respiciebant.

Cum itaq; tale sit regnum Christi, ut inter spinas hæreat, non mi- 1.Cor.1. rum, quòd ridetur & subsannatur à mundo. Nam Euangelium & uerbum crucis, est stultitia coram mundo. Audientes enim Christum Regem esse, & interim tamen spinis coronatum uidentes, contemnunt: Audientes Euangelium polliceri, liberationem ab omnibus malis, & interim uidentes id ipsum non alio comite, quàm cruce uenire, subsannant: Audientes Christianos esse reges peccatorum & mortis, interim tamen uidentes, quòd & ipsi non minus infirmi sunt & moriuntur, quàm alij, rident. Itaq; Christiani stulti uidentur coram mundo, sperant auxilium & liberationem, cum in- Iob.2. terim omnibus afflictionibus obruantur. Hinc uxor Iob dixit: Quàm diu permanes in innocentia tua? Benedic Deo, & morere.

Cæterum, quantumuis crux & afflictio Christum premat, reuera tamen Rex est, & manebit cum suis, id quod olim uidebitur, quantumuis mundus hoc iam non credat.

Exiuit iterum Pilatus foras, &c.]

Dictu

Dictu horrendum est, quid Iudæorum inuidia conetur, quàm instet & urgeat, quàm uaria excogitet, ut Christum innocentem ad crucem adigat. Quantum enim ad leges ciuiles attinet, iure nunc Christus esset liber, quando iudicis sententiæ sit satisfactum, & ciuiles leges uni causæ unam tantum decernant pœnam. Sed hanc sortem & Christus & sui in mundo habent, ut nec ciuiliter iustos iudices experiantur. Sic hoc loco Christus iudicis quidem sententia absolutus esse debebat, quandoquidem persoluit latę sententię pœnam, impietas tamen ne sic quidem præ libidine sua pœnis exaturata est, quamuis iudex ipse nihil omittit, quod ad liberationem Christi pertinebat, nullamq; operam detrectat, hoc uno dempto, quòd timore superiorum, ad manifestam iniustitiam finaliter se urgeri permittit. Quanta enim hactenus pro Christo egit? quàm uaria consilia habuit? Verum ipsius artificium nec potuit, nec debuit procedere. Nam aliter decreuerat Deus. Et nunc quidem Pilatus publice & acriter Iudæos alloquitur, quasi ui conaretur quod iustum erat conseruare. Nunc Iesum secreto examinat, ut rei ueritatem consequi posset. Omnia tamen hactenus frustra attemptauerat: Nunc postquàm serui ipsius Iesum miserrime & ignominiosissime tractassent & illusissent, in ipsa illa deformitate ipsum populo ostendere proponit, si forte uel sic moueantur. *Exiuit ergo iterũ Pilatus.* Exiuit quidem ut prius, sed cum minori iustitia, quàm prius exierat. Iam eñ flagellando Iesum innocentem, non parum à uera iustitia declinauerat.

Ecce (inquit) adduco eum foras]

Vt cognoscatis, quod nullam inuenio in eo causam. Iterum confessus innocentiam Christi & iustitiam, si quid ulterius cõtra ipsum attemptaretur, immo plane confitetur, quod nimiũ fecerit eum flagellando. Si enim nullam in ipso causam inuenit iudex, certe iniuste flagellatus fuit. Hic igit impletũ fuit illud Psalmi: Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Vnde & Christus ipse in cœna dixerat: Venit princeps huius mundi, & in me nihil habet quicquã. Psal.16. Ioan.1

Exiuit itaq; Iesus, gestans spineam coronã, & purpureũ uestimentũ]

Exiuit non clarus imperio, sed plenus opprobrio: Exiuit uere, nõ habens speciem neq; decorem. Qualis enim species est Filium Dei spinis coronatum, illusum, & proprio sanguine cruentatum oculis inimicorum suorum proponi? Quis hunc Filium Dei credidisset? Cæterum hæc deformitas Christi, nobis maxime consolatoria est. Hinc enim certi sumus, reuera pro nobis satisfactum esse. Quid eñ nõ mereretur apud Deum tanta humiliatio Filij sui, eaq; sponte pro nobis assumpta? Egredimini igitur & uos ô filiæ Syon, animæ scilicet fideles, & uidete Regem Salomonem, Regem pacificum, omnia pacificantẽ, & quæ in cœlo & quæ in terra: Videte, inquam, Re- Isa.53. Cant.3. Col.1.

gem ueſtrũ cum corona doloris & miſeriæ, cum ueſte ludibrioſa & opprobrijs, quibus coronauit eum mater ſua, immo non mater, ſed nouerca ſua impia Synagoga. Vere enim mirabile ſpectaculum propoſitum eſt: Qui egreditur, habet imaginem quaſi regis, ſed nihilominus ſerui deſpectiſsimi confuſione repletus eſt, coronatus incedit, ſed ipſa eius corona cruciatus eſt illi, mille puncturis ſpecioſum caput eius diuulnerans. Regali purpura induitur, ſed in ea potius deſpicitur quàm honoratur. Sceptrum in manu geſtat, ſed eo ipſo caput eius percutitur. Adorant coram illo & genu flectunt & Regem conclamant, ſed paulò poſt ad crucem ipſum adigunt. Hæc tecum cogita Chriſtiane, in hac forma Chriſtum intuere, & nunquàm de ipſius gratia deſperabis. Nunquàm certe te relinquet ſibi fidentem, qui tanta pro te immerente paſſus eſt, &c. Ob id enim Chriſtus tibi ob oculos ponitur, ne deſperes. Quandocunq; igitur in tribulatione es, ſiue corporis ſiue conſcientię aut animi, huc dirige oculos, & conſolationem recipies, &c.

Cęterum Pilatus, ut facilius ad miſericordiam feroces beſtias commoueret, ſciens compaſsionem naturæ, qua ſicut omne animal diligit ſibi ſimile: ſic etiam naturaliter ſibi ſimili quilibet cõpatitur, ideo magna & in altum ſublata uoce dixit.

Ecce homo]

Quaſi diceret, Sufficiat tandem uobis ô Iudæi flagellatio huius hominis, quam tamen magis propter cauſæ neceſsitatem, quàm propter ipſius demeritum adhibere coactus ſum. Videte qualis homo effectus ſit, immo an homini ſimilis ſit, ferrea & lapidea pectora hæc ſpecies mouere deberet. Nihil enim integrum in toto corpore ipſius uidetis: Nec ullum in ipſo eſt membrum, à paſsione uacuum aut illæſum. Miſeremini igitur eius, quia non canis, quamuis cane uilius tractatus ſit, ſed homo eſt ueſtri ſimilis. Sufficiat ei hæc pœna, & deinceps eum dimittamus. Si enim unquàm in cauſa fidei exceſsit, hæc ei flagellatio perpetua erit admonitio, ne ſimile quid unquàm conetur. Si Regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum uidetis, ceſsit ei regium nomen in maximam pœnam, flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſa ueſte amictus eſt, amaris conuitijs illuſus eſt, alapis cæſus eſt, feruet ignominia, frigeſcat inuidia. Et hæc quidem admodum pie & humaniter Pilatus prolocutus eſt, uerum fruſtra apud hos homines. Vere autem hic dictum: Ecce homo. Audiat & hoc hęreticus, qui Chriſti humanitatem negat: Ecce homo, inquit Pilatus. Audiat & Chriſtianus. Quid enim hic uidet niſi hominem? Si uidere non potes Deum, uide hunc hominem tam deſpicabilem pro te factum. Audi & tu peccator: Ecce homo. Vide quid meritus ſit homo, uide quàm miſer ſit homo, uide quid pro

te

pe passus sit Deus homo, ne ingratus inueniaris, uide ne Iudæis similis efficiaris, qui ex tam miserabili conspectu Christi magis irritati fuerunt, & unde ad misericordiam moueri debuerant, inde ira & inuidia eorum magis inardescit. Sic enim sequitur.

Cum ergo uidissent eum Pontifices, clamabant: Crucifige, &c.]

Quasi dicerent. Perge, perge ut cœpisti: Si flagellasti, etiam crucifige. Non satis nobis est, ipsum flagellatum habere, in cruce morientem uidere uolumus: ostendis eum uulneratum, sed nondum mortuum, mortuum ipsum uidere uolumus, aut nunquam quieturi: E manibus nostris uiuum non dimittemus, etiamsi omnia bona nostra in hoc insumere opus esset, &c. Ita quidem fiet impie Iudæe: fiet ut petis, non tamen quia tu ita uis, sed quia Deus ita disposuit, in cruce uidebis eum, & quidem morientem. Optandum tamen tibi esset, ut ipsum in templo docere, & Barabbam in patibulo pendere permisisses. Pulchre autem Euangelista taxat ipsorum impietatem: *Cum uidissent, inquit, eum, clamabant.* Ergo excusationem non habent de peccato suo. Viderunt enim & oderunt & me & Patrem meum, inquit Christus. Taxantur & hoc uerbo impij illi passionis Domini blasphematores, qui uiderunt, uident, sciunt & confitentur Christum hæc omnia pro nobis passum, nec tamen blasphemare cessant. Signanter autem dicuntur hic Pontifices clamasse: fortasis enim reliqua multitudo naturali pietate commota, miraculorum eius recordari cœperat, sicquè aliquo modo suberubescere de his, quæ in Christum impie facta fuerant. Itaque Pontifices uel cum ministris suis clamant. Hi enim dominorum impietatem facile imitantur, putantes se excusatos, si faciant quod dominos uident facere. In his igitur Pontificibus impletum est illud Hieremiæ: Pastores tui stulte egerunt. Dominum enim Deum non requisierunt, propterea non intellexit uniuersus grex, & dissipati sunt. Nam quoniam grex, id est, populus non modo ad cognoscendum Christum non fuit adductus, sed insuper ad eędem eius inflammatus, propterea lapsus in barathrum, perijt: Omnis ergo culpa in principibus. Ioan. 15. Hiere. 10.

Cæterum, nihil indignius tulit Pilatus, quàm hanc Iudæorum obstinatam malitiam, itaque uidens ex captata misericordia nihil esse spei, uerbis asperis & meu tentat ipsorum furorem coërcere.

Accipite (inquit) eum uos, & crucifigite, &c.]

Quasi diceret, Ego ne, ò sanguinarij, omnibusquè bestijs immitiores, uestræ causa inuidiæ, præter Romanorum leges innocentem occidam? Egone clamoribus uestris territus, homicidam agam?

Legum administrator sum, non alienæ inuidiæ ultor aut uindex, & nocentes authoritate punio: Non sum innocentiæ carnifex. Hactenus seruitum est odio uestro, non ultra sęuiam in innoxium. Non inuenio apud meos legis peritos, legem quæ innocentem iubeat occidere: proinde, si tantum apud uos crimen est, innocentem esse, & si apud uos talis lex est, quæ extremo supplicio innocentem afficiat, uos soli hoc facite, ego in hanc temeritatem non consentiam. Nolo hoc meum Prætorium, immo Romanorum Imperium inquinare innocentis sanguine: uos hominem uestro periculo abducite, & si libet, crucifigite: ego non soleo crucifigere, nisi facinorosos: In hoc autem nullum uideo crimen cruce dignum.

Ego (inquit) non inuenio in eo causam]

Magnis profecto laudibus commendanda foret hæc Pilati sententia, si in ea perseueraſſet: Verum paulo post alia audies. Iudęi tamen nec ad hanc iustitiam Ethnici hominis erubescunt, immo cum audirent iudicem a tanto studio patrocinantē Iesu, omnino non committendum putabant, ut aliquo pacto Iesus elaberetur è manibus eorum, aliud igitur & nouum crimen commenti sunt, quod apud iudicem imperitum legis graue uideri posset.

Nos legem (inquiunt) habemus, etc.]

Ioan. 7. Vere habetis legem, sed nemo ex uobis facit legem, id quod uerissime & iustissime uobis improperauit Christus. Sic legem iactant maximi transgressores legis. Sed quid nam de lege uestra contra Christum proferetis: *Secundum legem, inquiunt, debet mori.* Et quamobrem? *Quia Filium Dei se fecit.* Et ubi manet prior illa uestra accusatio, quòd dixisset se Regem Iudæorum? Mendaces inuenti fuerant in prima, ideo nouam nunc accusationem instruunt. Et quod nam illud crimen esset, si Iesus Nazarenus Filium Dei se esse dixerit? Si opera Dei facit, cur non & nomen profiteretur? Insignis itaque malitia in ipsis fuit, quòd tanto uerborum strepitu ipsum accusant, quòd Filium Dei se dixerit. Interim autem diuina eius opera, quibus se Filium Dei probauit, tacent: immo mentiuntur, quòd Filium Dei se fecerit. Non enim seipsum glorificauit, ut Pontifex fieret, nec rapinam arbitratus est, esse se æqua-
Phil. 2. lem Deo, sed Pater ipsum glorificauit. Vnde & Dauid: Dixit, in-
Matth. 27. quit, Dominus Domino meo, sede à dextris meis, &c. Vide etiam
Psalm. 119. hic, quomodo malitia secum ipsa dissideat. Supra dixerunt: Nobis non licet interficere quenquam. Nunc aũt dicunt: Nos legem habe-
Leuit. 24. mus, & secundum legem nostram debet mori. Adeo nescit inui-
Deu. 13. dia quid uel dixerit uel dicat. Legem autem, quam allegant, uel illam intellige, quæ est de blasphemo occidendo; uel illam de falso

Prophe-

Propheta, seducente populum falsis signis à cultu unius Dei. Neutra autem lex in Christum competit. Nam nec blasphemus fuit, nec Pseudopropheta. Non igitur satis erat, legem de blasphemo uel Pseudopropheta occidendo allegare, sed probandum erat, num Christus talis esset: maxime, cum aliâs utrunq; sibi obiectum uerissime & efficacissime diluerit. Putabant igitur Iudæi, Pilatum hoc uno crimine audito, statim sententiam mortis laturum, sed longe aliter euenit. Nam sequitur:

Pilatus ergo cum audisset hunc sermonem, magis timuit]

Cogitabat enim secum. Quis scit, quis nam ille sit? Filium certe Dei se facere non potest, nisi prius talis sit. Quod si Filius Dei est, certe mihi non licebit eum morti adiudicare, ideo necesse est, ut hanc rem diligentius perquiram. Vnde sequitur:

Iterum ingressus est Prætorium]

Hic igitur uide, quod etiam iudex Ethnicus, maiorem diuini nominis honorem habuit, quàm Iudæi, qui de Deo gloriabantur: ut uel hinc appareat, Pilatum etsi non uere, sed tamen ciuiliter iustum fuisse, & Deos esse reueritum, si non pie, certe ciuiliter, quales plures sunt honesti uiri, opinionem quidem de Deo, sed nullam rectam fidem habentes.

Obseruandum tamen quòd Pilatus quidem expauit, sed non pœnituit. Vnde patet quòd fuit timor seruilis, non ex fide procedens, timebat ne nimium fecisset Filium Dei flagellando. Gentilium enim more, credebat deos è cœlo descendere, & rursum ascendere, quemadmodũ Poëtæ fabulantur de Ioue, Mercurio, &c. Ne igitur impius in deos suos uideretur Iouis aut Vulcani filium condemnando, certitudinem rei exploraturus interrogat.

Vnde es tu?]

A longe quærit, ut ueritatẽ expiscetur, *Christus aũt nihil respondet.* Nihil em̃ uel ad Cæsarẽ uel ad Pilatum pertinebat, ipse ne Filius Dei esset an non. Nam quòd accusatus erat seditionis, iam excusatum & dilutum erat. Deinde nimis importuno tempore hoc interrogat. Nam tempus maxime tacẽdi tunc erat, & Pilatus indignus erat hoc audire, ut qui agnũ illum Dei male iam flagellis totonderat, eiusq; innocenti sanguine manus suas maculauerat. Ad hæc etiam ideo hic tacet Christus, quia supra satis dixerat, se nõ esse ex hoc mundo. Item Ioan. 19.
quia dixerat, eos solos uocem suam audire, qui essent ex ueritate. Sciebat autem Pilatum non esse ex ueritate, nec amore ueritatis hoc quærere, sed tantum infortunij uel damni temporalis timore.

Denique tacet Christus, ne uideretur omnia conatus ut elaberetur, inuitus passionẽ pertulisse. Nolebat em̃ suam passionẽ impedire.

Isa. 53. Hoc igitur est illud silentium, de quo Isaias: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non
Psal. 30. aperiet os suum. Et Dauid in eius persona: Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. Hoc autem suo silentio docuit Christus, omnem eruditionem frustraneam esse, quæ non pietatis amore, sed uel uanitatis studio, uel timore supplicij auditur, ideo & supra Herodi ex uanitate, & hic Pilato ex timore quærentibus non respondit. Ad eundem modum & multi ad conciones properant, partim desiderio uanitatis, partim timore inferni, paucissima tamen pars amore iustitiæ: Proinde priores spe sua destituuntur, non enim ullum audiunt responsum Dei, ut maxime uerba concionis auribus hauri-
Iob. 3. ant. Sed nec secundi infernum effugient, nam impius quod timet accidit ei, posteriores uero, tantum compotes sui erunt uoti: Beati ẽ,
Matth. 5. qui esuriunt iustitiam, &c. Docuit & Christus taciturnitatem, ne stultis similes efficiantur, qui uerba multiplicant, cum & ipsa natura taciturnitatem doceat, quæ unum tantum os, duas autem aures ho-
Matth. 12. mini dedit. Cogitandum igitur, quòd in iudicio reddenda erit ratio, pro omni uerbo ocioso. Obseruandum & illud Ethnici: Locutum fuisse sæpe me pœnituit, tacuisse autem nunquàm. Maxime au-
Iacob. 1. tem illud Iacobi: Qui non refrenat linguam suam, huius uana est religio. Cæterum Pilatus hac Christi taciturnitate nonnihil offensus (Nam putabat se contemni) aliquanto austerius ipsum alloquitur. Nihil enim minus ferre potest superbia, quàm sui contemptum.

Mihi (inquit) non loqueris?]

Tu, inquit, uilis & despectus, mihi in summa potestate constituto? Si personam Christi cognouisset, modestius locutus fuisset, uerum mundus omnes eos contemptui habet, qui externa specie nihil magni præ se ferunt: Immo mundani homines potentia sua & diuitijs superbientes & præsumentes, omnes alios præ se contemnunt. Cæterum quòd Pilatus subdit:

Nescis, quia potestatem habeo & dimittendi & crucifigendi te?]

Vox est impij Magistratus, qui putat sibi omnia licere quæ libent. Item in Pilato hic pulchre manifestatum est, ingenium rationis humanæ in donis Dei. Qui enim donis Dei insignitus est, & tamen fide caret, non agnoscit ea esse dona Dei, sed ut propria merita reputat: proinde putat sibi in his licere quicquid libet. Fides autem docet hominem è donis sibi diuinitus collatis, non fieri dominum, sed seruum & ministrũ, & quò maiora dona quis acceperit, eò maiori seruituti obnoxius est. Hinc Christus: Principes Gentiũ (ait)
Matth. 20. de potestate sua superbiũt, & abutunt̃ pro sua libidine: uos aũt non sic, sed qui maior est uestrũ, sit uester minister, etc. Magistratus igitur uel potestas, Dei donũ est, quod si collatũ fuerit impio, nihil nõ iuris

in

in eo dono sibi arrogat. Si aũt pio homini collatum fuerit hoc donũ, agnoscit se eo maiorẽ seruum factum, quo maius donũ accepit. Hoc Pilatus ignorabat, ideo tam superbe de sua potestate loquebatur: interim tamen suo ipsius hoc uerbo, & coram Deo & coram hominibus seipsum condemnat. Ex proprio, inquam, ore condemnandus est malus hic seruus, quia uidelicet innocentem & iustum cum absoluere posset, crucifigere maluit. Modicum igitur sustine Pilate, & loquetur tibi postmodum, dicetq; unde sit: Dominus, inquam, qui nunc infirmus sub potestate tua tenetur, sicut fortis egredietur, uociferabitur & clamabit: Tacui, semper silui, Nunquit semper tacebo? Immo ut parturiens loquar. Tunc, inquit, loquetur ad te in ira sua, clare tibi dicens, quod nunc interrogas: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon, &c. Interim tamen Christus, contra tam superbam Pilati præsumptionem, etiam nunc non tacet, ne uideatur tacendo uerum agnoscere, quod Pilatus dixerat ipsum sui iuris esse, & sibi licere cum omnibus agere ut liberet. Non fert Christus impietatem aut blasphemiam: Nam & Pilatus quod Dei erat, sibi usurpauerat uel attribuebat. Deus Pater potissimus author erat passionis Christi, at Pilatus sibi hanc potestatem uendicabat: Ego, inquit, possum te cruci affigere. Ideo Christus nõ tacet ad hanc blasphemiam & iniustitiam. Vnde subdit: Isai. 42. Psal. 2.

Non haberes aduersus me potestatem, &c.]

Quasi diceret, Tu ne aut quisquam hominum, potestatem haberet in Filium Dei? Nihil minus, immo cum tota tua cohorte, & omnibus Iudæis, ne capillum quidem mihi inflectere possis, nisi Patris mei consilium & uoluntas desuper me pati decreuisset. Non igitur per Cæsarem, nec per istos qui clamando confortant brachium suum contra me, sed ab eo, qui super omnes est, datam habes potestatem in me. Is enim in Propheta iam dudum prædixit: Framea suscitare super pastorem meum, & super uirum cohærentem mihi: Percute pastorem, &c. Et nisi ille teneret manum dexteram meam, & in uoluntate sua deduceret me, poteram ego te uel sola uerbi mei uirga ferrea, uel uno nutu meo, sicut uas figuli confringere. Ergo, quia traditus sum desuper (tradidit enim Pater me, nec pepercit filio suo) non glorieris tu, quia non tua potestas, sed diuina permissio est. Zach. 13. Rom. 8.

Præterea, nec uera potestas est, quam exerces in me, sed Tyrannis & latrocinium. Data est enim potestas in laudem bonorum & defensionem, ad iram autem malorum: Accepisti potestatem, non tamen tibi licet quicquid libet. Sicut enim lex iniustis tantum posita est, sic & Magistratus ius gladij tantum in malos habet. Quod si gladio occidat insontem, Tyrannis est, non legitima potestas: latrocinium est, non Magistratus. Rom. 13. 1. Timo. 1.

Quod

Quod igitur permittitur tibi potestate tua abuti, noli inde gloriari,
Psal.124. quia non relinquet Dominus uirgam peccatorum super sortem iu-
Isa.10. storum, &c. Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? Latro nihil iuris habet in hominem, interim tamen potest eum ex insidijs adoriri & occidere: Sic tu nihil habes in me potestatis, nisi quantum permiserit Pater.

Hoc itaq; uerbo Christus reprimit Pilatum, de sua potestate gloriantem, & eadem potestate abutentem. Deinde hoc uerbo ostendit, se non inuitum pati, nec humana ui ad crucem adigendum, sed uoluntate Patris. Præterea admonet omnes iudices, ne de sua potestate superbe glorientur. Item, ut sciant se non Tyrannos esse, sed iudices: Nec contra pios, sed contra impios habere gladium. Maxime autem hoc uerbo consolatur pios, ipsorumq; conscientias confirmat, ut sciant nil posse regnum mundi contra eos, præter id, quod pro sua beneuolentia Pater admittit, ut experiantur eius præsentiam, & fides eorum confirmetur, ideo in Propheta dicit: Ego ero
Zacha.2. eis murus igneus, &c. Addit autem Christus.

Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet]

Quasi diceret, Non potestatem habes, sed peccatum habes, quòd me cruci affiges: Attamen Iudas & Iudæi, plus peccant, quàm tu. Ipsi em̃ & innocentem me comprehenderũt, & falso accusarunt: Ipsi ex inuidia faciunt quod faciunt, tu ex timore, sed tamen non sine peccato. Faues quidem innocentiæ, sed aliò te rapit uictum improbitas Iudæorum: Illi legem habent, & non nescientes, sed scientes abutuntur permissu Dei, tu uero eam legem non accepisti, et ideo non tanta tibi uel insipientia uel malignitas est, odisse sapientiam, et nescire sacramenta Dei. Tu ignoti hominis sanguinem fundens, homicidium facis: Illi autem Regem & Dominum suum morti tradentes, cum homicidio sacrilegium faciunt, Atq; hic uides, quod peccatum unum alio grauius est, sic grauius qui scienter, quàm qui ignoranter peccat. Item, qui ex malitia, quàm qui ex infirmitate peccat: Sic malus consiliarius plus peccat, quàm Princeps aut iudex ignarus. Et malus Christianus plus quàm Gentilis & grauius peccat, etiam in eodem genere peccati.

His uerbis Christi Pilatus permotus, uehementius adhuc laborabat pro liberando ipso. Quamuis enim Ethnicus esset, terrebatur tamen comminatione peccati, nec facile uolebat in Deum peccare, quem tamen non cognoscebat, nisi quantum Gentiles ipsum co-
Rom.1. gnoscere poterant, nimirum ex rebus creatis.

Cęterũ, cũ Iudæi uiderent Pilatũ timere, ne Deum offenderet peccato se inquinaret, ad priorẽ calumniã, nempe affectati regni, recurrũt, eamq; ostendunt nec ipsi iudici tutũ negligere, itaq; incutiunt ei timorem

timorem Cæsaris. Hoc enim impios uel maxime cogit.

Si hunc, inquiũt, dimittis, non es amicus Cæsaris]

Quasi dicerent, Si nihil ad te pertinet, quòd in Deum peccauit, certe ad te pertinet, quòd in Cæsarem peccauit: Cæsarianus es, & ob id hic habitas, ut Cęsaris nomen, gloriam, honorem, potestatem, &c. non minuas, sed tuearis & augeas, hic autem se Cæsari opponit. Nam ipsemet Cæsar & Rex esse contendit in Syria, & maxime apud nos Iudæos, ubi tu Pilate Cæsaris nomine præsides. Si igitur hunc dimitteres, & hanc regni affectationem non punires, nemo aliter iudicare posset, quàm quòd & tu hostis Cæsaris esses, ut qui eius inimicum manifestum non punias.

Omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari]

Omnia autem hæc non amore Cæsaris, quem pessime oderant, & aduersus quem frequenter seditiones mouerant, sed odio Christi dicunt, Cęsaris nomen prætexentes, quo libidinem suam in Christo expleant. Hoc igitur telo uel tandem uincitur Pilati iustitia, hac acclamatione frangitur constantia eius, uertitur iustitia in iniustitiam, totaq; & ratio & grauitas huius hominis cadit. Atq; hinc manifestum fit, ciuilẽ iustitiã in uera tentatione non perstare, nec nisi usq; ad aras ualere. Ita igitur finem accepit longa illa disputatio Pilati et cum Christo & cum Iudæis, quæ tota eò tendebat, ut innocens liberaretur.

Pilatus autem cum audisset hunc, &c.]

En charissimi fratres, quia Diabolus primo in Iuda, deinde in Iudæis, postremo etiam in Pilato uictoriam obtinuit: urget, ut res ad exitum perducatur. Nesciebat enim, quòd seipsum maxime in hoc damnificabat. Iudex igitur pro tribunali sedet, iudicaturus eum, qui à Deo Patre constitutus erat iudex uiuorum et mortuorum. Tametsi enim Pilatus non ignoraret, uanissimũ esse quod intẽtabatur, tamen quoniã perspiciebat implacabile odium Iudęorũ in Iesum, mirumq; populi & primatum consensum in unius hominis perniciem, simulq; uideret ipsum Christum innoxiũ quidem, sed humilẽ ac tenuem, sibiipsi deesse: Cogitãs interim & illud, apud Cęsarẽ multos quãuis falsi criminis inuidia periclitatos, iamq; uidebatur sibi satis adnixus aduersus cõiuratos totius gentis, ad tuendam innocentiã Christi innocentis, decreuit illorũ odio seruire. Pilatum igitur seduxerũt fauor & consensus populi, Christi contemptus & humilitas, & timor Cæsaris. Act. 10.

Sedit (igitur) pro tribunali]

Non curans ius, sed nec illud attendẽs, q̃ toties Christum innocẽtem proclamauerat. Quale autem iudicium sperandum, ubi animus iudicis affectibus auaritiæ, uel odij, uel timoris humani patet?

Timebat

Timebat Pilatus, ne falso apud Cæsarem traduceretur, tanquatis Cæsaris hosti fauisset, & ob id à Magistratus sui functione deijceretur: uerum quod impius timebat, hoc ei accidit. Nam & postea à Præfectura eiectus, ac in exilium missus fuit, Authore Iosepho, tantisq; malorum cruciatibus afflictus, ut propria se manu transuerberans, nephariam uitam ui abiecerit, ut testatur etiam Eusebius in Ecclesiastica historia, lib. 7. cap. 8. Vsque adeo iudicium Domini, licet tardet, non tamen aufertur. Sequitur:

Iosephus libro 18. capite 7.

In loco, qui dicitur Lithostrotos, &c.]

Diuus Ioannes non simpliciter tantum describit iudicium, sed insuper etiam & tribunal & locum iudicij. Denicp & diem & horam, ut maiorē fidem historia habeat apud notos & incognitos. Et quidem locum ipsum, Græce & Hebraice exprimit. Lithostrotos enim Græcum est, Gabatha autem Hebræum. Non tamen idem significant hæ duæ uoces. Nam Lithostrotos idem est, quod lapide stratum: Gabatha autē idem est, quod locus eminens, uel propter altitudinem sic dictus, uel quod iudicem decet in sublimi sedere, hoc est, animo in Deum eleuato esse, ut alios ita iudicet, quemadmodum ipse à Deo cupit iudicari. Sequitur:

Erat autem Paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſextâ]

Diem quo Christus morti adiudicatus fuit, Ioannes nominat Paraſceuen Paſchæ. Erat quidem ea dies, quando hæc facta sunt, ipsum festum Paschæ, ut in exordio probauimus: dicitur tamen & Paraſceue, id est, præparatio, propter Sabbatum, quod continuo se-
Exod. 16. quebatur, in quo legaliter nec cibos decoquere Iudæis licitum erat. In alijs autem festis, etiam in festo Paschali, licebat cibos coquere. Dies igitur hæc & festum erat in se, & insuper etiam præparatio ad futurum Sabbatum: propterea, quod eo anno in feriam sextam incide rat. Iudæis igitur hæc dies erat præparatio ad Sabbatum, nobis autem fuit Paraſceue & præparatio uitæ æternæ, quæ eo die nobis præparata fuit.

Signanter etiam Ioannes ideo diem mortis Christi tam diligenter nominat, ut ostendat opus redemptionis eadem die, qua opus creationis perfectum esse, & hominem eadem die redemptum, qua
Gen. 1. creatus erat, nempe sexta die. Deinde etiam ideo tam diligenter diem hunc describit & horam, tum propter resurrectionem, tum propter tridui temporis sub terra spacium, ut sermo Domini ad Iudæos dictus uerus inueniatur: Sicut, inquit, fuit Ionas in uentre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde
Matth. 12. terræ, &c. De hora autem iudicij, uidentur Euangelistæ discordare, Marcus horam tertiam nominat, Ioannes sextam: Non tamen est contradictio, quamuis etiam ueteres non parum hic in concordandis

cordandis Euangeliſtis ſudarint, maxime Auguſtinus & Theophilactus, quorum hic putat uitio ſcriptorũ fortaſſe factum, qui transpoſuerint literam pro litera. Nam Græci numeros ſignant per literas. Auguſtinus de duplici crucifixione Chriſti loquitur, & quod una facta ſit linguis Iudæorum, Crucifige clamantium: Altera manibus militum, & illa quidem tertia, hæc autem ſexta hora. Cæterum nodus hic & alio modo, & quidem facilius explicatur: Ita ſcilicet, quod Pilati iudicium ad crucifigendum Chriſtum, incœperit hora tertia, & durauerit uſq; ad ſextam, ita ut ipſa crucifixio intra tertiam & ſextam, & incœpta & perfecta ſit. Quia igitur duæ hæ horæ totũ negocium crucis comprehendunt, ideo Marcus nominauit unam, Ioannes autem alteram, quaſi crucifixionis exordium & finem. Breuiter, intra tres horas, id eſt, intra tertiam & ſextam, crucifixio & iudicium perfectum eſt. A ſexta fuerunt tenebræ uſq; ad nonam, in qua Chriſtus ſpiritum emiſit. Vel aliter colligi poteſt ex Matthæo totum diem fuiſſe diſtributum, in horam matutinam, tertiam, ſextam, nonam & ueſpertinam. Quicquid igitur intra tertiam & ſextam horam factum fuit, hora tertia factum dicitur, propterea, quod nondum ſexta aduenerat. Non igitur dicit Ioannes hora ſexta Chriſtum morti adiudicatum, ſed quaſi ſexta: ſignificans adhuc tertiam fuiſſe horam, ut Marcus dicit, ſed multum tempus ex ea hora effluxiſſe appetente iam ſexta. Cæterum hæc computatio horarũ, longe aliam rationem habuit ad Hebræos, quam apud nos Germanos. Tunc enim hora ſexta fuit circa meridiem: Nam diei tantum aſsignabant duodecim horas, & nocti totidem. Sed de his plus ſatis, ad iudicium reuertamur. Pro Tribunali igitur ſedens Pilatus in loco, die & hora iam dictis, antequam ſententiam ferat, iterum Iudæos alloquitur. Inuitus ſiquidem ſententiam mortis ferebat, ideo tam diu differt, contra eos, qui parui momenti eſſe putant, ſanguinem humanum fundere.

Matth. 20.

Ioan. 11.

Ecce (inquit) Rex ueſter.]

Quem ſcilicet ſub hac delatione uinctum mihi tradidiſtis. Quid adhuc in eum ueſter deſæuit animus? Inſpicite, flagellatus eſt, alapatus eſt, illuſus eſt & conſputus, in deriſione & opprobrio coram uobis hic ſtat: Ecce rex ueſter. Quid uobis intulit mali? quid uero poteſt inferre periculi? Seipſum iuuare nequit, fruſtra igitur eum timetis. Si regem ſe dixit, ecce humiliatus eſt: Si rex ueſter fuit, ecce iudicio applicatus eſt? Si rex eſſe uoluit, ecce qualis rex eſt, nempe talis, qualem pueri conſtituunt, immo tanto iſte in hac parte deterior, quanto maiores pœnas & opprobria patitur. Ecce igitur rex ueſter, quid decernitis? Eſtis ne ſatiati pœnis eius? Vultis ne à malo propoſito reſilire, ne ſubſequatur iniuſtum eius exitium, immo

ſummum veſtrum malum, quod propter hoc incurretis. Vide hic, quàm inuito animo Pilatus furori Iudæorum obſequatur. Nam etſi ei fuerant comminati, omnia tamen attemptat, ſi quo modo fieri poſſet, ut innocens liberaretur. Iuſtior certe fuit multis noſtro tempore, qui ne expectatis quidē Cæſareis mandatis in innoxios ſæuiunt, &c. Obſeruandum autem, quod Chriſtus etiam ab incredulis tria nomina ſuſcepit, & quidem inſignia. Nam ſupra dixerat Pilatus: Ecce homo. Nunc dicit: Ecce rex veſter. Tertium addiderunt Iudæi: Ecce Filium Dei ſe fecit. Hæc tria veriſsima nomina ſunt unius Chriſti: Homo, Rex, Deus uel Filius Dei, quem quidem ſic irridentes confeſsi ſunt inimici, ſed uenerantes, & ſeriò adorantes confitentur amici. In his enim nominibus, tota fides & ſpes conſolatioq; noſtra conſiſtit. Cæterū, ſicut inuidorum mos eſt interrumpere ſermonem, ubi quid dicitur, quod non libenter audiunt, quemadmodum & Paulo contigit, cum Hieroſolymis pro ſe rationem redderet: ſic & Iudęi hic interrūpentes Pilati ſermonē, clamabant:

Acto. 2.

Tolle, tolle, crucifige eum.]

Sic igitur, qui tam miſericorditer proſpexerat ſuper filios hominum, quiq; tam dulciter infirmos eorum tractauerat, grauis ipſis eſt ad uidendum. Non autem ſemel tantum dicunt, Tolle eum, ſed bis, ad maiorem Chriſti contemptum. Quamquam hæc eorum acclamatio in ipſorum ſinum reciderit: Ablatus enim eſt ab eis ſaluator & in hoc & in futuro ſæculo. Chriſtum igitur ab oculis eorum tolli clamantes, nihil aliud ægerunt infœlices illi, quàm quod ablatus eſt ab eis rex, princeps & ſacerdos. Extunc enim impletum

Oſee. 3.

eſt illud Oſee: Multis diebus ſedebunt filij Iſraël, ſine rege, ſine principe, ſine ſacerdote, &c. Et iterum: In hoſtijs & muneribus uadent ad quærendum Dominū, & non inuenient, quia ablatus eſt ab eis.

Oſee. 5.

Et merito, quia dixerunt: Tolle ſaluatorem, crucifige propitiatorem, ideo perdiderunt ſalutem, & nullam habent defenſionem.

Ad nouum igitur hunc canum immundorum, immo crudelium Leonum clamorem, Pilatus iterum regni mentionem ingerit:

Regem (inquit) veſtrum crucifigam?]

Quaſi diceret, Quales homines eſtis, qui proprium regem crucifigere uultis? Perpetuo hoc uobis eris opprobrio. Loquitur tamen magis ironice, q̄ ſerio, tametſi ſub huiuſmodi mycteriſmo adhuc quærit ipſorum furorem frangere. Adhuc enim abhorrebat innocentem ſanguinem fundere: At uero Iudæis nullus hic iocus erat.

Non habemus (inquiunt) regem, niſi Cæſarem.]

Quaſi diceret, Quid tam multa nobis de noſtro rege dicis, quaſi nos Iudæi proprium uelimus habere regem. Nolumus hac ſuſpi-

tione maculari, nolumus hunc neq; pro rege, neq; pro Cæsare habere: Sufficit nobis Tyberius Cæsar, hunc agnoscimus pro Domino, huic & censum & tributum damus, sicut tu Pilate melius nosti, &c. Sic igitur miserrimi Iudæi Messiam uestrum abnegastis & repulistis, & in locum eius Cæsarem elegistis, quem tamen odio habuistis, & pro uero Edom uel Idumæo traduxistis. Hunc igitur habebitis, uelitis nolitis pro rege, & reipsa eum habetis. Nunquam Iesus hic noster tanta crudelitate in uos sæuiisset, ut postea secuerunt in eos Vespasianus & Titus. At si adeo Romano Cæsari dediti estis, cur toties ei restitistis? cur tot seditiones contra eum mouistis? Verum adeo odiebant Christum, Zach. 9. Matth. 21. ut in ipsius inuidiam Cæsarem cõmendarẽt, quem maxime odiebant, Hic uide, quid faciat inuidia, ut Christum occidere possint, perpetue se subiiciunt seruituti, quasi dicerent, Malumus seruire Cæsari, quàm sub illo rege esse liberi. Seruietis ergo, ut discatis distantiam inter seruitutem Dei, & seruitutem hominum. Hoc igitur uerbo & Christum Malach. 3.
& Deum abiecerunt, quorum uterq; in scripturis rex ipsorum dicitur. De Deo enim sic dicũt: Dominus legifer, Dominus rex noster, Isai. 33.
&c. De Messia autem aperte dicit scriptura ipsum regem futurum: Ecce, inquit, rex tuus ueniet tibi mansuetus, &c. Et: Suscitabo Da- Zach. 9.
uid germen iustum, & regnabit rex, &c. Vtrumq; autem, & Deum Hier. 23.
scilicet & Messiam, hic abiecerunt, cum dicunt: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Merito igitur audiunt principes Israël: Dereliquisti me, & ego dereliqui uos. Sequitur:

Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur]

Postquam Pilatus (ut in Matthæo dicitur) manus abluerat, uidebaturq; sibi iam niue candidior, sententiam mortis in Christum fert. Parui enim æstimabat, hominem humilem & abiectum morti adiudicare: Neminem putabat huius cædis uindicem futurum, sed aliter postea expertus est. Quid enim si pius homo in terra non habet uindicem hominem, cum habeat uindicẽ Deum? Mihi, inquit, Deut. 32.
uindicta, & ego retribuam. Sic igitur Barabbas latro, sine omni pœna dimittitur, innocens autem Iesus flagellatus, morti, immo cruci adiudicatur, iustus pro iniustis. Sic uicerunt isti filij hominum, quorum dentes erant arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus, quia firmantes sibi sermonem nequam, tam diu perstiterunt, donec traderetur eis ad crucifigendum. Sic igitur, qui omnibus uitam dat, sententiam mortis propter nos fert, nobis enim debebatur hæc mortis sentẽtia in iudicio Dei, uerum Christus eam in se transtulit. Sic, inquam, cui pater cœlestis omne iudicium dedit, Ioann. 5.
qui & aduocabit cœlum desursum, & terram discernere populum Luc. 21.
suum, in cuius iudicio cœlorum uirtutes commouebuntur, & cœli magno impetu transient, elemẽta calore soluentur. Infernus reddet 2. Pet. 2.

mortuos suos, uniuersaque contremiscet creatura, uelut uilissimus despicitur & morti adiudicatur. Heu quantus moeror discipulorum & aliorum amicorum corda oppressit, dum ablata omni spe uiuendi, fidelissimum magistrum, Dominum & auxiliatorem, audierunt iniquissimo iudicio condemnari. Quanta è diuerso rabidorum canum infanda lætitia, atq; uocum exultantium confusio, dum facinorosissimum intentum suum, toties à iudice negatum, tandem clamorum suorum importunitate obtinuerunt, dum cuius sanguinem sitiebant, Iesum Saluatorem tradidit impius iudex crudelissimæ uoluntati eorum. Quantum deniq; cruciabar agnum mitissimum, iam lupis traditum, & amicorū desperata tristitia, & hostium furiosa lætitia. Hic uides Christiane, quid nobis expectandum fuerat in iudicio Dei, nempe sententia æternæ mortis, nisi Christus nostri misertus, eam in se suscepisset. Vides item, quàm nihil præsidij ponendum sit in mūdo, cum Pilatus, qui hactenus Christū toties defenderat, nūc sine omni causa, ut Iudæis gratificaretur, eum crucifixit. Sic Herodes
Mar. 6. libenter audiebat Ioannē, & tamen eum occidit. Iniustam igitur sententiam Christus accepit, ut nos à iustissima damnationis sententia eximeret, & doceret non timere iniusta iudicia mundi. Huius igitur iudicij semper memores, Christo Domino totis uiribus gratias referamus, qui pro nobis ad mortem condemnari, uoluntati impiorum Iudæorū tradi uoluit, immo seipsum tradidit, ut nos consistere possemus in iudicio Dei. Sequitur:

Susceperunt autem Iesum]

Audiuimus huc usq;, quid Dominus passus sit, anteq; finalis sententia in eum ferretur. Audiuimus deinde, quæ nam fuerit illa sententia, nempe ut crucifigeretur: Nunc deinceps audiemus, quomodo ea sententia in opere completa fuerit. Hic igitur attentas præbeamus aures, non tam corporis quàm mentis: In proximo est, ut aperiantur uenæ fontis aquarum uiuentium, & effluat illud pretiosissimum balsamum, cunctorum penetrans & liquefaciens pia corda. Post iniquam igitur sententiā prolatam, susceperūt Iesum mitissimū agnum truculenti lupi: quod enim diu desiderauerant, iam tandem adepti erant, nempe ut occidere eum possent. Hic igitur impletum est, quod
Ioan. 16. Christus prædixerat, mundum in sua passione gauisurum. Gaudet enim mundus, cum pro libidine sua agere potest, cum non habet arguentem, cum se corripientes in suam potestatem redegerit. Susceperunt itaq; Christum, sicut leo paratus ad prædam. Leo siquidem assecutus prædam, mox eam asportat, ne intercipiatur. Catuli leonum partem prædæ, quam genitores ad cubilia adferunt, mox deuorant, ne de eorum ungulis à concatulis eripiantur: Ita & in Christo factum fuit. Sic igitur uidentur impij prævalere, hæc est enim hora
Psal. 16.

eorum,

eorum, & potestas tenebrarum: non quod impij uere prævaleant Christo, sed quod seipsum exinaniuit, factus obediens usq; ad mortẽ crucis. Signanter aũt apud alios Euangelistas hic nominãtur milites, nam & hi Christum in domo Pilati illuserãt, & nũc etiam officio carnificũ functi, Christũ educunt & crucifigunt, quãdoquidem hoc Iudæis non competebat. Iustius tamen Iudæorũ Pontifices dici debent crucifixores Christi, quãdoquidem ipsi eũ & primo cœperunt, & causa mortis fuerunt. Et reuera ipsi crucifixores ueri fuerunt. Vnde & Petrus ipsis dixit: Vos Christũ per manus iniquorũ suspendistis in ligno. Et paulo post: Iesum, inquit, quem uos crucifixistis, Deus suscitauit à mortuis. Idem dicit eis Stephanus, nominãs ipsos proditores & homicidas iusti Iesu. Sic & Paulus aperte dicit, quod Iudæi Dominum gloriæ crucifixerunt. Quod enim aliorum manibus fecerunt, idem est, ac si propriis manibus id fecissent. Milites igitur susceperunt Iesum: nam ipsorũ potestati iam traditus erat, nec solum potestati, sed etiam pessimæ eorum uoluntati. Sequitur: Philip. 2. Acto. 2. Acto. 7. 1. Cor. 2. Lucæ 23.

Et eduxerunt eum]

Sic nimirum impij illi agricolæ, Filium Patris hæredem è uinea sua eiiciunt. Huc pertinet figura de Hirco, qui pro peccato immolabatur. Is enim extra castra quidem cremabatur, sed intra ciuitatem sanguis eius in tribus locis fundebatur. Nam ipso aspergebatur tabernaculum interius, & sanctuariũ exterius & altare. Ita Dominus Iesus pro peccatis omnium diluendis, sparsit sanguinem suũ in ciuitate in tribus locis: In domo scilicet Cayphę, extra prætoriũ Pilati ligatus ad palum, & in prætorio spinis coronatus: Nunc per charitatem cremandus in cruce ducitur extra ciuitatem. Educitur autem non ut prędicator ueritatis, sed ut prævaricator, ut latro, ut Magus, ut seductor, ut blasphemus inclamatur, illudiũ, irridetur, exibilatur: Omnes, inquit, uidentes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Et iterum: In me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant uinum. Sic igitur qui suos è Babilone ciuitate Diaboli, & Ecclesia malorum, in Hierusalem, sanctam scilicet Ecclesiam, introducit, is nunc educitur. Qui suos ab inferno ad suam hæreditatem assumpsit, nunc è sua hæreditate eiicitur: In propria enim uenit, & sui eum non receperunt. Qui suos à societate Dæmonũ liberat, nũc cum latronibus educitur. Qui suos ad triumphum ducit, nunc ad mortem ducitur, uel potius trahitur. Sic maledictus Cain fratrem suum innocentẽ educit in agrũ, ut eum occidat. O quàm dissimilis fuit hæc Christi eductio ei, qua olim patres eorum eduxerat ex Ægypto. Illic enim dicitur: Eduxit illos in lætitia, hic autem ipse educitur in summa anxietate & tristitia. Illic dicitur: Eduxit eos cum argento & auro, hic autem ipse educitur in summa miseria. O uere miserabilis eductio, non sic sexto antea die intra ciui- Matth. 21. Leuitt. 16. Psalm. 21. Psalm. 68. Ioann. 1. Genes. 4. Psalm. 77. Psal. 104.

tatem exceptus fuerat. Tunc enim ut agnus immolatitius desiderabatur, nunc mactatur: tunc asina uehebatur, nunc sub onerosa cruce genua labant: tunc comitatus discipulis, nunc latronibus: tunc floribus, ramis palmarū, & uestimentis compita spargebant, nunc per lutulenta, lapidosa & aspera eum festinare cōpellunt. Tunc & pueri ora in laudes resoluebant, dicētes: Gloria, laus, & honor tibi sit rex Christe redemptor: Benedictus qui uenit in nomine Domini, Hosiana in excelsis: Nunc omnia iniurijs, conuitijs, ludibrijs, maledictis complentur. O quàm dissimilia sunt: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Et: Tolle, tolle, crucifige eum. Quàm dissimilia: Rex Israël. Et: Non habemus regem, nisi Cæsarē. Quàm dissimilia rami uirentes & crux, flores & spinę. Et ut pœnalior ipsi fieret hęc eductio, quod nunc̄ aliâs uisum uel auditū fuit, crucē ei imponūt propriam, quam et à domo Pilati, extra ciuitatē scilicet, portare cogebatur, quo scilicet latronū illorę peccatū maius fieret, & pro peccatis nostris perfectius innocentis Christi passio satis faceret. Sequitur enim:

Et baiulans sibi crucem, exiuit]

Grande spectaculum, grande ludibriū, sed si spectet pietas, grande hoc mysterium est. Hic enim impletum, quod Isaias dixit: Factus
Isa. 9. est principatus super humerū eius. Principatus enim Christi, est crux eius, propter quam fuit exaltatus à Patre. Hic & figuræ impletæ fue-
Phil. 2. runt. Hic enim educitur Abel à fratre, ut perimatur. Hic adest Isaac
Genes. 22. cum lignis, & Abraham cum ariete inter uepres hærente. Hic adest
Genes. 37. Ioseph cum talari tunica, sanguine lita. Hic adest Moyses cum uirga,
Num. 21. & serpente suspenso. Hic adest Botrus in ligno portatus. O quam amarum fuit Christo ex ea urbe excedere, quam tanti fecerat, ut eam diuitijs, potentia, regno & religione cœlo æquaret, eiq̄ autem nunc & deinceps tam corpore quàm auxilio, ob iniquitatem eius se defu-
Psalm. 79. turum, uineamq̄, quam plantauerat dextera sua, ab apro singulariq̄ fera depascendam. Hic enim fuit ultimus egressus Christi à Iudæis, nec in hunc usque diem ad illos rediit: Veruntamen nemo tam libens ad seruitutem Dei pergit, uti ipse in caluariæ locum morte mul-
Heb. 13. ctandus properauit. Exeamus igitur & nos cum eo, improperium eius uel saltem cogitantes. Primo enim uerissime de ipso dicitur, quod baiulauerit crucem, nedum enim externe, sed etiam interne baiulauit crucem. Nec ullus unquam hominum tantum pondus crucis portauit, ut Christus. Nam primo portauit crucem externam, quę & maledicto infamis & pondere molesta, saucios humeros eius mirum in modum grauabat. Re uera enim pie credi potest, per hanc crucis baiulationem, omnem scapularum cutem, usque ad crudæ carnis reuelationem, ita concussam, exagitatam & confricatam fuisse,

nimia

ut priorum plagarum uulnera aut innouata sint, aut in unum inuius nimia dilaceratione redacta. Cum enim crucis lignum & longum & ponderosum fuerit, non aliter eam portare potuit nimium fatigatus Iesus, nisi ut una pars scapulis, altera terræ incumberet, quo factum est, ut per lapidum asperitates & terræ callositatem tractum, suo tremore uulneratas Domini scapulas sine intermissione grauius uulneraret, nonnunquam & capiti illisum dolorem etiam spineæ coronæ renouaret. Vnde nemo satis edicere potest, quantum dolorem Christus sub hac cruce sustinuerit, nec dubium, quin sic fatigatus & debilitatus, sæpius sub hoc pondere crucis ceciderit. Omnia enim sic scripta & facta sunt, ut uideamus Christum sine omni misericordia ab ipsis tractatum fuisse. Sic enim & nos inæternum sine omni misericordia affligendi eramus, nisi Christus hoc in se transtulisset. Ideo itaque crucem hanc ei imposuerunt, ut hæc eductio maiorem ipsi & dolorem & confusionem inferret. Non enim poterant expectare, donec ad locum passionis uenirent. Deinde etiam crucem ei imposuerunt, quia propter nauseam & maledictum, nemo illud lignum uel tangere uolebat. Sic enim & nunc omnes crucem Christi & pro Christo abominamur & fugimus, cum tamen interim plærunquè maiora cogamur ferre in mundo.

Cæterum, non tantum hæc externa crux premebat Christum. Nam erat & alia crux spiritualis, quæ mentem pij Iesu non minus multa amaritudine, ab initio uitæ ad exitum usque, sine ulla gaudiorum interpolatione premebat & cruciabat: Hæc erant peccata nostra. Siquidem omnium hominum peccata, cruci Christi superposita erant. Ipse enim peccata nostra portauit super lignum, ut ait Petrus. Et in ipso posuerat Dominus iniquitates omnium nostrum, ut dicit Isaias. 1. Pet. 2. Isa. 53.

Hoc talentum plumbi, hæ colligationes impietatis, hi fasciculi spinarum, quouis monte ponderosiores, Christum premebant. Hoc tantum onus, quod uel cœli soliditatem, intermedij mundi spacium, terræquè stabilimentum perrumperet, subiectaquè omnia contunderet, pij Iesu humeris alligatur. Vbi interim uide impietatem nostram: Nos peccauimus, & tamen crucem fugimus, eamquè super innocentem Christum sinimus iacere, ne sic quidem gratias ei agentes. Quanta igitur erit damnatio nostra? Christus itaque etsi solus crucis grauitatem & pondus senserit, eam tamen non sibi (qui sine peccato fuit) sed nobis & pro nobis portauit, idquè dupliciter. Primo enim prætulit nobis crucem ministerio, nobis scilicet per hoc ministrans & seruiens. Crux enim eius nostra crux est, quã ab humeris nostris susscepit, & in suos transtulit. Crucis autem appendix, est maledictio: Maledictus enim omnis, qui pendet in ligno. Atque hoc in cruce grauissimum est. Nam Deut. 21.

tolerabilis forte esset crux dolore, sed quando accedit maledictio, ea demum extrema miseria est: proinde cum Christus in se crucem nostram susceperit, suscepit etiam crucis maledictionē. Factus est enim pro nobis maledictū & execratio, ut nos à maledicto legis liberaret. Nostra erāt crux & maledictio, sed Christus utrunq; nobis prætulit ministerio. Hoc igitur cogita, cum te peccata terrent, conscientia angit, & maledictio premit, & nunq; desperabis. Deinde Christus crucem nobis prætulit in exemplum nostrū, ut scilicet sequamur uestigia eius: Christus, inquit, passus est, nobis relinquens exemplū. Et Christus ipse: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam. Et iterum: Qui non accipit crucē suam, & uenit post me, non est me dignus. Omnino ferenda est crux. Stat enim sententia: In mundo pressurā habebitis. Et: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū cœlorū. Sed enim crux ipsa grauior est, quàm ut sustineri possit, & nos imbecilliores sumus, q; ut eam uiribus nostris ferre ualeamus, Quid igitur faciendum? Num abijcienda crux? Nequaq;, sed inspicienda crux Christi. Quomodo inquis? En Christus, cum sit unigenitus Filius Dei, & summe benedictus, fieri non potest, quin omnia suo attactu benedixerit & sanctificauerit. Quemadmodum enim caro impura, maledicta, & peccatis obnoxia, quicquid attingit, contaminat: Impuris enim omnia sunt impura. Vnde & primo homini post peccatū omnia maledicūtur, adeoq; ipse Deus peruersis sit peruersus, Psal. 17. Ideo & in lege multis maledictionibus oneratur peccator: Maledictus, inquit, eris in ciuitate, in agro, &c̄. Ita e conuerso ex contactu superbenedicti Filij Dei, omnia benedicuntur & sanctificantur, etiam ea, quæ per se maledicta sunt. Attigit aūt Christus sturiem, frigus, persecutiones, opprobria, sanguinem sudorem, crucem, mortem, infernum, sed suo attactu hæc omnia benedixit & sanctificauit, ut iam non amplius in malum, sed in bonum cedant credentibus: Proinde, ubi aliquid horū te premit, ante omnia uide, ut in tua cruce in Christum respicias, quod si feceris, nedum non deficies in tribulatione, aut aduersus tribulantes insanies, sed insuper gloriaberis in afflictione. Huius figura præcessit in aquis Marath, quæ tam amaræ erant, ut nemo eas bibere posset, sed iniecto per Moysen ligno, quod Deus ipsi ostenderat, dulces factæ fuerunt: Hoc est lignum crucis Christi, quod omnia amara nobis dulcia facit. Sic paupertas Christi nostram paupertatem consolatur, mors ipsius mortem nostram, &c̄.

Gal. 3.

1. Pet. 2.
Matth. 16.
Matth. 10.
Ioan. 16.
Act. 14.
Genes. 3.
Deut. 28.
Rom. 5.
Exod. 15.

Hinc igitur disce patienter ferre laborem in uia ad cœlum. Immo hinc uires tibi collige, ut & tu possis portare crucē tuā. Huc, inquam, accede quisquis es, qui pro Christo ad mortē raperis, aut pro iustitia uel innocētia. In hac em̄ abductione Christi ad crucē, imò sub cruce, te ipsum per fidē inuenies, ut quemadmodū Christus uisus fuit mūdo

ad turpissimã mortẽ abduci, tamen est adductus ad gloriam longe omnium clarissimam: Ita si per fidem factus fueris membrũ Christi, videris quidẽ abduci in extremã miseriam, abduceris tamen ad gaudium sempiternũ. Nam propterea Christus in hanc horã uenit, ut te unâ secum per mortẽ ad uitam ducat. Hanc consolationẽ nobis dat, quod Christus crucẽ suam baiulauit. Nemo igitur uel in peccatis suis desperet, uel in externis malis deficiat, sed utrobiq; in Christũ respiciat, & leuius feret, consolationẽq; recipiet. Obseruandum aũt, quod nõ satis est, crucẽ portare. Nõ enim quælibet crux ad uitam ducit, sed crux Christi. Quatuor siquidem sunt genera hominũ, qui crucẽ portant. Alĩ eam uoluntarie portãt, ut pĩ homines. Alĩ inuiti, ut mundani & impĩ, qui & ipsi non sine cruce sunt, sed inuiti eam portant, quemadmodum Simon. Alĩ crucẽ portant, sed alienam: suam enim fugiunt & abnĩciunt, ut hypocritæ. Alĩ crucem quidem portant, sed Christũ non sequuntur, quin potius Diabolum, ut omnes impĩ. Tu igitur uide, ut crucẽ tuam portes, & Christum sequaris. Locus autem, ubi Christus mortẽ pertulit, ab Euangelistis diligenter describitur, ut certior fiat apud omnes homines fides historiæ. Dicebatur aũt locus ille Hebraicè Golgoleth, uel Chaldaicè Golgotha, quod significat aliquid rotundum, sicut est caput humanũ, aut caluaria, cranium uel testa capitis. Sic aũt nominabat locus ille, quod ibidem iacebant capita hominũ occisorũ. Nec Euangelistæ nostri aut etiam nos uereecundamur confiteri Christum in eo loco crucifixũ, ubi malefactores puniebantur, imò gloriæ hoc ducimus. Hunc em̃ ignominiosum locum, Christus magnifice sua sancta morte honorauit, ut iam non locus damnatorũ, sed uere sanctuarium nobis sit, quandoquidem illic sanctissimũ sanguinẽ suum fudit. Ad hunc igitur locũ Christum perduxerũt, & quidem comitatum duobus latronibus, ut ubi prius erat area damnatorũ, ibi erigerentur uexilla Martyrũ. Sicut igitur loco Caluariæ non est immũdior locus, sic Christus eo perductus, descendit in extremas immunditias, ut eas sanctificaret & emundaret. Atq; hac descẽsione sua, qua se demisit ad extremas abominationes, ascendit in altissimã gloriam. Habet em̃ Christus aliam scalam, quàm habet mundus, qua ad alta nititur. Mundus alte scandendo nititur ad alta, sed quò altius tollitur, eò profundius ruit: Christus aũt ad alta nititur in infima descendendo, & quo profundius descendit, eo altius ascendit. Stat enim sententia: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Hic nũc incipit ipsa crucifixio, qua sanctissimũ, tenerrimũ, & mundissimũ corpus Christi denudatum, manibus & pedibus durissimo ligno extensum & confixũ fuit, non sine grauissimo Dñi Iesu dolore. Paulisper igitur hic immorandum nobis est: Iam enim ad summã Passionis peruenimus. Et quidẽ Euãgelistæ breuissime, immo uno tantum uerbo, rem hanc explicant. Lucæ 18.

Et

Et crucifixerunt (inquit) eum.]

Pauca, inquam, referunt, at multa nobis cogitanda relinquunt. Primo enim ipsam crucifixionem, præcessit iterata expoliatio. Nudatur igitur uestibus, qui cœlos stellis, terram floribus uestit, & qualis in Paradyso primus homo habitauit, talis in Paradysum secundus Adam intrauit. Expoliari igitur se permisit, ut uestem nobis innocentiæ recuperaret. Coram omnibus nudari non horruit, ne nos nudi coram Deo inueniremur. Confusionem sustinuit, ut conscientiæ nostræ reatum tegeret: Beatus enim cuius tecta sunt peccata. Altissimam igitur hic paupertatem in seipso ostendit. Hactenus enim quamuis (ut Paulus ait) cum diues esset, propter nos egenus factus est, descẽdensq; ab inenarrabilibus cœli diuitijs, ueniẽs in mundũ, istas qualescũq; diuitias habere noluerit: tamen matris uirginis & aliorum ministeria non spreuit. Nam & ab eis pastus est, & pannis amictus, & quamuis etiam tunc filius hominis non haberet, ubi caput suum reclinaret, usum tamen præsepis, in quo reclinauit eum mater, atq; hospitium Matthæ & aliorum non spreuit. Nunc autem altissima paupertate premitur, non permittitur ei ministrare mater, sed nec accedere, pro cibo & potu sitiẽti fel & myrrha offertur. Omne etiam capitis reclinatorium tollitur, ab omni tugurio, domo, & ciuitate eijcitur, sub diuo crucifigitur, non pannis cuiuscunq; tegitur, sed uestibus etiam proprijs nudatur. Sicq; extrema inedia conficitur, cui non solum rerum proprietas adimitur, sed omnis etiam necessarius rei usus negatur, nisi diuitias computare uelis, quod sola crux acerbissima assignatur, quæ crux Iesu secundum Ioannem nuncupatur. Nunquam & nusquam talem pauperem legimus, nec Lazarum quidem illum ulceroſum, cui etsi defuerunt humana obsequia, lingebant tamen canes eius uulnera: Etsi non dabantur ei aliena, non tamen sua ei auferebantur pannosa uestimẽta. Quantum autem dolorem Christo hæc expoliatio uestimentorum intulerit, nemo facile explicabit. Nam dum uestem carni sanctissimę proximam, & flagellorum uulneribus iam impactam, & totam inhærentem, uiolenter & festine, tanquam ad mortem Domini properantes, abrumperent, omnia uulnera innouarunt, cum sanguine saniem fuderunt, multo crudelius, multo doloroſius, quàm primis flagellorum ictibus inflixerunt. Quod si nihil hactenus passus fuisset Christus, sola tamen hæc expoliatio suffeciſſet pro redemptione mundi. Experientia enim teste, uidemus, si lana modica aut pannis culus recenti uulneri immissus, uulneri coagulatur, in eius uiolenta extractione, longe maior pœna, immo uix tolerabilis sentitur, quàm in eius prima inflictione. Auxit & hoc dolorem, quod corpus illud tenerrimum sic denuo uulneratum, denuo rubricatum sanguine, & uelut excoriatum, frigoribus & uentis nudum exponebatur: Ve-

interim

Psalm. 31.

2. Cor. 9.

Matth. 8.

Lucæ 16.

interim taceam ipsam confusionem, quæ maxima fuisse non dubitatur, sic coram omnibus amicis & inimicis denudari. Vere igitur ad nos dicit: Propter te sustinui opprobrium, opperuit confusio faciem meam. Hic uide homo, quanto consistiteris Deo tuo. Verum audi adhuc maiora. Nudato igitur Domino, in maioris tristitiæ augmentum, in eius oculis crux aptatur, araq; in qua immolandus uerus agnus pro uniuerso mundo erat, præparatur. Perterebrabant igitur impietatis ministri crucem, mox rabido furore Christum spoliatum uestibus, sed spinis adhuc coronatum, super crucis stipidem proijciunt. O cœlum, terra, mare, non alibi tristius uidistis spectaculum. Læuam primo arripiunt, clauo pollicali crassitudine acuto malleorum ministerio cruci ita affigunt, ut uolam ipsam carnemq; clauus secum intra foramen raperet, ut non affixam, sed adferruminatam crederes. Pari immanitate, immaniori tamen tortura, ad dextram procedunt. Distabant nimis foramina, neq; extensis manibus respondebant. Insuper & nerui (ut fieri solet) ad mutua subsidia contractiores redditi erant, eunq; dextera cauernulæ applicaretur, minime pertingebat. Alia itaq; sæuitiæ instrumenta quærunt, funibus hinc inde ligatis. Alij sinistram rursus uinctam, ne crumperet sollicite adseruant. Alij tam diu dextram tendunt, donec claui loco sese accommodaret, eamq; perfodiunt, affigunt. Deinde & pedes quoq; eadem atrocitate cruciant, clauis trajiciunt, trahunt, expandunt, non sine poblitum compagumq; omnium solutione, ut neruos, uenas, fibras, ossaq; singula numerare posses, nullaq; in toto corpore ruga maneret. Sic igitur prophetica cythara Dauidis tensa est, & quod ille præcinuit: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, impletum est. Sic immaculatus agnus in nullo oblatrans, nec os suum aperiens, ad occisionem ductus, in ara crucis immolandus, durissime ligatur, immo affigitur. Hic igitur oculos & aures intende o Christiane: Multa hactenus passus fuit Christus, sed in sola carne. Nunc uenitur ad extremum & intimam medullam, & summā dolorum: Nunc nerui ossaq; examinantur, qui dolor est uehementissimus in manibus & pedibus, ubi nerui & ossa ita conueniunt, ut non nisi magna ui & intentissimo dolore seiungi possint. Verum ita oportebat Christum medicari peccatis nostris, quia enim in homine à planta pedis, usq; ad uerticem capitis, nulla erat sanitas, idq; tam externe quam interne, oportebat ut & Christus omnibus pœnis obijceretur. Extendit igitur brachia, ad indicandum, quod omnia hæc uoluntarie & ex summa charitate sustinebat. Pedes etiam fodicari & affigi permisit, ut ostenderet se non cessaturum, donec plene satis factum esset pro nobis. Totū deniq; corpus offert in holocaustum, ut Patrem pro nobis reconciliaret, nosq; doceret omnia membra

Psalm. 68.

Psalm. 21.

Isai. 53.

offerre

offerre in obsequium Christi. Quam iuste igitur hic dicere potuit Christus, & conqueri contra Iudaicum populum: Populе meus quid feci tibi, aut in quo molestus fui? Ego pro te flagellaui Ægyptum cum primo genitis suis, & tu me flagellatum tradidisti. Ego te paui manna per desertum, & tu me cecidisti alapis & flagellis: Ego te potaui aqua salutis de petra, & tu me potasti felle & aceto: Ego pro te Chananæorum reges percussi, & tu percussisti arundine caput meum: Ego dedi tibi sceptrum regale, & tu dedisti capiti meo spineam coronam: Ego te exaltaui magna uirtute, & tu me suspendisti in patibulo crucis. Quid ultra debui facere, & non feci? Ego quidem Plantaui te uineam meam speciosissimam, & tu conuersa es mihi in summam amaritudinem, &c. Verum omissis Iudæis, nos nostrum negocium agamus. Consydera igitur, ô homo, pium hoc spectaculum. Manus enim quæ cœlum in sapientia fundauerunt, quæ compeditos soluere, elisos erigere, suisq; contactibus uniuersos solebant sanare, in crucis patibulo distenduntur. Pedes, quibus se mare calcabile præbuit, quorum scabellum adorandum erat. Pedes, inquam, qui non steterunt in uia peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege Domini, clauorum acumine perfodiuntur. Corpus purissimũ, in quo thesaurus totius gratiæ seruatur absconditus, penitus denudatur, & durissimo ligno affigitur. Facies speciosa præ filijs hominum, quæ afflictos & mœrentes omnes consolabatur: facies, in quam Angeli desiderant prospicere, in pallorem horridæ mortis commutatur. Quid commisisti dulcissime puer, ut sic iudicareris, adeoq; crudeliter tractareris? quod scelus tuum? quæ culpa tua? quæ causa tui doloris? Ego, ego, causa sum omnis tui doloris: Ego uuam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt. Immo etiam nunc miser ego rideo, garrio, &c. dum tu pro me ploras, pateris, sitis, &c. Festino ad gaudia, dum tu cruci pro me affixus pendes: Caput ungo, adultero cutem, dum tu sputis, sanguine, liuore illitus, quasi leprosus pendes: Manibus etiamnum impie ago, quasi non plus satis peccatum sit, dum interim innocentissimæ manus tuæ pro me ligno configuntur. O ingratitudinem nullo non supplicio dignam. Siccine gratias agimus? Quàm merito igitur nos absterrere deberet à peccatis, hæc Christi crucifixio? Quæ enim uenia nobis speranda est, si hic non solum ingrati fuerimus, sed insuper denuò Christũ peccatis nostris crucifigamus? Cæterum multæ causæ assignari possunt, cur Christus uoluerit crucifigi. Primo enim hoc ideo factum est, ut inter Cœlum & terram positus, uerum se ostenderet mediatorem Dei & hominum. Secundo, quia in ligno peccatum commissum est, ideo etiam in ligno peccatum expiare uoluit. Tertio, quia Diabolus in ligno uicerat hominem, in ligno quoq; eum uincere uoluit Christus. Quarto ideo hoc modo

Ezech. 18.

crucifigi

crucifigi uoluit, ut uel ex ipsa forma crucifixi corporis eius discere-
mus, quid ab ipso nobis expectandum sit. Sic manus extendere uo-
luit, ut ostenderet nobis apertam esse uiam ad ipsius cor & miseri-
cordem dilectionem. Pedes affigi uoluit, ut ostenderet se non re-
cessurum, donec plene redempti essemus. Manum dexteram exten-
dit, quia bona dare: Sinistram autem, quia mala auferre uenerat.
Pedem dextrum affigi uoluit, quia bonos confirmare: Pedem sini-
strum, quia malos conuertere uenerat. Quinto etiam ideo crucifigi
uoluit, ut ostenderet uel ex ipsa crucis forma fructum suæ passionis.
Sicut enim crux quatuor cornua habet, sic & quatuor sunt præcipui
fructus Dominicæ passionis. Cornu superius uersus cœlum, signi-
ficat, quòd per passionem Christi reparata est ruina Angelica, &
apertū nobis cœlū: Cornu inferius, ꝙ per eandē redempti sunt pa-
tres è limbo. Cornu dextrum, quòd per eam collecti sunt filij Dei in
mundo dispersi: cornu sinistrum, ꝙ per eam etiam inimici recon-
ciliati sunt. Sexto etiam ideo crucifigi uoluit, ut uel sic ostenderet for-
mulam Christianæ uitæ. Sicut enim crux habet quatuor illas di-
mentiones, longitudinem scilicet, latitudinem, altitudinē & profun-
ditatem. His autem significantur quatuor uirtutes principales, in
quibus consistit Christiana uita. Profunditate significatur fides,
quæ occulta diuinæ uoluntatis uocatione, prima in fundo cordis,
quasi fundamentum in ędificio Dei ponitur: Longitudine significa-
tur perseuerantia: Altitudine spes: Latitudine charitas. Nam de his
potest intelligi illud Apostoli: Vt possitis comprehendere, quæ sit
longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, &c. Demum etiam Ephe. 3.
ideo crucifigi uoluit Christus, ut doceret nos etiam totū corpus no-
strum extendere in seruitium Dei, & carnem nostram crucifigere,
quemadmodū Paulus, qui dixit: Christo confixus sum cruci. Itemꝙ: Gal. 2.
Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Sic enim seipsum Gal. 6.
offerre, gratissimum Deo sacrificium est. Hactenus igitur de ipsa Rom. 12.
crucifixione. Hac igitur perfecta, crucem in altum multo clamore
amarulentisꝙ conuitijs & opprobrijs sustollunt. Aderat rupes, in
eum usum excauata, ut crucis pedem caperet & clauderet. In idipsum
receptaculum ipsam crucem non illabi, sed ruere tanto impetu faciūt,
ut tot laboribus maximus nouusꝙ dolor adderetur, uiscera intima
tremerent, uulneraꝙ manuum ac pedum hactenus clauorum obtusi-
tate obstructa, tanto casu laxarentur: Vnde uberrimi sanguinis ri-
uuli denuo scaturierunt. Sic igitur erupit fons ille Paradysi, fons Gen. 2.
sanguinis Christi de loco uoluptatis, corpore scilicet Domini per
quatuor partes diuisus, manuū scilicet pedumꝙ fossuras. Et copiosis-
sime effluens, irrigauit uniuersam terrā, peccata omnium credentiū
abluendo. Hic igitur impletum, quod Christus dixerat: Ego cum Ioan. 12.
exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Et iterum: Sicut Ioan. 3.

Ioan.3. Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat uitã æternam. Hic enim ea de serpente æneo figura, ueraciter impleta est.
Nume.21. Hic denicp Christus, tanquam uerus mediator Dei & hominum, coram Deo assistit, ut summus Sacerdos & Pontifex, seipsum pro nobis oblaturus,
Psalm.39. dicenscp illud Psalmi: Sacrificium & oblationem noluisti, tunc dixi: Ecce uenio, in capite libri scriptum est de me, ut facerem uoluntatem tuam. Quasi diceret, Quia hactenus nulla alia sacrificia te homini reconciliare potuerunt, En ego unigenitus Filius tuus, meipsum pro homine tibi offero. Et nos igitur fratres Pontifici nostro pro nobis offerenti cum deuotione astemus, oculoscp mentis nostræ in ipsius sacrificium subleuemus, ac ex toto corde dicamus: Respice sancte Pater de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus Iesus, pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ. Ecce
Gen.4. uox sanguinis fratris nostri clamat ad te de cruce: Ecce agnus sine macula, qui coram tondente se obmutuit: En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit. Respice Domine in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices uulnerum eius, ut memineris, quantam satisfactionem pro peccatis nostris ab eo acceperis. Respice Pater pissime eum qui patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Aspice mitissime conditor, dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Aspice gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare quæ nostra sit substantia. Aspice Dei & hominis pœnam, & releua conditi hominis miseriam. Vide redemptoris supplicium, & remitte redempti hominis peccatum. Sed & tu miser peccator, uide hostiam, qua redemptus es: sanguinem quo ablutus es: pœnam, qua pro peccatis tuis satisfactum est: uincula, quibus absolutus es. Vide manus, quæ soluerunt mala operata, quæ fecerunt manus tuæ. Vide pedes, qui quod pedes tui deliquerũt, abstulerunt. Intuere Christum in hac forma crucifixa: Nusquam enim amabilior eius aspectus est. Manus habet apertas ad largiendum, pedes affixos ad manendum, brachia extẽsa ad suscipiendum, caput inclinatum ad osculandum. Caue igitur, ne tibi ex-
Isa.65. probretur illud: Tota die expandi manus meas ad populum non
Prou.1. credentem. Item, Extendi manus meas, & non erat qui aspiceret.

Vide igitur homo (clamat Christus de cruce) quid pro te patior: ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus conficior: Vide clauos quibus perfodior, &c. Sequitur:

Et cum eo duos latrones, hinc & hinc, &c.]

Iudæis

Iudæis non sat erat, Christum & in loco turpissimo, & genere mortis turpissimo occidere, sed insuper ad maiorem illius ignominiam affigunt ei duos latrones, non tanquam inimici latronum: participes enim erant sceleris eorum. Nam Pilato dicente: Quem uultis uobis dimitti? latrones, latronem petierunt. Ideo autem latrones cum Domino crucifixerunt, ut passionem eius macularent, & uel sic nocens putaretur ex flagitiosorum consortio, uidereturq; crimen esse commune, quibus erat commune consortium, & ut fama undiquaque spargeretur, tres latrones uno die Hierosolimis esse crucifixos. Hoc quærebant impij Iudæi, immo ut Christum plus infamarent, sic ordinarunt cruces, ut medius esset Iesus, hinc atque hinc septus latronibus, nimirum ut ab omnibus antesignanus latronum putaretur. Et quidem latrones occidere permittit, immo iubet lex, Gen. 9. Numeri 35. Verum quid peccauit fons uitæ? Quid boni non fecit, quod facere debebat? O Hierusalem & Iudæa, hæccine reddis benefactori tuo? Hanc ne gratiam rependis ei, qui te à tempore Abrahæ tam mirabiliter duxit, conseruauit, & exaltauit præ omnibus populis terræ? Quis te iussit proprium tuum Messiam, Regem, Episcopum, Doctorem, Pastorem, Patrem, crucifigere? Væ tibi Hierusalem super hoc homicidio, super hac malitia tua. Verum ita oportebat te uel nescientem implere Prophetiam: Et cum iniquis deputatus est, nempe Messias. Oportebat Christum sic humiliari, ut nos inter iustos deputari possemus. Ad hoc quidem intendebant impij illi, ut Christus omnino confunderetur, uerum res in diuersum cecidit. Nescit enim humanis sordibus inquinari fons omnis puritatis, illustratur etiã probris fons gloriæ. Isai. 5. Isai. 53.

Crux ante probrosa per illum facta est triumphale signum, cui mũdus inclinat caput, quod Angeli adorãt, tremunt Dæmones. Inuenit Christus etiã condẽnatus inter latrones, quem ex latrone faceret ciuẽ Paradysi, tantũ aberat, ut supplicij societas contaminaret ipsum. Inter latrones aũt pati uoluit Christus, non inter discipulos, ne putaretur mors eius sola non sufficisse ad salutem, nisi adiuncta fuisset mors discipulorum.

Congrue item inter latrones crucifigitur, quia pro latronibus moritur. Latro est, qui quæ ad Deum pertinent rapit: Omnes igitur nos latrones sumus. In medio autem nostrum crucifigitur Christus. Crucifigimur & nos, nemo enim sine cruce. Verum sicut hic latronum alter damnatur, sic non omnes saluantur, qui crucem ferunt. Vide igitur, ut tua crux cedat tibi in salutem, quod tunc fit, si in Christum credis. Duo itaque latrones, quorum unus saluatur, alter damnatur, significant, uel homines & Dæmones, uel Gentiles et Iudæos, uel quoscunq; bonos et malos, qui utriq; crucem ferunt, sed dissimiliter. In fine discamus & nos hic à terra leuari, &

cum Christo crucifigi in medio latronum. Nam sicut ibi tres crucifixi, duo latrones, & medius Iesus: sic & in nobis moraliter crucifigenda sunt tria, caro scilicet & mundus, qui per latrones: & spiritus, qui per Iesum, significantur. Caro crucifigenda est, sicut latro dexter: Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifigunt cum uitijs & concupiscentijs. Mundus sicut latro siniſter: Mihi, inquit, mundus crucifixus est, & ego mundo. Istis latronibus in nobis crucifixis, spiritus in medio crucifigitur cum Christo, ut dicat cum Apostolo: Christo confixus sum cruci, uiuo autem non iam ego, sed uiuit in me Christus. Sicut autem latro siniſter crucifixus quidem fuit, non tamen saluatus. Nam mansit in perfidia sua: sic mundus licet crucifigatur, remanet tamen in immunditia sua. Caro autem crucifixa saluatur cum spiritu, quia in resurrectione sua glorificabitur. Vnde & latroni dextro comparatur, cui dictum fuit: Hodie mecum eris, &c.

Gal. 5.

Gal. 6.

Gal. 2.

Luc. 23.

Cæterum crux carnis est rigor disciplinæ, cuius quatuor sunt brachia: Vigilia scilicet, abstinentia, asperitas uestium, & disciplina uerborum. Crux autem, qua mundus crucifigitur, est paupertas spiritus, cuius etiam sunt quatuor brachia: Contemptus scilicet gloriæ, pecuniæ, patriæ & parentelæ. Crux uero spiritus, est feruor deuotionis, cuius brachia sunt: Amor, spes, timor & dolor. Spes sursum, timor deorsum, amor à dextris, dolor à siniſtris.

Scripsit autem & titulum Pilatus]

Erecta stabat crux in altum sublata, pendebat in ea Christus, multis hoc uidentibus manabant lachrymæ. Impietas & iniustitia uigent, & tamen Pilatus sine suspitione iniustitiæ esse contendit: Ideo & mundana sapientia astutus, nouum quid excogitat, ac titulum uel schedulam facit, in qua quatuor uerbis tota tragœdia cum annexa causa, cur hoc eius iudicium fuerit ostenditur.

Iam enim urgebat ipsum facti conscientia, timebat accusari apud Cæsarem, quòd talem ac tantum uirum, cum quo Deus esset, non dicta causa dedisset auaritiæ & inuidiæ Iudæorum. Vt igitur iuste & pro magna causa extra ordinem iuris ostenderet se hoc fecisse, hunc titulum, quo nullum atrociorem inuenit, in sui excusationem & defensionem commentus est, confidens se apud Cæsarem tutari posse, quasi Christum non occidisset ut Filium Dei, aut Iudaicum Prophetam, sed ut seditiosum & Cæsari inimicum, regnumque affectantem.

Hinc putabat se posse elabi, quandoquidem omnis potestas impatiens consortis est. Hæc erat Pilati intentio in scriptura huiusti-

tuli,

tituli, quæ quomodo ipſi profuerit, nouit ipſe, & paulo poſt experi-
tus eſt. Cæterum Deus uel Spiritus ſanctus, longe aliud intende-
bat, nempe Chriſto dare nomen ſuper omne nomen, & titulum
regni, qui cœlo & terra tranſeuntibus, nunquam tranſibit: quia
Ieſus Nazarenus, id eſt, Saluator & uere ſanctus, per crucem ſu-
am effectus eſt Rex Iudæorum: non eorum, qui dicunt ſe Iudæos
eſſe, non tamen ſunt, niſi ſynagoga Sathanæ: ſed eorum, qui in Apoc.2.
ueritate Deum confitentur. Titulus autem crucis talis erat:

Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum]

In his igitur quatuor uerbis totus effectus crucis notatur. Primo enim Ieſus dicitur, quia per ſatisfactionem & ſolutionem precij, factus eſt nobis author ſalutis. Secundo dicitur Nazarenus, id eſt, florigerus, quia per florem uirtutis, eſt nobis in exemplum honeſtæ conuerſationis. Eſt & odor deuotionis in ſacrificio ſuauitatis, quod odoratus eſt Pater pro nobis. Eſt præterea ſpes æterni fructus, qua fruemur dulcedine diuinitatis ſuæ. Dicitur tertio Rex, propter regimen & directionem. Regit autem nos in uita gratiæ, dirigit in uitam gloriæ: Rex eſt in uita & in morte, hoc nulli alij competit. Quarto additur Iudæorum, ut ſciamus, ad quos hi fructus pertineant, nempe ad credentes & confitentes.

En hæc tanta myſteria per tam uile inſtrumentum, quale Pilatus erat, Deus nobis aperuit, quod & ipſum oſtendit mirabile Dei conſilium. Sic enim Deus nouit etiam impiorum conſilia, ad ſuam gloriam conuertere.

Nos igitur Chriſtianos, quibus crux Chriſti ſumma dignitas eſt, non parum confortat & conſolatur triumphalis hic titulus, qui Chriſto non ad pedes, ſed ad caput poſitus fuit, ad oſtendendum, quod regnum eius non humile aut terrenum, ſed altum & cœleſte ſit. Veriſsimum enim eſt & manebit, quod hic Ieſus in Bethlehem natus, & in Nazareth educatus, Iudæorum Rex ſit, atteſtantibus eorum Prophetis, Pſalmo 2. & 44. Canticorum 1. Oſee 3. Zachariæ 9. Quia autem ipſi eum pro rege agnoſcere nolunt, nos Gentiles eum cum gaudio ſuſcipimus, quod ſit rex confitenti- Act.14.
um. Pilatus hoc ſcripſit, & ueritatem ipſiſsimam in hoc attigit, quæcunque tandem fuerit eius intentio. Et hoc ipſum uolebat ab omnibus populis legi & intelligi. Vnde & ſubditur:

Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè]

Ideo (inquam) in tribus potioribus linguis hoc ſcripſit, quæ & tunc & nunc per totum mundum principaliores linguæ erant & ſunt,

sunt, ut apud omnes Gentes & nationes excusaretur de nece tanti uiri. Hebræa igitur lingua scripsit, propter Iudæos in lege gloriantes: Græca, propter Gentilium sapientes, siue Philosophos: Latina autem, propter Romanos. Velint nolint ergo Iudæi, omne mundi regimen, omnis mundana sapientia, omnia diuinæ legis Sacramenta testantur, quod hic Rex sit Iudæorum, id est, summus rector omnium, qui Deum credunt & confitentur.

Omnia autem hæc non ex Pilati industria tantum, sed diuina prouidentia facta sunt. Per hoc enim Deus prouidebat toti generi humano, ut omnes scirent hunc esse, quem Deus unxit in Regem super omnes Gentes, quemadmodum in Daniele prædictum
Daniel. 7. fuit. Omnes Gentes, tribus & linguæ seruient ei. Et Paulus: In
Phil. 2. nomine Iesu omne genu flectetur. Deinde, ut omnes Gentes hinc discerent perfidiam Iudæorum, qui proprium Messiam crucifixerunt. Præterea, ut uel sic notum fieret, quod Christus pro omnibus hominibus mortuus est, siue sint Iudæi, siue Græci, siue Latini. Item ꝙ, quod Euangelium & gratia Christi, ad omnes ex æquo pertineret, & quod omnes linguæ glorificaturæ essent Christum, id quod iam impletum est. In his enim tribus linguis Ecclesia semper scripturas & habuit & legit & cantauit. Omnes enim linguæ confiteri debent, quod Iesus Christus est in gloria Dei Patris. Sequitur:

Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum:
Noli scribere. Rex Iudæorum, &c.]

Iudæorum Pontifices hunc titulum inuidebant Christo, & etiam nunc mutatum & abolitum cupiunt, sed absit, ut Pilatus uel iota illic mutare audeat. Satis illi hactenus permissum fuit in Christum. Titulum hunc incorruptum permanere oportet in æternum. Pudebat Iudæos hunc titulum alienigenis legi & intelligi, uerebanturque, ne aliquando ipsis improperaretur, quod proprium regem suum ad crucem adegissent, ideo mutatum cupiunt titulum. Sic enim impietas non uult uideri, quod male ægerit, sed semper se palliare nititur. Verum Pilatus non ipsorum infamiæ, sed suæ cautelæ in tituli appositione rationem habuit, ideo titulum mutare noluit. Sic enim ipsis respondit:

Quod scripsi, scripsi]

Quinimmo etiamsi titulum mutasset, & scripsisset iuxta intentionem ipsorum, nihilominus tamen Nazarenus noster Iesus Christus esset, non tantum Iudæorum, sed etiam omnium hominum Rex. Non enim ex inscriptione Pilati, regium nomen adeptus est,

est, sed ex uoluntate & unctione Patris: Attamen, sicut quæ Christus de regno suo dixerat, dicta manebant, sic quæ Pilatus scripserat, scripta permanserunt. Et certe Pilatus inter tot mala pusillanimitatis & inconstantiæ, uel unum hoc bene egit, quod titulum non mutauit. Nullus enim uerior titulus cruci Christi inscribi potuit, quàm hic. Nostrum igitur est, ut eo titulo bene utamur. Non enim satis est, ipsum parietibus infigere, nisi cordibus inscribatur. Itaq; si te aliqua afflictio aut infortunium aliquod sollicitat, cogita Iesum esse regem & uindicem tuum, & non deerit, quo te consoleris. Si peccator es, cogita Iesum esse eum, qui saluum facit populum suum Matth. 1. à peccatis eorum, & animum recipies, &c.

Milites ergo cum crucifixissent Iesum, &c.]

Interim cū pñssimus Dominus in cruce patitur, milites uestimēta eius rapiunt pro carnificū more, quibus quia potestas datur iudicatum occidendi, datur & potestas uestimenta occisi accipiendi, quamuis facile credi potest, uestimēta Christi nō magnopere utilia potuisse esse militibus illis, ut magis pro solita libidine, q̄ pro utilitate cōsequenda ea diuiserint. Adeo igitur Dominus Iesus, tanq̄ reus & peccator, pscriptus fuit, ut nec uestimenta eius charis suis pro magno ea seruaturis thesauro cederent, sed in corpore suo saturatus opprobrijs, sua quoq; uestimēta cedere uidet in mercedem suis crucifixoribus. Quę tamē omnia facta sunt, primo, ut scripturę implerētur. Nam Dauid hoc aperte prædixerat. Non solum enim maiora, sed Psal. 21. etiam minima prædicta fuerunt in scriptura de Christo, ut ab omnibus pariter duceremur in ueritatem ipsam, & non erraremus. Et reuera magnum est fidei nostræ testimonium, quod omnium Prophetarū uaticinia tā pulchre & tam manifeste in Nazareno nostro impleta sunt. Nullum enim alium possunt dare Iudæi, in quem scriptura omnis sic conueniat. Deinde diuisio hæc uestimentorum Christi, etiam ad significationem futurorum facta est. Primo enim uestimenta Christi scripturas sacras significant, quas hæreticorum temeritas in uarios sensus distrahit. Impij enim homines sumunt ex scripturis quod ipsis commodum est, uolentes ueritatem tenere per partes, quemadmodum & Sathan citauit scripturas. Matth. 4.

Plura igitur Domini uestimenta, multa scripturarum, quibus uerbum Dei indutum est, significant uolumina. Tunica autem intonsutilis, unam integrā et inuiolabilem fidem Catholicā congrue designat, quam milites illi hæretici scindere quidem & abolere non potuerunt, tamen de ea sortiuntur. Non enim hæretici Euangelium & fidem negant, sed ita mortuarijs glossematis obscurant & ludunt cum scriptura, ut Christum ex ea agnoscere non queas.

Vel aliter & simplicius, Quatuor partes uestium Christi, signi-

ficant quadripartitam Ecclesiam, quæ ad quatuor quidem orbis partes pertingit, est tamen & permanet una. Tunica autem inconsutilis, quæ non diuiditur, significat omnium partium unitatem, quæ charitatis uinculo continetur. Hæc unitas, si semel scindatur, semper maior fit scissura, &c. Hæc Augustinus. In sortem tamen
1.Cor.9. conijcitur hæc tunica, quia non omnium est fides. Omnes siquidem currunt, sed unus accipit brauium. Hanc unitatem hæretici scindere conantes, seipsos quidem ab Ecclesia resecarunt, sed unitas fidei mansit & manet. Vel uestis Christi est eius humanitas, quæ in quatuor partes orbis diuisa & prædicata est, & ita publicata, ut eam amplius occultare non possint impij. Vel uestes Christi sunt bona temporalia, & hæc quidem facile dat etiam impijs, immo sinit, ut ea rapiant: Pijs autem spiritualia bona, atq; adeo seipsum dat & concedit. Vel uestes Christi pij homines sunt, qui Christo adhærent,
Hier.13. iuxta illud Propheticum: Sicut adhæret lumbare uiro, sic agglutinaui mihi omnem domum Israël. In partitione igitur uestimentorum Christi, adumbratum est mundi ingenium, quo pios tractat in hoc sæculo. Nam uidentur pij in hoc sæculo plane libidini impiorum patere, sed interim tunica Christi non scinditur: Hoc est, pij à mundo quidem irridentur & distrahuntur, sed non perduntur. Pulchre autem Euangelista in fine subdit:

Et milites quidem hæc fecerunt]

Quo uerbo facta ipsorum terminat: Milites, inquit, hæc fecerunt, & quid amplius facerent non habuerunt. Corpus crucifixerunt, prædam tulerunt, sed fortitudinem Dei, uerbum Dei occidere non potuerunt. Quos autem iustius milites illi, qui Christum crucifigunt, & tamen uestimenta eius pro uiribus sibi usurpare studeant, designant, quàm impios illos Pontifices, qui uerius milites, quàm Pontifices sunt. Nam omissis sacris libris scrutandis, interpretandis, exponendis, omissis orationibus & operibus pietatis, omissa denique animarum cura, nihil aliud agunt, quàm quod pro tuenda opulentia, & superfluentissima possessione rerum belligerantur, fundunt sanguinem, omniaquè cædibus & bellis miscent. Tunc uero Ecclesias & beneficia, quæ uerbi Prædicatoribus debentur, inter se partiuntur, ut iam non unicuique pars una, sed duo, tria, decem, &c. beneficia contingant.

Deinde sortiuntur, hoc est, permutãt, uendunt, propinquis disponunt, aliaq; infinita portenta faciunt in subuersionem legum, iustitiæ, Euangelij, & omnis honesti. Interim hæc Christus uidens, ta-
Psal. 49. cet, sed non semper tacebit. Hæc, inquit, feci & tacui: Existimasti iniquè, quod ero tui similis, sed multum erras. Arguam enim te, & statuam contra faciem tuam. Videat quilibet igitur, quomodo cum uestimentis Christi, id est, bonis Ecclesiæ agat, &c.

Stabat

Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, &c.]

Mulieres usque ad crucem Christum sequuntur, & cum eo manent usque ad mortem: interim Apostoli fugiunt, & se abscondunt. Sic enim infirma mundi eligit Deus, ut confundat fortia. Inter mulieres autem Christum sequentes, primo omnium nominatur Virgo mater, ad quam & Christus tertium uerbum dixit. Prius autem orauerat pro crucifixoribus, prius etiam consolatus fuerat latronem, non quòd matrem astantem non uideret, aut ipsius angustiam & immensam tristitiam ignoraret: sed ne uideretur attendere personas & affectus. Siquidem propter peccatores in mundum uenerat, illique magis indigebant, ideo prius illis loquitur. Nunc autem tertio etiam se ad matrem conuertit, ne uideretur illam negligere. 1. Cor. 1. Matth 9.

Cæterum Ioannes tertium hoc uerbum cum suis circumstantijs admodū dulciter describit, talibusq; uerbis utitur, quæ uere absconditam habent uirtutē, tamq; potentia sunt ad resoluendum fidelium lachrymas in cœlestem dulcedinem, ut si etiam durissimus aliquis stupendæ passionis Iesu lectionem auditam sicco corde et uultu pertransierit, tamen cum ad hæc uerba peruentum fuerit, in quibus recitatur illius benedictæ Virginis iuxta Filij sui crucem statio, morientisque Filij ad matrem respectus & alloeutio, finalisque illa recommendatio, ac sanctissimæ illius matris à tanto Filio separatio, à lachrymis se continere non possit. Nam singula uerba hic posita, deuotionem augent: Alioqui quid opus fuisset tam diligenter describere, & quomodo & ubi steterit Virgo mater? Primo enim solet tribulatis refrigerio esse amicorum præsentia, dum ab eis consolatio speratur aliqua. Sicut dicit Salomon: Melius est duos esse simul, quàm unum. Habent enim emolumentum societatis suæ, si enim unus ceciderit, ab alio fulcietur. Eccl. 4.

Verum hæc præsentia matris nullum tale attulit emolumentum. Nam tristissima fuit & matri & Filio pendenti. Deinde, quàm mirum & nouum est, quod dicitur: Stabat iuxta crucem Iesu mater, &c. Quid enim tibi & cruci ô uirgo sancta? Quæ participatio despectionis loco & Dei templo? Quæ conuentio aëreæ maledictionis & armarij benedictionis? Quis consensus supplicij malefactorum & speculi puritatis uirginum? Verum non simpliciter stabat iuxta crucem, sed iuxta Crucem Iesu, qui scilicet unus et idem ipsi erat Pater & Filius, sponsus & Dominus, natus eius & Deus eius, & quia omnia in ipso habebat, ipsum relinquere non debebat. Sequebat igitur uel sola paucis admodū comitata dilectum Filium, quautūuis fugerēt discipuli, & insanirēt hostes. Sequitur, inquā, et uidet, quę aguntur, cū tamē ei nec auxiliū nec consolationē prębere possēt,

posset, nisi lachrymis & compassione tenerrima adiuuari potuis-
Luc.2. set. Quondam illum amiserat, non nisi per triduum, & cum mœro-
re circumiens uicos Hierusalem, inter cognatos & notos, donec in-
ueniret, quæsiuit: Nunc autem inter notos eum quærere amplius nõ
Luc.23 potuit. Stabant em̃ omnes noti eius à longe. Materno igitur concep-
pto consilio, dicebat in corde suo: Stabo & expectabo mortis sen-
tentiam in dilectum Filium meum, sequar à tergo egredientem de
Hierusalem, aspiciam lachrymosis oculis, quo ducatur uidebo, quo-
modo expolietur, consyderabo graui corde, quomodo perforent
manus eius & pedes, quomodo affigant eum patibulo, erigant in li-
gno. Et cum omnibus peractis, ipsi recesserint, & procul steterint,
non appropinquantes ei, ut maledicto in ligno pendenti, accedam
ego propius, & stabo iuxta crucem Iesu mei. Amplectar illud lignũ
brachijs, rigabo lachrymis, deosculabor labijs, & quia mori non li-
cet cum eo, suspendam oculos in crucifixo filio meo. Aspiciam quo-
modo de hoc mundo exeat, quæ sola utcunque noui quomodo in
hunc mundum uenerit. Non deseram morientem, quem uiuen-
tem nunquam deserui. Vere congruè ô pia mater ei astitisti,
cæteris eum relinquentibus. Sic enim & ipse olim dimissis om-
nibus creaturis, ad te uenire dignatus est. Hic est enim indo-
mitus, unicornis ille, omnibus incomprehensibilis, qui dudum flagi-
tatus & quasi agitatus sanctorum patrum desiderijs, seipsum conti-
nere non ualens, tandem in gremio tuo uirgineo captus est. Et ecce
uicem reddidisti utcunq; tali dignationi. Ille se tibi dedit, relinquens
omnia, nunc autem omnibus eum relinquentibus, tu bona genitrix
permanes, tu stanti in cruce, stando miserandam exhibens societa-
tem, patiens ibi inuisibiliter in corde, quicquid ille uisibiliter patie-
batur in corpore. Hanc eius ineffabilẽ tristemq; passionem, Euan-
gelista subtiliter designans, non nomine proprio eam exprimit, sed
nomine pietatis, quod est: Mater eius. Nec poterat efficacius eius
dolorem describere, quàm sic dicendo: Stabat iuxta crucem mater
eius. Hic enim uel maxime experta est, quod ipsi prædixerat Sime-
Luc.2. on: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quem enim dolo-
rem pariendo euaserat, hic sub cruce inuenit. Alijs siquidem mu-
Gen.3. lieribus dicitur: In dolore paries filios. At hos quidem dolores Ma-
ria nõ habuit. Verum nõ ideo sine doloribus fuit. Itaq; si nec Virgo
mater sine cruce fuit, quis nostrum sine cruce esse poterit? Patitur
Christus, compatitur mater, & tu non nisi læta quæris? Stabat igi-
tur Virgo, non enim tunc primum superuenerat, sed egredientem
cum cruce secuta fuerat, & interim stabat non longe, sed iuxta cruc
quo declaratur matris constantia & animi fortitudo. Cogita ô ho
mo, quantus hic dolor fuerit. Nemo hominum maiorem gratiam
accepit, nec quisquam hominũ maiorem tristitiæ dolorem sensit, q̃
Virgo

uirgo mater. Stabat mater animi plena, plena deuotionis affectu: ſtabat indicibilem flammam amoris ſecum reuoluēs, qua Filius eius ardebat. Ardens & ipſa feruore charitatis, ſe talem & tantum Filium genuiſſe examinans, qui tales iniurias tam libens condonaret, & tam atrociter iniuriantes etiam excuſaret. Stabat conſyderans Filij ſui anguſtias, duras ſane & acerbiſsimas, quibus acerrime materno cruciabatur affectu, & nihilominus pro ſua ſapientia & charitatis incendio, conſyderans utilitatem humano generi inde proueniētem, Deiq; gloriam inde conſecuturam. Stabat cum alijs mulieribus & amicis ſub cruce triſtis & miſera, non curans, quod propter Chriſtum Filium multa opprobria audire cogeretur: Maternus ſiquidē affectus, hæc omnia uincebat. Chriſtus igitur, quamuis in immenſis anguſtijs eſſet, non tamen in hac hora matrem neglexit. Et cum nullum amplius membrum haberet liberum, exceptis oculis & lingua, de utroq; tamen ſeruire matri dignatus eſt, utraq; ad eam dirigit, aſpiciendo ſcilicet & alloquendo, ut oſtenderet, quanti ipſam geſtaret in corde, & ut reipſa doceret honorandos eſſe parentes, eorumq; curam ad mortem uſq; habendam. Nam aliâs Chriſtus duriuſcule aliquādo uiſus eſt alloqui matrē, quando ſcilicet Dei negocium agebatur. Vbi enim Dei negocium agitur, ceſſare debet & cedere omnis humanus affectus. Hic autem in cruce matrem fideliter & humaniter agnoſcit, quandoquidem præ oculis pendebat, quod ipſa genuerat. Ideo ſequitur: Matth. 12. Luc. 2. Ioan. 2.

Cum uidiſſet Ieſus matrem]

O uere ſtupendum uiſionis miraculum, ô gemebundum certamen oculorum, quod uidiſſes in oculis Ieſu. In uno eodemq; tempore, ipſi oculi feſtinabant ad mortem. Virtus mortis eos claudebat, & impellebat ad defectum: uis amoris eos aperiebat ad matris aſpectum. O q̄ profunde infixus eſt finalis radius illius uiſionis in corde tuo ô mater ſancta, quo te mundi Dominus iam moriens intueri dignatus eſt. Reuera ſagitta fuit, quæ non tantum cor tuum uulnerauit, ſed etiam gladius, qui animæ tuæ intima penetrauit. O quàm plena ſingultibus, ſuperfuſa doloribus, lachrymantes oculos direxeras ſurſum, ut in horrendo patibulo Filium ſimul morientem, & te reſpicientem uideres. Nec ſolum oculis Chriſtus ſeruiuit matri, eam aſpiciendo, ſed etiam lingua eam conſolatur.

ip
us
q̄ *Mulier, inquit, Ecce Filius tuus*]

Mulierem nominat. Primo, ne ipſius dolorem augeret: Non erat tempus dulciter eam alloquendi, nec matris nomen exprimendi. Quia ſi dulcius illi locutus fuiſſet, credo q̄ cor uirginis crepuiſſet.

Deinde

Deinde mulierem ipſam etiam ideo nominat, ne ſi matrem uocaret, crucifixoribus anſam daret durius contra ipſam agendi. Præterea etiam ideo mulierem ipſam nominat, quia etſi nomine uirginitatis ſupra modum laudibus uehenda ſit, tamen mulieris nomine maioribus laudibus cumulanda eſt: Nimirum, quod Deus ipſius uiſcera hoc ſacro fructu dignatus ſit, & Teſtamentum iam olim Gen.22. Abrahæ factum, per ipſam mundo expoſuerit. Hinc eſt, quod Chriſtus eam de cruce mulierem uocat: hinc eſt, quod Angelus benedictam eam inter mulieres pronunciat. Hinc etiam eſt, quod Paulus Luc.1. Gal.4. dicit: Chriſtum ex muliere factum. Senſus autem uerbi eſt, quaſi diceret Chriſtus, Scio mulier anxias tui pectoris curas, ſcio mœſtitudinem, ſcio & miſericordiam, religionem, charitatemq; tuam, ſcio & anxie ſcio: Quippe cum doloris mei cauſa non minima ſis, ego tui doloris unica cauſa ſim. Scio quamobrem aſtes, uis pietatis unguine me delinire, cogitas deſolatum uel præſentia tua ſolari, optas & mecum commori uel ſola mori. Accepta ſunt hæc, ſed quantū mulcent, tantum ulcerāt. Nam & anima tua conſolari renuit, niſi me integro, libero, & tibi reddito: Fruſtra alioqui fomenta ſunt omnia, fruſtra remedia, fruſtra conſolatiunculæ, fruſtra eſt quicquid tibi offertur. Iam pridem tamen tanto uirtutum robore durata, tanto chariſmatum unguento peruncta, tantis conſummationibus perfecta es, ut ſine fœditate atrata, ſine ſqualore lugubris, ſine geſtuum indecentia amarulenta ſis: ſine nubilo turberis, ſine impietate lugeas, ſine puſillanimitate ſingultias, & quid ni? cum & lachrymans luculenta, & transfoſſa tot gladijs conſtantiſsima, & moriens uiua permaneas: Prouer.31. Proinde mulier fortiſsima, ſuis temporibus precio & remuneratione ex ultimis finibus non fraudanda, neq; iam debito ſolatio es deſtituenda, ſi tamen ab afflictiſsimo afflictæ quid remedij afferri poteſt. Vides quantis tormentis hic pendeā? quot difficultatibus æſtuem? quibus angoribus mea contabeſcat uirtus? quo precio? quo impendio peccatorem redimam? qua charitate humanum genus amplectar? Placaui Patris iram, reſtat, ut etiam te non deſeram. Hactenus quidem, chariſsima genetrix, ab exordio natiuitatis meæ, uſq; in hanc nouiſsimam horam, fideliſsimā te mihi matrem exhibuiſti, omnemq; maternum affectum mihi exhibuiſti, iamq; me moriente, te ab omnibus derelinquendam times: Sed noli ob hoc triſtari, en adſtat Ioannes ille nepos tuus, alioqui tibi mihiq; iuxta percharus, de hoc tibi omnia bona pollicere. Hic interim tibi erit filius, qui te obſeruet, colat, honoret, magnificetq; omnibus diebus uitæ ſuæ. Ac ne quid de hoc dubites, en ipſum in præſentia alloquar. Hunc igitur quaſi me ipſum in famulum, cuſtodem & tutorem trado. Pro ſua enim caſtitate, uirginali & ſuperangelicæ tuæ puritati conuenit, proq; ſua fidelitate tibi non minus quàm mihi fideliter et conſtantiſ-

ſime

sime astabit: Mulier igitur ecce Filius tuus. Statim autem & discipulum alloquitur:

Ecce (inquit) mater tua]

Quasi diceret, Egregie quidem hactenus, mi Ioannes, uorationi tuæ respondisti: Non igitur irremuneratus abibis pro tua singulari in me fide & cōstantia, imo excellentioribus donarijs honoraberis, cū uel precari uel sperare auderes. Orbauit te amor meus dulcissimus, nauicula, parentibus, coniuge et teipso, in me spem, curam, sollicitudinemq; omnē iactaras, in me petra secure ædificaras: Nihil hic tam dulce, nec nuptiæ, nec paterna domus, nihil tam graue, quod te à comitatu meo retraheret, per iniquas etiam Pontificum ædes secutus, iamq; notissime cruci compatientissimus astas. Me sequi, meis interesse consortijs, meis parere mandatis, tua uoluptas erat: Quare igitur te relinquerem, qui me secutus es? quare non enutrirem, cuius in me tota spes consedit? Nequaquam morte mea spes omnis tua corruet. Non ingratus tibi ero: Ecce mater tua. Dixisti parentibus tuis propter me, Non noui uos. Ecce Dei genitrix mater tua. Reliquisti coniugem ancipitis fidei, ecce uirginem habes integerrimam. Renunciasti nauiculæ piscatoriæ, ecce nauem gubernas institutoriam, de longe portantem panem suum. Spreuisti parua, accipies maxima: Respuisti dubia, accipies certa: Inuenisti gratiam in oculis meis, facta est mihi delicatior uitæ tuæ consuetudo. Nullis mysterijs non admissus es: Vidisti in monte Thabor gloriam: Vidisti curatam Iairi filiam: Vidisti in horto uesperi, uides & iam miseriam. Heri etiam in cœna super pectus meum recubuisti, & nunc quod dilectissimum in mundo habeo, tuæ fidei commendo: Ecce mater tua. Vides me morti propinquum, uides matrem desolatam, uides multos esse aduersarios, eam igitur assigno, commendo, & tuam facio: Ecce quæ mea, iam tu mater est. Tu igitur, quod filium decet, eam serua, foue, dilige, ministra: Si eam agnoscis matrem, ego te agnoscam fratrem. Hactenus Christus matrem consolatus est, quo uerbo suam & dilectionem & curam ostendit erga matrem, ad exemplum nostrum. Nec usquàm clarius exemplū de honore & cura parentibus exhibendis inuenies, quàm hic, quamuis reuera non iniqua quidem, sed admodum inæqualis commutatio hæc sit, quod uirgini matri pro Iesu datur Ioannes, pro Domino seruus, pro magistro discipulus, denicq; filius Zebedæi, pro filio Dei: nec dubium, quin magnis doloribus uerbum hoc piam matrem affecerit, interim tamen fide perstitit immobilis. Cæterum quod Christus moriturus, tam officiose matrem discipulo commendat, non sine mysterio factum est. Maria Ecclesiam significat, quæ Ioanni creditur ministro. Accipit autem Ioannes Ecclesiam in sua, quando illi uerbo Dei præest: Christus uero antepotit

Prou. 31.

Matth. 20. Ecclesiam ministro. Nam sic ait: Qui maior est uestrū, sit tamquam
2. Cor. 4. minister. Et Paulus: Sic nos existimet homo, ut ministros Dei &
dispensatores, &c. Porro nemo se ministrum Mariæ, hoc est, Eccle-
siæ ingerat, nisi illi à Deo cura illius committatur: Vocatis, inquit,
Luceæ 19. seruis dedit eis pecuniam ad negociandum. Et nemo sibi assumere
Heb. 5. debet honore hunc, sed qui uocatur tanquam Aaron, Curet autem
minister Ecclesię, ut sit Ioannes, hoc est, ut gratiam Dei, nedum uer-
bo & nomine, sed etiam reipsa exprimat. Deinde in hac commen-
datione matris Christi in curam Ioannis, Christus alluſit ad spiri-
tualem illam cognationem, quæ inter fideles esse debet in Ecclesia,
immo eam hic instituit, qua scilicet quilibet alteri debet esse pater,
mater, frater, soror, &c. quemadmodum Paulus scribit Timotheo,
1. Tim. 5. ut senes colat ut patres, anus ut matres, adolescentulas ut sorores,
&c. Sicut igitur Ioannes post hanc Christi commendationem,
Virginem Mariam potuit dicere matrem suam, sic & nos possu-
mus eam uocare matrem, quandoquidem Christum nobis fratrem
genuit. Et sicut Ioannes Petrum potuit appellare fratrem, sic & nos
possumus. Hæc est Christiana fraternitas & spiritualis nostra cog-
natio, quæ & magnam nobis dat consolationem. Hinc enim uide-
mus, quod etiam sancti ad nos pertineant, & nos ad ipsos. Ipsi nos
agnoscunt, amant, agnoscamus & nos illos, &c.

Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua]

Matth. 19. Non quod proprium quid habuerit (Nam omina reliquerant
Apostoli, Et quæ habebant omnibus communia erant, Act. 4.) sed
quod eam accepit in suam curam, eiq; posthac ministrauit, ut filius
matri. Suscepit eam in sua, non prædia, quæ nulla possidebat: sed
officia, quæ propria dispēsatione exequenda curabat. Hæc August.

Postea sciens Iesus, quod omnia consummata essent]

Solent desolati homines, quocunq; se uertant, auxilium quærere
& subleuationem, sic Christus supra circa exordium passionis, ex
præuisione & imaginatione eorę, quæ passurus erat, quasi in agoniā
& mortis angustiam deueniens, nunc quidem ad Deum currit per
orationem, nunc ad Discipulos redit, utrinq; quærens consolatio-
nem. Sic & hic cum se sensisset à Deo derelictum esse, uel ab homi-
nibus aliqualem refocillationem maxime in potu quærens. Inter
cibi enim & potus inopiam, magis urget sitis, præsertim defectos,
qui nonnunquam paucis guttulis refocillantur, Itaq; dixit:

Sitio]

Vltimo loco Christus uexatur in gustu, sicut Eua ultimo pecca-
Genes. 3. uit in gustu. Antequam enim fructum uetitum gustaret, iam pecca-
uerat concupiscendo, & manum extendendo. Fuit aūt hæc Christi

sitis

sitis partim naturalis, partim mystica. Nam & nimium laborauerat, & multum sanguinem fuderat, denicq; etiam nudus solis ardoribus & uento in cruce pendens expositus erat. Vnde non dubium, quin grauissima siti laboraret, quòd uel ex eo patet, quod omnium dolorum suorum oblitus, sitis suæ acrimoniam querula supplicatione egerrime indicat, quanquam etiam hoc non tam ad refocillandam sitim, quàm ad impletionem scripturæ fecerit & dixerit:

Vt impleretur (inquit) scriptura]

Ad hæc spiritualiter etiam sitiebat salutem nostram. Desiderabat enim uel morte sua Diabolum uincere, hominemq; liberare, & hanc quidem sitim semper habuit: Nunc autem in passione uel maxime manifestabat eam. Hic enim uere apparet, quod ardenter sitierit salutem nostram, quamuis hoc ipsum aliàs omnia etiam eius opera testentur. Est igitur sensus huius uerbi, quasi diceret, Quum uester ego, salutisq; uestræ sitientissimus amator, fratres charissimi, ob amorem salutemq; uestram à Deo meo derelictus sim: iussit & cogit charitatis feruor indagare, an uel apud uos misericordiæ locus pateat, qui mihi amplissimis beneficijs obuincti estis, & quos tam inæstimabili precio comparaui. Charitas, inquam, & ipsa etiam necessitas me cogunt, uos rogare & pertentare, quam gratiam mihi pro tantis doloribus uestri causa susceptis, repensuri sitis. Non in has ærumnas meas uos aduoco, nullum sanguinis uitæq; dispendium propono, non aurum, non argentum, non quicquàm preciosum, quod magnis sudoribus partum sit, desidero & quæro. Immo ualde exiguum est, & facile parari potest, natura denicq; omnibus commune est, quod inter ultima uitæ discrimina indigus obsecro: Sitio, sitim indico, & indicando potum supplex deposco. Sitio, pauxillum frigidioris aquæ peto, quid minus peti potest? quid indignius denegabitur? Sitio, tantum repeto aquæ, quantum uel sudoris uel sanguinis pro salute uestra profudi, immo nec tantum, sed admodum parum peto. Sitio, insomnem egi noctem, labore, cruciatu, itinere, uerberibus, uulneribusq;: sanguis, humor uitalis, omnesq; uires meæ extenuatæ & exhaustæ sunt. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio uentris mei: Aruit tanquam testa uirtus mea: Adhæsit lingua mea faucibus meis, ossa mea sicut cremium aruerunt: Expandi manus meas tota die, anima mea sicut terra sine aqua. Sitio, uitæ prorogationem non oro, nec mortem, nec crucem, nec quæcunq; alia tormentorum genera deprecor, tantummodo succurrite siti. Nemo ne ex tanto numero est, qui misereatur & animam meam refocillet: & tamen non cum periculo ex castris Philistinorum aqua adferenda est, nec chaos aliquod magnum, inter uos & me firmatū est: Non est magna distantia, facile potestis mihi in hoc subuenire. Sitio, non tamen solum corpore, sed

Psalm. 21.

Lucæ 16

etiam imo plus animo. Tuam enim salutem, ô homo, magis quàm aquam desidero, tuamq; redemptionem magis quàm meam refocillationem: Te, inquam, sitio, nec solum gustare, sed totum intra uiscera mea haustu charitatis sorbere & attrahere cupio. Pro hac siti restinguenda, tantum itineris emensus, tot labores adij, tot cruciatus perpeti, & ne quid tuæ saluti desit, mille adhuc id genus tormenta sitio. Ecce tempus adest, ut deficiat uirtus mea, ne ergo cupitis frauder desiderijs, noli homo cor tuum hodie obdurare, sed susci pe sanctæ dilectionis ignem, qui suo ardore ita te coquat, ut castos ædas gemitus, & largas fundas lachrymas: his me pascito. Non multa peto, immo parua etiam abundantissime remunero, nec frigidam lachrymulam, nec desiderium paupertatis aspernor. Hæc mea uespertina precatio est, hæc post Dei mei charitatem cura unica, ut te queram, te amem, te sitiam. Sitio præterea, ut & uos hanc meam sitiatis sitim, hoc est, quemadmodum ego uos dilexi, ita & mutuo uos amore flagretis, quo nihil apud me sanctius, adeo, ut
Ioann. 10 pastor bonus solo charitatis impulsu pro uobis animam ponam. Postremo sitio, nempe caput ego & cor omnium membrorum meorum siti laboro, nec; enim parum me meorum miseria affligit, quam cum in nubibus cœli uenero in maiestate & gloria, non mi-
Matth. 25. nus quàm meam malis improperabo, dicens: Sitiui & non dedistis mihi bibere. Quod enim uni ex minimis meis feceritis, mihi factum existimate. Tunc igitur meam sitim restingues, ô homo, si famelicos meos cibaueris, siticulosos potaueris, nudos amicies, uagos colliges hospitio, ægros captiuosq; inuiseris, soleris, liberaueris. Tunc meam sitim restringues, si ignorantibus lac eruditionis propinaueris, panem doctrinæ fregeris, peccantes corripueris, debita iniuriasq; fratrum remiseris, morositates morbosq; aliorum patienter tuleris, precibusq; puris adiuueris. Hæc mea sitis, quæ in membris meis dispersa est, in me autem collecta. Hanc sine aceto tristitiæ, sine felle liuoris sedate. Admonet uos sitis illa mea, tam multiplex & copiosa retributio mensuræ, qua uobis remetior. O homo sitio. Hactenus quidem Christus. Sed quid nã hoc uerbo impetrauit? Audi:

Vas (inquit) positum erat aceto plenum, &c.]

O insatiabilem furorem. Sic impij nunquam satiantur in persequendis bonis. Acetum igitur Christo dant, quod & foris cadens læderet, ori & siti non satisfaceret, gustum exacerbaret, deniq; & interiora molestaret & excruciaret. Hæc fuit refocillatio Christi in tantis laboribus & pœnis. Nemo unquam tam obnoxius fuit damnationi, cui non saltem particula impenderetur miserationis, maxime post datam & acceptam sententiam mortis: Domino autem factori omnium, simpliciter nihil relinquitur pietatis. Omnia in extremis aguntur, quia traditus erat uoluntati eorũ. Sic igitur fons

uitæ

nitæ arsit, qui dicit: Si quis sitit ueniat ad me. Sic qui terram rore loan.7.
& pluuia inebriat & uniuersa potat, sitit, & aquæ gutta ei negatur.
Sic Christus tam dure satisfecit pro nostra crapula & ebrietate: Sic,
inquam, in omnibus sensibus passus est, ut homo totus redimere-
tur. Sic mundus tractat pios in necessitate. Cæterum acetum illud
pulchre indicat amaritudinem cordis Iudæorum, itemque impie-
tatem. Sicut enim acetum, uinum fuit, sed degenerauit, sic Iudæi de-
generauerant: Vinea mea electa, inquit, quomodo conuersa es mi- Hier.2.
hi in amaritudinem? Item, Expectaui ut facerent uuas, fecerunt au- Isai.2.
tem labruscas. Illud autem mirandum in illis Dominicæ mortis
ministris, immo in illo, in quo cuncta hæc disposita erant diuinita-
tis cõsilio, & tam ordinate, tamq; integre cũcta egerint, ac si se iurauis-
sent in illo implere cũctas uoces Prophetarũ. Vnde & hic dicitur:

Vt impleretur scriptura]

Nempe illa, quæ dicit: Et dederunt in escam meam fel, & in siti Psal.68.
mea potauerunt me aceto. Sequitur:

Et cum accepisset Iesus acetum, dixit, consummatum est]

Multa adhuc restabant complenda, nempe mors, lateris aper-
tio, sepultura, inferni destructio, quæ & ipsa in scripturis prædicta
erant: Verum, quia iam erat in opere consummationis, ideo dixit:
Consummatum est. Restabat & resurrectio, ascensio & Spiritus
sancti missio: uerum ista ad uictoriam pertinent, non ad certamen,
præmia sunt pugnæ, non labores. Hoc igitur sexto uerbo, Christus
uel maxime Diabolũ percellit & fulminat, idipsum tamen ad conso
lationẽ nostram. Est enim sensus, quasi diceret. Impie uenator ani-
marum, frustra hic insidias tendis, nihil nisi confusionẽ & ignomi-
niam reportabis. Hactenus nihil non feci sti, ut me perderes: Nunc
autem & deinceps nihil amplius in me proficiet fraudulentiæ tuæ
suppellex, nihil me nocebunt ulla illa tua arma, nullæ artes. Inten-
disti arcum tuum, seminasti inuidiæ zizaniam, plantasti ingratitu-
dinis spinã, cõcitasti populi furorẽ, excæcasti iudices, animasti carnifi
ces, consummasti omnẽ malitiã: Instinctu tuo Deũ prodidit discipu-
lus, despexerũt amici, crucifixerũt milites: Iã uacuata pharetra est tua:
Aperuisti lacũ, quem effodisti, sed incides in eum: In uerticẽ tuum
iniquitas tua descendet. Ne dum enim nihil habebis in me, sed eti-
am multa milia per me amittes, uirtus tua extenuabitur, regnũ tuum
uastabitur, nequitia consummabitur. Vincet sapientia tua malitiam.
Ecce enim per me iam consummatũ est (laus Deo) quicquid Pater
statuit, perpessum est quicquid lex & Prophetæ prædixerunt, quic-
quid humanæ saluti necessarium uel conducibile fuerat. Sacrificium
factum, figuræ impletæ, umbræ sublatæ sunt: Consummatum est
Patris præceptũ, consummata est scriptura, consummata est tua po-

testas, qua in hominem usus fuisti, immo abusus: Consummata est Iudæorum ira & uiolentia in me, consummata est malitia, ad summum usq; peruenit, ut maior ne cogitari quidem possit: Consummata est iustitia & charitas, nam & ipsa ad summum peruenit, consummatum est sacrificium, quo solo Deus placari potuit. Deniq; omnia iam parata sunt, finem habet peccatum, iam orietur iustitia sempiterna: finem habet lex, succedet Euangelium, iam redemptus est homo & Deo reconciliatus. Nihil prætermissum est, nihil non strenue peractum, nihil me præpedire potuit aut retrahere, quo minus consummaretur mysteriū humanæ redemptionis. Iam finē habet regnū tuum, incipiet regnū Christi & Dei. Deinceps non adeo formidabilis eris, neq; tantæ potestatis super terram: Non timebit te, ò Assur, populus habitator Syon: Leuabunt etiam pueri uirgas, percutient & flagellabūt te. Fide enim mea confirmati, nihil tua pertimescent tentamenta, immo te totum obterent & conculcabunt, quia consummatū est. Hoc uerbo Christi confirmatur nostra fides contra omnes hæreticos, & Antichristum etiam ipsum: Hoc uerbo licebit nobis gloriari contra omnes aduersarios, quocunq; nomine uocentur. Si enim peccati libidine tentamur, si mors, si infernus irruerint, obijciendum est: Quid tu nunc insanis? Nonne audis paratam esse uictoriā? & consummata esse omnia? Nam ut maxime illa etiam nunc sentiantur, sunt tamē ueluti serpens sine ueneno, & apis sine aculeo. Licet igitur confidenter dicere: Absorpta est mors in
1.Cor.15. uictoria. Vbi est mors uictoria tua? &c. Ad hæc, cum antea per legē incerti essemus de futuro hospitio post hanc uitam, immo certi essemus in infernum nos detrudentos: Nunc per hanc consummationem certi effecti sumus, hospitium nostrum esse cœlum, si modo per fidem Christo insiti fuerimus. Cæterū consummata omnia dicebat esse Christus eo modo, quo agnus dicitur occisus ab exordio mūdi. Non quod tunc manifeste occidebatur, sed q̄ occisio Christi semel facta, sparsa est antrorsum usq; ad ipsum Adam, et retrorsum spargetur usq; ad consummationē sęculi. Sic & nostra salus consumma-
Rom. 5. ta est, nondum plene in re, sed in spe. Cœptus est enim iustificari & sanari homo, interim autem dum iustificatur & sanatur, non imputatur illi quod reliquū est in carne peccatū propter Christū, qui cum sit sine omni peccato, iam unū cum homine factus, interpellat pro eo
Rom.8. apud Patrē. Nihil igit damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, &c. Post illud aūt uerbum, quo dicitur: Consummatū est, non expectent Iudæi alium, qui plura faciat, quàm Christus fecit. Sequitur.

Et inclinato capite tradidit spiritum]

Caput inclinauit, quasi ualefaciens mundo, itemq; per hoc nos etiam consolari uoluit, ut sciamus eum nō auersum à nobis. Signan-
Ioan.10. ter autem non dicitur mortuus esse, sed tradidisse spiritum, quia potestatem

testatem habuit ponendi animam suam. Deinde etiam ideo dicitur tradidisse spiritum, ut sciamus animas nostras carne solutas, tamq; in manus charissimi patris, diuinq; bonitati cõmedari, id quod summe nos consolatur. Sic igitur innocens Abel à fratre occisus fuit. Sic Gen.4.
Isaac immolatus. Sic Ioseph ab adultera pallio carnis spoliatus, ad pa Gen.22.
ternũ refugiũ nudus aufugit. Sic summus Sacerdos noster sacrifici- Gen 39.
um uespertinũ consummauit. Sic uita mundi mortua est, origo ueri luminis extincta est. Sic fons oĩs uitæ, in quo oĩa uiuunt, defecit, ut morti obnoxios liberaret. Sic cœleste illud cõnubiũ sanctissimq; animæ carnisq; mundissimæ, per gladium mortis dissolutũ est, ut nos damnati reuocaremur ad indissolubilem unionẽ beatitudinis suæ. Sic organũ diuinitatis, cythara ueri Dauid, dulcissima uox Iesu, conticuit dirq; mortis silentio. Sic cœlestia illa lumina oculorũ gratiosissimorũ, obscurãtur in morte. Sic pectus sacratissimũ sapientiæ æternæ & thesaurorum gratiæ contentiuum priuatur uita.

Sic Christus tanto precio, quo inter creaturas nihil maius, peccata nostra redemit. Sic patri tali obedientia usque ad mortem, pro nostra inobedientia satisfecit. O quantus dolor, ubi sanctissima illa anima, corpori indissolubili uinculo dilectionis unita, ab eo debebat uiolenta morte separari, & illa uita sanctissima mori. Nunc̃q; mors ulla fuit acerbior, quia nullus tam perceptibiliter eã persensit. Væ igitur tibi impia synagoga, quæ omni fera crudelior, uitam deuorasti Iesu, qui tibi Pater & sponsus, à paterna pietate transmissus fuit. O quàm dura erit accusatio tui, laceratio corporis Christi. Sed & uæ tibi cor ingratũ, omni lapide durius, q; ad tanti piaculi recordationem non scinderis, quàm districte requiretur sanguis ille innocens à te. Hic igitur, ô homo, ô genus Adæ, tunde pectus tuũ & hanc mortẽ cõsydera: Hic summũ bonũ pendet in cruce: Hic nudã se uideri sinit æterna sapientia: Hic lignum portat thesaurum, precium totius mũdi: Hic moritur filius Dei. O peccatores, hic inquam, moritur Filius altissimi, Rex cœli & Dominus terræ, & moritur in cruce ut malefactor, in medio latronum, in summa miseria, angustia & ignominia. Ad hęc tam indigna, ô filij hominũ, nos perduximus iustũ hũc, peccata nostra causa fuerũt magnę huius passionis. Hic uerificatur uerbum Sacramenti: Hoc est corpus meum, quod Matth. 26.
pro uobis tradetur: Hic est sanguis meus, qui effundetur pro multis in remissionem peccatorum. Hic iam intelligis, quid sibi uoluerit Christus his sacrosanctis uerbis, quando omnia hic oculis uidentur. Hic fundatus est articulus sanctissimę fidei nostræ: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

Hæc cogita homo, hæc cordi imprime, ut experiantur interiora tua, quomodo nos homines, nos peccatores, huius mortis rei simus. Nos, inquã, oportebat in cruce pẽdere & mori, imò in inferno ęternaliter cõburi: At pijssimus ille Dominus noster in medium ueni-

ens, dixit: Ego in cruce pendebo, & moriar pro omnibus hominibus: Me accipite, me percutite ut pastorem, oues autem dimittite: Ego soluam quod non debeo, ego aliena debita in me recipiam, ego omnia complanabo, ego pacem restituam, & omnia ad bonum finem perducam. Hæc cogitate fideles, placeat uobis, immo magni æstimate hoc Christi mysterium. Hęc enim mors, est uita nostra. Sic mori nobis est uiuere, mortem euadere: Hæc infirmitas, uirtus, & fortitudo nostra est: Hæc uulnera & liuores, sanitas nostra sunt: Hæc maledictio, est nobis benedictio: Hæc ignominia, est nostra gloria: Hæc crux, est cœleste palatium nostrum: Hi claui, salus nostra sunt. Leuate corda uestra, ò fideles, leuate corda in cõsyderationem mirabilium horum. Ortum fuerat bellum inter Christum & Diabolum, pugna facta est, uictoria parta per Christum. Agamus igitur gratias ei, qui per immensam charitatem suam, nos tam labo-
Ioan.10. riose redimere uoluit. Circa hanc autem expirationem Christi, primo uides uerum esse, quod in Ioanne prædixit: Potestatem habeo ponendi animam meam. Secundo uides hic, Dei opera esse contra rationem. Quis enim audiens, Christum esse Filium Dei, uidensq; tanta eius miracula, quę prius fecit, credere unq; posset, Deum usq; adeo impijs conniuere, ut tantum uirium trucident? Rursus, quis uidens hunc tam turpiter mori, crederet tunc ueram uitam initium suum habuisse? Sed hæc est antiqua Dei operũ consuetudo, ut sub alieno & aduerso opere suũ opus promoueat. Volebat quidem Deus ingentes ramos ex hac Christi arbore producere, uolebat Ecclesiam ædificare & uiuificare: Accepit igitur alienũ à uita opus, quod
Ioan.12. est mors, & ex ipsa Ecclesiam uiuificauit. Huc pertinet & illud: Nisi granum frumenti mortuum fuerit, nullum fructum affert. Non apparuit quidem tunc Christo adhuc in ligno pendente, Ecclesiæ ædificium: nihil enim hic uides, nisi mortem & sepulturam, quemadmodum nec initio sementis, apparet futurus fructus. Sed ut æstatis tempore fructus sementis erumpit, ita post resurrectionem ex arido Christo prorupit uiua Ecclesia. Tertio circa expirationem Christi, diligẽter cogitandum, quæ nos supplicia mansura sint, si in impietate perseueremus, quandoquidem Deus innocentem Filium propter
Luc.23. peccata aliena, tam inclementer tractari permiserit. Filiæ Hierusalem, inquit, nolite flere super me, sed super uos, id est, ex meo supplicio discite, quid uos commeriti sitis. Si hoc in me insonte fit, quid uobis sontibus fiet?

Iudæi ergo, quoniam Parasceue, &c.]

De morte Domini Iesu, satis audiuimus: restat ipsius sepultura, quam Iudæi quidem attẽptabant. Verũ Deus eam sanctis & pijs hominibus reseruauerat adimplendã. Erat ipsa dies, qua hęc facta erant, Parasceue, id est, præparatoria dies ad Sabbatũ sequens, quod dicebatu

batur Sabbatum Paschæ, quia intra hebdomadam Paschalem inciderat, unde & celebrius habebatur, quàm alia Sabbata: Hoc Euangelista quoque ostendit, cum dicit:

Erat enim magnus ille dies Sabbati]

Dupliciter enim festiuus erat, tum propter Sabbatum, tum propter hebdomadam Paschalem, quæ tota festiua erat. Instante igitur hoc Sabbato, indignum uidebatur sanguinarijs illis, si corpora occisorum ante portas omnium oculis oppositа essent. Ne igitur festi religio tam lugubri spectaculo obnubilaretur, uolebant, ut ante exordium festi quoquo modo tollerentur. Vere peruersa & præpostera religio, quod intẽdunt festum tam sancte celebrare, cuius profestum tanta impietate inquinauerant? Volebant legem seruare, & iam Dominum legis occiderant: Lex autem, qua se iam teneri uolebant, hæc erat, Vbi Dominus præcipit eruci affixos eadem nocte sepelire. Hęc lex uel maxime propter Christum data erat. Propter istum enim unum tunc crucifigẽdum, lex digito Dei scripta, omnibus crucifixis, ut sepelirentur eadem die, prouidit, cum de alijs qui ui occiderentur, nihil tale mandatũ esset. Et poterat quidẽ Deus corpus Christi etiam insepultũ custodire, à quacunq; ignominia uel uiolentia. Verum sic expediebat corporibus sanctorum, ut eis hoc corpus Christi mortui coniungeretur in sepulchris, per quod resurrectionẽ consequi possent. Nam ùcut animã Christi ad inferos descendere expediebat, ad liberandas animas patrũ: sic & ad corpora eorum, corpus ipsius peruenire oportebat, ut illa resuscitaret, sicq; perfecta resurrectio sperari posset. Hanc igitur legem nunc prętendunt impij, iam & religionem festi cogitant, quasi hactenus omnia recte fecissent. Sic enim Hypocritæ solas cæremonias attendunt, interim maiora iustitiæ relinquunt, ac omnia sibi salua esse putant, quantumcunq; peccent, dummodo cæremoniarum nihil omittant. Sic hi legem illam, quæ tantummodo ciuilitatis & humanitatis erat, summo studio obseruant, interim totam alioqui legem prævaricantes. Quis autem hos non sanctos dixisset? Quis potuisset ex tanta illius legis obseruantia suspicari, ipsos Christum contra legem occidisse? Verum sic solet hypocrisis suas palliare impietates. Deut. 21. Matth. 23.

Rogauerunt Pilatum, ut frangerentur crura, &c.]

Hoc prætendebant coram Pilato, uerum aliud ipsos mordebat: Timebant, ne propter signa, quæ fiebant in morte Christi, populus facti pœnitens, crederet in Christum. Audiebant enim iam tunc uaria hominum iudicia de Christo & miraculis eius, ideo tollere & sepelire eum festinant. Sperabant enim omnem eius memoriam perituram, si ab oculis hominum tolleretur, neminemq; amplius futurum, qui necem tanti hominis illis exprobraret. Sed frustra laborant.

laborant. Nec enim uel Christi gloriam, uel suam infamiam occultare potuerunt. Cæterum impij ab impio iudice, facile impetrant quod uolunt. Sequitur enim:

Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, &c.]

Adsunt impij milites Iudæis gratificaturi, & pendentibus latronibus crura confringũt, iamq; etiam percussuri erant Christi corpus, cum uident eum iam mortuũ esse, quæ res ipsos repressit, non misericordia. Nec eĩ opus erat, ut super dolorẽ uulnerũ eius, quicq; apponerẽt, in quo iam sensuũ nihil restabat. Sicut aũt Christus, quamuis mortuus sit, ossa tamen eius non confringuntur: sic pij affligũtur quidem, sed non perduntur, & quemadmodum omnes capilli eorũ numerati sunt, sic & omnia ossa eorũ custodiuntur, ut illis nihil accidere possit citra bonã Dei uoluntatem. Ideo aũt Christus crura sibi frangi noluit, quia ossa, quæ in scripturis mystice uirtutes & fortitudinem significant, nihil nobis mysterij prædicarẽt, in eo quod frangerẽtur: Sed econtra in eo, quod crura illius integra permanserunt, illud nobis significatur, quod uniuersæ uiæ eius (quæ per crura designantur in Canticis) rectę & inuiolabiles sunt. Cæterũ, quantumuis causam non haberẽt confringendi ossa Christi, ut qui mortuus esset:

Matth. 10. Psal. 33.

Vnus tamen militum, lancea latus eius aperuit]

Hoc quamuis à Pilato cõmissum nõ erat, tamen Deo disponente factum est, tum ut scriptura Zachariæ, quæ paulo post citabitur, impleretur: Tum ut figura dormiẽtis Adę exprimeretur, cui dormienti costa ablata, in mulierẽ formata fuit. Signanter autem latus Christi non uulneratũ, sed apertũ fuisse dicitur, ut sciamus nobis uiam apertam esse ad cor Domini. Hoc enim est refugium nostrũ, ut in cauernam huius petræ nos abscondamus: Illic enim & non alibi tuti erimus. Item apertio huius lateris, significat apertam nobis esse ianuam uitæ, unde Sacramenta nobis profluxerũt, sine quibus nemo ad ueram uitam peruenire potest. Sicut enim ex latere Adæ dormientis, formata fuit Eua, sic ex latere Christi in cruce morientis, formata est Ecclesia. Ideo & hic dicitur, quod transfixo latere Christi:

Genes. 2.

Continuo exiuit sanguis & aqua]

Hic aũt effluxus & miraculose contigit, & magnũ mysteriũ prefigurauit. Sanguine eĩ redimimur, aqua abluimur: Tam redemptionem igitur q̃ ablutionẽ, nobis attulit mors Christi. Obseruandum autẽ, quod nec solus sanguis, nec sola aqua exiuit. Nihil enim posset aqua sine sanguine, nec quicquam prodesset nos redemptos esse, si permaneremus, quales prius eramus, & non etiam ablueremur:

Vt ergo esset, unde à peccatis lauaremur, aqua, quæ corporales tantum abluit sordes, sanguini, qui est precium nostræ redemptionis,

ptionis, sociata est, & ex eius societate uirtutem sumpsit, ut ad abluendas inuisibiles sordes peccatorum, digna sit sancto cooperari spiritui. Hoc est quod Propheta prædixit: Erit fons patens domui Dauid, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Vbi per peccatorem intelligitur Gentilis populus: per menstruatam aũt Iudaicus, qui in legem peccauit. Sanguis igitur & aqua, duo certissima fidei nostræ & Ecclesiæ Sacramenta sunt, nempe Missa & Baptismus. Zach. 13.

Sanguis effusus est in remissionem peccatorũ, & Baptismus institutus est in remissionem peccatorum: Tam magna salus ex hoc uulnere Domini nobis profluxit. Per hæc enim duo, Ecclesia ædificata est. Nam per aquam regeneramur: sanguine nutrimur. Vel aliter, Duo hæc, sanguis scilicet & aqua, significant & uitam & consolationem, nobis è Passione Christi profluxisse. Sanguini enim inest uita, & aqua in scripturis plærunq; consolationem significat. Confirmamur igitur non solum dum uiuimus, sed etiam dum morimur, ut credamus & in morte uitam esse, & uitam nostram in Deo absconditam esse. Merito igitur hic exclamat Augustinus: O mors, unde mortui reuiuiscunt. Quid isto sanguine mundius? Quid uulnere isto salubrius? Cur autem hoc factum sit, ut & Christo ossa confracta non sint, tamen latus eius apertum fuit, Ioannes duo testimonia adfert: Alterum ex lege, alterum ex Prophetis. Primo autem suo ipsius testimonio affirmat, hæc ita se habere, ne cui incredibile uideretur, quod dixit de effluxione sanguinis & aquæ è latere Christi mortui. Est enim contra naturam, quod sanguis & aqua profluant è latere hominis mortui, ideo Ioannes dicit: Col. 3.

Et qui uidit, testimonium perhibuit]

Quod autem uerum sit testimonium eius, patet ex eo, quod non tantum gloriosa, sed etiam humilia de Christo hactenus scripsit. Alia autem duo testimonia adducit, Vt in ore duorũ aut trium testium, stet omne uerbum. Testimonium legis est:

Os *non comminuetis ex eo*]

Nempe ex agno Paschali. Et quis est ille agnus, nisi crucifixus & immolatus in cruce Iesus? Hic enim est Pascha nostrũ, ut Paulus ait. 1. Cor. 5.

Ex hac autem citatione manifeste patet, Ioannem non tam historiam uoluisse recensere, quam monere quid significaret hæc historia, quod scilicet hic Iesus uerum Pascha fuit per agnum legalem significatus. Iam uero & hæc scriptura etiam nos confirmat, quod scilicet ossa agni Paschalis non confringuntur. Potestas siquidem tenebrarum, sęuire quidem potest in Christum, eatenus, ut uitam & gloriam ei eripiat coram mundo. Porro ossa, id est, uitam & gloriam coram

Deo,

Deo, eripere non poteſt. Idem ſit in omnibus ſanctis, ſæuiant impij quantumlibet uolunt, tamen oſſa piorum non conterent, id eſt, nul-
Rom. 1. la uis tanta erit, quam fides non ſuperet: Eſt enim uirtus Dei ad ſa-
Zach. 13. lutem omni credenti. Teſtimonium alterũ è Zacharia ſumptũ, eſt:

Videbunt (inquit) in quem transfixerunt]

Et hoc quidem primo ad pios refertur, qui Chriſtum crucifixum intuentur, & agnoſcunt ſe peccatis ſuis ipſum confixiſſe. Huc pertinet & illud eiuſdẽ Zachariæ: Aſpicient, inquit, in eum, quem confixerunt, & plangent eum quaſi planctu ſuper unigenitum, etc. Poteſt autem locus hic citatus etiam ad impios referri, & tunc eadem erit
Deut. 32. ſententia cum eo, quod alibi dicitur: Mea eſt uindicta, & ego retribuam. Cum enim ultio diuina in longum ſe differat, uoluit Dominus his & ſimilibus uerbis oſtendere, impios quidem in hoc mundo prævalere & ſuperiores eſſe, ſed ita, ut ſuo ſe iugulent gladio. Quo magis enim in ſuis conatibus proſperantur, eo iuſtiorem ſuam cauſam arbitrantur: Excæcati igitur in grauiſsimũ Dei iudicium ruunt. Quemadmodum enim in ſomno accidere ſolet, ubi quis ſomniat pugno ſe hoſtem petere, excitatus autem ſentit, quod ſe ſuis ipſius pugnis percuſſerit: Ita qui pio iniurias infert, uidetur quidem eſſe ſuperior, uel propter pij imbecillitatem; uel propterea, quod ultio in longum differatur. Si uero rem bene conſyderes, ſuo ſe gladio ferit. Pharao Iſraëlitas oppreſsit, at ſi uerius loquaris, eo facto ſeipſum oppreſsit. Saul Dauidem perſecutus eſt, at uerius dixeris, quod ſeipſum eo facto perſecutus ſit. Iudæi Chriſtum transfixerunt, at reuera ſua
Eccle. 47. ipſorũ corda transfixerũtt. Iuxta illud: Qui in altum mittit lapidem, recidet in caput eius. Videbunt igitur impij, in quem confixerunt, nempe, quod non iuſtos, ſed ſeipſos occiderunt & damnarunt.

Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph, &c.]

Aderat tempus, ut ſepeliretur corpus Chriſti. Non tamen uidebatur quenquam hoc facile auſurum, propter rabiem Iudæorum. Et ecce hic ſe offerunt duo quaſi ex improuiſo, uerum non ſine Dei conſilio & præordinatione. Diligenter autem Euangeliſtæ deſcribunt & perſonam utriuſq;, & ſtudium in ſepeliendo Chriſto. Erat enim & eſt res, ut non ſine periculo, ſic notatu digniſsima ad exemplum noſtrum. Primus igitur Ioſeph dicebatur, à ciuitate Arimathia oriundus. Erat autem hic Ioſeph & honeſtus, & iuſtus, & diues, quæ tria pulchre quidem ſimul ſtant, uerum raro ſimul inueniuntur. Nicodemus nõ tanta laude hic inſignitur, quia aliàs in Euangelio eius non ſemel mentio fit. Fuit autem hic legiſperitus: Ille autem, nempe Ioſeph, ſenator. In hoc concordabant, quod uterq; Chriſti doctrinam amabant, eamq; uerbum Dei eſſe iudicabant:

malebant

malebant tamen occulte, quàm publice discipuli Christi esse, hoc nimirum in ipsis fecerunt & diuitiæ & gloria, quibus præ alijs conspicui erant, quas relinquere nolebant, cum tamen interim nec doctrinam Christi abijcere cogitarent. Quod autem uterq; Christum dilexerit, facta ipsorum probant. Nam & Nicodemus olim Christum defenderat in Concilio Pharisæorum. Et Ioseph aperte nolebat consentire in necem Christi. Fuerunt reuera iusti homines, magnis donis naturæ præditi, in quibus & spiritus Domini iam scintillabat. Quorum utinam multi nunc similes essent in Concilijs, Comitijs, Conuentibus, Capitulis, qui malis obsisterent, & uel id facerent, quod duo illi fecerunt. Ioann. 7.

Diligenter igitur cõsyderandæ sunt hæ duæ personæ. Hic em̃ primo uidemus, q; nullum tempus tam malum est, quin Dominus suos seruet & liberet, ut saltẽ aliqui boni remaneant. Sic tempore Heliæ, cũ omnia plena essent Idolis et falsis cultibus, reseruarat tamen Deus sibi septem milia uirorũ, qui non curuauerãt genua ante Baal. Ita & mortis Christi tempore, omnia plena erant scandalo, impietate & diffidentia in Christum. Alij enim impie conuitiabantur, alij abnegabant, alij scandalizati de ipso tam turpiter mortuo, nihil amplius boni uel suspicabantur. Duo autem illi, Ioseph & Nicodemus produnt se hoc loco, qui nihil moti aliorum uel impietate uel diffidentia, in fide perstiterunt. Admiranda certe horũ fides fuit, id quod ex Antitheſi manifestum fit. Ambo erant diuites, ambo potentes, ambo iusti coram mũdo habiti: Hic senator, ille Pharisæus. Omnia tamen hæc diuitiæ, potentia & existimatio, itemq; dignitates mundanæ, ab ipsis negliguntur, & ut Christo etiã mortuo inseruiant, periculo exponuntur. Quis eos huc coëgit? Num amicitia in Iesum? At amicitia ciuilis tantũ usq; ad aras durat. Sola igitur fide huc perducti sunt, quæ tantæ est potentiæ, ut credentem abstrahat ab omnibus sensibilibus, & imponat in insensibilia. Sensibiles res erant diuitiæ, potentia & senatoria dignitas: Sed fides hos ambos ab his rebus auulsos, in æternam potentiam & diuitias collocauit. Eandem fidei energiam uides in Abrahamo, qui patriam, opes paternas & amicos reliquit, ac incerta, inuisibilia, quæ Deus promittebat, secutus est. Hac igitur fide instigatus & confortatus Ioseph, constanter adijt Pilatum, & ausus est petere corpus Iesu, quod nullus discipulorum ausus fuisset petere. Diuina autẽ uolente & agente gratia, Pilatus facile consentit. Nam inuitus Christum morti adiudicauerat. Nec solum personas horũ duorũ describunt Euangelistæ, sed etiam utriusq; studiũ, & quid quisq; apportarit ad sepeliẽdum Christum. 3. Reg. 18. Genn. 12.

Ioseph (inquit) mercatus est sindonem, Nicodemus autem mixturam Myrrhæ & aloes, quasi centum libras]

Commendatur hic Nicodemus alias in Euangelio, quod & ad

Christum nocte uenerit, & quod ipsum coram Pharisæis defenderit. Bene igitur incœptum opus fœliciter consummat: uoluit autem Christus gloriosam habere sepulturam. Primo, quia satisfactum erat pro peccato hominis, & iam tempus erat, ut gloria eius incipe-
Isai.11. ret. Secundo, ut scriptura impleretur, quæ dicit: Et erit sepulchrum eius gloriosum. Tertio, ut sciamus à morte incipere gloriã nostram. Nam mundanorum gloria finitur in sepultura. Quarto, ut sciamus legitime certantibus certam repositam coronã post pugnam, quem-
2.Timo.4. admodum Paulus dicebat: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex.

Acceperunt autem corpus Iesu, &c.]

Mali abeunt, pijs relinquitur Iesus, sed crucifixus. Accipiunt igitur duo illi pro magno munere & thesauro corpus Iesu, nec pudet eos mortuum de cruce & patibulo tollere, quem uiuum dilexerant: Nec curant, quid alij de ipsis dicant, quod tam uili ministerio tam nobiles homines se occupent, sed omnibus his contemptis, corpus Christi sine dubio cum magnis & multis lachrymis de cruce deponunt. Sic nimirum fratres, si Christiani & uere Euangelici uolumus esse, non oportet nos erubescere de huiusmodi humilibus ministerijs.

Et ligauerunt eum linteis cum aromatibus]

Sic enim purissimo huic corpori conueniebat, quod adeo mundum erat, ut & ipsam sindonẽ mundaret. Addunt autem unguenta & aromata, quæ apud Iudæos in hoc adhibebantur, ne corpora putrescerent. Hoc autem signum erat, quod hi duo imperfectam adhuc fidẽ habebant. Nihil enim altius de Christo sentiebant, quàm quod fuisset homo probus & innocens, & Propheta. Cæterũ Christus etiam Deus erat, quod ipsi nesciebant, deniq; & propediem resurrecturus, nihil igitur huiusmodi condimentis opus habuisset. Interim tamen hoc sibi fieri uoluit, ut & mors ipsius glorioſior esset, & ut nos hinc disceremus, quomodo eum suscipere debeamus, nempe sindone munda & aromatibus, id est, puro corde & odorifera conuersatione. Cæterum, si hic affuisset Iudas quispiam, procul dubio exclamasset, quod alter Iudas dudum dixerat, Vt quid perditio
Matth. 26. hæc? Poterant aromata hæc uendi multo, & dari pauperibus. Quid prodest mortuo, etiamsi aromatibus condiatur? Verũ Christianus non debet hunc sumptum uanum dicere: Non enim tam sumptus, quàm fides istorum hominũ spectanda est. Perditio certe est, quicquid non ex fide fit: Hic autem nihil minus fuit quàm perditio, immo uere bonum opus, quo isti fidem suam declarabant, palamq; ostendebant, se omnes fortunas suas in discrimẽ propter Christum posuisse,

potuisse. Nam oportebat ipsos futurum Pharisæorum odium, & bonorũ omnium direptionem propter hoc opus expectare. Maximum igitur opus est, nec ullis Hypocritarum operibus comparandum. Nam Hypocritæ sumptum quidem faciunt, non tamen ex fide & abnegatione bonorum, sed ex impietate & bonorum ambitione. Cæterum nullum opus è sumptu uel specie æstimandum est, sed è fide. Sic in Euangelio uidua duo minuta offerens, plus omnibus aliis obtulisse dicitur, quia ex fide & indigentia fecit. Sic & hoc opus non maximum est sumptu, sed fide, qua omnia alia bona sua propter Christum abnegarunt, & in discrimen posuerunt. Porro condimentis manifestum fit, quid in Christo quæsierunt: Condimenta enim à putrefactione conseruant corpus. Quærunt ergo uitam in Christo. Sed quomodo? Sub morte, sub corpore arido, atq; ea demũ uera fides est. Nam facile est uitam in uiuente Christo quærere, sed in mortuo, arido & contempto quicquam sperare, hoc opus hic labor est. Luc. 21.

Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus]

Describunt Euangelistæ non modum tantum sepulturę Christi, sed etiam locum: Et hęc quidem uidentur casu facta, sed reuera diuina ordinatione sic omnia disposita fuerũt. In horto Christus passionẽ incœpit, in horto etiam eandem consummauit, quia & Adam in horto peccauerat: In horto etiam sepelitur Christus, in signum, quod per ipsum reditus nobis pateret ad Paradysum, non quidem terrestrem, sed cœlestem. Quod autem in alieno sepulchro sepelitur, paupertatem eius indicat, qui nec in uita, nec in morte habuit, ubi caput suum reclinaret. Simul autem damnatur nostra curiositas, qui tanta cura & expensis, immo cum tanta superbia ædificamus nobis sepulchra. Matth. 8.

Et in horto monumentum nouum]

Signanter de sepulchro Christi dicitur, quod nouum fuerit, & quod nullus adhuc in illo sepultus fuerat, ad tollendam omnem suspitionem, ne alius quispiam inde resurrexisse credatur. Sicut enim nasciturus Christus, uterum sibi uirginalem præparauit, ad quem uir non accesserat: sic resurrecturus in nouo sepulchro sepeliri uoluit, in quo nondum quisquam positus fuerat. Nouũ autem illud sepulchrum præsignabat nouum quid & inauditũ fiendum, nempe, quod sepultus in sepulchro, iterum ad uitam rediturus esset. Itemq; quod mors mutanda esset in somnum, maxime quo ad pios, è quo somno, suo tempore quasi in horto delitioso resurrecturi essent. Obseruandum autẽ, quod in sepultura Christi nullus discipulorum affuisse scribitur (tametsi creditum sit Ioannem affuisse, quod tamen ex litera nõ patet) ne putarentur corpus Christi abstulisse, & in alio

loco condidisse. *Ibi ergo posuerunt eum*]

Hunc igitur honorem sepulturæ, passus est sibi Christus fieri ab honoratis uiris, ne hostes eius dicere possent huic Nazareno, non nisi uiles & nullius momenti homines adhæsisse: quamuis etiam hic honor admodum paruus est, si ad eum comparetur, quo nunc in omni terra, in omnibus Ecclesijs honoratur, non tanquam homo, sed tanquam Deus & homo, qui non amplius in sepulchro iacet, sed in cœlo ad dexterã Dei sedet: Et tamen nihilominus in hũc usq; diem manet sepulchrũ eius tam honorabile, ut non Christiani tantũ, sed multi etiam Gentiles admirationis gratia è longinquis terris ad id ipsum uidendum Hierosolymam petant. In summa, sepulchrum
Deut. 34. Moysis ignoratur, nec admodum refert, ubi sepultus sit: Sepulchrum autem Christi ab omnibus scitur, & sic etiam necesse est, ut ex ipso discamus, & nostram sepulturã & resurrectionem. Sicut enim passio Christi nostra est, sic & sepultura Christi nostra est: Conse-
Rom. 6. pulti enim sumus cum ipso per Baptismum in mortem, &c.

Hactenus igitur de his, quæ Christus mundi creator & Dominus, à tot & tantis in eum tam crudeliter sęuientibus passus est, ut pro tot & tantis perpetuæ damnationis infœlicibus pœnis, quæ nostris peccatis debebantur, diuinæ satisfaceret iustitiæ, satis dictum est: Restat, ut gratias agamus benignissimæ charitati ipsius, deinde ut cum fiduHeb. 4. tia accedamus ad hunc thronum gratiæ, quo misericordiam inueniamus in tempore opportuno. Præterea, ut caueamus, ne unquam tantæ rei obliuiscamur, quin potius uulnera illa, sanguis ille, passio illa, mors illa semper ob oculos nobis præsto sint, cordaq; nostra indesinenter irrigent, duritiam eorum tollant, liquefaciant, atque
1. Pet. 1. inter prospera & aduersa ducatum tutissimum nobis præstent. Postremo, ut studeamus etiam deinceps in omni timore conuersari, quandoquidem non corruptibilibus auro & argento redempti sumus, uerum pręcioso sanguine agni immaculati Christi, sicq; procul à nobis omnem mundi corruptionẽ arceamus, ut cum Christus redierit, noscq; tertia die resurrexerimus, hoc est, post primum diem uitę huius, & alterę diem quietis, ad thesauros gratię, quos hic recipiPhil. 3. mus, etiam beatitudinem animæ & thesauros gloriæ nobis conferat, ut similes ei & configurati corpori claritatis eius in æterni regni hæreditatem cum ipso fœlicissime ingredi mereamur, Amen.

CAPVT

CAPVT VICESIMVM.

Actenus in Christi Paßione, nihil aliud extrinsecus in Christo animaduertimus, quàm hominem extreme abiectum, & à Deo longißime derelictum: Nunc autem resurrectione declaratur manifeste, quod sit Filius Dei, quemadmodum Paulus ait. Rom. 1.

Ab hinc igitur, ó Iuda, laudabunt te fratres tui. Iuda, inquam, magne & fortis, qui resurgens à mortuis, confessionem & decorem induisti immortalitatis & incorruptionis. Laudabunt te fratres & amici tui, hæredes & comparticipes regni tui: quia manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, & sicut catulus leonis ad prædam ascendisti, infernumq; debellasti. Psal. 103. Genes. 49.

Cæterum, quia in resurrectione Christi omnis spes nostra consistit, operæ precium duxi, ante enarrationem historię, paucula quædam de ipsa Domini resurrectione præmittere, quo maiorem inde & fructum & consolationem reportare possimus. Quatuor igitur modis eadem Christi resurrectio à nobis consyderanda est. Primo, ut certa & indubitata historia, ac res quæ certò & infallibiliter sic facta est. Ob id enim Euangelistę tam diligenter & diem, & horam, & modum descripserũt huius resurrectionis, quibusq; & quoties Christus post resurrectionem suam apparuerit, quid ægerit aut locutus sit, &c. ne quis de historia aut certitudine rei dubitare possit. Atque hoc ceu fundamentum primo loco ponendum est. Secundo consyderanda est resurrectio Christi, ut speciale quoddam opus diuinum, quo agnosci uult Deus. Huc pertinet quod Apostoli frequenter dicũt: Deus eum suscitauit, &c. ut scias Dei opus esse. Hic igitur uidebis, quàm mirabilis sit Deus in operibus suis, & quæ sit uera ratio operum ipsius. Opera Dei sunt, Exaltare pios, Humiliare impios: Exaltare autem incipit, cum in summas miserias hominẽ conijcit, quemadmodum in Christo uidemus, eiusq; passione & resurrectione. Sic ediuerso, humiliare incipit, cum impijs externe omnia ad nutum & uoluntatem ipsorum permittit. Qui autem hanc operum Dei rationem attendit, discet in cruce sperare, in prosperis autem timere. Præter hoc autem opus Dei, etiam aliud quiddam uidemus in resurrectione Christi, nempe quàm potenter Deus suos etiam ex maximis periculis eripere possit, & quàm gloriose insuper eos, qui diuinæ uoluntati seipsos totos dedunt, quemadmodum Christus fecerat, remuneret: Omnia autem ad consolationem piorum.

Tertio loco consyderanda est Christi resurrectio, ut Euangelium

ac lætiſsimum, quoddam nuncium, quo nobis adnunciatur, quod Chriſtus nedum paſsione & morte ſua, debita noſtra ſoluit, uerum etiam reſurrectione ſua, omnia nobis bona reſtituit. Mortuus eſt,
Rom.4. inquit, propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtrã. Deinde etiam hoc læto nuncio, nos Chriſti reſurrectio exhilarat, quod ex ea uidemus & quidem clariſsime, Chriſtũ regẽ & Dominum noſtrum, uictorem eſſe peccati, mortis & inferni, atq; adeo omnium malorũ, quę nos olim premebãt, atq; etiam nũc premunt. Quid aũt lætius nobis nunciari poſſet? Vt interim taceam, quod ex reſurrectione Chriſti, etiam noſtra nobis reſurrectio adnũciatur. Si
1.Theſſ.4. enim credimus, quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: certo etiã credere poſſumus, nos cum ipſo in anima nũc reſurrexiſſe, & per ipſum olim etiam corpore reſurrecturos eſſe. In hunc modum reſurrectio Chriſti, nobis eſt Euangelium & lætũ nunciũ. Ea ipſa tamen quarto loco etiam nobis pręponenda & conſyderanda eſt ut exemplum, in hunc uidelicet finẽ, ut quemadmodũ Chriſtus ſurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Huc pertinet totũ caput ſextum,
Col.3. Epiſtolæ ad Romanos. Itemq; illud: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quę ſurſum ſunt quęrite, ubi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedẽs. Item-
1.Pet.2. que illud Petri: Chriſtus peccata noſtra in corpore ſuo portauit ſuper lignum, ut peccatis mortui, iuſtitiæ uiuamus. In hunc igitur modum cõſyderata Chriſti reſurrectio, ingentem nobis & conſolationem & fructum adferet, quod uel paucis admonuiſſe ſufficiat. Sed de his aliàs plura. Cæterũ, quod etiam Ioannes reſurrectionis Domini meminit, quamuis ſciret alios abunde de ea ſcripſiſſe, ideo factum eſt. Primo, quia reſurrectio Domini potiſsimus articulus eſt Euangelij & fidei noſtræ: Immo nullum eſſet Euangelium, ſi Chriſtus non reſurrexiſſet. Quomodo enim ſcire poſſemus, uictam eſſe mortem & peccatum, ſi Chriſtus in morte permanſiſſet? Sicut igitur per totum Euangelium Ioannes diuinitatem Chriſti declarauit, ſic nunc in fine etiam reſurrectionẽ Chriſti non omittit. In his enim duobus, uel maxime ſita eſt omnis ſpes & conſolatio noſtra. Iuxta hoc tamen ne tędio afficiat lectorem, ea tantũ adfert, quæ alij Euangeliſtæ omiſerant. Digna enim erant, quæ ad notitiam hominum conſcriberentur.

Vna Sabbati].

Primo omnium Euangeliſtæ diem & tempus reſurrectionis Chriſti, quàm diligentiſsime deſcribunt, tum ut probarẽt uerborum Chriſti ueritatẽ, quibus ſæpe prædixerat, ſe tertia die reſurrecturum.
Ioan.2. Vt cum dixit, Soluite templum hoc, et in triduo excitabo illud. Item,
Matth.12. Sicut fuit Ionas in uentre Ceti, etc. Itẽ, Tradetur filius hominis, &c.
Matth.20. & tertia die reſurget. Hoc idẽ tempus & in Prophetis prædictũ fuit:

Viuificabit

Viuificabit (inquit) nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.

Deinde tempus resurrectionis tam diligenter describunt propter mysterium, quod in illo triduo latet. Tres siquidem dies nobis ordinauit Deus: Diem laboris in hac uita, diem quietis post mortem, diem resurrectionis in nouissimo die. Hoc triduum Christus in seipso expressit, ideo non ultra tertium diem in sepulchro mansit, ut & nos hoc triduo contenti simus. Nam alias filij Adam quartum diem addere uolunt, diem scilicet ocij, gaudij, in hac uita. Hunc diem Deus non fecit, & ideo fœtent quatriduani, ut de Lazaro dicitur. Ioann. 11.

Cæterum, quod dicit: *Vna Sabbati*, idem est, quod prima Sabbati. Hebræi enim dies hebdomadæ exprimũt secundum Sabbatũ, quemadmodum nos secundum Ferias, & Pagani secundum planetas. Primam autem Sabbati uel septimanæ diem, Christus resurrectioni suæ elegit. Primo, ut opus redemptionis respõderet operi creationis. Sicut enim prima die lucem creauit externam, & diuisit lucem à tenebris, sic hoc prima die hebdomadæ, uerus sol ortus est, & pij ab impijs diuisi & segregati. Secundo ideo prima die surrexit, ut doceret resurrectionem suam esse exordium nouæ uitæ & aurei sæculi, &c. Genn. 1.

Quod autem Ioannes non dicit prima Sabbati, sed una Sabbati, phrasis est Hebraica. Sic enim & in Genesi dicitur: Factum est mane & uespere dies unus, hoc est, primus. Ibidem

Deinde etiam ideo non prima, sed una Sabbati dixit, propter singularem & unicam eius diei gloriam. Est enim uere festa dies, uere beata dies, nobilitas anni, mensis decus, arma dierum: Pulchricudine huius diei Paradysus refloruit, cœlum purpuratum est, Angeli candidati, homines exhilarati. Denicq; hæc est illa dies, quam fecit Dominus. Psal. 117.

Venit Maria Magdalenæ, &c.]

De alijs mulieribus nihil scribit Ioannes, quia hoc satis in alijs expressum est. De Maria autem, quod alij omiserunt in medium profert. Nam Marcus quidem dicit, quõd Christus primo apparuit Mariæ huic, sed quomodo hoc sit factum, non exprimit, ideo Ioannes hæc diffusius scribere uoluit: Est enim historia notatu digna. Nec mirum, quod Christus huic mulieri primo apparuit, quod enim aliàs de ipsa dicitur, quod dilexit multum, hoc uere etiam hic in ipsa uidemus. Sicut igitur prius multa ei peccata dimissa sunt, eò quod dilexit multum, sic nunc ei singularis gratia præstita est, quia dilexit multum. Mar. 16. Luc. 7.

Primum dilectionis signum est, quod uix Sabbato quieuit, omne ei tempus longum erat sine Christo, alijsq; gaudentibus ipsa solum Christum cogitabat. Denicq; statim post Sabbatum surgit ad ministrandum Christo. Secundum dilectionis signum est, quod nec nocte quieuit. Si enim (ut hic dicitur) mane, dum adhuc tenebræ essent, peruenit ad monumentum, certum est,

quod nocte exiuit: Maxime, quia non Hierosolymis, sed Bethaniæ habitabat. Est & hoc non paruum dilectionis signum, quod sicut Christum uiuum, docentem, operantem, patientem, quo ad poterat secuta erat: sic nunc etiam mortuum sequitur, quo uel uno facto omnes nos cõfundit. Pauci siquidem sunt, qui uel docentẽ Christum sequuntur: pauciores, qui operantem: pauciſsimi, qui patientem sequuntur, ne dicam morientem.

Vidit lapidem reuolutum]

Mar. 16. Apud Marcũ mulieres colloquũtur: Quis reuoluet nobis lapidem? Appropinquantes autem uiderũt eum reuolutum. Nam secundum Matth. 28. Matthæum, Angelus Domini eum reuoluerat, non ut Christus exire posset, sed ut mulieres sepulchrũ corpore uacuum uidere possent.

Quod autem mulieribus illis contigit, etiam nobis contingit, pergentibus enim ad sepulchrum Christi, hoc est, ad pœnitentiam, qua Christo consepelimur, multa nobis obstacula occurrunt, quæ uidentur impoſsibilia: Cum autem perseueramus, uidebimus ea omnia per Dei gratiam facilia, tantum ne statim difficultate pœnitentiæ territi, retrocedamus. Præterea, quod Magdalena uidit lapidem reuolutũ à monumento, fructus est resurrectionis Christi. Per ipsam enim etiam nostra monumenta aperta sunt, certaq; spes resurgendi 1. Thes. 4. nobis data. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est & resurrexit: Ita & Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo.

Cucurrit ergo ad Simonem Petrum]

Aperto sepulchro nihil aliud in mentem ueniebat ei, quàm corpus Christi sublatum esse (sic enim afflictis semper maiora mala occurrunt) nec tantum gaudium sperare poterat, Christum scilicet resurrexisse. Oblita itaq; suiipsius, nec cogitans an decorum sibi uel indecorum esset, currit ad Apostolos, ut certius aliquid cognosceret de Iesu. Vrgebant eam metus & spes: Metus, ne Iudæi ignominiam aliquam corpori Christi irrogarent. Spes autem, si forte discipuli corpus abstuliſsent, aut certius aliquid de ipso compertum haberent.

Hæc sunt duo calcaria, quibus urgemur ad cursum, timor & spes. Vide autem prudentiam mulieris, Non Iudæis nunciat Christum ablatum, ne inde gauderent hostes: Sed nec omnibus discipulis hoc nunciat, ne nimium terrerentur: Verum tantum primoribus, Petro & Ioanni. Hi enim duo primi erant inter discipulos, denicq; sibi inui- Ioan. 18. cem familiariores & frequentius coniuncti. Simul enim Christum comprehensum secuti sunt. Simul quoq; principibus sacerdotum Act. 5. responderunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Si- Act. 3. mul ascenderunt in templum ad horam orationis nonam: Simul Act 8. quoq; ad Samaritanos missi sunt.

Tulerunt

Tulerunt Dominum, & neſcimus ubi poſuerunt.]

Quam longe aliter affecta fuit mulier hæc, quam nos. Pro ſummo damno ducit perdidiſſe Chriſtum, hinc ipſius lachrymæ, dolor, querelæ, & ſollicitudo: nobis longe alia mens eſt, temporalia damna ſtatim ſentimus & deflemus, de ſpiritualibus nihil curamus.

Obſerua hic, quomodo Deus ſuos incipiat conſolari. Dixerat Chriſtus: Poſt tres dies reſurgam. Item: Iterū uidebo uos, & gaudebit cor ueſtrum. Nunc aūt, cum tertia dies adeſſet, primo omniū audiunt, etiam corpus Chriſti ſublatum eſſe è monumento, & quod maius eſt, nec quenquam ſcire, quo peruenerit. Quid hic putas animi fuiſſe Apoſtolis, alioqui ſatis conturbatis propter mortem Chriſti? Hoc tam triſte exordium habuit Paſchalis ſolennitas, quo ad diſcipulos. Sic incipit Deus conſolari. Non abs re igitur de ipſo ſcribitur: Dominus prius mortificat, deinde uiuificat: Deducit ad inferos, & reducit. Vere enim hoc Magdalenæ nuncio, quaſi in infernum eos duxit, ſed poſtea reduxit, ut ſequetur infra. Ioan. 16. 1. Reg. 2.

Exierunt ergo & uenerunt ad monumentum.]

Etiam ipſi inter ſpem & metum fluctuabant, nec cuiq̄ eorum in mentem ueniebat, quod Chriſtus tam ſæpe dixerat ſe reſurrecturum. Tanta eſt uis tentationis, quod facit obliuiſci omniū, quę audiuimus. Merito igitur admonuit Chriſtus: Orate, ne intretis in tentationem. Matth. 26. Videmus etiam hic, q̄ arduū ſit in tentatione bene ſperare aut credere, ut uere hic impletū ſit, quod Chriſtus dixit: Cum uenerit Filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Si in Apoſtolis non inuenit, quid de nobis ſperandum eſt? Lucæ 18. Videmus item, quibus ſe hoc die Apoſtoli occuparūt. Summum eorum ſtudium & deſiderium erat, Chriſtū uel inuenire uel inueſtigare quo peruenerit. Bonū ſtudium.

Currebant autem duo ſimul, &c.]

Non leuitatis erat, ſed pietatis curſus ille. Non enim ad uanitates mundi, ſed ad ſepulchrū Chriſti feſtinabant. Quod Ioannes præcurrit, Chriſtianū feruorem indicat, quo quiſq̄ pro uiribus ſua contendere debet ad Chriſtum. Vnde Paulus: Sic currite, ut comprehendatis, &c. Linteamina Chriſtus in ſepulchro reliquit, tum quia reſurgens, ad immortalitatē nihil opus habebat huiuſmodi externis tegumentis, cum iam decorē indutus eſſet & fortitudinē, quæ uera ueſtis eſt, ſine qua nunq̄ ſatis nos obtegere poſſumus, etiamſi corā hominibus egregie uideamur ueſtiti & tecti: Tum etiā ad teſtimoniū fidei linteamina reliquit contra Iudęos, qui mentiebantur Apoſtolos furatos eſſe corpus Chriſti. Hoc enim ſi feciſſent Apoſtoli, nec linteamina reliquiſſent, immo nec tantū temporis habuiſſent ea à corpore ſeparare, ut quæ ipſi corpori propter myrrham agglutinata eſſent. 1. Cor. 9. Pſal. 92.

Ioannes

Ioannes ergo uidens sola linteamina, non introiuit, non enim linteamina, sed corpus Christi quærebat: Petrus autem, etsi diligentius cuncta perscrutaretur, uideretq; nedum linteamina, sed & sudarium separatim positum, &c. quod uel solum docere poterat non furto ablatum esse corpus, nihil tamen uel ipsi uel alteri discipulo tale in mentem uenit, sed simpliciter credebant corpus Christi ablatum, cuius causam subdit.

Nondum enim sciebant scripturas, &c.]

In Prophetis enim frequens fit mentio de resurrectione Christi. Sic in Psalmo: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionẽ. Et iterum: Tu aũt Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis. Et Sophonias: Expecta me in die resurrectionis in futurum. Et Osee: Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Cæterum, per hos duos discipulos currentes ad sepulchrum Christi, duo populi signantur. Per Ioannem, qui citius cucurrit, & prior ad monumentũ peruenit: uisis tamen linteaminibus non introiuit, signantur Iudæi, qui priores ad Christum peruenerunt, sed uidentes linteamina, non introierunt, quia uidelicet tribulationes passionis Dominicæ, quibus quasi linteaminibus cinctus & ligatus fuit, in tantũ erubuerunt, ut resilirent etiam eorum qui iam crediderant ex eodem populo plurimi, fieretq; illis Christus crucifixus lapis offensionis & petra scandali.

Psal. 15. Psal. 40. Soph. 3. Osee 6. 1. Pet 2.

Per Petrum autem, qui posterior quidem uenit, sed introiuit: nec tantum linteamina, sed etiam sudarium uidit, signatur Gentilis populus, qui tarde quidem ad fidem peruenit, uerum Iudæis foris remanentibus, credendo introiuit: nec solum attendit, quid pro hominibus pertulit Dei Filius ex infirmitate humana, sed etiam illud quod est & erat Deus, antequam fieret uel assumeret de nostro, in quo pateretur. Sudariũ nanq;, quod fuerat ad caput eius recte, illud significat, quod erat in principio uerbum, quod erat apud Deum, quod erat Deus. Hoc utrunq; uidet & adorat, qui posterior uenit Gentium populus. Adorat, inquam, & cõfitetur, quia Christus Dominus & uerbum Patris est, per quod factus est mundus: & caro uel Filius hominis est, per cuius passionem saluatus est mundus.

Ioan. 1.

Iudæi tantum uident linteamina, hoc est, humanitatem Christi, non autem sudarium, hoc est, diuinitatem eius, ideo offenduntur in ipso. Recte autem dicitur sudarium illud non fuisse positum cum alijs linteaminibus, sed separatim, quia scilicet in Christo etsi passibilis fuit humanitas, impassibilis tamen permansit ipsius Deitas.

Quod autem sudarium etiam inuolutum fuisse dicitur, significat Christi diuinitatem, nec initium habere, nec terminũ, quomodo res quæ inuoluta est, nec initium nec finis cernitur. Dicitur autem inuolutum

nolutum in unum locum, quo significatur, quod Deus in scissura mentium non est. Vna enim columba, unum est corpus Christi, Ecclesia scilicet. Et in hoc solo & unico loco Sacramentum & ueritas est, quæ scindi uel diuidi non potest. Vel aliter, Petrus fidei personam agit, id quod patet ex cõfessione eius: Ioannes autem, qui multum diligebatur à Christo, charitatis personam agit. Iam fides habet tarda incrementa & progressus testudineos. Non enim mox est integra & ex omni parte absoluta, uerum quo tardius progreditur, eo audacior animo erumpit in pericula, tentationes, cruces, & mortem: hoc est, quod posterior quidem uenit Petrus, sed prior ingreditur. Cant. 6. Matth. 16.

Charitas autem nimio calore & amoris uehementia, audet pro amato quippiam uel ultra uires tentare, sed solet nonnunquam in medijs cursibus auerti: sic Ioannes auide currit, sed non intrat. Vel per Ioannem præpropera deuotio significatur, quæ non diu durat: per Petrum autem firma & constans deuotio, &c.

Abierunt ergo discipuli iterum ad semetipsos]

Non inuenerant Christum, sed nec Angelos uiderant, nec alium qui eis ostendere posset Christum. Iterum igitur abeunt, desperatiores quàm in morte Christi fuerant. Præsente enim corpore, aliqua spes affulgebat uel ex mortuo. Sed quid spei reliquum erat, postquam non solum uiuum, sed & mortuum corpus ablatum putabant? Omnia igitur desperata uidebãtur. Vbi iterũ uidemus, quid Deus cum suis agat, corda discipulorum accendit ut quærant, & differt tamen ne inueniant, ut infirmitas animi ipso suo mœrore cruciata, purgatior fiat ad inueniendũ, & tanto ualidius teneat, quanto tardius inuenit quod quærebat. Deinde, etsi præsens corpore aderat, tamen ab oculis eorum subduxerat corpus suum, ut discerent in ipso non carnalia aut uisibilia quærenda pro ratione carnalis charitatis, sed spiritualia. Possumus quidem & debemus etiam externa à Christo quærere & sperare, uerum non carnali desiderio, sed spirituali fide. Quæcunq; enim ex fide quæruntur, spiritualia sunt, etiamsi maxime per sese comparalia sint. Abierunt (inquit) ad semetipsos, quo enim alias irent, cum omnibus propter Christum infensi essent? Vere item cum nondum scirent scripturas, abijsse dicuntur ad semetipsos. Nam econtra, ubi scripturas intellexerunt, abierunt supra semetipsos, loquentes Christi sensu, non suo: & probantes, quia non tulerunt Dominum de monumento, sed quia Dominus surrexit de sepulchro solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat, teneri ipsum ab eo, &c. Acto. 2.

Maria autem stabat ad monumentum]

Estuans

Æstuans amore, nesciebat quid faceret, sine Christo non poterat uiuere, nec eum ibi inueniebat, & ubi quæreret ignorabat. Stabat igitur, tanto enim cordis ferebatur incendio, ut nec tenebrarum caligine, nec Iudæorum immanitate retraheretur à sepulchri uisitatione, & recedentibus discipulis non recedebat. Vnde contigit, ut eum sola tunc uideret, quæ remansit ut quæreret. Virtus enim boni operis, in patientia est. Pulchre autem hanc præ omnibus mulieribus manus resurgentis pio desiderio ligatam ad sepulchrum suum retinuit, ut secundæ resurrectionis ipsa nuncia fieret, in qua primæ resurrectionis opus notissimum atq; celeberrimum factum fuerat. Prima autem resurrectio, est resurgere à peccatis, qua resurrectione mulier hæc prima uel notissima respirauit: quia cum esset in ciLuc. 7. uitate peccatrix, ut aliqui uolunt, lachrymis lauit pedes Christi. Perdito igitur Domino, dulce ei erat, uel in loco manere, ubi ille fuerat.

Stabat autem plorans, quid enim aliud faceret? Tunc tempus Tren. 1. est plorandi, cum Dominum perdimus. Hinc Hieremias: Ideo ego plorans in nocte, quia longe factus est à me consolator, &c.

Non frustra autem se ad lachrymas conuertit, quicquid enim unquàm uoluit, lachrymis obtinuit. Flendo obtinuit peccatorum remissionem, Ioan. 11. itemq; fratris resuscitationem. Fructum igitur lachrymarum experta, etiam nunc se ad lachrymas conuertit, nec eam fefellit spes eius. Lachrymis enim etiam nunc extorquet consolationem de resurrectione. Ex hoc loco discimus, quod triplices sunt lachrymæ quæ Deo placent: Compunctionis scilicet, compassionis, & deuotionis.

Cæterum in eo quod foris stabat plorans Maria, Ecclesiæ de gentibus typum præ se ferebat. Primitiua namq; Ecclesia, scilicet à iusto Abel, usq; ad illum, qui in cruce confessus est latronem, iam intra Sacramentum Dominicæ passionis recepta, peccatrix gentilitas foris remanserat: quia uidelicet non illam sanguis Christi à peccatis lauerat, quæ fidem eius non habuerat. Et quamuis nondum ploraAct. 8. ret, plorare tamen habebat confitendo peccata. Sic Eunuchus ille foris ad monumentum stabat, scripturam enim Isaiæ, quam legeAct. 10. bat, non intelligebat. Sic & Cornelius Centurio foris stabat, faciens eleemosynas, & deprecans Deum, nihil adhuc de Christo sciebat.

Dum autem fleret, prospexit in monumentum]

Sæpe in monumentum prospicit, quia semper sperabat eum inuenire, ubi eum sepelierat. Sic enim & nos, cum aliquam rem perdidimus, quamuis huc illucq; discurramus, tamen sæpe ad eum locum respicimus, in quo habuimus. Amanti enim semel aspexisse non sufficit, quia uis amoris intentionem multiplicat inquisitionis, & quanto minus inueniebat, tanto magis ardebat: quia sancta desideria

sideria dilatione crescunt, si autem deficiunt, desideria non sunt.

Vidit duos Angelos in albis sedentes]

Obserua primo, quod Apostoli etiamsi sepulchrũ uisitassent, nullum tamen Angelum uiderunt, quia statim recessérunt: hæc aũt, quia permansit, Angelos uidit, non unũ, sed duos. Imò etiã Christũ ipsum, quo docemur, quod qui in uocatione Domini perdurant, nunq; desperati relinquuntur. Sic filij Israël in deserto cibo & potu destituti, auxilium accipiunt à Domino. Idem contigit Heliæ, &c. Sic & Maria hæc, quia Christũ spirat, Christũ desiderat, nondum quidem fide, sed charitate eximia, non discedit à sepulchro, manet in officio, proinde consolationibus non destituitur. Obserua secundo, quod apud omnes Euangelistas legũtur Angeli apparuisse in resurrectione Domini. Tunc enim per sanguinẽ Christi pacificata erãt, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt. Duos autem uidit angelos, quia duo sunt Angelorũ officia, assistere scilicet & ministrare, quæ ex eo tempore nobis exhibere cœperũt perfectius, q; prioribus temporibus. Sedentes aũt uidit Angelos, quia quicquid apud Deum est, quiescit. Vestes albæ, & naturę ipsorũ puritatem & gaudiũ prę se ferebant. Apparuerunt aũt sedentes ad caput alter, alter ad pedes, ut mulieri translatum corpus Domini putanti significarent, neminẽ potuisse sanctissimo corpori uim inferre, quod ab Angelis defendebatur. Sicut aũt plorando inclinata mulier hæc Angelos uidit, & percunctantes audire meruit: sic futurũ erat, ut Gentilitas peccata sua deflendo se humilians, sanctis Apostolis uel Prædicatoribus (qui utiq; Angeli Domini exercituũ sunt) innotescéret, & ab illis dulcedinẽ æternæ consolationis acciperet. Recte autem per duos Angelos ad caput & ad pedes sedentes, intelliguntur Apostoli & Prædicatores, quia uidelicet unum eundemq; Christũ, & Deũ esse ante sæcula & hominẽ factum prædicãt in fine sæculorũ. Et utriusq; uocibus Testamẽti incarnatũ, passum, mortuũ, & sepultum, ac resuscitatũ probãt uerũ Dei Filium. In cuius figuram etiam duo Cherubin, qui propitiatoriũ tegebant, sese inuicẽ aspiciebant, uersis uultibus in propitiatoriũ. Cherubin plenitudo scientiæ dicitur. Duo igitur Cherubin, utrũq; Testamentum: Propitiatorium eum significat, qui est propitiatio pro peccatis nostris. Dum igitur uetus Testamentũ hoc faciendũ denũciat, quod nouũ de Domino factũ clamat, quasi utraq; Cherubin se inuicẽ aspiciunt, dum uultus in propitiatorium uertunt. Nec enim à suo aspectu discrepant, quæ dispensationis eius mysterium cõcorditer narrant.

Exod. 16. 3. Reg. 17.

Col. 1.

Mala. 3.

Exod. 25.

1. Ioan. 2.

Mulier quid ploras?]

Non lachrymarę causam quęrũt, quam certe non ignorabant, sed ut re ipsa patet, ne lachrimetur admonent. Quasi dicerẽt, Plorare noli, nõ n. habes causam plorãdi, sed potius gaudẽdi. Nã morte et interitu

destructo, lachrymarꝫ tempus non est. Et cū Dominus resurrectione sua humanū genus ad uitā reuocauerit, cur tibi plorandum est ò mulier? Plorent alij, qui Christū crucifixerūt, qui pœnitentiā non egerunt, quibus imminet æternus luctus: tu noli plorare, cuius consolatio in ianuis est. Nam nō tristia, sed lęta uenimus nunciare tibi, &c.

Quia tulerunt Dominum meum, & nescio, &c.]

Causam luctus sui exprimit, & quidē iustissimā. Magnus (inquit) me dolor fiere compellit, magna tristitia uiscera mea coartat. Quod unū mihi elegerā, modo perdidi. Tulerūt Dominū meum: Meum, inꝙ, quem elegi, cui me addixi, á quo omnia speraui, &c. Vide propter quid hæc mulier ploret, non ꝓpter amissas diuitias, sed propter absentiam Domini: Nobis longe alia mens est, &c. Emphasim autem habet quod dicit: *Dominum meum*. Etsi enim Dominus sit omnium, specialiter tamen est Dominus pœnitentium, iuxta illud: Non
Matth. 9. ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Specialiter item
Psal. 9. est Dominus lugentium. Iuxta illud: Tibi derelictus est pauper, &c.

Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum]

Retrospicit uel quia splendorem Angelicorū uultuum & uestium diu ferre non potuit, uel ut ex impatienti amore hinc inde prospiceret, si quid forte de Christo percipere posset: Vel potius, quia uidit Angelos cuidam retro eam assurgere & reuerentiam exhibere. Vel etiam ideo retrospexit, quia nō satisfaciebat ei Angelorū cōspectus. Non enim Angelos, sed Christū quęrebat. Magnū quidem est Angelos uidere, audire, &c, nondum tamen cor nostrū certificatur, do-
Ioan. 6. nec Christus seipsum nobis reuelet. Oportet enim omnes esse á Deo doctos. Cęterum exemplo huius mulieris etiam nos oportet conuerti á creaturis, si uolumus Dominū uidere. Qui enim (inquit) non
Luc. 14. renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est]

Psal. 34. Hic uides, quàm uere dictū sit: Prope est Dominus his, qui tribu-
Psal. 144. lato sunt corde, itemꝙ omnibus inuocantibus eum in ueritate. Et ite-
Act. 17. rum: Non longe est ab unoquoꝙ nostrū. In ipso enim uiuimus, mouemur, & sumus. Putabat mulier hæc Christū longe abesse, imo omnino perditum, & ecce proximus astat ei. Sic de nobis, Nunꝙ propior adest Deus, quàm cum putatur abesse. *Vidit autē Iesum stantem.*
Rom. 6. Resurgens enim á mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non
Act. 7. dominabitur, &c. In hunc modum etiam Stephanus uidit eum stantem á dextris Dei. Astat quippe Christus nobis: Assistit
Heb. 9. & uultui Dei pro nobis.

Quod autem Iesum non cognouit, incredulitas fecit, quia enim fidem de resurrectione nondum habebat, ideo talis apparuit ei Chri-

stus

stus in corpore, qualis apud eam erat in mente. Amabat & dubitabat, ideo uidebat & nō cognoscebat. Videmus etiam hic, quid Deus agat cum suis. Adest eis, & tamen plerunq; se occultat, non ob aliud, quàm ut ardentius quæratur, requisitus cum gaudio inueniatur, inuentus cum sollicitudine teneatur, tentus non dimittatur.

Mulier quid ploras? Quem quæris?]

Iterū eam reuocat à fletu, id quod & Angeli fecerāt. Quid, inquit, ploras in tanto gaudio, quod hodie mundo obuenit? Quem quæris? cum præsto sim? Aperi oculos fidei, & uidebis me: Nihil aliud tibi deest, cū quod fidem nō habes. Absterge igitur lachrymas, habes iam quem quærebas, ego tibi causa sum lachrymarū, quasi mortuus & è monumento sublatus? Verū, quoniam uiuo & adsum, omisso fletu, gaude iam & triumpha, &c. Vides hic iterū, quid Deus agat cū suis, interrogat eam, quasi nesciat quid ploret, quidq; quærat, cum tamen omnia sciret: sic nobis interdum uidetur ignorare nostras & angustias & desideria, cum tamen nihil minus ignoret.

Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, &c.]

Non respondet ad interrogata, sed quasi amore ebria, putat omnes scire quid ipsa doleat. Ob hanc causam non dicit, Quæro Iesum, aut si tu Iesum sustulisti, &c. sed tantū: *Si sustulisti eum, &c.* Sic & duo illi discipuli euntes in Emaus, cum ipsi de Christo solliciti essent, putabant omnes idem facere: Tu solus (inquiūt) peregrinus in Hierusalem, & nescis ea quæ acta sunt. Vide aūt huius mulieris amorē & audaciam, Ioseph nō fuit ausus tollere corpus Iesu, nisi noctu & consensu Pilati: hæc aūt non noctē præstolatur nec Pilatū reueretur, sed audacter promittit: Ego tollam, cum tamen hoc supra uires ipsius esset. Verum hæc est natura amoris. Luc. 24.

Dicit ei Iesus, Maria]

Non se diutius potuit continere Iesus, quin se ostenderet tam studiose quærenti & ardenter amanti: Non enim obliuiscitur misereri Deus. Huius figura præcesit in Ioseph, qui cum aliū se simulasset esse erga fratres suos, tandem compassione uictus, seipsum cōtinere non potuit, quin se ostēderet. Proprio aūt nomine eam compellat, ut uerum appareat, quod dixit de pastore bono: Proprias oues uocat nominatim. Et iterū: Ego cognosco oues meas, etc. Deinde uides, quod Christus potissimum uerbo se indicat & manifestat, alioqui etiamsi præsens sit, non tamen cognoscitur, nisi uerbo se aperiat. Si igitur uis Christum uidere & cognoscere, audi uerbum eius, nam faciem eius hoc tempore uidere non poteris. Psal. 76. Gen. 45. Ioan. 10.

Raboni, quod dicitur magister]

Optima responsio, agnoscere Christum ut magistrum & doctorem,

rem, quandoquidem se uerbo manifestat. Hic uide mutationem de-
Psalm. 76. xteræ excelsi, quàm facile Deus omnem tristitiam auferre potest. Vnum uerbum dixerat, & statim conuersus est dolor magnus in gaudium magnũ, lachrymę doloris in lachrymas amoris. Miram siquidem dulcedinẽ ex uerbo Christi sensit, unde & statim eum agno-
Ioan. 6. uit. Bene igitur Petrus dixit: Domine ad quem ibimus? uerba uitæ æternę habes. Sicut igitur unũ Christi uerbum tantæ fuit efficaciæ, ut Magdalenæ omnem auferret tristitiam, Sic uere unum Dei uerbum fide arreptum, potens est hominem à desperatione præseruare, &c̃.

Discamus exemplo huius mulieris, plorare propter Christi absentiam, desiderare prẽsentiam, amare, quærere, nihil externum formidare, nec aliam consolationẽ admittere, prẽter eam quę à Deo est.

Noli me tangere, nondum enim ascendi, &c.

Ex hoc uerbo colligimus, quod Magdalena non contenta Christum uidisse audisseq; , sed etiam tangere eum cupiebat, id quod con-
Ioan. 12. sueuerat. Sic enim & ante passionem pedes eius unxit & lauit, hæc
Eccle. 24. enim est natura charitatis. Iuxta illud: Qui edunt me, adhuc esurient,
Psalm. 41. &c̃. Sic Dauid: Quemadmodum (inquit) desiderat cerus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Videmus etiam hic ingenium hominis in angustia positi, is non cõtentus est uerbo Domini, sed insuper cupit uidere & habere Deum: quam ob causam Deus uerbo suo externa signa addidit, ut uel sic imbecillitati nostræ condescenderet. Cæterum, quod Christus Magdalenam tam ardenter amantem à cõtactu suo reppulit, durũ uidetur, cum ante passionem suam nullum omnino quantumuis immundum reppulerit. Nunquid igitur alius effectus est Christus post resurrectionẽ, quàm
Matth. 11. prius fuit? Et qui prius benigne omnes ad se inuitarit, nunc etiam sanctissimos à se repellat? Nequaq; . Non auersatur Magdalenam. Quomodo enim ipsi præ alijs diligenti negaret, quod alijs mulieri-
Matth. 28. bus eo ipso die concesserat: Accesserũt (inquit Matthæus) & tenuerunt pedes eius? Nec ad ipsam solum pertinet uerbũ hoc. Imò nec de corporali tactu hic loquitur, id quod patet ex eo, quod subdit: Nondum em̃ ascendi ad Patrẽ meum, quasi postq; ascẽderit, cum in terra posita tangere potuisset. Alio igitur tendit uerbum hoc. Ac primo quidem uere est uerbum gloriæ ac glorioſæ uictoriæ, quasi diceret: Hactenus etiam impij homines uerberibus & sputis me tangere potuerunt, immo & mors ipsa me inuasit, &c̃. Nunc omnibus aduersarijs dico: *Noli me tangere*. Nihil enim amodo in me poterunt. Secundo est uerbum consolationis, quasi diceret. Nunc quidem perfecte mihi iungi desideras, sed frustra, sine ut prius ascẽdam ad Patrẽ, sine ut prius transeat sæculũ hoc: In alio sęculo me plene habebis, interim contenta sis oportet uerbo meo. Nam in hac uita me uisibiliter præsentem non habebis.

Tertio

Tertio hoc uerbo etiam nos docet, quomodo deinceps eum æstimare debeamus, quasi diceret, Hactenus meipsum adeo exinaniui, ut homo factus, inter homines cõuersatus, tangi et uideri potuerim, immo & utero matris concludi: Nunc autem latior effectus sum, quàm ut manibus apprehendi possim. Huc pertinet, quod Paulus ait: Vt possitis comprehendere, quæ sit longitudo, sublimitas, & profundum, &c. Eph.3. Hæc autem longitudo, latitudo, sublimitas, & profunditas Christi, nihil aliud est, quàm quod sedet ad dextram Patris, hoc est, tam late regnum occupat, quàm Pater occupat, estq; eiusdem potentiæ, sapientiæ & maiestatis cum eo.

Docet item hoc uerbo, se deinceps uelle omnium maxime cultu spirituali coli, quasi diceret: Hactenus ante passionem me lauisti, unxisti, mihi corporaliter ministrasti: Nunc alius & perfectior cultus exigitur, internus scilicet & spiritualis, nempe fides, spes, charitas, his me deinceps tangere & comprehendere cura, non manibus corporalibus. Præterea hoc uerbo præostendere uoluit, quod Gentilitas, quæ per Magdalenam (ut supra dictum est) significata est, eum uisura & comprehensura non esset, nisi post ascensionem suam.

Docuit item hoc uerbo, quomodo suos hic tractare uelit, nempe eo modo, quo Magdalenam, cui aliquid quidem consolationis indulsit, sed non quantum ipsa uoluit: Sic in hunc usq; diem agit Deus etiam nobiscum. Demum hoc uerbo monentur omnes impij, ne temere in Christum peccẽt: *Noli (inquit) me tangere.* Durum enim est contra stimulum calcitrare, &c. Act.9.

Nondum enim ascendi ad Patrem meum]

Causam reddit, cur contactũ prohibuit: *Nondum (inquit) ascendi*, hoc est, Nondum credis me ascendisse ad Patrem & Deo æqualem esse, quia adhuc me inter mortuos quæris. Quomodo igitur mihi placere posset externũ tuum obsequium, cum internus cultus tibi desit, fides scilicet? Si uere me colere uis, crede me ad Patrem ascendisse.

Deinde nondum ascendi ad Patrem, hoc est, nec dum Spiritum sanctum misi: sine Spiritu autem sancto, nemo dignus est tangere Christum. Immo sine Spiritu sancto, ne scimus quidem quo modo uere Deus colendus sit. Prius igitur quære Spiritum sanctum, is te docebit, quomodo Christum tangere & colere debeas, immo dignum te faciet, ut audeas Christum tangere.

Sed uade]

Hic iterũ uides, quid cum suis agat, Mariam & uoce & suo conspectu consolatus fuerat: Nunc autem se denuo absondit, ac diutius cum ipso permanere cupientem, abire iubet, & alijs quoq; nunciare quæ ipsi reuelata erant. Sic pius quisq; solius Dei contemplationi inhærere cuperet, ac eius dulcedine perfrui, interim autem Deus

Eccles. 17. eum mittit ad proximum suum: Vnicuique enim Deus mandauit de proximo suo. Cæterum, etsi Dominus Mariæ negauit contactum corporis sui, illico tamen duplicem mercedem perseuerantiæ & lachrymarum illi reddidit. Nam in ea prima uniuersum mulierum genus à mœrore & lachrymis ad lætitiam reuocauit. Quemadmodum enim in Paradyso mulier, quia Diabolo ministrauerat, audiuit in Gen. 3. doloribus se parituram filios: Ita nunc in horto à maledictione liberata, plorare prohibetur. Altera merces est, quia mittitur ad discipulos nuncia, ut hoc Euangelium eis perferret. Et quemadmodum prima mulier nuncium mortis attulit uiro, sic hæc econtra nuncium uitæ & salutis.

Dic ad fratres meos]

Fratres eos nominat. Primò, ut ostendat se ueram carnem, integram totamque humanam naturam habere post resurrectionem, sicut & ante habuit. Secundo, ut det ipsis fiduciam ad se redeundi, qui propter fugam ab ipso poterant formidare plus æquo.

Tertio propter nostram instructionem, ne exaltati despiciamus eos, cum quibus tempore paruitatis nostræ conuersabamur.

Maxime autem hoc cognomine, *Fratres*, indicat suæ resurrectionis communionem. Quid enim hoc aliud est, quàm Apostolos & quotquot per uerbum ipsorum credunt, resurrectionis Christi participes esse? Nam si fratres sumus, oportet & cohæredes esse. Et quid maius meliusque nobis contingere potuisset, quàm ut fratres Christi simus? Hic est autem uerus fructus resurrectionis, &c. Obserua, quod solis his, qui fratres Christi sunt, tam lætum nuncium perfertur. Ad solos enim eos pertinent promissiones Euangelicæ. Quare non est, quod impie uiuentes, de eisdem promissionibus glorientur.

Ascendo ad Patrem meum, & Patrem uestrum]

Sensus est, Dic Apostolis, me per resurrectionem in gaudium & gloriam Dei Patris intrare, me in omnia paterna bona ingredi, & possidere regnum Dei Patris.

Vide autem Emphasim uerborum. Primo magnum est, quod dicit: *Ascendo*. Hoc enim omnes appetimus, sed non omnes scimus ueræ ascensionis uiam. Hinc est, quod & Angelus & homo ascendere cupientes, ceciderunt. Quilibet ipsorum dixit: Ascendo, sed falsò. Solus Christus uere dicere potuit, Ascendo, ideo ipsum secure possumus imitari.

Signanter autem dicit: *Ascendo ad Patrem*. Hoc enim uere est ascendere, Deo appropinquare. Quo magis à Deo recedis, eo magis descendis. Vis ascendere? appropinqua Deo.

Addit:

Addit: *Et Patrem uestrum*, ad consolationem nostram, quasi diceret, Mea passione iam effeci, ut qui meus Pater erat, etiam Pater uester sit. Non igitur est, quod timeamus, si tam potentem habemus Patrem: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Signanter autem dicit: *Patrem meum & uestrum*, cum potuisset dicere, Ascendo ad Patrem nostrum. Verum etsi Deus etiam Pater noster sit, longe tamen aliter Pater noster est, quàm Pater Christi. Ipsius siquidem Pater est secundum naturam: noster autem per adoptionem, ad hoc significandum tam distincte loquitur: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrẽ uestrum*. Obserua, quod ante passionem dicit: Vado ad Patrẽ, hic exprimit, quod etiam noster Pater sit, hic est enim fructus passionis. Addit Deum meum & Deum uestrum: Deum suum nominat, propter humanitatem. Sicut enim sua nobis dedit, sic & nostra assumpsit. Sed quid (inquis) hoc ad nos, quod ipse ascendit? &c. Multum per omnem modum. Hinc enim primo scimus nos habere aduocatum apud Patrem, &c. Secundo speramus etiam nos eo peruenturos, quo Christus ascendit. Caput enim sequentur membra, & ubi fuerit corpus, congregabuntur & Aquilæ. Præterea hinc discimus, quo tendere debeamus, nempe eo, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Obserua autem, quod Christus sicut imminente passione primum dixit: Vado ad patrem, sic post resurrectionem primum dixit, *Ascendo*. Non enim patet aditus ad uitam, nisi post mortem. Nisi enim granum frumenti moriatur, solum & infrugiferum manet

Rom. 8.

1. Ioan. 2.

Matth. 24. Coll. 2.

Ioann. 12.

Venit Maria Magdalena & nunciauit]

Hic iterum uides, quod Deus magnifica sua opera per humiles & abiectos exequitur & perficit, ut ipse solus glorificetur: Quæ infirma sunt mundi accipit, ut confundat fortia. Vide item, quàm diligenter Maria iniunctum Domini mandatum exequitur, nihil amplius responsat, nihil causatur, sed simpliciter uadit & nunciat: Vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Hinc discat quilibet uocationi suæ inseruire, quam potest diligentissime, &c.

1. Cor. 1.

Cum autem esset sero die illo una Sabbatorum]

Hactenus Discipuli tota ille die fuerant in mœrore, tristitia & dubitatione: Nunc autem tandem apparente Christo, omnia hæc tolluntur, & succedunt gaudium & hilaritas. Vide autem hic primo, quid Deus cum suis agat. Summo mane surrexerat Christus, & tamen cum iam sero esset, primum Apostolis apparet, quos tota die dubios reliquerat, quicq; iam desperabant se Christum ea die uisuros.

Sic & nobiscum agit Deus, Mane surgit, immo semper paratus est adiuuare, sed interdum sero uenit, cum omnia uidentur desperata. Iam quantumcunq; sero ueniat, certo tamen uenit ad suos, nec-

Abac.2. eos inconsolatos relinquit. Hinc Propheta monet: Si moram fecerit, expecta eum, quia ueniens ueniet. Deinde, etsi Christus sero quidem uenit, interim tamen tota illa die crebris nunciis discipulorum corda excitat, paulatimq; noctem tristitiæ excutit. Sic primo ue-
Luc.24. niunt & nunciant mulieres, deinde duo Discipuli ab Emaus. Sed & hoc inter Discipulos auditum erat, quod Dominus surrexerat & apparuerat Simoni. Tot tantisq; nunciis Discipulorum corda interim excitabat, etiam antequam ipse ueniret. Sic nobiscum quoq; agit, & si non statim nos liberat à malis, interim tamen, si attendimus, non parua beneficia nobis præstat, quæ quasi nuncij sunt Dominum suo tempore certo uenturum & adiuturum. Præterea ante noctem suos consolatur, ne abundantiori tristitia absorberentur, quandoquidem nox seipsa horroris plena est. Congrue autem tunc primum Apostolis in communi apparuit, cum iam sero esset, quia scilicet non in principio, non in medio, sed in fine & ultima ætate mundi apparuit mũdo saluator. Iam enim uespera est mundi, quam certo sequetur nox & statim. Vide igitur, ne tantillum di-
Ioan.9. ei, quod supereſt, infructuose transire permittas. Hinc Christus: Me oportet operari, dũ dies est, uenit nox, in qua nemo potest operari.

Et fores essent clausæ, ubi erant Discipuli]

Timent adhuc discipuli, quia cor eorum nondum erat Spiritu obsignatum. Postea uero Spiritu reuelato, non solum fores ap-
Act.2. periunt, sed etiam foris Christum publice prædicant, non timentes nec minas nec mortes. Sic nimirũ natura nostra in periculis trepidat,
Rom.5. gratia aũt & charitas per Spiritum sanctum diffusa in cordibus, foras mittit timorem. Vel etiam ideo clauserant fores, quia sermonem inter se habebant, cui neminem alienum interesse uolebant. Vel etiam ideo, ut secretius orare possent, iuxta præceptum Domi-
Matth.6. ni: Intra in cubiculum, & clauso ostio ora Patrem. Vide autem, quid agant discipuli, Tempestas passionis ipsos disperserat, nunc autem statim iterum in unum congregantur. Legerant enim, me-
Eccle.4. lius esse duos simul habitare, quàm unum. Item, Quod frater,
Prou.18. qui adiuuatur à fratre, tanquàm ciuitas firma. Cæterum, sicut pij unitatem & concordiam amant, sic impij discordiam. Addit autem
Luc.24. Lucas, discipulos de Domino Iesu colluctos, ideo & statim eis apparuit. Vbi enim hæc tria sunt, timor, studium concordiæ & sermo pius, ibi Christus prope adest.

Venit Iesus, & stetit in medio eorum]

Matth. 18. Sic enim promiserat: Vbi duo uel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Stetit autem in medio, ut uerus mediator Dei & hominum. Deinde, ut omnes eum uiderent ac con-
Act.17. solationem reciperent. Præterea, ut ostenderet se non longe esse ab

unoquoq;

unoquoq; noſtrum, immo omnibus ex æquo adeſſe, non minus pauperibus, quàm diuitibus: non minus Gentibus, quàm Iudæis. Non enim eſt acceptor perſonarum Deus, ſed in omni gente qui timet eum & mandata eius ſeruat, acceptus eſt illi, id quod ſumme nos conſolatur. Olim in angulo ſtabat Deus, cum in Iudæa tantum eſſet notus, uidebaturq; acceptor perſonarum, nunc autem in medio ſtat. Act. 10. Pſal. 75.

Pax uobis]

Non caſu aut fortuitò hanc ſalutationem attulit uictor mortis Chriſtus, cum primum ingrederetur conuentum Apoſtolorum poſt uictoriam, ſed pro certæ rei ſignificatione. Primo enim quia Apoſtolis dixerat: In quamcunq; domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui, congrue & ipſe hoc ſeruauit. Secundo ſic eos ſalutauit, quia paulo ante dixerat: Pacem relinquo uobis, &c. Quod igitur tunc reliquit, nunc attulit & auxit. Tertio pacem diſcipulis optat, quia pace maxime indigebant, quoniam multipliciter territi & turbati erant, propter præteritam ſcilicet Chriſti paſſionem, propter Iudæorum odium & crudelitatem, & propter proprij cordis dubitationem. Quarto pacem optat, quia pax eſt maximum & optimum bonum, quod omnes appetunt, propter quod etiam agunt omne quod agunt. Iam, ſi etiam externa pax tantum bonum eſt, ut ſine ea nihil ſit dulce, quanto magis pax conſcientiæ, pax cum Deo? Hanc pacem hocq; bonum, ut & nos magnipendamus & quæramus, uel quærere diſcamus, Chriſtus ſic ſuos ſalutauit. Maxime autem Chriſtus hac ſalutatione indicauit & indicare uoluit, fructum paſsionis ſuæ, quia enim pertulerat peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum, & quia chyrographum peccati de medio tulerat, affigens illud cruci, & expolians principatus & poteſtates traduxerat, confidenter palam triumphans in ſemetipſo: congrue diſcipulis dicit: *Pax uobis*. Quaſi diceret, quandoquidem pro uobis mortuus ſum, Ecce Patrem placaui, iam uobis reconciliatus eſt, iam uos amat, iam ſecure poteſtis accedere, & dicere: Pater noſter, qui es in cœlis. Quod igitur Chriſtus in paſsione ſua impetrauit, pacem ſcilicet conſcientiæ noſtræ, hoc nunc uerbo diſtribuit. Dona enim Chriſti nondum propterea mea ſunt, quia impetrata ſunt, hac enim ratione eſſent & Sathanæ, ſed quia uerbo mihi diſtribuuntur, & fide à me accipiuntur. Ex hoc igitur loco uidemus, unde nobis tantum bonum contigerit, ut pacem habeamus cum Deo, nempe non à nobis ipſis, ſed à Chriſto: Per ipſum (inquit) habemus accеſſum ad Patrem. Ipſi igitur accepto feramus, non noſtræ iuſtitiæ aut meritis. Vere igitur magnum eſt à Chriſto audire: *Pax uobis*, alioqui quis non deſperaret de peccatis ſuis, quibus Chriſtum crucifixit, Matth. 10. Ioan. 14. Col. 2. Matth. 6. Eph. 2.

cisixit, nisi ipse diceret, *Pax uobis*? Summa hæc salutatio optime decuit Christum, maxime post resurrectionem suam. Decuit item & Apostolos & omnes Euangelij prȩcones, qui & ipsi uere sunt Angeli, hoc est, nuncij pacis.

Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, &c.]

Luc. 24. Huius causam ponit Lucas. Putabant (inquit) se spiritum uidere, ideo ostendit eis corpus, imò ut idem dicit, palpare eos iussit, ut scirent corpus eum habere. Signãter autem ait: Ostendit manus & latus, ut non solum scirent eum corpus habere, sed idem corpus, quod prius habuerat, & quod in cruce pependerat. Plurimum autem refert, imò tota spes nostra est, scire, quod idem Christus, qui in cruce mortuus est, surrexit & cum eodem corpore: Alioqui, quomodo nos resurrectionẽ sperare possemus, si Christus propriũ suũ corpus non suscitasset? Huc pertinet, quod Paulus diffuse scribit ad Corin-
1. Cor. 15. thios. Fuerunt autem hæretici, quorum aliqui dicebant Christum sine corpore surrexisse, alij cum corpore alio. Vtroscp refellit Christus, quod discipulis ostendit manus & latus. Ob eandem causam non illis apparuit in gloria, nec gloriam corporis ostendit eis (Nihilo
Matth. 17. enim plus eam ferre potuissent, quàm cum transfiguraretur in monte coram eis, ubi omnes in terram cecidisse leguntur) sed uulnera corporis ostendit, ad certitudinem, ut dixi, ueræ resurrectionis. Deinde, signa illa uulnerum dispensatorie in corpore suo seruauit, ceu margaritas quasdam uictoris, & splendida pacis, quam attulerat, ornamenta uel testimonia. Poterat quidem uirtute, qua resurrexit & de uere mortuo corpore uiuum in ueritate reddidit, clauorum & lanceæ penitus extirpare uestigia, sed seruanda erant oculis paternis, decentia filium charitatis & obedientiæ signa, ueneranda nostræ causæ patrocinia, nostricp amoris æterna incitamenta, & horroris impiorum perpetua incendia. Christi enim uulnera & impijs suam incredulitatem exprobrant, pijs spem prębent, omnemcp desperandi causam adimunt, quandoquidem tam insigniter & manifeste Christi amorem ad nos indicant. Spiritualiter autem etiam nunc Christus non cessat nobis ostendere manus suas, hoc est, sancta opera sua: Et latus suum apertum & amore uulneratum, ut & ad amorem & ad pia opera nos excitet.

Gauisi sunt ergo discipuli uiso Domino.]

Quid ni gauderent: Magnum enim est, uidere Dominum. Magnum item est, habere ueram illam pacem. Iam igitur mulier illa par-
Ioan. 16. turiens, Ecclesia scilicet fidelium, per triduum magnis angustijs uexata, nato & resuscitato Domino, incipit obliuisci pressuræ quam pertulit, quemadmodum Christus prædixit. Hic igitur uides fructum passionis Christi, qui est pax & gaudium in Spiritu sancto. Obserua

item,

item, unde gaudeant discipuli, non de diuitijs, non de uanitatibus, sed de uisione Domini. Sicut enim absentia Christi, doloris, sic & præsentia eius gaudij eorum causa fuit. Vides etiam hic, quàm uere dictum sit de Deo: Post tempestatem tranquillum facis, & post fletum gaudium inducis. Tob.3.

Dicit eis iterum, Pax uobis]

Videbat enim eos territos & turbatos itemq; mirantes, ac non se capientes præ gaudio, ut Lucas ait. Deinde ideo iterum impre- Luc.24.
catur pacem, ut sciant non fabulam aut uana uerba fuisse, quod supra de pace inter Deum & hominem facta dixerat, sed certi essent uere Deum reconciliatum. Præterea bis pacem optat, quia & pacem gratiæ, & pacem gloriæ nobis impetrauit & donauit. Postremo hac repetitione pacis, excitare omnes nos uoluit, ad quærendam pacem, quoniam nihil in cordibus hominum suauius, nihil in moribus aptius, nihil in uirtute altius, imò in beatitudine erit pax totum quod possidebimus.

Sicut misit me Pater, & ego mitto uos]

Hoc uerbo rationem reddit, cur bis dixit: *Pax uobis*, nempe, ut insinuaret & pacem se fecisse Apostolis, & pacem per illos mittere nobis. Primum igitur Pax uobis, ad Apostolos pertinet. Secundum ad nos omnesq; credentes. Hinc Paulus: Deus erat (inquit) 2.Cor.5.
in Christo, mundum reconcilians sibi, &c. & posuit in nos uerbum reconciliationis, itemq; dedit nobis ministerium reconciliationis. Legatione enim fungimur pro Deo, &c. Hoc igitur uerbo Christus etiam nostri memor fuit, quasi diceret. Non satis est, quod uos me uidistis, quod pacem adepti estis, non propter uos tantum ueni, ideo etiam alijs prouidendum est. Sicut igitur me misit Pater, ut pacem facerem, sic uos mitto, ut pacem annuncietis. Vbi obserua ineffabilem Dei misericordiam, qui nostri memor fuit, nobisq; doctores & ministros salutis prouidit antequam nati essemus. Deinde hoc uerbo Apostolis dat authoritatem prædicandi. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? ne uiderentur propria authoritate prædicare, quemadmodum pseudo Prophetæ, de quibus dicitur: Ipsi currebant, & non mittebam eos. Denicq; manifeste dat Hier.23.
Apostolis authoritatem prædicandi, ne dubitemus ipsis credere. Præterea hoc uerbo constituit eos dispensatores mysteriorũ & bonorum suorum, ut Paulus ait. Est enim sensus, Impetrata quidem 1.Cor.4.
sunt per me remissio peccatorum, uita, iustitia, cœlum & omnia bona, sed nondum distributa. Vobis itaq; munus distributionis commendo: Ite in orbem uniuersum, prædicate, &c̃. Hoc item uerbo Mar.16.
pulchre Apostolorum officium describit, maxime in eo quod dicit: *Sicut Pater me misit*. Misit autem Pater filium non ad perdendas,

sed

Ioan.3. sed ad saluandas animas: Non ut iudicet mundum, sed ut saluet
Matth.9. mundum. Hinc Christus ait: Non ueni uocare iustos, sed peccatores.
Luc. 19. Item filius hominis uenit quærere & saluum facere quod perierat.
Sic & Apostolos misit ad uocandos peccatores ad pœnitentiam, curandos corpore simul atq; spiritu male habentes, & ut in dispensatione rerum spiritualiū non suam, sed patris uoluntatem perficiant,
Ioan. 6. quemadmodum Christus: Descendi (inquit) de cœlis, non ut faciam uoluntatem meam, sed uoluntatem eius, qui misit me, &c. Demum ex hoc uerbo uidemus etiam, quales esse debeant Apostoli eorumq; successores: *Sicut (inquit) misit me Pater, &c.* Misit autem
Matth. 20. me, non ut mihi ministretur, sed ut ego omnibus ministrem, etiam usq; ad effusionem sanguinis & positionē animæ, sic ego non Dominos, sed seruos uos constituo: Qui maior est uestrum sit uester minister, &c. Misit me, non ut uoluptatibus studeam, sed ut crucifigar, sic ego mitto uos, non ut bellè in hoc mundo uiuatis, sed ut om-
Ioan.15. nibus malis subiiciamini. Mementote igitur sermonis, quem dixi, quod non est seruus maior Domino suo, &c. Denicq; misit me Pater, non ut somnia aut nugas annunciem, sed ut Euangeliū prædicem, sic ego mitto uos, &c.

Cum hoc dixisset, insufflauit]

Nusquàm aliàs hoc legitur Christus fecisse, quàm hic. Vide igitur, quod non sine cæremoniis Apostolos instituit, ut maior eorum autoritas æstimaretur, in quem modum etiam nunc cæremoniæ in ordinibus conferendis obseruantur. Immo & sacerdotes Leuitici
Exod.28. non sine quadam sollennitate instituebantur. Primo enim lauabantur aqua, deinde ariete immolato, eius sanguine dextræ eorum auriculæ ungebantur, &c̄. Vngebantur etiam oleo, &c̄. Christus autem ad ueritatem figuras legis transponens, ministros Ecclesiæ per seipsum perficit: Ipse nanq; consummationis aries est. Perficit autem sanctificationes non unctione olei, sed uera participatione spiritus sui, ad diuiniorem uirtutem & gloriam homines reformans.
Insufflauit autem Christus non tanquam homo, sed tanquam Deus:
Gen.2. & qui in creatione hominis insufflauerat, ut fieret homo in animam uiuentē, nunc idem insufflauit, ut anima uiuētis hominis Spiritum sanctū acciperet, & ad intelligendū scripturas sensum apertum haberet. Cæterum, quod Christus suos afflauit, etiam alia ratione factū est, nempe ut sciamus dona Christi duabus rebus distribui, Verbo scilicet & Sacramento. Ita & hoc loco Apostolis datur Spiritus sanctus uerbo dicentis: Accipite Spiritum sanctum, &c̄. & flatu ceu medio Sacramēto. Eodem modo & remissionē peccatorū, gratiam, immo & corpus suum, nobis distribuit per uerbum & Sacramenta.

Accipite Spiritum sanctum]

Mos

Mos est beneficis, ea quæ nuper acquisierũt, communicare cum charis, & quamuis Christus tunc spiritum futuræ resurrectionis non dederit, spiritum tamen primæ resurrectionis concesit, ut resurgere possimus à peccatis, quæ est resurrectio prima. Obserua autem, quod antecẽ Apostolos emittit, Spiritum sanctum eis dat, ut ostendat, Spiritum sanctum necessarium esse ei, qui Apostolico fungitur officio. Spiritum igitur dat Apostolis, alioqui non intellexissent omnino mysterium Christi, nec alios recte docuissent, nisi Spiritu sancto edocti. Nemo enim potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. 1. Cor. 12. Deinde nunquam potuissent facere quæ Deo placent, nec peccatorum uitare laqueos, nisi superiorem induti uirtutem, ad diuinum robur, animi eorũ firmati essent. Vnde & ad Saulem dicebat Samuel: Insiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in uirum alium. 1. Reg. 9. Huc pertinet quod & Paulus, cum dixisset, Plus omnibus laboraui, statim addidit: Non ego aũt, sed gratia Dei mecum. 1. Cor. 15. Itemq; Isaias: Qui confidunt in Domino, mutabunt (inquit) fortitudinem, &c. Isa. 40. Cæterum, quamuis in die Penthecostes primum perfecte impletum sit illud Propheticum: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, &c̃. Christus tamen etiam nunc Spiritum sanctum dat Apostolis, ut ostendat & se spiritus datorem esse, & hoc facto quasi præludat ad generalem illam Spiritus sancti effusionem, quæ futura erat in proximo. Sic enim & multa alia generaliter se facturum pollicitus est, quę tamen ex parte etiam ante fecit, ut credamus uere ipsum etiam uniuersaliter ea perfecturum. Prędixit, omnes se mortuos suscitaturum: Venit (inquit) hora, ut omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei, &c. Ioel. 2. Hoc autem etiam tunc particulariter ostendit in Lazaro & alijs, quos mortuos suscitauit. Ioan. 5. Prædixit, glorioßissimam futuram sanctorum resurrectionem: Tunc (inquit) fulgebunt iusti sicut sol, &c. quod ut firmiter crederent, præuenit, & hanc gloriam discipulis in transfiguratione ostendit. Matth. 13. Matth. 17. Eodem modo & hic, cum se missurum ad omnes Spiritum sanctum supra dixerit, postquam ad Patrem redierit, primitias tamen pollicitationis & quasi arrabonem nunc discipulis dat. Qui quamuis & prius habuerint Spiritum sanctum (alioqui Christum non secuti essent) tamen nunc perfectius eum accipiunt. Vide autem, quàm potestatiuè loquatur: *Accipite* (inquit) &c. quo uerbo docemur, Spiritum sanctum etiam à Filio procedere. Item, etiam Filium esse largitorem Spiritus sancti. Obserua autem, quod bis dedit Spiritum sanctum: Nunc quidem in remissionem peccatorum, postea autem in distributionem donorum, in die Penthecostes. Item, semel dedit Spiritũ sanctum in terra adhuc positus, quo doceremur diligere proximum: Semel etiam è cœlo dedit Spiritum, quo excitaremur ad dilectionem Dei.

Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis]

Hoc uerbo indicat, quomodo & in quem uſum eis dederit Spiritum ſanctũ hac uice, Nempe in remiſsionẽ peccatorũ, nec pro ipſis Apoſtolis tantũ, ſed ut eundem̃q; remiſsionẽ peccatorum, uerbo prędicationis et Sacramẽtis uerbo annexis diſtribuerẽt. Eſt em̃ ſenſus, quaſi diceret, Ego à Patre impetraui remiſsionẽ peccatorũ, id quod longe omniũ donorũ maximũ eſt. Nã cui remiſſa ſunt
Rom. 5. peccata, is beatus eſt, habet Deũ fauentẽ, habet cõſcientiæ pacẽ, caret omni moleſtia, mortẽ non uidebit, uitã æternã poſsidebit. Quod em̃ iraſcatur Deus hominibus, ex peccato fit: quod homines omni moleſtia, cruce, afflictione, morte afficiãtur, è peccatis naſcitur, quorum autoramenta ſunt crux & mors: Proinde peccato remiſſo, utcunq; adhuc afflictio & mors tumultuentur, nihil tamen incõmodabunt. Vos itaq; eligo & corda ueſtra in uerbum Euangelij Spiritu ſancto obſigno & cõfirmo, ut euntes in mundũ, annuncietis Euangelium hoc de remiſsione peccatorũ omni creaturæ: Imo eam ipſam remiſsionẽ diſtribuatis per uerbũ Euangelij & per Sacramenta, quæ quicũq; à uobis acceperit, tam certus ſit remiſsionis peccatorũ, q̃ſi idem uerbũ ex ore meo audiret. Hinc igit̃ patet, quod quemadmodũ legatus nõ ſuo, ſed mittẽtis uerbo mãdat & agit oĩa: Ita Apoſtolus dicẽs, Ego remitto tibi peccata, uel abſoluo te, nõ ſuũ tibi uerbũ denũciat, ſed Chriſti. Itaq;, ſi uerbo eius credideris, credis Chriſto. Atq; hęc eſt poteſtas & autoritas Apoſtolorũ, cui nulla mũdana poteſtas comparari poteſt: Talis, inq̃, poteſtas, pro qua nũquam ſatis gratias agere poſſumus. Quid em̃ iucũdius auditu? quid magis nobis neceſſarium erat, q̃ hæc poteſtas? De hac poteſtate ſecure gloriamur cõtra Diabolum in cõfeſsione fidei noſtræ, cum dicimus: Credo in ſancta Eccleſia eſſe remiſsionẽ peccatorũ, &c̃. Cæterũ, quamuis Dei proprium opus ſit, remittere peccata, dicũtur tamen etiam Apoſtoli remittere, non ſimpliciter, ſed quia adhibent media, per quæ Deus remittit peccata: Hęc aũt media ſunt uerbũ Dei & Sacramẽta. De quibus mediis
Matth. 28. in Matthęo dicitur: Euntes docete, &c̃. Baptizãtes eos, &c̃. Signanter aũt in hoc uerbo fundatur abſolutio ſacerdotalis (quam nos Sacramentũ Pœnitentiæ dicimus) & ex cõſequenti etiam confeſsio uocalis uel auricularis, quandoquidem certũ eſt ex ſcripturis, nulli, niſi confitenti, remitti peccata, id quod alio loco diffuſius oſtenſum eſt, &c̃. Cęterũ ne quis putet ſe pro ſuo libitu poſſe abſoluere uel remittere peccata & retinere, præmiſit Chriſtus: Accipite Spiritũ ſanctum. Nullus em̃ abſoluendus eſt, niſi quem Spiritus ſanctus abſolui iubet in uerbo Dei. Et his ſolis retinẽda peccata, quos Spiritus nõ abſoluit.

Thomas autem unus ex duodecim, &c.]

Non caſu hoc factum eſt, ut hic diſcipulus abeſſet, ſed diſpenſatione

satione Dei, ut Christus sæpius occasionem haberet apparendi, ac resurrectionis suæ ueritatem ostendendi. Sic Deus etiam nunc quicquid nobiscū agit, siue benefaciendo, siue aduersa immittendo, siue præcipiendo, siue comminando aut prohibendo, &c. ideo facit, ut occasionem habeat nobis benefaciendi. Ob eandem causam, si ex nobisipsis Deum non quærimus, aduersa immittit, ut uel sic cogamur eum quærere, quo occasionem habeat benefaciendi nobis.

Dicunt ei alij discipuli, uidimus Dominum]

Gaudium quod supra ex apparitione Domini perceperunt, nunc etiam Thomæ communicant, id quod ueræ charitatis est.

Non autem exprimunt, quantum consolationis ex uisione Domini perceperint, sed cōtenti dixisse: *Vidimus Dominum*, ipsi cogitandum relinquunt. Non enim deesse potest gaudium & consolatio, ubi Deus uidetur, maxime in ea forma, qua sanctis apparet. Hinc Iob abscondente se Domino, magna tristitia absorbebatur, quæ tamen denuo apparente Domino effugata est: Nunc (inquit) oculus meus uidet te, &c. Iob. 42.

Nisi uidero in manibus eius fixuram, &c.]

Videtur Thomas hic admodum procaciter obsistere nunciantibus Domini resurrectionē, non tamen mirū est. Nam & Apostoli homines fuerūt. Et Petrus ante Christi passionē non minus procaciter Christo obsistebat: Etiam (inquit) si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Matth. 26. Immo, quod Thomas hic facit, etiam alij discipuli fecissent. Nam & ipsi etiam apparēte Domino & cum ipsis loquente, ac ad uidendum & palpandum inuitāte, adhuc putabant se spiritum uidere, nec audebant credere, ut Lucas testatur: Vt interim taceam, quod mulieribus non crediderant, & uerba earū quasi deliramenta spreuerant. Luc. 24. Noli igitur alium temere iudicare, cum uides eum in tentatione succumbere. Tu enim, si hic esses, forsitan maiora perpetrares mala. Cæterum, quemadmodum Euangelistæ multis uerbis descripserunt Petri lapsum, non libidine exprobrandi errati, sed ut doceremur uanam esse carnis præsumptionem: Sic Ioannes hic Thomæ incredulitatem describit, ut uel hinc discamus carnis naturam. Qualis enim Thomas hic fuit, tales sumus omnes ex natura. Nunquam persuaderi possumus, ut credamus, nisi uideamus & tangamus: Soli enim uerbo non credimus. Videmus etiam hic iudicia Dei, quod etiam suos labi permittit, tum ut postea liberati, manum & misericordiam Dei manifestius agnoscant, tum ut alij ex hoc terreantur. Cæterum Thomas etiam Iudaici populi figuram præfert, qui à diebus Apostolorum, qui resurrectionis Dominicæ primi testes fuerunt, dicentes: *Vidimus Dominum* (quod & nunc per os uniuersalis Ecclesiæ dicere non desinunt) pertinaci duritia

resistit, & nisi uiderit, non credit.

Post dies octo iterum erant discipuli intus]

Non relinquit Dominus suos in errore. Sicut enim in passione, Petrum post negationem aspexit, sic & hic Thomam instruit, ut uerum appareat illud Psalmi: Iustus si ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Obserua autem, quod non statim apparet ei Christus, sed octo diebus eum probat. Tandem autem, cum Thomas iam desperare potuisset Christum amplius appariturum, tunc uenit. Sic Deus tunc uel maxime apparet, cum omnia uidentur desperata, interim differt & probat, non tamen deserit in finem. Quod autem ante octauam diem non rediit Christus, docere uoluit, quod quamdiu tempus huius seculi, quod septem diebus circumagitur, durat, non perfecte uidebimus Deum: Cum autem octaua dies illuxerit, tunc uidebimus eum sicuti est, & cessabit omnis dubitatio. Iterum igitur erant discipuli congregati, semel enim experti erant charitatis & concordiæ fructum, & quod Christus tunc uel maxime præsentē se exhibet, ubi in nomine eius congregantur homines, frequentius nunc in unum conueniunt, sperantes Dominum rediturum, nec fefellit eos spes eorum. Quod si & nos fructum concordiæ, & malum seu damnum discordiæ expenderemus, non sic Ecclesiam scinderemus. Erat autem & Thomas cum eis. Semel enim à congregatione discedens, magno seipsum bono priuauerat, nempe uisione Christi. Igitur nunc in congregatione manet, atque ideo Christum uidet.

Pfal. 36.

1. Ioan. 3.

Matth. 18.

Venit Iesus ianuis clausis, &c.]

Ex hoc loco, quo dicitur (*Clausis ianuis*) Christum ad discipulos intrasse, Manichæus concludere uoluit, corpus Christi non uerum, sed fantasticum fuisse: nec consyderat miser, quod Christus iam corpus immortale & glorioſum assumpserat, & quod Ioannes non loquitur de puro homine, sed de omnipotente Filio Dei, qui quoniam de nihilo cuncta creauit, & cūcta, quasi inane & nihilum comparata sunt ei, in potestate sua habet agere quicquid uoluerit, & trahere quippiam quocunq; uoluerit, immo hoc potius mirum esset, si hoc non posset. Sic enim cum uoluit, aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron. Sic cum uoluit, mare cesit Israēlitis, oppressit Ægyptios. Sic Apostolos eduxit è carcere, ut ministri dicerent: Carcerem inuenimus clausum, &c. Quod si potuit corruptibiles & mortales adhuc clauso carcere educere, quid mirum, si ipse ianuis clausis intrauit? Iterum autem stetit Iesus in medio. Hunc enim locum à resurrectione sua elegit, ut supra dictum est, & ab eo tempore non amplius uult latere, sed omnibus præsto esse.

Dan. 4.

Num. 16.

Exod. 14.

Act. 5.

Deinde

Deinde iterum etiam aciam tertio optat eis pacem, tum ut eos certificaret pacem esse factam, hoc enim difficulter credit conscientia afflicta, ideo sæpius repetit. Deinde, ut sciamus summũ bonũ esse pacem. Et ut doceat nos triplicem pacem à Deo petere, Pacem externam, internam & supernam, &c.

Infer digitum tuum huc, & uide manus, &c.]

Statim ad Thomam se conuertit, quia is magis indigebat instructione. Deinde non auersatur eum, quia sciebat eum non ex malitia, sed infirmitate peccasse. Hinc Paulus monet: Tentatio uos non apprehendat, nisi humana. Cur aũt Christus signa clauorũ & lanceæ etiam post resurrectionẽ seruauerit, supra dictum est. Nemo igitur ex hoc suspicetur, quod etiam in nobis maculæ corporũ nostrorum post resurrectionẽ permansurę sint. Immortalitas enim omnes maculas delebit. Scriptum est enim: Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris. Cæterum quod dicit: *Infer digitum tuum huc, &c.* ostendit se nosse absentia, & scire cũ pertinaciter locutus sit. Inuitat ad tactũ, ut uel sic crederet & per tactũ externũ sanaretur uulnus mẽtis in eo, nostraq; fides stabilius firmaretur, ut si alĩs qui Christũ tantũ uiderunt, credere dubitamus, saltẽ huic credamus, qui tetigit. Post fidem enim consubstantialitatis, tota spes nostra in resurrectione Domini consistit. Hinc Paulus: Si confessus fueris Christum, Deo scilicet Patri æqualem, & credideris in corde tuo, quod Deus eum suscitauit à mortuis, saluus eris.

1. Cor. 10.

Matth. 13.

Rom. 10.

Noli esse incredulus, sed fidelis]

Fidem adhibe promissis meis, etiam si tibi impossibilia uideãtur, quandoquidem iam hoc uides, quod incredibile putabas. Hæc aũt est regula omnibus Christianis præfixa, ut non sint increduli, sed fideles. Non absre aũt monet, ne simus increduli. Nam incredulitas nedum tepidos, sed & rebelles facit, id quod pluribus exemplis scripturæ probari posset.

Dominus meus & Deus meus]

Vide Dei mirabilia. Quis credidisset ex tam pertinaci incredulitate, tantã futurã fidem? Sic nemo credidisset latronem saluandum, & Saulum futurũ Apostolum, & tamen utrũq; contigit. De nullo igitur desperandum est, quàm diu hic uiuit. Duo aũt acciderant huic Thomę præter spem. Videbat enim Christum uere resurrexisse. Adhæc, audiebat eum non latere, quæ ipse prius dubitando dixerat, ideo eum & Dominũ & Deum confitetur. Dominũ, quod mortem uicerit: Deum, quod occulta sciret & prænosset. Hæc est aũt uera & perfecta confessio fidei nostræ, non absimilis ei, quam Petrus aliquando fecerat: Tu (inquiens) es Christus filius Dei uiui. Quamuis Thomas clarius omnia exprimat, non solum eum Dominum, sed et

Matth. 16.

Deum confitetur, nec simpliciter, sed Dominū suum & Deum suum. In hoc enim latet uis. Non satis est credere quod Dominus & Deus sit, nisi credas, quod Dominus tuus & Deus tuus sit, hoc est, in ipso confidas, ac omnia bona ab ipso speres.

Beati, qui non uiderunt, & crediderunt]

Tacite uocationem Gentium prædicit, quasi diceret, Quod tu non credideris, alijs credendi occasio erit, Gentes enim credent meam resurrectionem, quam tamen coram oculis non uiderunt. Tanto igitur beatiores erunt, quanto minus uiderunt. Hoc autem uerbum summe nos consolatur, quod scilicet hi qui Christum non uiderunt, & tamen credunt, æquè saluandi sunt ut hi, qui uiderunt. Præterea hoc uerbo præcludit uiam incredulis, ne putent Christum etiam ipsis de nouo appariturum, sicut Thomæ apparuit. Tibi (inquit) hoc datum est, ut tibi apparerem: Alijs non dabitur, sed uerbo contenti sint oportet: *Beati, qui non uiderunt, & crediderunt.*

Multa quidem & alia signa fecit Iesus]

Ac si diceret, De multis apparitionibus, quibus Christus post resurrectionem suam se uiuū ostendit, hæc duo scripsisse sufficiat, quandoquidem in lege scriptum est, Quod duorum hominium testimonium uerum est.

Deut. 19.

Hæc autem scripta sunt, ut credatis, &c.]

In hunc finem omnia tendunt, quæ hactenus scripsit, nimirum ut credamus, nec solum ut Iudæi, sed ut signanter hoc credamus, quod Iesus est Christus ille promissus & Filius Dei, & ut per eam fidem, uitam habeamus. Hinc discamus, quid in Euangelijs & in Christo quærere debemus, nempe non carnalem libertatem, sed uitam æternam. Discamus quomodo uti debeamus signis & miraculis, quæ fecit Christus, nempe, ut fidem per ea confirmemus, ideo enim & facta & scripta sunt. Alia est igitur miraculorum, alia Sacramentorum ratio. Nam miracula uerbi sigilla sunt: Sacramenta autem sunt uerbi instrumenta, quibus bona Christi promissa distribuuntur. Nomen autem Christi, in quo uitam habemus, est Filius Dei, redemptio, uita, sanctificatio, iustitia, quorum omnium uere sit particeps quisquis per fidem membrum Christi fuerit effectus.

CAPVT

CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

IN hoc capite, ne quis forte contentioſus auditor, duobus teſtibus non contentus, maiora & plura requirat, diligens ac dilectus Euangeliſta tertium addit teſtimonium Dominicæ reſurrectionis, ut nihil deſit, quia ut ſupra dictū eſt, in ore duorū aut trium teſtium, ſtabit omne uerbū. Et quamuis potuiſſet plura addere, tribus tamen teſtimonijs cōtentus eſt, quibus qui non credit, nec alijs crederet, etiamſi plura adducerentur. Præclarus aūt & auditu dignus eſt huius miraculi ſermo fidelis, quo nedum reſurrectio capitis declaratur, ſed inſuper etiam corporis, id eſt, totius Eccleſiæ reſurrectio præfiguratur. Videautem diligentiam Euangeliſtæ, qui talia de multis, quæ fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorū ſuorum, tria ſigna elegit, quæ in ſuperficie hiſtorica reſurrectionem Domini conteſtando, ſimul etiam mox ſubſecuturā uocationē gentium, & futuram in fine ſæculi ſaluationē reliquiarū Iſraël, & uniuerſalem omnium reſurrectionē myſticè prędicarēt. Nam quod Magdalenæ foris ſtanti apparuit, itemq; diſcipulis poteſtatem remittendi peccata dedit, ad uocationē Gentium pertinet: Quod aūt finaliter etiam incredulo Thomæ apparuit, ad reliquias Iudæorū pertinet, à quibus & ſuo tempore auferetur uelamen. Quod aūt in hoc capite diſcipuli rete plenū piſcibus ad littus trahunt, & ſtatim prandium paratum inueniunt, futuram reſurrectionē præmonſtrat, &c̄. Atq; hæc tria notatu digniſsima ſunt, Vocatio Gentium, Conuerſatio finalis, quamuis ſera Iudæorū, & omnium hominum reſurrectio generalis: hæc nobis Ioannes iuxta reſurrectionem Domini inculcare uoluit. Deut. 19. 2. Cor. 3.

Poſt hæc manifeſtauit ſe iterum Ieſus]

Diuinæ enim bonitati non ſatis eſt, ſemel ſuos uiſitaſſe, ut uerum appareat, quod ſapientia Dei dicit: Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum. Deinde iterum ſe manifeſtat, quia ſupra quidem ueritatem reſurrectionis oſtendit, nunc autem etiam potentiam ſuam oſtendit: Alioqui quid prodeſſet ſcire, Chriſtum uere reſurrexiſſe, niſi ſciremus ei poteſtatem in cœlo & terra datam eſſe, hoc enim nos uel maxime conſolatur. Prouer. 8. Matth. 28.

Erant ſimul Simon Petrus, &c.]

Iterum commendatur charitas & concordia, qua nihil antiquius fuit Apoſtolis. Iterumquè res ipſa declarabit, Chriſtum non deeſſe, ubi ſtudium unitatis & concordiæ uiget. Numerum autem Apoſtolorum non ſolum idcirco Euangeliſta poſuit, quia tantus eſt, ut recte manifeſtatio dici poſsit, quod eis Dominus apparuit:

Verum etiam idcirco, quia septenario numero recte sancta Ecclesia figuratur, utpote congregata uel ordinata sancto septiformi spiritu.

Vado piscari]

Matth.4. Quamuis Petrus à piscatura piscium per Christum euocatus fuerit ad capiendos homines, dixeritq; pro se & alijs: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, &c. bono tamen spiritu nunc ad piscaturam redijt. Non enim est ociandum, sed aut laborandum manibus, aut laborandum in publica functione. Iuxta illud: Qui furabatur, non amplius furetur, magis aũt laboret manibus suis, &c. Nihil igitur contra hoc factũ discipulorum facit, quod Christus dixit: Nemo mittens manum suam ad aratrũ, & aspiciens retro, aptus est regno cœlorum. Non enim retrospexerunt discipuli. Primo, quia artificium illud ex se licitum erat. Secus autem fuisset, si Matthæus ad Theloneum, Zacheus ad Publicanatum, Magdalena ad lasciuiam, latro ad latrocinia, redijssent: hoc esset retrospicere, quia prohibita sunt, hic aũt non. Deinde Apostoli nondum laborabant in ministerio uerbi, immo prohibebantur usq; ad aduentum spiritus. Sedete (inquit) in ciuitate, donec induamini uirtute ex alto. Proinde ne ocientur, redeunt ad laborem manuum, quem dominus præcepit & aduitandum ocium, & ut sit benedictionis instrumentũ: Præterea nec manus à semel arrepto aratro amouent, quamuis enim manibus laborarint, semper tamen præsenti animo Christi uocationem sequi parati erant. Ita licet pro temporis ratione uti opibus, artificijs, potestate, & id genus donis, sed ut cor non apponamus, uolũtati aũt diuinæ obsequamur. Tribus igitur de causis laborandum est. Primo, quia Deus præcepit. Secundo, quia necessitas uitæ huius hoc exigit. Tertio, nè ociemur.

Luc.24.

Luc.9.

Illa nocte nihil prendiderunt]

Tantisper enim labor noster irritus est, dum sine Christo laboramus, & in labore Dominum non uidemus & attendimus. Nam & hæc est causa, cur ferme, qui maximis laboribus præmuntur, alijs multo pauperiores sunt. Non enim in labore Deum uident, non cogitant Deum, non ex fide laborant. Hinc Sapiens monet: In omnibus uijs tuis cogita Dominũ, & ipse diriget gressus tuos. Cæterum, per hunc irritum discipulorum laborẽ in mari, ostenditur frustra eos laborare, qui se totos huic mundo dant, ac in fluctibus huius maris luctantes, cœlestis patriæ obliuiscuntur. Hinc Dauid de huiusmodi: Dormierunt (inquit) somnũ suum, & nihil inuenerunt diuitiarum in manibus suis. Et ipsi impij in inferno clamant: Quid nobis profuit superbia, &c. Transierunt omnia uelut umbra.

Prou.3.

Psal.75.

Sap.5.

Mane autem facto, stetit Iesus in littore]

Supra

Supra apparuisse legitur timidis & lugentibus, hic apparet laborantibus, ad consolationem nostram, ne labore frangamur, cum audiamus Christum laborantibus astare. Sicut autem nox tentationem significat, sic mane uel dies significat diuinam consolationem. Iuxta illud: Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinū lætitia. Pſal. 29. Permittit igitur Deus electos suos in nocte huius sæculi, hoc est, uitæ præsentis, quæ tribulationibus, culpis & miserijs plena est, multipliciter affligi & sudare, ut tandem quietem sortiti plenius iocundentur. Iuxta illud: Lętati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, &c. Pſal. 89. Mane autem facto, hoc est, consummato huius uitæ cursu, apparet Christus taliter laborantibus, educitq; eos de hoc mari magno & spacioso, ad portum securitatis æternæ, ubi uerus sol incessabiliter oritur, nec dies tendit ad occasum aliquando, nec aliquod flagellum Pſal. 90. appropinquabit tabernaculo iustorum. Ad literam autem stetit Iesus in littore, nō super aquæ fluenta, quia uolebat discipulos suos paulatim ad suam cognitionem perducere. Si autem stetisset super aquam, obstupefacti fuissent & territi, æstimassentq; se phantasma uidere, quod & ante fecerunt. Mystice uero stetit in littore, ad insinuādum, Matth. 14. quod amplius non erat cum eis in aquis tribulationum, & fluctibus huius mortalis uitæ, sed ad impassibilem tranquillamq; uitam resuscitatus consisteret.

Et non cognouerunt, quod Iesus esset]

Partim propter distantiam loci, partim propter dubiam adhuc lucem: Maxime autem, quia nolebat adhuc cognosci Christus.

Sic & nobis sæpe adest Christus, et tamen non cognoscitur. Hinc Israēlitis improperatur: Cognouit bos possessorem suum, Israēl autem me non cognouit, &c. Itemq; Cyro regi: Exaltaui (inquit) te, Isa. 45. & non cognouisti me.

Pueri nunquid pulmentarium habetis?]

Pueros eos nominat, non propter ætatem, sed propter puritatem, simplicitatem, & innocentiam, quo modo & Paulus dicit: Malitia paruuli estote non sensu. Deinde hoc uerbo allusit ad illud Isaię: Isa. 8. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi in signum & portentum. Cęterū sicut Magdalenæ apparuit in specie hortulani, sic nunc Apostolis ad mare apparet in specie emere uolentis. Ideo quærit, Num habeant quod ad esum uendere possint: Qualis enim quisq; est, talis ei apparet aut uidetur Deus. Hinc Dauid de Deo: Cum sancto (inquit) sanctus eris, &c. 1. Cor. 14. Pſal. 17.

Mittite in dextram, & inuenietis]

Hoc uerbo docet, quomodo laborandum sit, ut fructus sequatur, nempe, ut ad dextram, hoc est, ad spiritualia tendamus. Nihil enim

enim aliud impedit fructum laboris nostri, quàm quod plus æquo ad sinistram tendimus, hoc est, ad temporalia, quæ per sinistram
Pro.3. intelliguntur. Iuxta illud: In sinistra eius diuitiæ & gloria. Quod igitur Christus hic dicit: *Mittite in dexteram, &c.* eundem sensum habet cum eo, quod alibi docuit: Primum quærite regnum Dei &
Matth.6. iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

Miserunt, & iam non ualebant illud trahere]

Vides quid possit uerbū Dei, item quid possit obedientia, itemq; quàm non infructuosus sit labor noster, si ad dextram tendamus. Hoc enim facto nobis declaratum est, ut certi fiamus benedictionem Domini fortunare, quicquid ex fide in uerbum Dei agamus. Simile
Luc. 5. huic miraculum etiam in Luca habemus.

Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro]

Omnes capiunt, omnes mirantur, nullus tamen ex hoc agnoscit Dominum, nisi Ioannes, id quod & nunc fit etiam nobiscum, Nec mirum, Deum nemo cognoscit in operibus suis, nisi Ioannes, hoc est, in quo est gratia, Ergo igitur, quia magnus ille puerorum suorum appellator, tam ueraciter prophetauerat: Mittite, & inuenietis, in mentem discipulo huic uenit, quod dominus esset. Hoc autem Petro dixit præ omnibus, quem gauisurum sciebat præ omnibus. Bene autem, quia cito acquieuerunt ei præcipienti, statim etiam cognouerunt eum. Obserua autem, quod non dicit, Iesus est, sed: Dominus est, & non noster uel quorūcunq; diffinite, sed indiffinite: Dominus (inquit) est. Cur enim suum particulariter Dominum diceret, qui sic in præsentiarum palam fecerat, quod etiam maris Dominus esset, immo & stando in immortalitatis littore probauit, quod mortis uictor & uitę dominator existeret. Ex hoc autem uerbo discamus, non nobis, sed Deo fructum laboris nostri ascribere: Dominus (inquit) est. Non noster labor hoc efficit, sed Dei beneficen-
Psalm. 43. tia. Sic Dauid ait: Non in arcu meo sperabo, nec enim gladius meus saluabit me. Et iterum: Nisi Dominus ædificauerit domum, in-
Psalm.126. uanum laborauerunt qui ædificant eam. Hinc & Petrus: Quid nos
Act 3. intuemini, quasi nostra uirtute fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, &c. hoc fecit per Iesum, &c̄.

Petrus cum audisset quia Dominus est, &c.]

Vno uerbo admonitus ad Christum properat, unde constat, non frustraneam aut inutilem esse externam & uocalem prædicationem. Hic autem uide naturam charitatis, non expectat socium, non timet periculum, cupit quidem alios sequi, sed propter tarde sequentes ipse morari minime uult. Nusquam enim maius periculum in mora, quàm dum ad Christum properamus: Nescimus enim

quamdiu

quam diu tempus currendi habebimus. Quilibet igitur summo studio festinet, nec curet, si alios uiderit cessantes: Fugite de Babylone, & saluet unusquisque animam suam, ait scriptura. Charitatis quidem est, etiam alios ad Christum trahere, sed propter alios nemo seipsum negligat. Pastoris item est, exemplo Petri plus alijs festinare ad Christum, ut uel sic sequi incipiant. Hier 51.

Misit se in mare]

Primo tunica succinxit se. Noluit enim nudus coram Christo apparere. Væ enim ei, qui in conspectu Domini nudus apparet. Hinc cuidam dicitur: Suadeo tibi emere à me aurum, &c. ut locuples fias, & uestibus albis induaris, ne appareat confusio nuditatis tuæ. Apo. 3.

Deinde in mare se misit. Agnito enim Christo, nullum periculum timetur. Cæterum, mare umbram habet omnium afflictionum. Nam ut mare non fert natura sua hominem, nisi nauigio, ratibus aut alijs rebus corporalibus suffultum: Ita nemo potest in afflictionibus perdurare, nisi præsidio aliquo constet. Est autem humanum præsidiū admodum fallax & euanidum. Nam ut in mari non liberamur orta tempestate per nauigium & rates, quibus uehimur, propterea quod pręmagno procellarum turbine carina ac tota nauis structura disrumpatur: Ita reuelato Dei iudicio, in afflictione nullus liberatur, si humano solus præsidio innixus fuerit. Sic enim Dauid canit: Non saluatur rex per multam uirtutem, &c. Fallax equus ad salutem, &c. Et Isaias: Ægyptus homo & non Deus: Et equi eorum caro, & non spiritus, &c. Proinde, ut possis citra iacturam mare afflictionum calcare, eodem tibi opus erit nauigio, quo Petrus supra mare ambulat. Ad Christum non submersus uenit, sola fide pro nauigio uectus, ita si fide in Christum aut uerbum Dei in afflictionibus uersemur, illæsi ex omnibus malis enauigabimus. Hoc nauigio penetrarunt Israëlitæ per mare rubrum, &c. Hinc Ioannes ait: Hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra. Psal. 32. Isa. 31. 1. Ioan. 5.

Alij autem nauigio uenerunt]

Diuersis medijs ad Christum uenitur, alius egregijs donis, alius uili artificio, quod coram mundo usq; adeo contemptum apparet, ut nec donum iudicetur. Sic Petrus ad Christum uenit, sed miraculo & dono in oculis mundi admirando. Alij discipuli cōmuni medio ad Christum nauigant, non tamē minus perueniunt ad eum quàm Petrus. Non enim refert quibus donis, sed qua fide Christum accedas: Tantum curemus, ut per id quod accepimus, ad Christum properemus. Quod autem subditur: Non longe erant à terra, consolatio nostra est, ut sciamus non longe nos esse à portu, etiamsi in medijs etiamnum fluctibus luctemur.

Vt

Vt descenderunt in terram, uident prunas]

Multa miracula in hac manifestatione fiunt. Primum, quod tantam multitudinē piscium comprehendunt. Secundum, quod rete non scinditur. Tertiū, quod Petrus supra mare ambulat. Quartum, quod citra cuiusuis hominis operam inueniunt paratas epulas.

Hæc autem non solum ad resurrectionis manifestationem facta sunt, uerum etiam ut doceremur, quid fructus & emolumenti è fidei labore prouenìat. Ex hoc igitur loco uidemus, temporalia præsidia, & uictualia non deesse, nec unquam defutura his, qui diligenter uocationem suam sequuntur, & è fide laborant. Hoc idem uidemus in Israëlitis, qui dum uocationem suam sequerentur per desertum, & manna de cœlo, & coturnices uento adductas, & aquam è petra acceperunt. Sic Moyses uocationem Domini in montem sequens, quadraginta diebus nec pane nec aqua, sed uerbo Dei alitus fuit. Helias uocationē Domini sequens, à coruo, alioquì aue rapaci, pastus est. Omnia hæc ad consolationem nostram scripta sunt.

Exod. 15. & 16.

3. Reg. 17.

Afferte de piscibus quos prendidistis]

Non ait, Quos ego prendere uos feci. Sic enim & aliàs solet spiritus in scriptura, nobis opera ascribere, non ut hinc nobis placeamus, sed in officio contineamur. Cæterum, quamuis epulas iam paratas à Christo inueniunt, iubentur tamen afferre de piscibus, &c. Vult enim Deus opera nostra coniungi suis, ut simus cooperatores Dei. Deinde poterat omnes saturare de pisce superposito prunis, uoluit tamen ut de piscibus captis afferrent, quia dum aliunde habemus aut habere possumus, non debemus ad miracula confugere, nec supernaturalia efflagitare præsidia. Hoc enim esset Deum tentare. Vel ideo iubet afferre de piscibus, ut ex numero piscium, miraculum conspectius fiat, sicq; utrinq; confirmarentur Apostolorum animi, ex multitudine scilicet piscium, quos ceperant, & ex præparato cibo, quem in littore inuenerant.

Ascendit Simon Petrus, & traxit rete, &c.]

Prius summo studio è mare properauit ad Christum, nunc denuo remittitur ad mare. Sic nobiscum agit Deus, ex una tentatione nos eripit, & interim ne torpescamus, in aliam nos conncit, ut & inde nos liberet. Militia enim est uita hominis super terram, &c. Numerus autem piscium exprimitur ad declarationem miraculi, itemq; propter mysterium, ut infra patebit. Sed nec illud miraculum tacetur, quod tot & tantis piscibus non fuit scissum rete, quod tamen aliàs ruptū legitur in prima captura: Verū & hoc mysterio non caret.

Iob. 7.

Luc. 5

Venite, prandete, &c.]

Peracto labore & obedientia, uocat eos ad prandium. Apposuit autem

autem & panem & piscem. Panis ipse est Christus, qui in Euangelio loquitur: Ego sum panis uiuus. Piscis, qui sub aqua uiuit, tribulationem significat. Hæc enim duo sic commiscet Deus, ut nunc quidem consolationem, nunc tribulationem habeant pij, nec unquam uel panem solum uel piscē solum apponit. Ita enim consolatur pios, ut tamen non omnino ab omnibus malis liberi sint. Et ita eos in tribulationem conijcit, ut tamen non desit panis consolationis. Ioan. 6.

Hoc iam tertio manifestauit se Iesus, &c.]

Ex hoc uerbo patet, quod Ioannis intentio fuit, legitimo testium numero auditorem Euangelij confirmare in fide resurrectionis Iesu Christi: In ore enim duorum uel trium testium, stat omne uerbum secundum legem. Ideo priori capite duo testimonia posuit, nunc in hoc capite propter contentiosos addidit tertium. Et quia qui his tribus non credit, nec multis alijs crederet, si conscriberentur. Ideo contentus est hæc tria testimonia posuisse, atq; hoc uerbo concludit, Hoc iam tertio, &c̄. Deut. 19.

ALLEGORIA.

huius historiæ.

MAre est mundus hic. Apostoli prædicatores sunt. Horum princeps Petrus, cui prima cura demandata est, dicit & dicere debet: Vado piscari, hoc enim eius officium est. Aliorum autem est, ut dicant: Venimus & nos tecum. Exeuntibus autem necessaria est nauicula & rete: Nauicula Ecclesia est, Rete uerbum Dei.

Piscaturi deinde cum Petro tunicam deponant, ut ab omni temporalium cura nudi sint. Quantumcunq; autem habeant & nauiculam & rete, insuper & succincti sint ad opus, sine tamen Christo nihil capiunt. Interim Christus è cælo clamat, ac pisces ab eis exigit, hic enim cibus eius est, ut animæ saluentur: Pueri nunquid pulmentarium habetis? &c̄. Frustra autem laborantibus dicit, ut in dexteram mittant rete, hoc est, ad electos. Bis enim Apostoli leguntur retia laxasse. Et primo quidem simpliciter dixit: Laxate retia, &c. Vnde & tunc quidem magnam piscium multitudinem ceperunt, sed sine numero, nec ibidem expressum est, magni ne an parui fuerint. Denicq; qualescunq; fuerunt, certe ruperunt rete: Hic autem ad dextram mittere iubentur, & solos magnos pisces capiunt & numeratos, qui tamen rete non ruperunt Ioan. 4. Luc. 5.

Prima piscatio ad omnes pertinet, tam bonos quàm malos, quorum plericq; parui admodum & lubrici sunt, alij rete, unitatem scilicet fidei & uerbi Dei scindunt, alij etiam permanentes finaliter ejiciuntur, ut in Matthæo dicitur: Hæc autem piscatio ad solos electos pertinet. Hi enim pertinent ad dextram, & omnes magni sunt apud Matth. 13.

Deum, quantumuis parui apud mundum uideantur. Deinde omnes numerati sunt: Eorum enim qui saluandi sunt, nomina scripta
Lucæ 10. sunt in libro uitæ. Signanter autem sub tribus illis numeris continentur, quorum centenarius significat obseruationem mandatorum, quinquagenarius remissionem peccatorum, ternarius autem fidei, spei, & charitatis obseruationem. Piscibus igitur captis, restat, ut ad portum festinent & littus. Huc igitur aliqui per medios fluctus contendunt, hoc est, per martyrium: Alij quiete in nauicula ueniunt, qui scilicet in pace requiescunt & obdormiũt. Ita tamen ad portum contendere debent, ut & pisces captos secum adducant. Hinc eis dicitur: Afferte de piscibus, &c̃. Appropinquantes littori, primo uidebunt Christum astantẽ & conuiuium æternum paratum, iuxta
Matth. 25. illud: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c̃. Illic primo ad gloriam ipsorũ cedet, quod tot pisces ceperunt, & eam gloriam ipsis concedet Dominus, quamquam ipse pisces ceperit, non illi. Deinde audient: Venite, prandete. Edent enim et bibent super mensam
Lucæ 22. Matth. 25. eius in regno suo. Et audiet seruus fidelis: Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui. Apponetur aũt eis & panis & piscis assus. Panis est dulcedo diuinę uisionis: Piscis assus natura est filij hominis excocta igni passionis. Vtrumq; accipient, quia utriusq; uisione naturæ reficiet consortes regni sui. Tunc non opus erit interrogare,
1. Cor. 13. quis sit. Scient enim quia Iesus est, & perfecte cognoscent, quod nunc ex parte cognoscunt.

Cum ergo prandi essent, dixit Simoni Petro.

Simoni Petro nescienti, quid per eum Dominus fecisset, in eo, quod tunica succinxit se, & misit se in mare, itemq;, quod ad iussum eius ascendit, & traxit rete plenum piscibus: Nesciente, inquam, actus sui mysterium, uel quid sibi uellet talis tripliciter distinctus numerus piscium, ipse Dominus & magister, qui hæc disposuit, nunc aperire incipit. Et primo quidem, quod tertio pastoris illi officium iniungit, archanam piscium causam respicit. Deinde dicendo, Cum esses iunior, cingebas te, &c. prænunciat, quid cingendo se, licet nesciens, præfiguraverit. In eo autem, quod nunc agnos, nunc oues Petro commendat, & alterum eorum bis dicit, triplicem illam piscium distinctionem suboſtendere noluit.

Petrum autem potissimum alloquitur, eiq; oues suas specialiter commendat, ut memoriam abnegationis penitus ex animo eius aboleret, quia enim grauius, quàm alij lapsus erat, & obstinatius Christum negauerat, opus habebat peculiari commendatione, ne recordatione abnegationis, putaret communem Apostolatus commendationem nihil ad se pertinere.

Deinde etiam ideo potissimum ad Petrum hæc loquitur, quia primus

mus & præcipuus erat inter discipulos. Vnde & peculiari quodam modo præ alijs cura ei pastoralis iniungenda erat. Quod autem Petrus maior fuerit alijs Apostolis, ex pluribus patet. Primo ex eò, quod ad primum statim conspectum Christus ei nomen mutauit: Mutatio autem nominis, semper magnum aliquod mysterium præ se fert. Deinde, quod quamuis non primus fuerit in uocatione (Nam Andræas prior Christum secutus est) ab omnibus tamen Euangelistis in numero Apostolorum primo semper ponitur. Huc pertinet quod ipsi dictũ est: Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam, &c. Item, Ego pro te rogaui, ut non deficiat fides tua. Hinc ad Petrum nominatim missæ sunt mulieres ab Angelis, in resurrectione Domini apparentibus. Ipse etiam primus monumentum intrauit, &c. Denicq; post ascensionem Domini, plane patuit ab omnibus discipulis, ei concessum fuisse primatũ. Ipse siquidem ad electionem Mathiæ exhortatus est, ipse post acceptum Spiritum sanctum, prædicauit publice, ipse primum miraculum fecit, ipse Ananiam corripuit: De solo ipso legitur, quod umbra sua sanauerit infirmos, de alijs autem tantum, quod per manus Apostolorum fiebant signa, &c. Ipse Diacones eligere persuasit, ipse in Concilio primus sententiam dixit, &c. Quę omnia arguunt in Petro quandam prærogatiuam præ alijs. Merito igitur & nunc peculiariter ei oues cõmendat Christus. Præterea etiam ideo Petrũ alloquitur, ut per eum, quem nouerat, præ cæteris esse ardentioris animi exprimeret alijs Apostolis, eorunq; successoribus specimen ueri perfectiq; pastoris. Sic enim & aliàs solet Petrus esse os Apostolorum, & per hunc audiri uoluit Dominus, quid cæteri quoq; profiterẽtur. Siquidem huius uoce ędita totius Ecclesiæ professio, iam pridem promeruerat sponsionẽ clauium regni cœlestis. Itidem & nunc huius uoce uoluit ædi erga summæ se charitatis professionem, ut per unum cæteri cognoscerẽt, quales ad curã dominici gregis debeant accedere. Ioan. 1. Matth. 10. Matth. 16. Lucæ 22. Act. 1. Act. 2. Act. 15. Matth. 16.

Simon Ioannis diligis me plus his?]

Opportune satis antiquo eum nomine, addito etiam Patris nomine, compellat, tum ut admoneret eum pristinæ humilitatis, ac doceret ea quę nunc accepturus erat, non ex natura, sed ex gratia habere, ne aliquando superbiret: tum etiam ideo sic eum nominat, ut uel sic & ipsum & successores eius admoneret officij sui, quod est obedientem esse gratiæ, id quod hæc duo nomina pre se ferunt: Simon enim obediens, Ioannes gratia est. Hæc autem duo alte infixa esse debẽt animis pastorũ, ut & proprię humilitatis & suscepti officij memores sint semper, sic em̃ nunq; superbient, sed nec segnes efficiẽtur. Interrogat aũt eũ Christus nõ de diuitijs, aut generis nobilitate, quæ nihil ad rem faciũt, nec interrogat de scientia, quę in pastore quidem requiritur, uerũ nõ sola, sed tantũ interrogat de charitate: Hęc enim

tuel maxime neceſſaria eſt ei, qui paſcēdas oues rationales ſuſcipit. Signanter aūt addit: Diligis me plus his? Non uulgarē em̄ ab ipſo charitatem exigit, tum quia Petrus ingentia de ſe ipſo promiſerat: Et ſi omnes (inquit) ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Deinde etiam ideo maiorem ab ipſo dilectionem exigit, quia plura ei remiſerat peccata: Cui autem multum remittitur, multum etiam diligere debet. Potiſsimū autem ideo dicit: *Diligis me plus his?* ut oſtenderet ſummam dilectionē exigi & requiri in paſtore. Huc pertinet, q̄ in ueteri lege filijs Iſraēl contendentibus de ſacerdotio, ſolus ille à Deo pronunciatur ſacerdos, cuius uirga in tabernaculo poſita flores & frondes & fructus proferret, id quod ſoli Aaroni contigit. Is igitur paſtoris nomine & officio dignus eſt, cuius fides & charitas non eſt infructuoſa, ſed germinat & folia uerborum, & fructum bonorū operum. Summa, nullus bene præerit ouibus Chriſti, niſi impenſe & ardenter diligat Chriſtum. Docet igitur Chriſtus hoc uerbo, quales aſſumendi ſint ad officium paſtoratus, non qui nobiliores aut ditiores ſunt, ſed qui meliores & magis diligant. Ter autē interrogat Chriſtus, num ſe diligat plus quàm alij. Primo, quia ter negauerat Chriſtum. Deinde, quia tria requiruntur ad amorem Dei, ut ſcilicet diligatur toto corde, tota mente, tota anima. Tria item pertinent ad dilectionem proximi, ut diligatur affectuoſe, diſcrete, odinate. Præterea etiam ideo non ſemel, ſed tertio hoc quærit, ad oſtendendum, quod ſæpe & diligenter diſcutiendi ſunt, qui ad regimen Eccleſiæ aſſumuntur. Demum ideo toties dilectionem ſtipulatur, ſciebat enim exorituros, qui non amore Ieſu, ſed ſui commodi gratia curam animarū ſuſciperent, immo arriperent, qui pro paſtoribus agerent Tyrannos & prædones. Hos autem Chriſtus hoc uerbo corripit, &c.

Luc. 7.

Num. 17.

Domine tu ſcis, quia amo te]

Optima & uere Chriſtiana reſponſio, quam qui uere & ex animo dicere poteſt, hic uere beatus eſt. Vide autem modeſtiam Petri. Non dicit ſicut Helias: Relictus ſum ego ſolus, &c. Nec dicit, Diligo plus his. Hoc enim eſſet temere aliorum conſcientias iudicare, nec in ſeipſo confidit, id quod ante paſsionem fecerat, ſed iudicio Chriſti ſe committit: *Domine tu ſcis, quia amo te.* Idq; non ſemel, ſed tertio fatetur, ex cauſis ſupra aſsignatis. Quamquam ultimo nonnihil turbatus fuerit, nec mirum. Videbatur enim Dominus toties interrogans, parum aliquid de ipſo ſentire. Et quanquam ſibi conſcius eſſet, quod uehementer Dominum amaret, tamen poſt tam magnifica promiſſa ter abnegatus Dominus faciebat, ut ipſe quoq; ſibi diffideret, timeretq;, ne forte Chriſtus eum iterum caſurum præſciret. Prior em̄ lapſus eum & modeſtiā docuerat, & dedocuerat ſui fiduciā.

3. Reg. 19.

Pasce agnos meos]

Hic tandem ostendit, quibus rebus Petrus testari debeat amorem suum erga Christum. Non enim satis est diligere in corde, nisi & re ipsa dilectionem nostram testemur. Et quamcp omnes Christiani teneantur, dilectionem suam testari obseruatione mandatorum. iuxta illud: Si diligitis me, mandata mea seruate. A Petro tamē eiuscp successoribus, aliud quiddam & maius exigitur, nempe ut pascant. Vide autem Emphasim uerborum. Non dicit, Occide, aut lanam & lac accipe, sed: *Pasce*. Nec dicit, Potestatem in eos exerce Tyrannicam, sed: *Pasce*. Inter uos (inquit) non erit sic, sed qui maior est uestrum, sit minister. Pascere autem primo includit curam, sollicitudinem & laborem, id quod in Iacob Patriarcha præostensum est, qui pastor ouium existens: Nocte (inquit) & die gelu urgebar & æstu, & fugit somnus ab oculis meis, &c. Deinde pascere omnia illa includit, quæ pastores ludæorum apud Ezechielem arguuntur omisisse: Quod infirmum (inquit) fuit non consolidastis, &c. Tertio autem dicit: *Pasce*, ut ostendat magnam se sollicitudinem habere pro ouibus suis, et quàm sollicite uelit eas custodiri, quamcp districte rationem exacturus sit à pastoribus, si negligentes fuerint.

Ioan. 14. Matth. 20. Gen. 31. Ezech. 34.

Deinde ter iubet pascere. Debet enim Prælatus commissas sibi oues pascere prece mentali, instructione uocali, & operatione uitali, immo si opus sit, etiam sustentatione corporali. Quamquam Græci secundo loco non habent, Pasce, sed, ποίμαινε, hoc est, rege non gladio externo, sed uirga pastorali. Pastoris enim est & obedientes pascere, & inobediētes corrigere. Sic Paulus: Vultis (inquit) in uirga ueniam ad uos, an in spiritu mansuetudinis? Sic idem authoritatate pastorali, fornicarium exclusit ab Ecclesia. Obseruandum autem, quod tantum semel iussit regere, bis autem pascere, ne quis de solo regimine glorietur. Obseruādum & hoc, quod primo committit ei agnos pascendos, deinde bis oues, sic enim Græci habent. Agni sunt imperfectiores, quibus adhuc lacte opus est, & horum maior pars est in Ecclesia, & hi signantur per centenarium numerum piscium. Deinde etiam oues commendat, idcp non semel tantum, sed bis, sunt enim in duplici differentia. Aliqui iam aliquantum profecerunt, sed nondum perfecti sunt: hi per quinquagenarium numerū signātur. Alij aūt adeo profecerūt, ut & alios Christo generare possint: hi ternario numero signantur. Non enim admodum multi sunt. Omnes igitur fideles qualescunq; sint, sine personarum acceptione, et incipientes & proficientes & perfecti, Apostolis cōmendati sunt. Hinc Paulus: Sapiētibus & insipientibus debitor sum. Quibus autē comparat fideles suos, ut sciant pastores sibi non esse timendum, nam ouis animal est, quod alterius cura indiget.

1. Cor. 4. 1. Cor. 5. Rom. 1.

Deinde, ut sciant ad quid subditos sibi commissos dirigere debeant, nempe, ut oues sint, hoc est, mites, innocentes, simplices, &c. non rapaces ut lupi, non mordaces ut canes, non fraudulenti ut uulpes, non immundi ut porci, non superbi ut æqui, &c. Obseruandum autem, quod ubiq; addit: *Meas.* Meæ (inquit) sunt, ego sanguine meo eas redemi, ego eas diligo, & pro eis curo. Non igitur eis pro libitu tuo imperabis, pastorem ages, non Dominum. Si ego tibi charus sum, erunt & tibi charæ quas habeo charissimas.

Cum esses iunior, cingebas te, &c.]

Hoc uerbo Christus subindicare uoluit, quid sibi uellet ter iterata dilectionis professio. Qui pro salute gregis Dominici contemnit facultates suas, negligit honores huius mundi, negligit affectus suos, magnum quidem de se synceri amoris affectum præbet: Cæterum, qui pro salute gregis non dubitat uitam suam in discrimen ponere, is absolutæ charitatis certissimum documentum dedit. Id olim facturum Petrum, hoc uerbo prædixit. Magnæ autem gratiæ opus est audire, se in gratia usq; in finem perseueraturum, id quod Petrus hic audiuit. Deinde hoc uerbo etiam genus mortis Petro expressit, nempe crucem. Pulchre autem mutat personas, quamuis enim in prima persona dicat, Alius te cinget & ducet, tamen in secunda persona præmisit, Tu extendes manus tuas, &c̄. quo uerbo promptam ipsius Petri ad moriendum, uoluntatem indicat.

Nec obstat, quod addit: Ducet te, quo tu non uis. Hoc enim non ad spiritum Petri, sed ad eius naturam & carnem refertur, cui mors nunquam adlubescit. Nolle enim mori, carni cognatum est.

Matth. 26. Hunc autem carnis & naturæ affectum, Christus in humeros suos transtulit, ut uinceret (siquidem totum se in nostris sordibus uoluta-uit, ut nos à sordib⁹ liberaret) Itaq; uicit, ut hoc nolle mori, quamuis in carne maneat, nō tamen damnet alioqui damnaturū, nisi uictum esset. Cæterū, sicut Christus hunc affectum uicit, ita & nos eundem affectum uincere & dedit & docuit. Quemadmodum enim infirmus amaram potionem horret quidem & non uult, propter sanitatem tamen recuperādam eam accipit. Vult igitur, & nō uult. Sic & pius uult crucem secundum spiritum, qui promptus est: Non uult autem eam propter carnem, quæ infirma est. Præterea hoc uerbo prædicit Petrum non amplius tam pernicacem futurum, qualis ante passionem fuit. *Cum (inquit) esses iunior,* uidebaris tibi admodum fortis, præsumebas de tuis uiribus, dicens: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Nunc autem cum senueris & Spiritum sanctum acceperis, alius te cinget, &c̄. Dei arbitrio & uoluntati te subijcies, ac ducentem gratiam sequeris, etiam in his, quæ naturæ contraria sunt. Ad hæc, Christus hoc uerbo, metaphora sumpta ab

ætatibus

ætatibus carnalibus, fidei ætates describit. Nam in rebus humanis ita comparatum est, ut pueri suos habeant lusus & iocos. Ætas enim illa pomis ac nucibus, &c. multo facilius in officio obedientiæ continetur, quàm dura & importuna parentū austeritate. Conceduntur uero hæc ludicra, donec grandescant, & labores ferre possint. Nam tunc quo nolunt ducuntur, hic ad literas, ille ad agrum colendum, alius ad artificium manuarium.

Ita & in fidei ætatibus fieri solet. In ueteri Testamento pueritiæ tempus erat, ut Paulus ait: Lex pedagogus noster fuit in Christo. Gal.3. Et iterum: Cum essem paruulus, loquebar ut paruulus, &c̄. Hinc est, 1.Cor.13. quod in ueteri Testamento patres puerilibus rebus educati sunt. Nam præ uita æterna, præ iustitia uera & spirituali, præ regno æterno, nōne puerilia sunt terra Chanaã, iustitia legis, & regnū carnale?

Nouum autem Testamentum senectutis tempus est. Nos enim 1.Cor.10. sumus, in quos fines sæculorum peruenerunt: Hoc autem tempore ducimur ad crucem, quo nolumus. Non enim iam ob oculos nobis ponitur terra Chanaan, regnum corporale & iustitia legis, sed crux. Qui uult me sequi (inquit Christus) tollat crucem suam, &c̄. Hanc Matth.16. igitur ueteris & noui Testamenti differentiam, hoc uerbo Christus insinuauit. Et quod de uniuerso piorum genere dictum est, hoc de singulis intelligi potest. Initio enim fidei ludicris educamur, promissionibus & mercedibus, donec grandescamus, ut possimus crucem ferre. Igitur, qui in fide iam senuit, extendat manus suas, & sinat se duci quo non uult, hoc est, ad crucem, quam natura fugit, & dicat eum Psalmista: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, &c̄. Psal.10. Et iterum: Fiat uoluntas tua. Matth.6.

Hoc autem dixit, significans qua morte, &c.]

Quemadmodum pij clarificant Deum pie uiuendo, quia in sua conuersatione ostendunt, quod Deus sit sanctus & iustus, sanctitatem & iustitiam diligens: sic pro iustitia moriendo, ipsum clarificant, quia testantur Deum tantæ esse ueritatis, dignitatis, bonitatis, ut potius sit moriendum, quàm ab eo ullo modo recedendum. Hinc Paulus: In omni fiducia magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitam, siue per mortem. Mihi enim uiuere Christus est, & Philip.1. mori lucrum.

Sequere me]

Iam Petro uerbis prædixerat, quod crucifigendus esset, nunc idipsum etiam facto præsignat, dum surgit, procedit, ac Petrum sequi iubet. Quasi diceret, Per hanc materialem sequelam, ad quam te moneo, hoc designo, quod spiritualiter imitaturus es me, sustinendo mortem crucis propter iustitiam, sicut & ego. Quemadmodum enim Prophetæ interdum prophetauerunt uerbis, aliquando etiam factis (ut patet de Hieremia, cathenas ligneas in Hie.27.

collo ferente) sic Christus nunc uerbis, nunc factis aliqua prænunciauit. Deinde, quod iam in futuro dixerat, Extendes manus, & alius te unget, &c. hoc nunc in præsenti exprimit: *Sequere me.* Iam (inquit) tempus est. Et quamuis sequela hæc referri possit ad eam, qua discipulus sequitur magistrum, potissimum tamen intelligitur de imitatione charitatis & passionis: Hæc enim duo iam Petro specialiter inculcauerat. Est igitur sensus, Meo exemplo disce diligere oues tibi cõmissas, meo item exemplo disce etiam animam & uitam tuam contemnere, ac in mortem offerre pro ouibus. Se autem ponit in exemplum, & se sequi iubet, ut Petrus uel sic & incitaretur ad charitatem, & confortaretur ad sustinendum crucis supplicium. Quem enim non moueret exemplum Christi, qui tantũ nos dilexit, & tam sponte seipsum pro nobis obtulit? Cæterum hoc uerbo mira quadam suauitate præteritæ concertationis meminit, qua cum dixisset:
Ioan. 13. Quo ego uado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea, Petrus respondit: Quare non possum te sequi modo? &c. Huius, inquam, concertationis nunc benigne Dominus meminit, quasi diceret, Iam de eo quod dixi tibi, Quo ego uado, non potes me modo sequi, tu ter negando ueracem me comprobasti: sup reest, ut nihilominus de eo quod adieci: Sequeris autem postea, meus sermo uerus appareat. Sequere ergo me, hoc est, deinceps paratus eris propter me in carcerem & in mortem ire.

Conuersus Petrus uidit illum discipulum, &c.]

Non reclamat Petrus, non effugium quærit, non obmurmurat, sed contentus est sua uocatione. Interim autem sollicitus est de condiscipulo suo, quem unice diligebat, sciebatq; Domino charum, denicq; quem uidebat iniussum sequi. Cæterum, quod Ioannes noster & hic & aliàs sæpe commemorat, se à Domino dilectum, non ad iactantiam facit, sed ut tanto beneficio gratus existat: & quia dulcissimum sibi erat, hanc Christi dilectionem recolere. Magis igitur est extenuatio sui, & admiratio diuinæ dignationis, cq; iactantia, quandoquidẽ nulla sua merita cõmemorat, sed tantũ Christi dilectionẽ.

Hic autem quid?]

In Petro manifeste se prodit natura carnis. Solet enim caro semper in alienam uocationẽ respicere, & suam negligere, id quod gra-
Gen. 19. uissime in uxore Loth punitum est, ut merito eo exemplo admoneamur, ne semel admota manu ad aratrum retrospiciamus, quemad-
Luc. 9. modum Christus docet.

Sic eum uolo manere, donec ueniam]

Ex hoc uerbo uidemus, quod pro significatione passionis, Petro dixit: Sequere me, alioqui Ioannem non excluisset, qui & ipse, ut discipulum decet, Christum secutus est. Verum non de hac sequela

dixerat

dixerat Christus, sed de imitatione & forma passionis & mortis.

Cæterum, Græci hunc locum legunt conditionaliter: Si eum uelim manere, quid ad te? quasi diceret, Etiam si istum uellem minime mori, quid tu ex hoc emolumenti, quidq; consolationis inde consequereris? Latini autem assertiue legunt, Sic eum uolo manere, hoc est, nolo ut in cruce moriatur, sicut tu. Nec obstat, quod alibi de Ioanne & Iacobo dicitur: Calicem quidem meum bibetis. Quamuis enim Ioannes materiali cruce, uel gladio non occubuerit, uere tamen calicem Domini bibit. Primo, cum sub cruce Domini staret. Deinde, cum à Domitiano in dolium olei feruentis positus est. Matth. 20. Ioan. 19.

Quid ad te?]

Audisti Petre, quæ ad te pertinent, cur aliena quæris? cur diuinæ iustitiæ secreta rimaris? Respice tu in tuam uocationẽ, non alienam, ego de alio curabo. Si is manserit, nec turpi morte occumbat, mihi manserit: Si non manserit, mihi non manserit, quid tua refert?

Optandum esset hanc sententiam omnium mentibus insculptam esse, ut unusquisq; disceret in suam uocationem respicere. Vnde & Paulus: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat aut cadit. Bonum quidem est, etiam proximorũ curam agere. Vnicuiq; enim mandauit Deus de proximo suo. Et secundum Paulum debemus singuli quærere, non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum: Non tamen debemus anxiari uel curiose scrutari, quid Deus ordinauit de proximis nostris, quo ad genus mortis, & quo ad occulta futura. Vnde & alias Apostolis dixit: Non est uestrum nosse tempora uel momenta, &c̃. Et Sapiens: In omnibus operibus Dei, non sis curiosus, sed quæ tibi præcepit cogita. Cæterum non sine magno diuinitatis consilio factũ est, ut hic dilectus discipulus triumphalem proprij Martyrij purpuram non perciperet, alioqui putare quis posset, solos Martyres saluãdos: Nunc aũt uidemus, etiam alteram uitam & uiam nobis patere. Isti enim duo Apostoli, Petrus & Ioannes, præcipuę sanctorũ columnæ sunt, & in altero quidem uitæ actiuæ fortitudo, in altero contemplatiuæ prænitet pulchritudo. Etenim, quod in Martha satagente circa frequens ministerium, & in Maria sedente & audiente uerbum Domini, prefiguratũ est, hoc iam tunc his duobus cœptũ est, dum alteri cura mandatur de pascendis Dominicis ouibus, alter supra pectus Domini recumbens, uerbi incarnati noritia plenius imbuitur. Sic ergo recte sancta Ecclesia rubentes amplectitur Martyrij rosas, ut nihilominus concelebret amica Christo candidæ confessionis lilia. Matth. 20. Rom. 14. Eccles. 17. 1. Cor. 10. Act. 1. Eccles. 3. Luc. 10.

Exijt ergo sermo inter fratres, &c.]

Hoc addit, ut plenius declaret uerbum Christi, ne & à nobis perperam intelligatur. Ideo dicit: Non dixit Iesus, Non moritur. Nemo enim

2. Reg. 14. enim ſententiam mortis euadere poteſt: Omnes morimur, & ſicut aqua dilabimur, &c. Ideo nec Chriſtus ſimpliciter dixit: Sic eum uolo manere, ſed addidit: Donec ueniam, cum ſcilicet per mortem uocaturus ad uitam æternam. Veniet quidem Chriſtus in fine mundi, ſed interim in morte cuiuslibet uenit, & de hoc aduẽtu hic loquit.

Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium, &c.

Hic Ioannes Euangelium ſuum concludit. Ac primo certificat nos de ueritate omniũ quæ in hoc Euangelio audiuimus, & hoc dupliciter. Primo ex perſona ſua. Oſtendit enim ſe teſtem idoneum & fide dignum, tum quia diſcipulus Chriſti fuit, tum quia omnia uidit & audiuit. Dupliciter autem teſtimonium perhibuit ueritati. Primo uiua uoce, deinde ſcriptis. Addit: Et ſcimus, quia uerum eſt teſtimoniũ eius, quo uerbo nos certificat de teſtimonij ueritate. Duo enim ad iuſtum teſtimonium requiruntur. Primo, ut perſona ſit idonea. Secundo, ut uera ſint quæ dicit, utrunq; Ioannes ponit. De perſona eius dubitare non poſſumus, cum is fuerit, quem Ieſus ſpecialiter dilexit, &c. Sed nec de re ipſa dubitare poſſumus, ſcimus enim quia uerum eſt teſtimonium eius, & experti ſumus, nec hactenus quiſquam eum mendacij inſimulare potuit. Reſtat igitur, ut credamus & teſtimonium eius accipiamus fidutialiter.

Sunt & alia multa, quæ fecit Ieſus, &c.

Hoc uerbo rationem reddit, cur non plura ſcripſerit: Non æſtimes (inquit) me omnia ſcripſiſſe, nam plura alia fecit & dixit. Quod autem tam pauca è pluribus ſcripſi, non negligentiæ meæ eſt, ſed difficultatis nimiæ. Si enim ſcribantur per ſingula, nec ipſum mundum arbitror capere poſſe libros, qui ſcribendi eſſent. Hoc autem dupliciter intelligitur. Primo de capacitate intellectus. Totus mundus non poſſet capere, hoc eſt, intelligere, id quod irrefragabiliter uerum eſt. Ecce enim hunc ſolum librum, qui ab hoc diſcipulo ſcriptus eſt, mundus capere non poteſt, & cum unus homo pugillo eum continere queat, uniuerſitas hominum totam myſteriorum eius profunditatem capere non ualet: Quanto magis, ſi uniuerſa conſcriberentur, non caperet mundus? Quod ſi uerbum hoc (Totus mundus capere non poſſet) de externa capacitate intelligamus, Hyperbole eſt, quam figuram ſæpe in ſcripturis inuenimus.

Ideo autem hoc loco hanc Hyperbolen ponit, ut magni æſtimemus & ea quæ de Chriſto dicta, & quæ dicenda ſunt. Deinde, ut excitet, & feruorem quærendi accendat.

Iam, ut Epilogo Euangelium hoc Ioannis claudamus, quinq; nos per ordinem docere uoluit Ioannes in Euangelio. Primum, quod Chriſtus non ſimpliciter exordium ſumpſit ab incarnatione ſua,

sua, sed ab æterno fuit Deus. Huc pertinet: In principio erat uerbum, &c. Secundum, Ille ipse omnipotens Filius Dei, in tempore factus est homo. Huc pertinet: Verbum caro factum est. Tertium, Etsi humilem illam formam serui Christus in se recepit, non tamen cessauit esse Deus, immo mansit quod erat. Huc pertinet, quod etiam in terra positus, Deum tamen se uere ostendit, ut cum dicit: Pater meus usque modo operatur, & ego operor, &c. Ad longum. Ioan. 5.

Quartum, Christus post expletam illam uoluntarie susceptam obedientiam, suam gloriam, quam ad tempus dissimulauerat, resumpsit, immo & humanitas eius super omnia exaltata fuit. Hinc dicit: Ascendo ad Patrem, &c. Quintum, Christus est uerus ille Saluator, & Filius Dei, per quem solum nobis omnia bona prouenerunt. Huc pertinet, quod Ioannes supra dixit: Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Iesus est Christus Filius Dei, & credentes uitam habeatis, &c. Hæc, inquam, sunt, quæ Ioannes in Euangelio suo docere nos uoluit, & uere notatu dignissima sunt. Ideo autem hæc potissimum scribere uoluit. Primo, ut non dubitemus de promissis Christi, cum audiamus eum non solum hominem esse, sed Deum. Ioan. 20.

Secundo, ut eo confidentius accedamus, cum audiamus ipsum non solum Deum esse, sed etiam hominem & fratrem nostrum.

Tertio, ut eo feruentius eum diligamus, quem uidemus tantum charitatis & gratiæ nobis impendisse. Quarto, ut eo promptius obediamus diuinis præceptis, quibus Christus ipse tam prompte obediuit. Quinto, ut eo diligentius eius nos dominio subijciamus, quem scimus habere potestatem in cœlo & in terra. Sexto, ut eo cautius ambulemus, cum sciamus eum etiam iudicē omnium à Deo constitutum. Hæc, inquam, sunt, quæ ex Euangelio Ioannis obseruanda nobis sunt. Quod ut fiat, præstet is, à quo omne datum optimum, &c. Deus, cui laus & imperium in sæcula sæculorum, AMEN.

ANNOTATIONVM F. IOANNIS FERI in Euangelium Ioannis, prius non æditarum, finis.

MOGVNTIAE APVD S. VICTOREM, excudebat Franciscus Behem Typographus.
Anno Domini M. D. L.
Mense Septembri.

Exemplum veri Pelicanum cernis amoris
Qui reficit pullos ipse cruore suos.
Sic amor est Christi, qui nobis sanguine fuso
Restituit uitam ac in cruce regna dedit.

IN EPISTOLAM DIVI IOANNIS PRIOREM, PIAE ET ERVDITÆ, IVXTAQVE DOCTRINAM CATHOLICAM

Enarrationes, Moguntiæ in ſummo Templo pro Concione explicatæ, & in hoc Compendium redactæ, Anno M. D. L.

PER FRATREM IOANNEM Ferum, ſummæ apud Mogunt. Ædis Concionatorem, & Cœnobij Diui Franciſci Guardianum.

I. CORINT. XIII.

Et ſi habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam: Charitatem autem non habuero, nihil ſum.

1. Tim. 1.

Finis Præcepti eſt charitas de corde puro, conſcientia bona & fide non ficta.

I. PET. IIII.

Ante omnia mutuam in uobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.

SEBASTIANVS DEI GRATIA, SANCTAE SEDIS, MOGVNtinæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius & Princeps Elector, &c.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AMPLISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO SEBASTIANO, SANCTÆ *Sedis Moguntinæ Archiepiscopo, Sacri Romani Imperij Principi Electori, & per Germaniam Archicancellario, &c. Principi & Domino suo Colendissimo.*

QVia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis, dicebat olim summus ille Patriarcha, nimirum excusare uolens temeritatem suam, qua & Dominum maiestatis compellare ausus fuerat, & etiamnum audebat. In eundem modum (si tamen inter se tam dissimilia conferre licet) Reuerendissime in Christo Pater & Domine, Colendissime Princeps, etiam mihi Celsitudinem tuam non semel tantum & iterum, uerum tertio quoq; interpellanti, temeritas mea excusanda foret, nisi scirem, me huc ab eadem Reuerendissima Celsitudine tua prouocatum. Cum enim Annotationes meæ, quas in Euangelium Diui Ioannis Apostoli utcunq; congesseram, typis excudi cœpissent, Reuerendissima D. Tua ipso eius æditionis exordio, statim per Typographum nunciare iussit, ut enarrationes quoq; quas eadem ipsa & præsente & audiente, in priorem eiusdem Diui Ioannis Epistolam ante aliquot annos in summa æde Moguntina pro concione declamaueram, eidem Euangelico operi adiungerem. Id quod & libenter & obedienter in eiusdem Celsitudinis tuæ gratiam me facturum recepi, statimq; manus operi admouens, eas ipsas & Germanice & Latine conscribere cœpi, ut & in utraq; lingua iuxta tuæ Celsitudinis uoluntatem excuderentur, & cum fœnore ad eandem redirent. Et quidem, quæ Germanice in eam Epistolam scripseram, iam dudum typis excusa in publicum prodierunt, etiam eisdem (quò ad fieri potuit) uerbis, planeq; ad eum modum, quo à me publice enarrata fuerant, id quod Reuerendissimam D. Tuam facile deprehensuram non dubito, ut quæ eisdem concionibus ferme omnibus interfuerit. Atqui Latinam huius Epistolæ enarrationem, quam Reuerendissima D. Tua uolebat & cupiebat Euangelio Ioannis connecti, coactus fui in compendium & breues tantummodo Annotationes contrahere, propterea, quod uolumen illud Euangelicum præter spem & expectationẽ nostrã in nimiam magnitudinẽ excreuerat, cuius tamen abbreuiationis me à Celsitudine tua ueniam facile impetraturum confido, idq; etiam humillime peto. Cæterum

has ipsas quales quales Annotationes Reuerendissimæ D. Tuæ ceu proprias dedico & dedo, idq; iustissimis è causis. Nam eas dem & iam dudum à me abiectas, tamq; neglectim scriptas, ut ne mihi quidem usui esse possent, sola Celsitudinis tuæ sollicitudo & authoritas ab interitu uindicauit, èq; tenebris ad lucem reduxit, atq; adeo etiam eidem uni & soli accepto ferri debet, si quid usq; & unquam utilitatis ad Lectorem ex eis redire contigerit: ut interim taceam, iustum & æquum fuisse, ut quod in Ecclesia tua Moguntina publicitus docueram, non aliò quàm amplissimi nominis tui auspicio in publicum exiret, quandoquidem experimento didici, Reuerendissimam Celsitudinem tuam in suis lucris deputare, quicquid uel aliquo modo gregis Dominici pietatem uel adiuuare uel excitare potest: Id quod uere est Euangelicũ pastorem agere, Christiq; pastorum omnium Principis exemplum imitari. Quod ad rationem operis attinet, cum in Epistola nuncupatoria Euangelio Ioannis præfixa, meam & temeritatẽ, & inscitiam & infantiam satis excusasse mihi uidear, nihil hic addere collibuit. Præter unum hoc, nempe, quod ueritatẽ rei non lenocinia uerborum quæsiui. Et ueritas etiam seipsa satis pulchra est, nec indiget fuco. Inuenient eruditi apud alios, quibus sese oblectent: Rudioribus & minus eruditis atq; adeo mei similibus hæc scripta sunt. Reuerendissimam Dominationem tuam oro, ut & hanc meam qualemcunq; operam boni consulat, memineritq; me ex eorum numero esse, qui nec aurum nec argentum nec lapides pretiosos, sed caprarum tantum pilos in tabernaculum Domini offerre possunt, quos tamen & ipsos ad expletionẽ tabernaculi Moyses necessarios esse iudicabat. Deus Opt. Max. Reuerendiss. Dominationem tuam diu nobis seruet incolumem, Præsulum decus & ornamentum. Moguntiæ, Prima die Septembris, Anno à Dominica incarnatione supra sesquimillesimum quinquagesimo.

Reuerendiss. Celsitudinis tuæ

Obsequentissimus

Frater Ioannes Petri, sacræ Cathedræ Ecclesiæ Moguntinæ Concionator: nicos almumq; supplens, ordinis Diui Francisci Guardianus.

IN EPISTOLAM DIVI IOANNIS EVANGE-listæ priorem, Prologus.

QVemadmodum uino uendibili non opus esse suspensa hædera prouerbio dicitur, ita nec mea, nec cuiuspiam alterius commendatione indiget hæc Epistola, ut quam uel solum authoris nomen omnibus pijs, atq; adeo toti Ecclesiæ Dei iam dudum & commendatissimam fecerit, & etiammum faciat. A duo enim Ioanne prodijt Epistola, immo potius thesaurus hic, & ab eo Ioanne, qui ab exordio cum Christo fuit, & usq; ad crucem cum Christo perseuerauit: quiq; præ alijs discipulis à Christo dilectus, in nouissima illa cœna etiam super pectus Ioan.13. eius recubuit, è quo & hausisse non dubitatur, quæ postea omnibus credentibus tam largiter effudit. Hic idem Ioannes iam prius ex Euangelio suo ita pijs omnibus cognitus est, ut uel solum nomen ipsius auditum, piũ quenq; merito excitari debeat. Si enim (ut prouerbio dicitur) uni oculato testi plus creditur q; auritis decem, quis non uidet, quanta fides Ioanni huic tribuenda sit, qui coram & Christum uidit, & omnibus per eum gestis dictisq; interfuit? Immo quandoquidem hic idem Ioannes, semel atq; iterum præ alijs Apostolis, cum solo Petro & Iacobo, ad maxima quæq; mysteria à Christo admissus & exhibitus fuit (ut patet Matthæi ix. xvij. & xxvi) nihil non magnum & insigne nobis ab ipso polliceri debemus. Et certe uel solum ipsius Euangelium satis documento esse potest, quid in hac Epistola ab ipso nobis expectandum sit. Quo enim spiritu Euangelium suum scripsit, eodem & Epistolam hanc scripsisse, tam ex rerum in ea contentarum magnitudine, quàm ex uerborum ipsius dulcedine, manifestissime apparet.

Quemadmodum enim in Euangelio, altissime super alios Euangelistas uolitans, maxima quæq;, & quæ magis necessaria uidebantur & sunt, fidei nostræ mysteria aperuit: Ita & in hac Epistola nihil humile aut triuiale, sed ipsam Euangelicæ doctrinæ summam breuissime complectens, plane edocet non tantum quid de Christo credendum et sentiendum, uerum etiam quomodo in Christo & secundum Christum ambulandum & uiuendum sit. A fide enim Epistolam hanc incipit, cum præ fidelium conuersatione eam promouet: In charitate autem concludit: Et hæc omnia non nisi electissimis & reuera cor penetrantibus

uerbis, ut nemo non & lectu dignam, & scitu necessariam hanc Epistolam iudicare possit: maxime hisce temporibus, quæ innumeros nobis & in fide & moribus Christo dignis, errores & scandala, atq; etiam hæreses & schismata cum magno Ecclesiæ totius detrimento & incommodo inuexerunt. Atq; utinam omnibus Christianis ubiuis gentium constitutis, uel una hæc Epistola quám penitissime infigi & inculcari posset, hoc enim ni fiat, altera doctrinæ Christianæ pars (charitas uidelicet, piaq; conuersatio) penitus in obliuionem & contemptum abibit: id quod iam dudum apud plæroſq; heu nimium factum esse, pij omnes deplorant. Quis enim non uidet, quod pro maiori nunc parte, nihil aliud quám uerbotenus Christiani simus? Christum uidelicet ore confitentes, opere autem & tota uita Diabolo seruientes: pro Christianis & Euangelicis nos uenditantes, cum tamen nihil ad Christianum pertinens, præter nudum nomen in nobis conspiciatur. His autem malis & pulchre & efficaciter occurrere ac mederi, uel una hæc Epistola posset. Qua de re diligenter nobis attendenda est. Eam autem in hunc modum exorditurr Diuus Ioannes.

CAPVT PRIMVM

QVOD fuit ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt de uerbo uitæ, & uita manifestata est: & uidimus & testamur & annunciamus uobis uitã æternã, quæ erat apud Patrẽ & apparuit uobis]

Non solum eodem modo, sed ferme etiam eisdem uerbis, Ioannes hanc Epistolam exordiur, quibus & Euangelium suum auspicatus fuerat. Virinq; enim à summo incipit, statimq; omni postposita præfatione rerumquè proponendarum commendatione, nullis prorsus ambagibus auditores suspendens, rem ipsam aggreditur. Illic quidem hunc in modum exorsus: In principio erat uer-
Ioan.1. bum, &c. & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, &c. Hic autem: Quod fuit ab initio, &c. Hæc autem conuenientia exordiorum, plane arguit eundem fuisse & esse authorẽ huius Epistolæ, qui & author fuit eius Euangelij. Immo per hoc exordium Epistolæ, Ioannes ante omnia ad Euangelium suum nos remittere uoluit, ac plane indicare, Epistolam hanc Euangelio suo connecti debere, nec

ullo

ullo modo alterum ab altero seiungendum esse, ne uidelicet ofor aliquis bonorum operum sufficere sibi putet Euangelium Ioannis, nihil autem ad se pertinere, quid postea in Epistolis scripserit, quemadmodum & nunc plærique solam fidei doctrinam amplectuntur, eam autem quæ est charitatis & operum bonorum, omnibus modis quasi nihil ad se pertinentem auersantur & execrantur. Hos autem Ioannes statim hoc Epistolæ suæ exordio retundit, quasi diceret, Ipse ego, cuius nomine Euangelium æditum est, etiam me huius Epistolæ authorem profiteor. Itaque qui in Euangelio meo legis, quid de fide in Dominum Iesum Christum docuerim, legas & hic, quid de charitate & pia Christianorum uita ac conuersatione sentiam. Idem ego utrumque & scripsi & docui, nec est quod quis suspicetur, me nunc de operibus scribentem, alio spiritu dnei quàm cum de fide scriberem, uel certe oblitum esse, quid prius de fide scripserim. Nequaquam, uel ipsum enim huius Epistolæ exordium argumento est, me recenti etiamnum memoria tenere, quem in Euangelio scopum præfixerim. Fidem docui, nunc opera doceo: fidem ut dignum erat præmisi, nunc opera bona necessario substituo. Vtrunque enim ad Christianam Doctrinam pertinet. Et hæc quidem ratio est huius exordij. Simul autem & exemplum prædicatoribus omnibus dare uoluit, quo modo & ordine de charitate & bonis operibus docere debeant, nempe, ut primo omnium fidei fundamentum ponant, nec nisi eo rite posito, ad doctrinam operum transeant, alioqui frustra ædificaturi & laboraturi. Cæterum, quemadmodum Diuus Ioannes non contentus Euangelium suum de fide in Christum scripsisse, eidem Epistolam hanc de charitate & operibus bonis annexuit, ita & diuus Lucas Euangelio suo Acta Apostolorum adiunxit. Præuidebant enim iam tunc sancti Apostoli olim exorituros, qui fidem ab operibus seiungerent, & alterum quidem mordicus tenerent, alterum autem penitus contempturi essent. Hoc, inquam, & præuidebant Apostoli, & præuenire suis scriptis uolebant, sed frustra. Dormientibus enim pastoribus, uenit inimicus, & superseminauit zizania, & tam multa quidem, ut non possint omnia eradicari, sed plæraque diuino iudicio relinquenda & committenda sint. Verum & ipsa Apostoli nostri uerba discutiamus. Breuiter igitur Ioannes paucis his uerbis indicat, non tantum quis sit Christus, sed etiam quid uel quale sit Euangelium nostrum, quid in eo nobis annuncietur, quàm certum & solidum denique, & ad quid nobis utile sit. Primo itaque, Christum nominat uerbum, immo idipsum uerbum, quod ab initio non modo apud Deum, uerum etiam Deus erat. Ideo autem eum nominat uerbum, quod ab æterno è Patris substantia natus sit, cuius & uirtus & sapientia, imago & figura substantiæ.

Act. 1.

Matth. 13.

Ioan. 1.

Heb.1. splendorq; gloriæ est, & quod per ipsum omnia facta sunt. Obser-
ua deinde, quod Ioannes Christum non solum nominat uerbum,
sed uerbum uitæ, propterea, quod & uita & ueritas & lux ab ipso
Ioan.1. profluunt: In ipso (inquit) uita erat, &c. Ioannes igitur primo om-
nium confitetur Christum esse Deum. Deinde per hoc quod adiun-
git, & se & alios Apostolos hoc uerbum uitæ uidisse, audisse & eti-
am manibus contrectasse, plane indicat, Christum non solum Deu-
um, uerum etiam hominem esse. Deus enim uel Dei uerbum ui-
deri & contrectari non potest, nisi in humana natura. Itaq; primo
statim uerbo Ioannes nos docere uoluit, quid de persona Christi
credere debeamus, nempe, quod & æternum illud uerbum Dei sit,
& tamen humanam naturã assumpserit, in qua uideri & contrecta-
ri, immo mori & crucifigi posset. Audiuimus (inquit) eum docen-
tem, uidimus eum & miracula facientem & etiam morientem: Con-
trectauimus eum manibus nostris post ipsius resurrectionem. Cæ-
terum, quod Ioannes hic dicit de uerbo uitæ, non tantum de perso-
na Christi intelligi debet, uerum etiam de toto negocio Christi,
hoc est, de ipsius doctrina, uita, morte, resurrectione & ascensione.
Hæc enim omnia uerbum uitæ nominari possunt & debent, in his
enim uita nostra consistit. Et iuxta hunc sensum etiam Euangelium
nos rum, uerbum uitæ nominari potest. Primo enim non huma-
num, sed uere diuinum uerbum est, uerbum quod & uiuit & uiui-
Heb.4. ficat: Vel (ut Paulus ait) uiuum & efficax est, omniq; gladio ancipiti
penetrabilius, pertingens usq; ad diuisionem animæ & spiritus, &c.
Ioan.6. Sic Christus ipse: Verba (inquit) quæ loquor, spiritus & uita sunt.
Hinc igitur uidemus, quanti Euangelium nostrum nobis æstiman-
dum sit, & quàm longe omnes alias doctrinas præcellat, quinim-
2.Cor.3. mo Paulus etiam legem Moysi, mortuam literam nominat, si ad
Euangelium nostrum conferatur. Nam gentilium scripta cum ea ne
comparari quidem digna sunt. Deinde etiam ideo Euangelium no-
strum nominari potest uerbum uitæ, quia in ipso manifestatur uita,
non tamen quæcunq;, non carnalis illa uel temporalis, sed quæ
apud Deum erat, itemq; ea quam Deus electis suis dat per Christum
& in Christo: Insuper & ea uita, quæ ad Deum nos ducit. Omnia
hæc prius erant abscondita, nunc autem in Euangelio nobis reue-
lata sunt. In Euangelio siquidem uidemus Christum, qui uere uita no
stra est: In Euangelio uidemus, quæ sit uera & æterna uita, ad quam
tendimus: In Euangelio denicq; uidemus, quæ sit illa uita, quæ &
Deo placet, & ad Deum nos ducit, denicq; & quam Deus à nobis
exigit. Atq; hinc uidere licet, quantus thesaurus sit Euangelium no-
strum. Quid non agerent, paterentur, ac expenderent mundani, ut
uitam emere possent: At nobis offertur uita etiam gratis. Plantauc-

rat

rat Deus olim in Paradyso etiam lignum uitæ, quo si homo usus fuisset, poterat perpetuo uiuere: At quia lignum scientiæ boni & mali ligno uitæ prætulit, iuste etiam negatus fuit ei accessus ad lignum uitæ. Deus autem nobis dedit uerbum uitæ, hoc est, Christum, qui uerbum & uita est. Dedit insuper & Euangelium, in quo uera nobis uita annunciatur & offertur. Merito igitur pro hoc tanto bono gratias agimus, Euangeliumq; nostrum omnium hominum uerbis & scriptis præferentes, toto corde amplectimur, audimus, & suscipimus. Vt autem tertio loco etiam uideamus, quàm certum sit Euangelium nostrum, Ioannes tria illa ponit, quæ nulli non fidem faciunt in quacunq; etiam re: Vidimus (inquit) audiuimus, & contrectauimus. Atq; hoc ipsum non semel tantum atq; iterum, sed tertio etiam repetit, ut de certitudine Euangelij nullus dubitare possit. Quàm certo enim Christus est Filius Dei, & uerbum illud uitæ, tàm certum etiam est Euangeliū nostrum. Non, inquam, nouum aliquod uerbum, uel doctrina noua, est Euangelium nostrum, sed est uerbum illud, quod fuit ab initio, quod etiam primo homini in Paradyso prædicatum fuit, dum ei promitteretur per semen mulieris caput Diaboli conterendum. Deinde nec incertum quid, & de quo quis merito dubitare possit, est Euangeliū nostrum, immo tàm certum, ut non audiri tantum, sed etiam uideri & palpari possit: Nec ulla alia scientia, fides, religio aut doctrina, Euangelio nostro in hoc conferri potest. Omnia enim illa testimonio hominum & rationi humanæ innituntur, nostrū autem Euangeliū, fides, religio & doctrina, ipsi Deo atq; adeo summæ & infallibili ueritati innituntur. Sequitur: Gen. 2. Gen. 3. Gen. 3.

Vt & uos societatem habeatis nobiscum]

In omnibus uidelicet bonis illis, quæ per spiritum sanctum accepimus & habemus. Est autem sensus huius uerbi, quæ nos Apostoli hactenus soli habuimus, ea nunc per Euangelium etiam uobis annunciantur & communicantur, nempe, ut nobiscum habeatis eundem Deum, eandem fidem, eundem Baptismum, spiritum, & Christum, qui unus omnibus nobis sufficit. Nos quidem prima corporis ipsius membra, sed non ideo totum corpus sumus: Et futurum est, ut unctio illa, spiritus sancti uidelicet gratia, quæ à Christo capite primum in nos ut proximiora membra defluxit, etiam usq; ad oram uestimenti, hoc est, etiam ad nouissima & infima membra huius mystici corporis defluat. Hoc igitur est cum Apostolis communionem habere & societatem, Et ò uere gloriosam societatem. Quis enim nescit, quam ingentia bona Christus Apostolis suis promiserit: Noli (inquit) timere pusillus grex, quia complacuit patri uestro uobis dare regnum. Et iterum: Ego dispono uobis regnū, sicut dispositit mihi Psal. 132. Luc. 12. Luc. 22.

mihi pater meus, &c. Et in Ioanne, Iterum ueniam ad uos, & assumam uos ad me ipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Et iterum: Pater uolo, ut quos dedisti mihi, sint mecum, &c. Huiusmodi promissionum plena sunt omnia Euangelia. Atqui Ioannes plane asserit, non in alium finem nobis prædicatum esse & etiamnum prædicari Euangelium, quàm ut cum Apostolis omnia hæc communia habeamus. Atq; hinc etiam uidere licet, quid Apostoli prædicando Euangelium quæsierint, solum uidelicet honorem, commodum & salutem nostram, non autem proprium honorem aut commodum. Atq; hoc signo uel nota, etiam adhuc discerni possunt ueri à falsis doctoribus. Apostoli nostri in hunc finem prædicarunt Euangelium, ut conscientiæ consolarẽtur, omnesq; Christiani cum Deo & Ecclesia, hoc est, societate & communione fidelium unirentur & uniti manerent. Itaq; qui doctrinam suam eò dirigit, ut & conscientiæ perplexæ reddantur, & Ecclesia uel communio fidelium scindatur, hominesq; & à Deo & ab ijs quæ diuina sunt abducantur, &c. is profecto Apostolorum spiritu non ducitur. Quis autem non uidet, si secundum hoc iudicetur, quàm multi etiam eorum, qui se Apostolis proximos arbitrantur, olim pro Pseudoprophetis reijciendi sint? In summa, Apostoli iam in hæreditatem bonorum Christi asciti & positi erant, nos tamen etiam in tantæ hæreditatis socios & participes assumpserunt. Sciebant enim nihil ob hoc ipsis decessurum. Hæreditas enim Christi, nihilo minor efficitur, etiam si plures de eadem participant. Hinc igitur est, quod Paulus nobis acclamat: Iam non estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum & domestici Dei, &c. Immo hoc est quod Christus ipse etiam eos beatos dixit, qui etsi non uiderunt, tamen crediderunt: Propterea quod nihil minus habeant, quàm hi habuerunt, qui Christum ipsum uiderunt. Sequitur:

Ioan. 14.
Ioan. 17.
Ephes. 2.
Ioan. 20.

Et societas nostra sit cum Patre, & filio eius Iesu Christo]

Non (inquit) ob id tantum uobis annunciamus Euangelium, ut nobiscum: uerum etiam ut cum Deo Patre & filio eius societatem & communionem habeatis. Cum Deo autem communicare, est, ipsius gratia, fauore, dilectione, & amicitia dignum reputari. Item in fœdere esse, quod Deus nobiscum pepigit. Insuper & omnia bona eius participare, de quibus Petrus ait: Quoniam omnia nobis diuinæ uirtutis, &c. donata sunt. Itemq; maxima illa & preciosa promissa, adeo, ut etiam diuinæ uirtutis participes effecti simus, &c. Vel certe iuxta uerbum Pauli: Cum Deo communionem habere, est ipsius spiritum accepisse, in quo clamamus, Abba, Pater.

2. Pet. 1.
Gal. 3.

Et hæc scribimus, ut gaudeatis, & gaudium uestrum sit plenum]

Non

Non tantum ob id annunciatur nobis Euangelium, ut societatem & communionem habeamus & cum Apostolis & cum Deo: uerum etiam ut perfectum & plenum gaudium consequamur. Ad hoc enim omnia tendunt, ut & conscientiæ pacificentur, & corda exhilarentur. Hanc autem pacem, hoc gaudium nemo consequi potest, nisi & cum Deo & Ecclesia, hoc est, quibuscunq; credentibus, societatem & communionem habeat. Obseruãdum hic, quàm pulchre Ioannes uerum ordinem seruet, in eo, quod primo prædicationem Apostolorum, deinde communionem cum Apostolis, tertio loco, communionem cum Deo, postremo autem gaudium cordis ponit. Sic enim de uno ad aliud nobis ascendendum est. A prædicatione enim Apostolorum susceptа, peruenitur in ipsorum societatem & communionem: Ab eadem autem in societatem & communionem Dei, & ea demum perfectum nobis gaudium affert. Ex hoc autem ordine manifeste colligitur, nullum hominem posse cum Deo societatem habere & communionem, nisi prius societatem habeat cum Apostolis & Ecclesia. Nemo cum Deo concordare potest, qui à proximo suo discordat: Relinque (inquit) munus tuum, Matth. 5.
& uade prius, reconciliare fratri tuo. Cum Christo pacem habere non poteris, si cum Ecclesia illius nõ conuenias. Hoc autem primum contra eos militat, qui se Deo proximos esse putant, cum tamẽ non cessent & seipsos, & alios ab Ecclesia Christi abstrahere. Deinde etiam contra eos, qui sibiipsis gratiam & amicitiã Dei pollicẽtur, cum tamen odio & liuore erga fratres pleni sint. Atqui Ioannes noster aliter docet. Omnia enim eò dirigit, ut & cum Christo, & cum Ecclesia credentium societatem & communionem habeamus. In Exordio igitur huius Epistolæ, Ioannes tria hæc nobis inculcare uoluit. Quod nihil maius aut excellentius sit persona Christi, nihil certius quàm Euangelium nostrum, nihil denicq; beatius Christiano homine. Et quidem summam illam excellentiam Christi probat, quod ab initio, immo ab æterno fuit & est uita & lux. Certitudinem Euangelij probat, quod Ioannes toties repetit & inculcat uerba hæc: Audiuimus, uidimus, contrectauimus, &c. Fœlicitas autem Christiani hominis hinc probatur, quod & cum Deo & Apostolis, atq; adeo cum tota credentium Ecclesia, societatem & communionem habet. Optimo autem & necessario consilio, Ioannes tria hæc statim in exordio inculcare uoluit. Nisi enim magna de Christo sentiamus, nunquam nos illi commendabimus. Et nisi Euangelio firmissime inhæreamus, nunquam conscientiæ pacem consequemur. Denicq; etiam cõminus cogitabimus, quid nobis faciendum sit, si non diligenter prius consyderauerimus, quanta nobis præstiterit Deus. Congrue igitur Ioannes tria hæc præmisit. Sequitur:

Et hæc

Et hæc est annunciatio, quam audiuimus ab eo, & annunciamus uobis, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo nullæ sunt]

Posito fundamento, Ioannes nunc superædificare incipit. Duo autem sunt, quæ huic fundamento fidei superædificare in animo habet, primum est, puritas uel sanctitas uitæ, alterum autem charitas uel dilectio Dei, & prpximi. Et hæc duo per totam hanc Epistolam urget ac persuadere conatur, & id quidem non solum pulcherrimis uerbis, uerum etiam efficacissimis argumentis: Interim tamen fidei & meritorum Christi mentionem subinde interserens, ne uidelicet uideatur fidei oblius, sola opera docere. Non enim est, aut esse uult in eorum numero, qui uel solam & nudam fidem, uel sola & nuda opera docent. Fundamentum igitur, quod in hac Epistola ponit, est, quod Deus sua gratia & beneficijs nos præuenit. Et quid inde colligit? Vt & nos erga talem tantumq; benefactorem grati simus, eamq; gratitudinem puritate uitæ, dilectione & obedientia, præceptorumq; eius obseruatione testemur. Hęc erit & est summa huius Epistolæ. Cæterum, quod hic dicit, Deum esse lucem, & talem, quæ omnium tenebrarum expers sit, ad fundamentum pertinet: quod autem inde colligit, ad ædificium. Interim tamen quod Deum lucem esse dicit, non de externo aliquo lumine, uel solis uel lunæ uel stellarum intelligendum est. Inter Deum enim & solem tanta differentia est, quanta inter creatorem & creaturam. Solummodo igitur similitudine quadam nos hic ducere uoluit Ioannes. Quemadmodum enim luce nihil pulchrius, purius & iucundius est, uel ipso Tob. 4. Thobia teste: Quale mihi (inquit) gaudium esse potest, qui lumen cœli non uideo. Ita Deo nihil purius, sanctius, amabilius. Contra, Sicut tenebris nihil tristius, inamænius, terribilius: Ita & peccatis erroribusq; nihil tetrius & damnabilius. Deus igitur lux est, hoc est, ipsa ueritas, sanctitas, innocentia, iustitia, & summa puritas, totus bonus, totus iustus, totus irreprehensibilis. Nos autem ex natura sumus mali, tenebricosi, immundi, iniusti, tam peccatis quàm erroribus inquinati. Itaq; si cum Deo, qui ipsissima lux & puritas est, societatem & communionem habere cupimus, necesse est, ut & peccatis & erroribus omnibus renunciemus. Quæ enim conuentio potest 2. Cor. 6. esse iustitiæ ad iniustitiam, lucis ad tenebras? Hinc toties Israelitis Leuit. 11. acclamat Deus: Sancti estote, quia sanctus sum Dominus Deus uester. Huc pertinet & illud, quod Deus ipsi Abrahamo olim dixit: Gen. 17. Ambula coram me, & esto perfectus. Itemque quod ad Moysen dicebatur: Ne appropinques huc: Solue calciamentum de pedibus Exod. 3. tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est. Hinc & Dauid quærit: Psal. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? &c̃. Et respondet: Qui

ingreditur

ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Eandem quæstionem eodem modo & proponit & absoluit Isaias: Quis (inquit) nostrum habitare poterit cum igne deuorante? &c. Respondet autem: Qui incedit sine macula, &c. Hinc itaq; patet, quod Ioannes maxime hoc uerbo usus est contra eos, qui & de cognitione & amicitia Dei gloriantur, interim tamen perpetuo in peccatis manent, eaq; subinde augent. Isa. 33.

Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & ueritatem non facimus]

Hic apertissime uidemus, quàm misere errent, seq; ipsos decipiant, qui ex eo, quod uidentur in Christum credere, persuasissimum habent, se cum Deo societatem & amicitiam habere, cum tamen interim nihilominus et in peccatis & in erroribus perseuerent. Quemadmodum enim errat, qui extra Christum gratiam et salutem se consequi posse credit: Ita etiam errat, qui de fide tantum & Baptismo præsumens, non etiam eandem fidem & professionem suam, irreprehensibili uita testatam & probatam facit. Et audet Diuus Ioannes huiusmodi hominem etiam mendacij arguere, tantum abest, ut falsam eius persuasionem probet.

Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem]

In luce ambulare, est ab omnibus tenebris errorum & uitiorum se abstinere. Et hoc quidem Diuus Ioannes necessarium esse iudicat adhoc, ut societatem & communionem habeamus cum Deo: Immo palam pronunciat, nullam nobis communionem & societatem cum Deo esse posse, quàm diu in erroribus & uitijs manemus. Quis autem non hic uidet, quàm non conueniant hęc ad tempora & mores nostros? Immo quis non uidet, Ioannem nostrum plane pugnare cum plærisq; concionatoribus huius sæculi, qui asserunt Deum nihil curare, quomodo uiuamus, sed tantum ut credamus. Atqui Ioannes contrarium asserit. Vtris igitur potius credendum, huic an illis?

Et sanguis Christi emundat nos ab omni peccato]

Ne quis ex uerbis præcedentibus territus dicat, si nemo Deo sodari potest, nisi qui ita purus & lucidus est ut ipse, iam omnibus nobis desperandum erit. Quis enim ad tantam puritatem pertingere potest? Respondet Ioannes hoc uerbo, quasi diceret, Nihil te hoc moueat, nec est quod ideo desperes, etiamsi plurimum tenebrarum adhuc in te uides: Sanguis enim Christi ideo effusus est, ut nos emundaret à peccatis. Tu tantummodo cura, ut eiusdem sanguinis parti-

ceps fias. Quod ut non potes ex te ipso, hoc potest sanguis Christi. Noli igitur dicere, non possum purus esse à peccatis. Recte quidem miseriam tuam confiteris (Hic enim primus gradus est ad salutem) non tamen ideo desperandum: Sanguis (inquit) Christi emundat nos. Obserua quod non quencunq; sanguinem, sed sanguinẽ Christi nominat: nullus enim alius sanguis hoc potest aut potuit unquam. Signanter autem addit: Sanguis Christi filij Dei. Ex hac enim appendice apparet, unde fit quod solus sanguis Christi à peccatis mũdare possit, nempe, quod Christus ipse est filius Dei. Quemadmodum enim mundus iam inde ab exordio maius & mirabilius nihil unquam uidit, quàm passionem & mortem Christi filij Dei: ita & nulla certior medicina est contra omnia peccata, quàm sanguis Christi. Ideo & Ioannes hic expresse dicit sanguinem Christi non ab aliquibus tantum, sed ab omnibus peccatis nos emundare. Hocidem fatetur & alius Ioannes, Baptista scilicet: Ecce (inquit)
Ioan. 1. agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi. Et hic igitur non in singulari de uno aliquo peccato, sed in plurali de multis, immo omnibus peccatis loquitur. Hæc autem omnia eo tendunt, ne quis cum desperato Cayn dicat: Maior est iniquitas mea, quàm ut misericor-
Gen. 4. diam consequi possim: Maiora sunt peccata mea, quàm ut sanguis Christi ea emundare possit: Maior est immunditia mea, quàm ut unquam sperare possim, me societatem & communionẽ cum Deo habiturum. Omnia hæc Ioannes uno hoc uerbo excludit, cum dicit: Sanguis Christi filij Dei, emundat nos ab omni peccato. Fons igitur, in quo ablui possumus à peccatis, iam dudum paratus est: Non autem alius est, quàm preciosus ille sanguis Christi. Et hactenus quidem Ioannes eorum pusillanimitati occurrit, qui ex eo quod dixerat, neminem nisi mundum & purum, cum Deo societatem habere
Ioan. 6. posse, terreri poterant ac dicere. Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Quis gloriabitur se mundum habere cor? Itemq;, Si
Matth. 16. sic se res habet, quis potest saluus fieri? Huiusmodi homines Apostolus sanguinis Christi cõmonefacit, quasi diceret, Tu quod tuum est facito, quod reliquum est efficiet & præstabit sanguis & meritum Christi. Sic itaq; Ioannes nos docet, non tantum quales esse debeamus, sed etiam unde sumendum sit, ut tales esse possimus. Mundos nos uult habere Deus, hoc autem quia ex nobis ipsis non possumus nec habemus, ad sanguinem Christi nobis recurrendum est.
Ioan. 13. Qui enim per Christum non abluitur, nec partem cum ipso habere poterit in regno eius.

Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est.

Et hic quoq; uidemus, quanta discretione Ioannes loquatur. Ex utraq;

utraq; enim parte sollicitè curat, ne cuiquam uel pusillanimitatis, uel præsumptionis occasionem præbeat. Et quidem ijs, qui pusillanimes sunt, iam respondit, immo & Christi filij Dei sanguinem ipsis in consolationem proposuit. Nunc autem præsumptoribus hypocritis obuiat, qui putant se Christi sanguine nihil opus habere, propterea, quod iusti sibi esse uidentur, atq; adeo digni & societate & amicitia Dei. Tales erant Pharizæi apud Iudæos, qui se adeo mundos esse putabant, ut Christo dicerent, Nunquid & nos cæci sumus? Immo etiam ipsi Christo uitio dabant, quod & sineret se à peccatrice tangi, & cum peccatoribus manducaret: Quin & audebant propriam iustitiã etiam corã Deo iactare. Sic enim unus ex eis dicebat: Gratias tibi ago, quod non sum sicut cæteri hominum, &c. Tales olim erant & Nouatiani, qui & Catharos sese nominabant, adeoq; mundi esse uolebant, ut relapsis post Baptismum etiam pœnitentiam negarent. Huiusmodi hypocritarũ nunc plena sunt omnia, tam in sectis quàm in Ecclesia, &c. qui cum de peccatoribus agitur, nihil ad se pertinere putant: Vbi autem de promissionibus diuinis mẽtio inciderit, decq; futuris piorum præmijs, hic se etiam in primo loco collocant, & se solos tantis præmijs dignos iudicant. Contra omnes igitur huiusmodi, tàm ueteres quàm nouos hypocritas, Ioannes hoc uerbo pugnat, ac etiã ipsos peccatores esse, atq; adeo sanguinis quoq; Christi eos indigere conuincit: immo si hoc proterue negare uellent, etiam aperte mendaces eos nominat, quandoquidem scriptura omnes homines sub peccato & incredulitate concludit, ut nemo gloriari possit, nisi in sola gratia Dei. Magnam autem uehementiam habent uerba hæc: Nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Vbi tamen interim obseruandum, quod Ioannes non alios tantum peccati accusat, uerum insuper etiam seipsum inter peccatores connumerat. Non enim dicit, Si tu hoc dixeris, &c. Sed: Si dixerimus. Per hoc igitur ostendit, se in genere de omnibus hominibus loqui. Quod si Ioannes & seipsum & alios Apostolos inter peccatores connumerat, quis ex nobis seipsum iustum & sine peccato pronunciari audebit?

Ioan. 9.
Matth. 9. Luc. 7.
Luc. 18.
Rom. 3.

Si confiteamur peccata, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.]

Etiam hæc uerba Diuum Ioannem probant fidelem doctorem esse. Omnes quidem nos peccato subdidit in uerbo præcedenti: Nunc autem, ne quis desperet, iterum consolatione & quidem certissima nos subleuat. Et sic etiam necessarium erat. Qui enim reum peccati se esse conscientia accusante sentit, facile terretur, cum audit, quod Deus non nisi mundos in regno & communione sua habere

Apoc. 21. bere uelit, & quod nihil inquinatum in regnum Dei introire possit. Hic igitur consolatione opus habet: At quæ maior consolatio dari posset, quàm quod Ioannes hic dicit, Deum remittere peccata. Hoc autem ne quis uanum aut dubium uel incertum existimet, præmisit quod Christus effusione sancti sanguinis sui hoc promeruit. Deinde subindicat, quod Deus nedum ex natura bonus & miseri-
Ioel. 2. cors, uel ut Ioel ait, præstabilis super malitia sit: Verum etiam fidelis & iustus, itaq; & si peccata non remitteret ex insita bonitate, tamen uel ad conseruandam ueritatem suam ea certè remittit. Nam idipsum in pluribus locis scripturæ apertissimè promisit: Ego (in-
Isa. 43. quit) Dominus qui deleo iniquitates tuas propter me. Itemq;, Si
Ezech. 18. conuerterit se impius, &c. omniū iniquitatum eius non recordabor. Obserua autem, quod Ioannes non simpliciter dicit, Deum remittere peccata, sed addit: Si confiteamur. Hoc enim exigit Deus. Itaq;, si cum Dauide cupis, ut Deus faciem suam à peccatis tuis auertat,
Psal. 50. disce prius cum eodem etiam dicere: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper: Tibi soli peccaui, &c. Quod si peccata confiteri dedignaris, nec Deus ea tibi remittet, sicq; teipsum hoc tanto bono priuas, &c. Sequitur:

Si dixerimus, quod non peccauimus, mendacem facimus Deum, & uerbum eius non est in nobis]

Magna uerborum uehementia etiam hic Ioannes noster propositum suum urget. Plane enim hic ostendit, quod qui peccatorē se esse confitetur, Deum honoret, qui autem peccatorem se esse negat, De-
Rom. 11. um mendacij arguat, qui omnes homines sub peccato cōclusit. Atq; adeo hinc docemur, quod Deo multo amplius placet peccator iustitiam suam agnoscens & confitens, quàm hypocrita sibiipsi de propria iustitia complacens. Qui enim peccatorem se agnoscit, simul etiam fatetur se indigere gratia Dei, id quod uere est honorare Deum: Qui autem sibiipsi iustus uidetur, simul etiam fatetur se non opus habere gratia Dei, id quod uere est Deum inhonorare ac contemnere. Vult igitur Ioannes, ut nullus homo quantumcunq; peccauerit, desperet de Dei gratia, quàm diu audit Euāgelium de remissione peccatorum. E diuerso, ut nullus unquam ita de iustitia propria superbiat, quantumcunq; etiam profecerit in ea, quasi nulla in se peccata habeat, ad quæ abluenda Christi sanguine indigeat. Hoc enim esset Deum mendacij arguere, atq; adeo summa cum contumelia & ignominia afficere.

CAPVT

CAPVT II.

Oeperat Diuus Ioannes argumentis probare, ad Christianismum non tantum fidem, uerumetiam puritatem & sanctitatem uitæ pertinere, primum autem eius argumentum fuit. Deus lux est, itaq; qui cum Deo societatem habere desiderat, omnes à se tenebras excutiat. Antequam autem idem Ioannes ad alia argumenta transiret, prius occurrere uoluit quibusdam obiectionibus quę fieri possent, partim ab ijs qui pusillo sunt animo, partim etiam à præfractis quibusq; & præsumptuosis. Et illos quidem insigniter consolatus est, ne desperarent: hos autem egregie compescuit, ne plus æquo sibijpsis placerent. Cæterum, quia & remissionis peccatorũ & sanguinis meritorumq; Christi obiter mentionem fecerat, nunc in exordio huius capitis plenius quiddam de his rebus, antequam ad propositum suum redeat, disserere uoluit, neq; id absre. Nisi enim fundamentum hoc de fide, remissione peccatorum, meritis & sanguine Christi ritè præiactum fuerit, nihil solidi de bonis operibus, charitate & puritate uitæ doceri potest. In hunc igitur modum de remissione peccatorum incipit.

Filioli mei, hæc scribo uobis, ut non peccetis]

Diligenter obseruanda cordibusq; inscribenda sunt uerba, quæ in exordio huius capitis ponuntur. Nam & conscientias nostras supra modum consolantur, & simul etiam præcludunt uiam ad ulteriora peccata. Vtrunq; autem necessarium nobis est, quandoquidem ita affecti sumus, ut uel ex consyderatione peccatorum nimium pusillanimes, uel ex consyderatione gratiæ Dei per Christum, plus æquo securi & præfracti reddamur. Vtrinq; autem periculum est, si uel de gratia Dei desperemus, uel gratia Dei & facilitate remissionis ad ulteriora peccata abutamur. Vtrunq; cordibus nostris eximere conatur Ioannes. Et primo, ut fortius moueat, subindicat se omnia hæc ex mera dilectione & syncero uereq; paterno affectu scripsisse ac scribere, nec quicquam se aliud quærere, quàm commodum & salutem nostram. Ideo filiolos nos nominat, uerbisq; ne dum non duris aut minacibus, sed admodum blandis utitur, ut eò facilius persuadeat. Sic enim & Paulus orabat, obsecrabat, blandiebatur, admonebat, denicq; nihil non agebat, ut omnes lucrifaceret: Omnibus (inquit) omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem. Et iterum: 1.Cor.9.
Non quæro uestra, sed uos. Et iterum: Et si multos habetis pedagogos, non tamen multos Patres. Quin & idem Paulus, immo & ipse 2.Cor.12.
Petrus quoq;, ut plurimũ conciones suas hoc uerbo auspicabantur: Viri fratres filij generis Abrahæ, &c. nimirũ ut auditorũ beneuo- Act. 13.
lentiã captarent. Sic & ipse Loth pessimos etiam Sodomitas fratres nominabat, ut uel hac blanditia uerborũ eos à nefando illo scelere

Gen.19. abducerẽt. Et nos igitur monere debent affectuosa illa uerba Apostoli nostri. Cæterum, quod dicit: Hæc scribo uobis ut non peccetis, potest uel ad præcedentia uel ad sequentia referri. Nam primo ne quis ex eò quod dixerat, ad iniuriam Dei pertinere, si peccatores nos esse negemus, subinferre posset, ergo eò licentius peccabo, ne Deum mendacẽ faciam. Hoc, inquam, præuenire uoluit Diuus Ioannes: Non (inquit) ideo hæc scribo, ut eò plus pecces, sed ut peccare desinas. Peccatorum enim satis superq; habes, etiam si non alia addas. Quin potius gratias age, quod præterita peccata ex gratia tibi condonata sint & condonantur, & quo maiorẽ in te gratiã Dei expertus es, eò diligẽtius cauendum tibi, ne tàm benefici Patris iram prouoces, etc. Potest deinde uerbum hoc etiam ad sequentia referri, id quod textus noster innuere uidetur, uerbum hoc à præcedentibus disiungendo. Dicturus enim Ioannes, q; & si peccemus, tamẽ aduocatum nos habere apud Patrẽ, &c. necessario hoc præmittendum duxit, se ideo hæc scribere, non ut eò liberius peccemus, sed ut plane non peccemus, quasi diceret. Magnum quiddam dicturus sum de gratia Dei & mediatore Christo, uerum præmoneo, ne quis occasionem inde accipiat licentius peccandi.

Hic igitur uide, q; cautè Apostolus hic noster de gratia & meritis Christi differat, neq; id abs re facit. Carnalis enim homo, quo magis audit cõmendari gratiã, eò minus sibi displicet aut timet in peccatis. Euangeliũ itaq; gratiæ ea discretione prædicandum est, ut non peiores, sed meliores inde reddantur homines. Hinc & Paulus, cum in Epistola ad Romanos fidem in Christum & gratiam Dei per Christum ad summũ usq; cõmendasset, uideretq; aliquos hinc errandi, immo proteruiendi, occasionem sumere posse, ut dicerent, Si ueritas
Rom.3. Dei in meo mendacio abundat in gloriam ipsius, quid adhuc ego tanq; peccator iudicor? Faciamus ergo mala, ut eueniant bona, &c. statim subintulit: Horũ damnatio iusta est. Atq; utinã plæriq; & scriptores & cõcionatores huius temporis hãc Apostolorũ & prudentiam et discretionẽ sibi ipsis imitãdã proposuissent, nunc; certe uulgus Christianorum in tantã morũ & uitæ dissolutionẽ deuenisset. Ex crebra enim & sola cõmendatione gratiæ & fidei, hoc secutũ est, quod plærique nunc sine omni timore peccẽt, & in peccatis mancãt. Quod si à quoq; ob id arguantur, statim respondent, Christus pro nobis satisfecit, etc. sicq; Euangelio gratiæ Dei non nisi in uelamẽ malitiæ abutũtur, &c. Certissime aũt errant. Non enim ideo Christus mortuus est, nec ideo Euangeliũ gratiæ nobis prædicatur, ut peiores inde reddamur, sed ut porro non peccemus. Deus per Euangeliũ gra-
Psal.68. tiæ manum suam nobis porrigit, educturus nos è limo profundi, in quo non est substantia, hoc est, è profundo peccatorum & desperationis, & nobis igitur connitendum est, ne frustra gratiæ suæ manum porrexerit, alioqui si nos lutum illud nostrum mordicus tenebimus, nec ab eo auelli nos sinamus, etiam Deus ipse manum suam

tandem retrahet nosq; perire permittet.

Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum, Iesum Christum iustum]

Hoc est Euangelium illud gratiæ, quo ne quis ad malum abutatur, Ioannes omnes nos prɛmonere uoluit. Est aũt uerbum hoc sume consolatorium, ac uere summa & scopus totius Euangelij. Profecto enim quisquis unũ hoc uerbum recte intelligit & credit, nunquam desperabit. Qui aũt unum hoc uerbum uel non credit uel non intelligit, huic plane Christus adhuc incognitus est, etiamsi alias totum Euangelium memoria teneat. Obserua q; Ioannes hoc uerbo primum ijs respondere uoluit, qui dicere possent, Si Euangeliũ nobis ideo prædicatur, ut non peccemus, et tamẽ uel te ipso teste nemo sine peccatis sit aut esse possit, ergo impossibilia nobis prɛcipis, atq; adeo recta ad desperationẽ nos ducis. Nequaq; (inquit Apostolus noster) Non hoc uolo, quod sine omni peccato nos esse oporteat, sed ne temere quis peccet, atq; eo licentius quo magis audit gratiam Dei & meritũ Christi cõmendari: Immo, ne eum quidem à gratia Dei excludit, qui ex temeritate mera & uoluntarie peccauit, dummodo uel adhuc à peccatis cesset. Etsi enim quis peccauerit, aduocatũ habemus apud Patrem, &c. Obserua secundo circa hunc locum, quod Ioannes ita quidem & peccantes consolatur & cõtra desperationem eos præmunit, ut tamen non in arenam, sed in ueram illam & firmissimã petram ædificet. Non enim dicit, Si quis peccauerit, oret ad Deum, uel ego pro ipso orabo, &c. Verum certius quiddam nobis demonstrat, quod fallere non potest, nempe Christum, quem & ita nobis depingit, ut nemo non uidere possit, ipsum esse uerã illam petrã, cui tuto inniti & debeamus et possimus. Quot enim laqueis Diabolus nos ad desperationem adigere satagit, tot consolationibus uerbum hoc desperationi occurrit. Atqui non omnes homines eandem pusillanimitatis & desperationis causam habent. Aliqui enim inde pusillanimes fiunt, quod etsi multa bona audiant in scripturis, putant ea non ad se, sed ad solos sanctos pertinere. Alij dubitãt an uera sint quæ in scripturis de remissione peccatorũ dicuntur. Alij quidem credunt ea uera esse, sed nesciunt per quẽ hoc fiat. Alij sciunt etiam Christo nominatim potestatẽ peccata remittendi datã, dubitãt tamen, an solus ad hoc sufficiat. Alij credunt quod hoc possit, sed dubitãt an uelit. Alij credunt quod Christus possit & uelit peccata remittere, sed dubitant an Deus ratũ habiturus sit, quod Christus nobiscum agit.

Tot igitur laqueis Diabolus homines ad pusillanimitatem & desperationẽ trahit. Atqui uno hoc uerbo Ioannes omnes hos laqueos dissipat & rũpit. Nam primo nõ dubitãter Ioannes hac de re loquitur. Non dicit, Si peccauerimus, forsitan inuenietur, qui nos Deo reconciliet. Territa enim cõscientia ad plenũ pacificari nequit, ubi res

Sup. 8. 11.

huc in dubium ponitur, sed certum quiddam habere uult. Ideo & Ioannes hic plane & certitudinaliter, nihilq; omnino dubitans pronunciat. Nos iam dudum habere certum quendam aduocatū apud patrem: Non (inquit) expectamus eum uenturum, quemadmodum ueteres illi, nec opus est quod ultra mare ipsum quęramus, aut magno precio uel seruitio ipsius patrocinium nobis comparemus. Ipsum namq; iam habemus, & quidem paratum & promptum. Deinde Ioannes etiam personam huius tam necessarij aduocati nominat: Aduocatū (inquit) habemus Iesum Christum. Huic consonat illud Act.2. Petri: Certissime sciat omnis Israël, quia Dominum & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Et iterum: Hic est lapis, qui à uobis ædificantibus reprobatus est, &c̄. Nec est in aliquo Act.4. alio salus. Non enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibꝰ, in Act.10. quo oporteat nos saluos fieri, &c̄. Et iterū, Hic est qui constitutus est à Deo iudex uiuorū & mortuorꝫ. Præterea non tantum personam huius tanti aduocati nostri, Ioannes nominat, uerumetiam & conditiones eius describit, quarū prima est, q̄ nominat eum Iesum Christum iustum. Vere necessaria cōditio. Si enim ipse iustus non esset ac sine peccatis, quomodo nos iustificare à peccatis posset: Hinc Paulus Heb.7. Decebat ut talis nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, qui non haberet necessitatē, quemadmodum alij sacerdotes, primo pro suis, deinde pro populi delictis orare. Omnes igitur alij homines peccatores sunt, omnes alij sacerdotes etiam pro propriis peccatis orare coguntur, Christus solus iu-
1.Pet.2. stus est, ut qui peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, unde & solus dicere potuit: Venit princeps huius mundi, & in me
Ioan.14. non habet quicq̄, eo confidentius Deum accedere potuit, eoq; facilius omnia nobis impetrauit, denicq; & eo securius in ipsum confidimus. Demum Diuus Ioannes nec his quantumuis magna sint contentus, etiam aliud & maius quiddam addit:

Et ipse (inquit) propitiatio est pro peccatis nostris]

Hoc uerbo omnem nobis pusillanimitatem eximere uoluit. Non (inquit) sibi soli tantum iustus est hic Iesus Christus, non sibi soli tantum profuit iustitia sua, quēadmodum alij homines, qui sua iustitia
Ezech.14. nec filios suos, sed solas animas proprias liberant. In iustitia enim
Ezech.18. quisq; sua uiuet & non morietur: Christi aūt iustitia etiā nobis profuit & prodest, immo ipsius iustitia, est nostra iustificatio. Nam aliorum hominum quisq; pro seipso rationem reddet, Christus aūt stat
Psal.109. pro omnibus nobis. Ideo & Dauid dicit, Deum iurasse quod sacerdotium Christi in perpetuum manere debeat. Et Paulus dicit,
Heb.9. eum ingressum in cœlum, ut appareat uultui Dei pro nobis, et quod in perpetuum illic uiuat ad interpellandum pro nobis. Cęterū, quod Ioannes hoc loco de interpellatione & mediatione Christi dissę-

rens,

rens, morem & consuetudinem fori expressit, ubi quatuor personæ concurrunt, Iudex scilicet & reus, accusator & aduocatus, quasi Deus Pater iudex sit, homo reus, Diabolus accusator, Christus aduocatus: Non hoc uoluit, quod in cœlo hæc reipsa sic fiant. Nullum enim in cœlo est forum iudiciale, nullæ lites aut accusantium & defendentium accusationes: Sed tantum Ioannes noster hoc exemplo & allusione utitur, ut diuina & spiritualia rectius & facilius intelligamus. In iudicio enim humano, eius qui ut reus accusatur, omnis fiducia est & consistit in fideli aduocato, huic etiam omnē suam causam committit, hic se uicerit, liberatur reus: si autem uictus fuerit, actum est de reo. In hunc modum Ioannes nobis Christum proponit, tanquam fidelissimum aduocatū coram Deo, & cui secure omnem causam nostram committere possumus. Ob id nominat eum propitiatorem pro peccatis nostris. Ob eandem causam & Paulus ipsum nominat mediatorem inter nos & Deum: Nec ob aliam causam Dauid ipsum nominat sacerdotem in æternum permanentem. Omnia aūt hæc eò tendunt, ut sciamus uitam & salutē nostram in uno Christo consistere. Nam si Deus secundum iustitiam suam nobiscum agere uellet, omnibus nobis pereundum esset: Non enim iustificatur coram eo quisquam uiuens. Opus igitur habemus aduocato, qui & fortior & acceptior Deo sit quàm nos, & cui Deus nihil negare unquam uelit, hic aūt solus est Christus noster: Hic, inquit, est filius meus dilectus, ipsum audite. Cæterum, quia de mediatione & interpellatione hic mentio incidit, unde plerique & olim & nunc ansam perperam sentiendi sumpserunt, paulo latius res hæc explicanda est. Primo igitur Arriani ex eo quod scriptura Christum aduocatum & mediatorem inter nos & Deum nominat, errorem & impietatem suam probare & confirmare nitebantur, nempe quod Christus filius Dei, etiam secūdum diuinā naturā minor esset Patre, quemadmodum in iudicio humano constat aduocatum iudice minorē esse. Interim tamen prædicti hæretici nolebant attendere, quod Christus ipse non semel tantum, idq; apertissimis uerbis, se dixit Patrem æqualem, atq; adeo non tantum aduocatū, sed etiam iudicem: Ego (inquit) & Pater unum sumus. Et iterum: Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Et iterum: Multa habeo de uobis loqui & iudicare. Hæc (inquam) uerba plane indicant, Christum non tantum aduocatum coram Patre, sed etiam iudicem nostrum cum Patre esse, atq; adeo etiam Deo patri æqualem. Nam alioqui Deus gloriam suam nulli extra se dat. Nostro hoc tempore plærique sunt, qui audientes Christum aduocatū & mediatorē nostrū esse, nihil altius cogitant quàm q; pro nobis oret, precibusq; intercedat, & quia putāt unius Christi officium esse, ac ad solum ipsum pertinere, ut pro nobis oret, colligunt

1. Tim. 2.
Psal. 109.
Psal. 142.
Matth. 17.
Ioan. 10
Ioan. 5.
Ioan. 8.
Isa. 42.

gunt inde non neceſſarium eſſe, ut ipſi oremus, quandoquidem talem interceſſorem habeamus: Immo putant ſe iniuriam Chriſto inferre, eiuſq; gloriam ſibiipſis uſurpare, atq; adeo ex officio ſuo ipſum depellere, ſi uel ipſi pro ſe orent, uel aliorum, ſiue hominum ſiue angelorum, pro ſe orationes expeterent. Interim autem non uident, uel potius uidere nolunt, quod omnes electi iam inde ab exordio Eccleſiæ, quamuis firmiſsime crederent & confiterentur & docerent, Chriſtum unicũ eſſe aduocatum & mediatorem noſtrum, nihilominus tamen & pro ſe ipſis orarunt, & aliorum etiam pro ſe orationes expetierunt: Id quod uel ex uno Pauli exemplo manifeſtiſsime probatur. Sed nec hoc uidere uolunt, quod uel uniuerſa Catholica Chriſti Eccleſia per totum orbem diffuſa, iam inde ab initio, conſtantiſsime Chriſtum uerum mediatorem & aduocatum noſtrum eſſe confeſſa eſt & docuit, nullo tamen unquam tempore omiſit omnium amicorum Dei, angelorum & hominum, tam in terra adhuc degentium, quàm cum Chriſto iam regnantium orationes expetere. Deniq; nec hoc attendere uolunt, quàm longe inter ſe differant, Orare, & mediatorem agere. Orare ſiquidem pro aliis omnes poſſunt: At hominem peccatorem cum Deo reconciliare, ſoli Chriſto competit. Et qui hoc ſibiipſi arrogat aut aliis aſcribit, is uere Chriſtum blaſphemat, gloriæq;, nomini & officio eius
Gal.3. derogat. Mediator inter Deum & homines non niſi unus eſt & eſſe poteſt, nempe Chriſtus. Iuxtà hoc tamen plures eſſe precatores poſſunt, quemadmodum omnes Chriſtiani pro ſe mutuo orãt, interim tamen uno ore omnes Chriſtum unicum illum mediatorem & aduocatum noſtrum eſſe & credunt & confitentur. Idcirco cum audis, Chriſtum eſſe mediatorem noſtrum, noli carnaliter cogitare, quod flexis genibus, quemadmodum olim in monte oliueti feciſſe legitur,
Luc.22. pro nobis ad Deum oret, aut quod oratio eius pro nobis uerbis fiat, quemadmodum noſtra. Nequaquam. Chriſti enim pro nobis oratio eſt, quod ipſius incarnatio, paſsio, mors, ſanguiniſq; effuſio & meritum, atq; adeo ipſemet omni tempore coram Deo præſens eſt, nec unquam coram Deo in obliuionem uenit, quid idem Chriſtus pro nobis & fecerit & paſſus ſit. In hunc modum Chriſtus pro no-
Heb.9. bis orat & intercedit: Ingreſſus eſt (inquit) in cœlum, ut appareat uultui Dei pro nobis. Deinde, cum audis Chriſtum aduocatum & mediatorem noſtrum eſſe, non ſic intelligas, quod tantum orando & intercedendo inter nos & Deum medius ſtet, quemadmodum Moyſes, Samuel & alii inter populum & Deum ſeipſos interponebant orando pro ipſis. Abſit enim, ut de Chriſto tam humiliter ſentiamus, quaſi nihil aliud poſsit, q̃ pro nobis orare, id quod & alii fecerunt & etiamnum faciunt, neq; id ſine fructu.

Chriſtus autem ideo aduocatus & mediator eſt & dicitur. Primo,

quia

quia ſolus & ex ſeipſo Deo patri placet & acceptus eſt. Secundo, quia propter ipſum unum & ſolum, Deo placent aliorum hominum orationes & opera. Tertio, quod ſolus ipſe eſt, per quem nobis ad Deum patet acceſſus. Quarto, quod ſolus ipſe etiam medium eſt & uia diuinas promiſsiones, æternamq; ſalutem conſequendi. De plenitudine enim eius omnes accipimus, & gratiam pro gratia; Et in ipſo ſunt omnes promiſsiones Dei, Amen & etiam. Præterea cum audis Chriſtum pro nobis interpellare, non ideo malum eſſe putes, ſi uel pro teipſo oraueris, uel aliorum pro te orationes expetis: Alioqui enim & Paulus male ægiſſet, quem legimus & oraſſe, & aliorum pro ſe orationes expetiſſe. Poſtremo, cum audis Chriſtum aduocatum noſtrum eſſe, non carnaliter imagineris, Deum more iudicis ſedere in ſolio, Chriſtum autem coram eo ut aduocatum aſtare, uerum ſic eſt aduocatus noſter, quod, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*. Quo uerbo Diuus Ioannes clare oſtendit, in quem modum Chriſtus ſit aduocatus noſter. Non (inquit) uerbis agitur hæc res, ſed ipſemet Chriſtus eſt propitiatio, ſanctificatio, ſacrificiū, ſatisfactio, et ſolutio pro peccatis noſtris. Addit aūt Ioannes:

Ioan. 14.
Ioan. 1.
2. Cor. 1.

Non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi peccatis]

Vt uideamus Chriſti unius paſsionem & merita omnibus hominibus ſufficere, ne ullus nobis deſperandi locus relictus ſit. Ne quis autem dicat, Audio quidem & credo, quod Chriſtus cauſam noſtram agat coram Deo: Quis ſcit autem, num Deus hoc ratum habere uoluit? Ad hanc puſillanimitatem cordibus noſtris eximendam, Ioannes etiam ſignanter hoc addit, Ieſum ſcilicet eſſe aduocatum noſtrum, non apud iudicem Deum, ſed apud Patrem, quaſi diceret, Nihil eſt quod uerearis, in Deo nulla mora erit. Non enim coram iudice, ſed corā pīſsimo Patre Chriſtus cauſam noſtrā agit. Iam ſi is, qui cauſam noſtrā agit, pro omnib9 nobis ſufficiens & efficaciſsimus mediator eſt, & is, coram quo cauſa noſtra agitur, Pater eſt, plane nullus nobis relictus eſt puſillanimitatis & deſperationis locus. Ex his igitur uidere licet, quàm diligenter & exacte Ioannes nobis articulum de remiſsione peccatorū & meritis Chriſti expoſuerit, quantumq; conſolationis in eo articulo nobis repoſitum ſit, eo magis dolendum, quod plerīq; hoc noſtro tempore, his tam conſolatorijs uerbis tam multiciter abutantur. Nam ſunt qui audientes Chriſtum aduocatum noſtrum eſſe, ſtatim inferunt, Quid igitur opus habemus interceſsione ſanctorum, immo etiam eorum, qui adhuc nobiſcum in terra morantur? Putant enim ad ſolum Chriſtum pertinere, ut pro nobis oret, alioqui aduocatus & mediator noſter eſſe non poſsit. Deinde ad maiora progredientes, damnant

etiam

etiam quicquid Ecclesia circa inuocationem sanctorum agit & credit, quasi contrarium sit & huic uerbo Ioannis & officio Christi, cum tamen superius clare ostensum sit, quod orationes fidelium pro se mutuo, siue in corpore adhuc, siue extra corpus sint, officio Christi nihil derogent. Hi enim nihil aliud quam orant, Christi autem officium longe maius quiddam habet, ut dictum est. Cæterum non hi tantum, de quibus modo dictum est, uerbo hoc Christi abutuntur: uerumetiam alij quidam, & in alium etiam finem. Audientes enim Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, statim colligunt, Nihil ergo amplius ad nos pertinet dictum illud:
Matth. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Putant enim sibi iam non opus esse, ut pro peccatis suis doleant, orent, ieiuuent, eleemosynas dent, iniuste acquisita restituant, peccantibus in se remittant, immo persuadent sibi per hoc derogari gloriæ Christi, atq; hoc esse Christum è suo officio depellere. In hunc modum, nobilissimum uereq; dulcissimum hoc uerbum Ioannis, Diabolus multis hominibus inutile reddidit, cum tamen idem Ioannes hoc ipsum data opera præuenire uoluerit: Hęc (inquit) scribo uobis, ut non peccetis. Non ob id pœnitentia uel abijcienda uel omittenda est, quod Christus dicitur & est propitiatio nostra. Non enim ideo se in mortem dedit, ut nobis nulla iam amplius pœnitentia opus sit, sed quod morte sua hoc nobis meruit, ut pœnitentia nostra Deo placeat, alioqui ex se nihil ualitura. Quemadmodum enim annulus ferreus ex seipso quidem nullius aut parui ualoris est, propter gemmam tamen in eo inclusam, magni æstimatur magnoq; precio uenditur: Ita & passio Christi gemma illa est, propter quam pœnitentia nostra Deo placet. Non tamen ideo pœnitentia abijcienda, quod ex seipsa Deum placare non possit, sed curandum, ut gemmam illam in se habeat, meritum uidelicet Christi ueri propitiatoris. Christum igitur mediatorem nostrum esse credamus & confiteamur, interim tamen etiam strenue pœnitentiam agamus, sed in fide uel fiducia meritorum Christi. Sequitur:

In hoc scimus, quia cognouimus eum, si præceptaeius seruamus]

Hactenus Apostolus noster paulisper digressus, articulum de remissione peccatorum & merito Christi obiter explicauit: Nunc reuertitur ad propositum, & quod inchoauerat de puritate uitæ docenda, prosequitur. Duo autem nominat ad hanc rem pertinentia, ut scilicet præcepta Dei obseruemus, & ut ambulemus, quemadmodum Christus ambulauit. Vtriq; autem suum contrarium connectit, ut oppositа iuxta se posita, magis eluceſcant. Deniq; etiam eandem rem interdum semel atq; iterum repetit, ut fortius animis

nostris

nostris infigat. Neq; enim Apostoli ornatū sermonis, sed fructum & salutem nostram in suis scriptis quæsierunt. Cæterum, quod Ioannes hic dicit, nihil aliud est quàm declaratio eius, quod in Euangelio suo tradidit. Vult enim, ut & Deum & Christum semper nobis proponamus, & quantum possibile est eis uita & opere conformemur. Congrue autem uerbum hoc connexuit ei, quod de remissione peccatorum dixerat, ne carnalis quispiam, audiens Christum pro peccatis nostris satisfeciſſe, omnem ex animo sollicitudinem ejiciat, quasi deinceps nec peccatorum perpetratio obesse, nec præceptorum Dei obseruatio quicquam ei prodesse possint. Sic enim nunc solemus gloriari, gaudere, & gratias etiam agere, quod nunc tandem Christum uere cognouerimus. Hinc enim persuademus nobis, nihil de cætero opus esse ea sollicitudine uel uitandi peccata, uel bona agendi, quam prius nobis nescio qui ingerebant, &c. Atqui si hoc tibi persuades, reuera nondum scis, quid sit cognoscere Deum uel etiam Christum: In hoc (inquit) scimus, quod cognouimus Deum, si præcepta eius seruamus. Ergo cognoscere Deum, est præcepta eius implere atq; adeo pie uiuere: Cognoscere Christum, est Christum imitari, eiq; conformiter uiuere. Hoc Ioannes aperte hic uult, nec est quod quisquam prætexere possit. Si cognoscis Deum summum bonum esse, summamq; ueritatem, iustitiam, itemq; & Dominū omniū: certe ipsum ut talem amabis, timebis, coles, eiusq; præcepta non contemnes. Hoc si non facis, profecto Deum non ut talem cognoscis. Quomodo enim possibile esset, ut quis summum bonū cognitū non diligeret, summā iustitiam cognitā non timeret, summæ ueritati cognitę non crederet, deniq; & supremi omnium Domini præcepta contemneret? Vides igitur, quàm seipsos decipiant, qui nunc de perfectiori, immo perfectissima Christi & Dei cognitione gloriantur, cum nullo unquam tempore apud ullos unquam homines in maiori neglectu, ne dicam contemptu, præcepta Dei fuerint: nulloq; unquam tempore, licentius ac minori cum timore contra præcepta Dei peccatum sit. Et ueteres quidem Christiani nunc traducuntur, quasi Christum nunquam uere cognouerint. Atqui si secundum hoc uerbum Ioannis iudicandum fuerit, ipsi certe inuenientur uere cognouisse Christum, hi autem nihil minus. Veteres (inquam) illi legebant & credebant Deum esse summum bonum, summam ueritatem, &c. Verum non hoc tantum, sed insuper eum etiam ut talem amabant, timebant, colebant, deniq; & in omnibus ipsi obediebant. Nihil autem nūc simile in iactatoribus illis uidetur, &c. Sequitur:

Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas non est]

Quid apertius dici potuisset? Vides hic nullum tergiuersandi locum tibi relictum. Quis enim hunc tantum Apostolum, credat uerba hæc temere & sine causa protulisse? Immo, ut uideamus non temere hęc illi excidisse, eandem sententiam per suum contrarium denuo exprimit.

Qui autem seruat uerbum eius, uere in hoc charitas eius perfecta est]

Vides quàm diligenter Ioannes hoc nobis inculcatum uelit, nempe eum tandem uere Deum cognouisse, qui præcepta eius obseruat. Infideles ergo, ne quid durius dicã, doctores sunt, qui mandatorum Dei nunquam uel minimam mentionem faciunt. Iam, si iuxta hoc uerbum Ioannis, qui præcepta Dei seruant, certi sunt, quod & charitatem Dei in se habeant, & insuper etiam in Deo sint & maneant: Consequitur, eos qui præcepta negligunt, nec in charitate aut gratia, nec in Deo esse. Vbi igitur manet gloriatio nostra? Vides ne hic, quantum requiratur ad ueram Dei cognitionem?

Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare]

Optime dictum. Cuius enim seruus quisq; est, eius & colorem in ueste gestat. Nemo ratione utens, se uel Stoicum uel Peripateticum nominat, qui eiusmodi sectarum placita ignoret. Ab omnibus ridetur & exibilatur, qui se artificem mentitur, & tamen ignorat quid ad ipsum artificium pertineat. In ueteri Testamento nullum ferebant, qui Iudęũ se diceret, & tamen legem Moysi ignoraret. Quanta igitur ne dum cæcitas, uerumetiam amentia est, se Christianum iactare, & Christi præcepta pedibus conculcare? Obserua quod Ioannes non dicit, Qui dicit se in Christo manere, debet eadem miracula facere, quæ ille fecit, sed: *Debet ambulare sicut ille ambulauit.* Satis enim superq; nobis ostensum est, in quibus debeamus Christum imitari: Discite (inquit) à me, quia mitis sum & humilis corde. Et iterum: Estote misericordes, sicut & Pater uester cœlestis misericors est. Et iterum: Si ego Dominus uester & magister laui uestros pedes, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi uobis, &c. Et paulo post: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut ego dilexi uos, &c. Et Paulus: Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, &c. Non quod eum perfectionis gradum attingere possimus, in quo uidemus Christum constitisse, sed quod pro sua quisq; uiribus, uel à longe Christum imitari studeat. Sed dicis, hoc si uerum est, quod Ioannes hic docet, certe pauci homines salui fiunt. Respondeo, Eo minus nobis cessandum est, eoque magis

Matth. 11.
Matth. 5.
Ioan. 13.
Eph. 5.

gis ad eum nobis recurrendum est, quem audiuimus supra & aduocatum & propitiatorem nostrum esse. Summa, Deus non tantum baptizatum & credentem, uerumetiam sanctum populum habere uult. Atq; hoc ipsum hactenus tribus argumentis probauit Ioannes. Primum, Deus lux est, ideo qui societatem cum eo habere uult, oportet ut tenebras relinquat. Secundum, Qui dicit se nosse Deum, necesse est ut obseruatione mandatorũ eius testetur se eum pro Deo habere. Tertium, Qui gloriatur se esse Christianum, oportet ut Christi doctrinam opere exprimat, nec fide tantum suscipiat.

Charissimi, non mandatum nouum scribo uobis, sed mandatum uetus, quod habuistis ab initio]

Hoc uerbo Ioannes noster alterum illud tangit, de quo in Epistola hac tractare proposuit. Duo siquidem à nobis post fidem & ex fide exigit, Puritatem uidelicet uitæ, & charitatem. Et de priori quidem hactenus, nunc ad alterum persuadendum accingitur: Breuiter tamen hic & summatim tantum de charitate loquitur, nam in sequentibus capitibus latius de eadem tractabit. Primum itaq; asserit, se non nouum aliquod mandatum adferre, &c. quo uerbo et officium & authoritatem suam contra detractores defendit. Apostolis enim uel maxime inuidiam & odium à mundo conciliabat, quod uiderentur noua & inconsueta docere, atq; rerum nouandarum studio duci. Hoc autem Ioannes repellit, cum dicit, se nihil noui adferre, sed ea annunciare quæ ab exordio annunciata fuerint: Nihil (inquit) nouare intendo, sed uolo ut maneat quod Deus per Moysen et Prophetas iam dudum toti mundo annunciari iussit. In hunc modum Ioannes calumniatoribus hoc uerbo respondere uoluit. Non minus tamen etiam eos hoc uerbo tangit, qui prædicatione fidei & gratiæ allecti, sermonem de charitate & bonis operibus fastidiebant, uel non necessarium putabant. In qua persuasione nunc ferme omnes sumus, quanquam hoc uel maxime tempore mirandum non sit, quod ad charitatis & bonorum operum mentionem obstupescant, qui tot iam annis nihil aliud, quàm de sola & nuda fide audierunt. Nihil igitur nouum est, iuxta fidem & ex fide, etiam charitatem & uitæ sanctitatem docere. Omnes enim Prophetæ hoc docuerunt, quod qui negat, seipsum prodit, quod scripturam non legerit. Cæterum, quod Ioannes hic dicit, se nihil nouum docere, etiam Christus non semel, quamuis subobscure, ostendere uoluit. Huc pertinet quod Pharizæo cuidam interroganti, quid faciendum sibi esset, ut uitam æternã consequeretur, nihil aliud quàm uetus illud mandatum legis imitandum proposuit: Diliges (inquit) Dominum Deum tuum, &c. Eodem modo & alterum quendam expiscari uolentem, quid noui doceret, ad legem remisit: Præcepta (inquit) Matth. 22. Mar 10.

(inquit) nosti? &c. Eodem modo & Nicodemum nouitatem doctrinæ suę admirantem, ad legem remisit: Sicut (inquit) Moyses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltabitur Filius hominis, &c. Ioan. 3. Act. 17. Sic & Paulus cum Athenis interrogaretur, quæ esset hæc noua doctrina, pluribus respondit, se nihil noui adferre, &c. Quis autem uulgo Christianorum huius temporis persuadebit, doctrinam charitatis & bonorum operum, non esse doctrinam nouam, sed eam quæ ab exordio in Ecclesia fuit? Tam pestiferum & damnosum est, doctrinam Christianã truncatim proponere. Quicquid enim non subinde inculcatur, hoc uulgus Christianorum non putat ad Euangelicam doctrinam pertinere: Ioannes autem non dimidiatum, sed totum & integrum Christum nobis proponit. Sequitur:

Iterum mandatum nouum scribo uobis quod uerum est, & in ipso & in uobis]

Videtur hoc contrarium esse ei, quod iam dixerat de ueteri mandato, uerum Ioannes sibi ipsi non contrariatur. Quod enim hic docet, & uetus & nouum est. Vetus, quia etiam Prophetæ sic prædicauerunt: Nouum autem, quia per Christum renouatum est. Hinc & Christus ipse mandatum dilectionis nouum nominat, cum tamen Ioan. 13. Moyses longe ante de diligendo proximo præceptũ dedisset. Alia siquidem præcepta legis antiquata sunt per Christum, ipse enim liberauit nos à lege: solum autem dilectionis mandatum renouauit. Interim tamen etiam alia ratione præceptum hoc charitatis nouum dicitur, quia uidelicet non ueteraſcit, sed semper nouũ & recens manet, quantumcunq; enim & quotiescunq; charitatem fratri ostendero, statim eiusdem dilectionis iterum debitor sum. Hoc aũt mandatum & in ipso uerum est (ipse enim prior charitatem ostendit, & quidem in summo gradu) & in nobis uerum esse debet, ut uidelicet & nos diligamus. Subdit autem causam eorum quæ iam dixit.

Quia tenebræ transierunt, & uerum lumen nunc lucet]

Rom. 13. Idem est cum eo, quod Paulus dicit: Nox præcesſit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarũ, &c. Et iterum: Eph. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filij lucis ambulate, fructus autem lucis est in omni bonitate, &c. Pulchre autem Ioannes omnem nobis uiam præcluſit. Nam alioqui obijcere quis posset, si uetus est hoc mandatum, iam cum alijs abrogatum est: Sin autem nouum quid adfers, non tibi credendum est, &c. Ioannes autem utramq; excusationem adimit, cum præceptum charitatis & uetus & nouum nominat.

Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usq; adhuc: Qui autem diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est: Qui aũt odit fratrem

suum

ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat & neſcit quo uadat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius]

Hoc eſt mandatū illud, quod Ioannes & uetus & nouum nominat, nempe charitas. Eſt etiam unum mandatum & plura mandata, quemadmodum infra ſuo loco dicetur. Hic autem Diuus Ioannes iterum eandem ſententiam per contraria explicat: Qui diligit (inquit) fratrem, in luce eſt, nec offendit, quia diſcipulus eius eſt, qui dicit: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, &c̄. Qui autem fratrem ſuum odit, etiamſi baptizatus eſt, in tenebris tamen ambulat, & ubiq; offendit: quia tenebræ, odium, liuor, &c̄. obcæcauerunt oculos eius. Obſerua circa hoc uerbum, quod præceptum charitatis non tantum exigit, ut proximo nihil mali faciás, uerumetiam ut diligas eum, omnemq; iram & inuidiam è corde eiicias. Sic enim & Chriſtus ipſe docuit: Qui (inquit) iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Et iterum: Sic faciet uobis Pater meus, ſi non remiſeritis quilibet fratri ſuo, &c̄. Ioan. 8. Matth. 5. Matth. 18.

Scribo uobis filioli, quoniam remittuntur uobis peccata ueſtra propter nomen eius]

Iterum conſolatione & blanditia uerborum mitigat, quod uideri poterat durius dixiſſe. Hoc enim frequenter agere conſueuit. Cæterū hoc loco nedum omnes in genere, uerumetiam ſingulos cuiuſcunq; ſexus, ætatis, ſtatus, & conditionis ſint alloquitur, & quæ ſingulis ſtatibus conueniunt, breuibus uerbis complectitur, omnibus & ſingulis congratulatur de bonis acceptis: ita tamen, ut ſimul etiam moneat, quid cuiq; agendum ſit, fidelem interim & prouidum doctorē in hoc referens, qui interdum plus laudando & gratulando, quàm ſeueriter minando in diſcipulis efficit. Hoc aūt uerbum omnibus in genere dictum putemus. Iterum igitur nominat nos filios ex cauſa quam ſupra oſtendi, ut paterno hoc ſuo affectu & acclamatione fortius moueat. Gratulatur aūt nobis remiſſionē peccatorum, nimirū ſubindicans, ut hoc ipſum pro maximo dono & gratia reputemus: Interim tamen & obiter oſtendit, eam remiſſionē peccatorum non ex meritis noſtris, ſed propter nomen eius nobis contigiſſe. Omnia aūt eò dirigit, ut conſyderando quid acceperimus, facilius etiam & promptius, proximis quę in nos commiſerunt, remittamus. Obſerua aūt quod non in præterito dicit, Remiſſa ſunt uobis peccata, ſed: Remittuntur in præſenti, ne quis cum Nouatianis putet, Deum non niſi ſemel tantum peccata remittere. Et hactenus quidem in genere omnibus locutus eſt. Sequitur:

Scribo uobis Patres, quia cognouiſtis eum qui ab initio eſt]

Hoc uerbo ſeniores & ætate confectos alloquitur, ac blandis ſermonibus Patres eos nominat. Congratulatur aūt eis non tam q̄ ſapientiores & prudentiores ſint iuuenibus, multaq; in mundo experti ſint, quàm quod Deum uerum cognouerunt, quaſi diceret, Si

gloria ſenum eſt, quod multa per ætatem didicerunt & experti ſunt, quæ iuniores ignorant: merito uobis gaudendum eſt, & ego quoq; uobis congaudeo, quod eũ cognouiſtis, qui ante omnẽ creaturam, immo ab æterno fuit, nec eum tantum, ſed & uoluntatem eius. Hoc ſummæ gratiæ loco ducere debetis, plus enim gloriæ & ueræ utilitatis adfert, quàm quicquid aliarum rerũ tota uita ueſtra experti eſtis. Hanc ipſam Dei cognitionem, etiam filijs ueſtris inculcare debetis, &c. Hic uide, unde ſenibus gaudendum ſit. Cæterum, quod dicit: Cognouiſtis eum qui ab initio fuit, poteſt intelligi tam de Deo Patre, quàm de Deo filio. Vtrunq; enim cognouiſſe, nedum magna gratia, uerumetiam ipſa æterna uita eſt. Hoc igitur Ioannes ſenibus cogitandum proponit, & paulò poſt hocidem repetit. Signanter aũt addit: Eum qui erat ab initio, ne quis putet non aliũ eſſe Deum, quàm eos quos gentiles pro dijs colebant. In repetitione tamẽ alio epitheto Deum exprimit: Cognouiſtis (inquit) Patrẽ, quaſi diceret, Deus de quo loquor & quem cognouiſtis, non in tempore cœpit uocari Deus, quemadmodum dij gennũ, ſed ab æterno fuit Deus, nec terrenus aut carnalis, ſed cœleſtis Pater eſt, primus & nouiſſimus, Alpha & O, initium & finis omnium rerum. Sequitur:

Ioan. 17.

Scribo uobis adoleſcentes, quoniam uiciſtis Malignum]

Adoleſcentes uel maxime delectat & etiam ornat fortitudo corporis, atq; hoc unum eſt, in quo ſenes præceſſunt. Et hinc igitur Ioannes ſumit occaſionẽ, ipſos exhortandi ad fortitudinem ſpiritus, & pugnã aduerſus inſidias Diaboli. Itaq; gratulatur illis non tam fortitudinẽ corporis, q̃ firmitatẽ ſpiritus, quaſi diceret, Gaudeant alij de fortitudine corporali, ſint ſane fortes corpore & membris, pugnẽt cõtra homines, uos habetis ueram fortitudinẽ, hanc uobis adeſſe gaudeo, hanc ut contra Diabolum exerceatis moneo: Hæc etiam certam uobis dabit uictoriam contra ſpirituales hoſtes, &c. Pulchrè aũt huius ſpiritualis pugnæ adoleſcentes commonefacit, atq; adeo etiam ad eandem ipſos hortatur. Nulli enim hominũ ætati ita inſidiatur Diabolus ut adoleſcentiæ, quod ea ætas ex ſeipſa prona ſit ad malum, & quod abunde habeat ea, quibus uitia alũtur. Obſeruandum tamẽ, quod Ioannes nõ tam eos ad ſpiritualem hanc pugnam incitat, quàm certam illis uictoriam pollicetur: Immo, quo minus timeant contra Diabolum & uitia pugnam inire, uictoriã non tantũ in futuro eos conſecuturos, uerum in præterito iam conſecutos eſſe pronunciat: Viciſtis (inquit) malignum, adeo certam eis uictoriam pollicetur, quaſi eam iam in manibus haberent. Et hæc quidem adoleſcentibus dicta ſunt. Sequitur:

Scribo uobis infantes, quoniam cognouiſtis Patrem]

Infantibus & pueris nihil magis neceſſariũ eſt, quàm ut Patrem habeãt, aut aliũ qui Patris officio erga eos fungatur. Atqui Chriſtianorum

aborũ pueris Ioannes annũciat, quod nunc tandem uerũ Patrem inuenerint, qui ipsorũ curã agat, & non terrenũ aliquẽ, sed cœlestem Patrẽ. Et quid etiam huic hominũ generi melius nunciari potuisset? Quo argumento fortius ad pietatem incitari possent? Sequitur:

Scribo uobis iuuenes, quoniam fortes estis, & uerbum Dei manet in uobis, & uicistis Malignum]

Iterum ad iuuenes se conuertit, quia hi maiori & fortiori admonitione indigent, quo magis insidias hostis & incentiua carnis experiuntur. Cum primis autem ostendit, unde spiritualem illam fortitudinem habeant & habere possint. Non (inquit) ex uobis eam fortitudinem habetis, sed ex eo, quod uerbum Dei in uobis manet, hoc enim uel maxime in hac pugna, fortẽ reddit hominem. Non enim uel corporis robur, uel animi audacia, uel temeritas quicquam in hoc certamine agit, sed fortitudo animi, quam uerbum Dei & fides adferunt: Hæc (inquit) est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra. Quanquam ad eam uictoriam non parum etiam conferant, temperantia, timor Dei, constantia, cum primis aũt uirtus & operatio spiritus sancti. His, inquam, armis uincitur et Diabolus, et mũdus & caro. Sic igitur Apostolus cuilibet hominum ętati, quæ ei maxime congrua sunt, & quibus uel maxime ad pietatem incitari possit, semel proposuit. Senibus enim nihil magis congruit, aut etiam eos decet, quàm ut de Deo cogitent & loquantur. Iuuenes omnium maxime decet, ut contra Diabolum & uitia fortitudinẽ suam ostendant. Pueris nihil utilius, quàm ut uerum Patrem in cœlis cognoscere & inuocare discant. Vult igitur Ioannes, ut quilibet quod bonum accepit, agnoscat & recogitet, eoq; recte utatur. Quis autem non in omnibus ſtatibus nunc contrariũ uidet? &c̃. Omnibus aũt his malis uel sola Epistola hæc mederi & occurrere potuisset, &c̃. 1. Ioan. 5.

Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt]

Hic Ioannes tandem ipsam omnis mali radicem è cordibus nostris euellere nititur. Ea autem est, amor mundi & cupiditas terrenorum. Hanc enim etiam Paulus nominat radicem omnium malorum. 1. Tim. 6. Omnibus igitur ijs, quos iam & in genere & in specie pro sua cuiusq; ætate, & senes & adolescentes & pueros admonuerat, hoc uerbum inclamat, Nolite diligere mundum, &c̃. Hoc enim est quod nos uel maxime à bono retrahit, huic luto omnes filij Adam immersi hærent, nec se extricare possunt.

Cæterũ, mũdi uocabulo interdũ significatur tota illa mundialis machina, cœlũ, terrã et mare cõplectens. In hunc modũ Paulus de mundo loquitur, cum dicit: Elegit nos ante mundi constitutionem, &c. Eph. 1.

Act.17. Et iterum: Deus condidit mundum, & omnia quæ in ipso sunt, &c. Interdum mundi nomine omnes homines significantur, ut cum Ioannes dicit: In mũdo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Aliquoties, immo ut plurimũ, mundus in scriptura pro malis & impijs hominibus accipitur, ut cum Christus
Ioan.1. dicit: Me odit mundus. Et iterum: Pro eis rogo, non pro mundo,
Ioan.7. &c. Cæterum Ioannes nihil horum hoc loco mundi nomine intelligit. Non enim docet, ut creaturam Dei uel etiam malos homines
Ioan.17. odiamus, quandoquidem Christus præcipit, ut etiã inimicos diligamus. Mundi igitur nomine Ioannes hoc loco nihil aliud intelligit, quam inordinatum illum amorẽ & cupiditatẽ earum rerum, quas in mundo conspicimus, id quod etiam subsequentibus uerbis aperte indicat.

Omne enim quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia uitæ]

Hæc sunt quæ Ioannes mundi nomine intelligit hoc loco, hæc enim mundus uel maxime quærit, in his etiam maxime confidit: Diuitiæ, uoluptates, honores, tria hæc uel maxime mundanos delectant. Atqui Ioannes docet hæc non esse uera bona, quæ constare possint, atq; adeo innuit nobis meliora & maiora bona apud Deum reposita esse, maius uidelicet gaudium, maiores diuitias, maiores honores. Nolite igitur diligere mundum. Hanc eandem sententiam
Psal.4. Dauid alijs uerbis exprimit: Filij hominũ (inquit) usq; quo graui
Eccles.1. corde? ut quid diligitis uanitatem? Et Salomon, Vanitas uanitum & omnia uanitas. Ioannes igitur, ut amorem Dei cordibus nostris inserat, prius mundi amorẽ expellere conatur. Nam hi duo amores
Matth.6. simul esse nõ possunt: Nemo enim potest duobus Dominis seruire, Deo & Mãmonæ. Et qui uult esse amicus sæculi, inimicus Dei con-
Iac.4. stituitur: Amicitia enim huius mundi, inimica est Deo. Sic & Pau-
2. Cor.6. lus asserit, inter lucem & tenebras nullam esse posse conuentionem. Obserua quod Ioannes non dicit, exite è mundo, sed nolite diligere mũdum. Fieri enim potest, ut quis à mundanis corpore segregatus, in medio tamẽ mundo uersetur, immo mũdum in corde gestet per amorẽ eorũ quę mundus suspicit & quærit. E diuerso, Dauid etsi in
Psal.39. magnis diuitijs esset, uere tamen dicere potuit: Ego aũt mendicus
Hest.14. sum & pauper. Sic & Hester etiam regalibus ornamentis pro tempore utens, ea tamen in corde suo abominabatur. Et Thobias etiam conuiuia cum amicis celebrans, captiuitatis tamen & miseriæ populi sui non obliuiscebatur.

Ioannes igitur mundum, hoc est, amorem diuitiarũ, honorũ, uoluptatũ é corde expellere satagit. Alioqui enim, etiamsi homines fugias, in deserto te abscondas, externe in moribus, uestibus, etc. mundo te dissimilem præbeas, &c. nondum tamẽ mundum reliquisti, q; diu desideria mũdana in corde tuo pium̃t. Non igitur in mundo esse,

sed

sed mundum diligere Christiani prohibentur. Creaturis & bonis huius mundi uti licet, uerum ad necessitatem, non ad uoluptatem, aut superfluitatem, multo minus ad iniustitiam & impietatem. Cæterum, quis non uidet etiam hic, quàm non respondeat uita nostra huic doctrinæ Diui Ioannis. Quo magis Ioannes ab amore mundi, hoc est, diuitiarum, honorum & uoluptatum nos auocat, eò insanius ea quærimus, & pro his nunquam non contendimus, digladiamur, belligeramus, cœlumq; terræ miscemus: Cum tamẽ Diuus Augustinus inter duodecim abusiõũ gradus etiã Christianũ contentiosum numeret. Et Diuus Paulus, suos Corinthios acriter increpet, quod pro temporalibus inter se coram incredulis litigarent. 1. Cor. 6.

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo]

Ostendit quod supra admonui, duos hos amores Dei & mundi, simul esse non posse, arcq; hæc quidem una causa est, cur Ioannes nos dehortatur ab amore mundi. Altera causa, quia mundus nihil habet quod animæ commodare possit. Nam uoluptas carnis tantũ corpus exhilarat, diuitiæ tantũmodo oculos pascunt, honores mundani tantummodo externe hominẽ conspicuũ faciunt: Nihil autem horum animæ quicq; prodest, quin potius officit. Quale aũt gaudiũ est, ubi corpus gaudet, anima aũt non? Quales diuitiæ, quæ oculos pascunt, non aũt cor? Qualis honor aut gloria est, quæ nos tantum hominibus commendat, non Deo? Tertia causa, propter quam Diuus Ioannes nos ab amore mundi dehortatur, est, quia:

Transit mundus & concupiscentia eius]

Nihil solidum aut constans est in mundo. Si solidum quicquam mundus haberet, Christus mũdi bona nõ contempsisset, nec ab eisdem suos auocasset: Atqui Christus ne tantillum quidem in mũdo habere uoluit, ubi uel caput suum reclinaret. Et sequẽtibus se aperte dixit: Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Si transit mundus, quomodo manere possunt quę in mundo sunt? Quid igitur stultius, quàm ea diligere quę retinere non possis? immo, etiamsi mũdus perpetuo duraret, tu tamen non semper neq; admodum diu uiuere potes. Quid est homo, nisi bulla? Quid sunt omnia temporalia, nisi aqua decurrens, & ab uno ad alterũ defluens? Transferuntur enim & regna & imperia ab uno ad alium: Omnia quæ uidentur temporalia sunt, quæ autem non uidentur æterna. Sequitur: Matth. 8. Luc. 14. Dan. 2. 2. Cor. 4.

Qui autem facit ueritatem Dei, manet in æternum]

Quarta causa est, cur Ioannes nos ab amore mundi dehortatur, quasi diceret, Nemo non cupit et perpetuo manere & bonis perfrui: Atqui mũdus hoc præstare non potest, sed solus Deus. Eius igitur uoluntatẽ fac, & manebis in æternum. Vides igitur, quàm nihil Diuus

uus Ioannes omiserit, quo nos ab amore mundi auocaret. Et sic etiam necessarium erat. Nam cum ita creati simus, quod naturaliter bona & magna appetamus: Mundus autem speciem quandam bonorum habeat, toto impetu ad huiusmodi bona ducimur, in illis hęremus, nec facile auelli nos sinimus. Hoc autem uidens & sciens Diabolus, nunc̄ nō faces & fomenta subministrat, quo amor mūdi & terrenorū magis in nobis augescat. Merito igitur tot argumentis Diuus Ioannes in diuersum nos pertrahere conat⁹ est. Sequitur:

Filioli nouissima hora est]

Iterum Diuus Ioannes affectum suum ostendit nominando nos filiolos, ut magis moueat, & ut certi simus, magni referre, quod & iam dixit & mox dicturus est. Nam uerbum hoc, & ad præcedentia & subsequentia referri potest. Primo enim hoc uerbum uel maxime nos ab amore mūdi auocare debet. Quid enim tam anxiè quærimus diuitias, uoluptates, honores mundanos? Quid ita quęrimus
Abacuc. 2. & diligimus uanitatem & mendacium? Quid ita aggrauamus contra nos densum lutum? cum sciamus nouissimum tempus esse, nec solum mortem, uerumetiam finem mundi appropinquare, nec superesse nobis nisi unam horam. Stulte hac nocte tollent animam
Luc. 12. tuam, & quæ parasti cuius erūt? In eundem modum & Paulus mo-
2. Cor. 7. net: Tempus (inquit) breue est. Reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, sint tanquam eo non utantur, &c̄. Cæterum Diuus Ioannes hoc uerbo etiam pios, qui mundi bona contempserūt et reliquerunt, consolari uoluit: Vel etiam eos, quibus graue uidetur bonis huius mūdi carere. Non (inquit) graue tibi uideatur his rebus carere, quas mundus miratur: cogita quod nouissima hora est. Quis autem non libenter re aliqua ad horam carere cupiat, ut ea in perpetuum postea frui possit? Non igitur tantum eo spectandum est, quę mundus bona habeat, sed quæ in futurum nobis reposita sunt. Præterea Diuus Ioannes hoc uerbo etiam pigros & desides corripit, qui conuersionem suam de die in diem differunt & procrastinant, semperque aliquid excusationis prę se ferunt, quo minus & à malis se auellant, & bonis inuigilent. Quid ita differs conuersionem tuam ô imprudens homo? quid adeo tibiipsi longam uitam polliceris, cum iam nouissima hora sit? &c̄. Monet hoc uerbo Ioannes, ut omnem horam uelut nouissimam reputemus. Denicq; & totum tempus uitæ non nisi unam horam nominat, nec qualemcunq; horam, sed no-
Matth. 20. uissimam. Iam enim propemodum dies exacta est, iam instat tempus, ut operarijs sua persoluatur merces, quid igitur nos cessamus?
Matth. 25. Festinemus igitur antequam ianua claudatur, ne postea fruſtra pul-
1. Cor. 9. sandum nobis sit: Curramus, dum adhuc in stadio sumus, & bra-
uium propositum uidemus.
Rom. 13. In hunc modū & Paulus hortatur: Hora (inquit) est nos de somno

surgere

surgere, &c. Et iterum: Dum tempus habemus operemur bonum. Gal. 6.
Et Christus: Adhuc modico tempore lux uobiscum erit. Ambulate Ioan. 12.
igitur dum lucem habetis, ut non tenebræ uos comprehendant. Et Ioan. 9.
iterum: Veniet nox, in qua nemo poterit operari. Sūma, nihil magis nos decipit, quàm spes longioris uitæ. In hunc igitur modum uerbum hoc Diui Ioannis referri potest ad præcedentia. Cæterum, possumus uerbum hoc etiam ad sequentia referre, quasi diceret Ioannes, Moneo uos ò filioli, ut diligenter obseruetis quæ hactenus de fide, puritate uitæ, dilectione & contemptu mundi docui. Nam in nos fines sæculorum deuenerunt: Nos in tempora illa nouissima & periculosa incidimus, de quibus & Christus & Paulus nos præmonuerunt, eo attentius igitur uigilandum nobis est, ne seducamur. Matth. 24. 2. Tim. 3.

Et sicut audistis, quia Antichristus uenit: Nunc Antichristi multi facti sunt. Atq; hinc scimus, quoniam nouissima hora est]

Hic uidemus, quod Ioannes ipse uerbum precedens huic textui adaptet. Præmonere nos uoluit à Pseudoprophetis, ac docere, ut & constantes simus & prudentes: Constantes in sana doctrina, prudentes contra Pseudoprophetas. Nec solus tamen Ioannes nos ab huiusmodi seductoribus præmonuit, uerumetiam Christus ipse, Matth. 24. Et Petrus .2. Pet. 2. Et Paulus. 1. Thim. 4. 2. Thim. 3. Et Iudas Thadeus in Epistola sua. Quin & in ueteri Testamento Ezechiel, et Hieremias subinde cõtra Pseudapostolos clamant. Et Moyses contra eosdem legem posuit, eosq; occidendos mandauit. Non Deut. 13. temere autem toties præmoniti sumus, ut falsos Prophetas caueamus. Nusquam enim maius periculum est, quàm in doctrina. Ea enim si sana est, omnia salua sunt: sin autem corrupta est, nihil boni uel sperari potest, nam fides innititur doctrinæ: Quod si doctrina falsa est, & fides falsa erit. Vbi autem fides certa non est, illic nec spes nec charitas esse potest: Vbi autem hæc absunt, impossibile est, ut sequatur pia & Christiana uita. Doctrina igitur radix est, unde & omnia bona & mala prodeunt. Bona, si doctrina sana sit: Mala autem, si doctrina corrupta est. Obseruandum hic, quod Ioannes de Antichristo primum in singulari, quasi de uno: Deinde in plurali, quasi de multis loquitur. Primo, inquam, loquitur de uno Antichristo, quemadmodum & Christus ipse: Alius (inquit) ueniet in no- Ioan. 5. mine suo, hunc recipietis. Et Paulus eundem nominat hominem 2. Tes. 2. peccati & filium perditionis

Cæterum, q; Ioannes statim à singulari numero ad pluralem transit, plærique sic intelligunt, quod sit expositio prioris uerbi, ut uidelicet quæ Ioannes de aduentu Antichristi dixit, non de una aliqua

& certa

& certa persona, sed de toto grege & numero eorum, qui iam inde ab exordio non tantum Ecclesiæ, uerum etiam mundi, contra Christum aut uerbum Dei pugnarũt. Negant igitur, quod Antichristus certa aliqua & unica persona futurus sit: Atqui ueteres Ecclesiæ doctores uerba illa Ioannis exponunt ut iacent, faciuntq; discrimen inter unum illum, & plures hos Antichristos: Credunt & tenent
Dan.11. Antichristum, de quo Christus, Paulus, Ioannes & etiam Daniel loquuntur, certam aliquam personam futuram. Interim tamen cum Ioanne omnes illos, qui Christo contraria uel docent uel agunt, Antichristos nominant. Sic enim & Irenæus, Valentinianos & Martionitas: Hilarius Constantium Cęsarem & Arrianos: Cyprianus Nouatianos, Antichristos nominant, nõn tamen od id negarunt unicum illum Antichristum futurum. Quemadmodum enim de Tyrannis dicere solemus, Turcã habemus nobiscum: Et de malis hominibus, Homo homini Diabolus est, non tamen propterea negamus Turcam regnare Constantinopoli, aut ullos Dęmones alios esse quàm homines malos. Ita et hic Ioannes de multis Antichristis loquẽdo, non ideo negauit unicũ quendam, certum et insignem Antichristum uenturum. Cæterum, quis nam ille futurus sit, diuinare quidem possumus, uerum nihil certi affirmare. Christus solum
Ioan.5. modo dicit, uenturum quendam, cui Iudæi adhæsuri sint. Et Paulus tantummodo dicit, eum futurum hominem peccati & filium perditionis, nec quicquam aliud de persona huius Antichristi asserit: Vnde etiam Ioannes quæ futura sunt, Deo committit. Nostro quidem tempore non desunt, qui personam Antichristi audent nominare, magis tamẽ ex inuidia quàm ex uero iudicio. Quicunq; enim à Dogmatibus immo & hæresibus eorum dissentit, easq; impugnat, eum statim pro Antichristo traducunt, interim non uidentes omnia illa quæ & Paulus & Daniel de Antichristo prædixerunt, in eos uel maxime retorqueri posse. Sunt enim ex illis qui festucam in aliorum oculis uident, trabem autem suam non consyderant. Sed de his satis. Antichristum illum unicum & certum credimus quidem cum Patribus, quis autem futurus sit, quando & quomodo uenturus sit, Deo committimus. Ad Pseudoprophetas igitur reuertamur. Nam & hos Ioannes nominat Antichristos, hoc est, Christo contrarios uel aduersarios. Duobus autem modis Christo aduersari quis potest, Doctrina uidelicet & uita. De utroq; etiam locus hic intelligi potest, quandoquidem etiam uiuentibus adhuc Apostolis inuenti sunt, qui ne dum Christo contraria docerent, ut Ebion, Cherintus, uerumetiam qui contra doctrinam Christi uiuerent, ut Simon Ma-
Act.8. gus, & Nicolaus ille unus è septem Diaconis, à quo Nicolaitæ no-
Apoc.2. men acceperunt. Deniq; & hi, quos Paulus deflebat ut inimicos cru-
Phil.3. cis Christi, & qui uentrem suum pro Deo haberent, &c. Ioannes

igitur

igitur non loquitur de Iudæis & Paganis, qui aperte se hostes Christi profitebantur, sed de ijs, qui nomen Christi profitentur, contraria tamen Christo & docent aut agunt. Non igitur est ut inter nos contendamus, qui sint illi Antichristi: Quisq; conlyderet conscientiam, uitam, fidem & doctrinam, & statim inueniet num contra uel cum Christo sentiat. Facile enim est seipsum pro Euangelico & Catholico uenditare: At uero non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat, atq; adeo cui propria conscientia attestatur, se nihil contra doctrinam Christi docere uel agere. Merito itaq; terrere nos debet, quod Ioannes de uno illo Antichristo loqui exorsus, statim subiunxit: Nunc autem Antichristi multi sunt. 2. Cor. 10.

Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis]

Hic clare uidemus Ioannem loqui de ijs, qui uel Christiani fuerunt, uel etiam nunc sub nomine Christi contra Christum pugnant. Terribile autem est, quod Christus nedum Iudæos & Paganos ac Diabolum ipsum hostes habet, uerum etiam inter eos qui de suo nomine gloriantur, habere dicitur aduersarios & contradictores, id quod diu ante etiam per Dauidem & prædixerat & conquestus fuerat: Qui iuxta me erant (inquit) aduersum me steterunt. Et iterum: Qui edebat panes meos, magnifice supplantauit me. Nemo hominum aut Dæmonum, nullus Iudæus aut Tyrannus Ecclesiæ maiora damna intulit, quàm qui ex nobis exierunt. Nihil Ecclesiæ maiorem perniciem inuexit, quàm falsa doctrina & mala uita. Persecutiones enim Iudæorum & gentilium, adeo nihil nocuerunt Ecclesiæ, ut inde etiam fortius cresceret & proficeret. Hæretici autem post Tyrannos in Ecclesiam irruentes, ipsam in plures sectas scinderunt: Atq; hoc erat initium malorum. Accedebat & aliud malum æquè pestilens, postquam in Ecclesiam introducta fuit illa mundana pompa & diuitiarum abundantia, tunc enim inceepit in Ecclesia etiam mala uita, maxime Ecclesiasticorum, qui neglectis ijs quæ officium pastorale exigebat, solis temporalibus se occupabant, non Episcopi, sed Principes uocari gaudentes: Non Christo, sed mundo seruientes. Hoc erat ipsissimum uenenum Ecclesiæ. De utrisq; igitur, hoc est, tam de hæreticis quàm de malis pastoribus, intelligi posset uerbum hoc: Ioannes tamen potissimum loquitur de hæreticis. Hi enim ab Ecclesia se separant, ut uerissime de ipsis dici possit: Ex nobis exierunt. Si enim in & cum Ecclesia mansissent, hæretici & Antichristi non essent. Mali pastores, etsi propter uitam impiam Antichristi nominari possint, tamen non se separant ab Ecclesia, neq; tam grauiter nocent Ecclesiæ ut hæretici. Et quia in Ecclesia manent, facile conuerti possunt: Hæreticorum autem proprium est, Psal. 40.

primum Ecclesiam contemnere, deinde ab Ecclesia seipsos separare, consequenter & alios abducere, sicq; nouas Ecclesias immo sectas ædificare. *Ex nobis exierunt.* Nullus non Hæreticorum ab Ecclesia desciuit, omnes in Ecclesia fuerunt, sed non permanserunt. Et alios quidem seduxit nimia superbia & arrogantia, quod de sua scientia nimium præsumebant, suasq; opiniones Ecclesiæ decretis præferrent: Alij offensi mala uita Ecclesiasticorum, ab Ecclesia se separarunt, quemadmodum olim Donatus in Aphrica, post Vuiclephus in Anglia, & nunc plærisq; etiam nostris temporibus. Et uæ quidem omnibus illis, qui mala sua uita occasionem alijs præstant discedendi ab Ecclesia. Melius enim illis esset, ut mola asinaria suspenderetur collo eorum, & demergerẽtur in profundum maris, quàm quod uel uni ex membris Christi tale offendiculum præbeant. Interim tamen desertores illi non sunt excusati. Malum enim corrigi debet, non propter ipsum ab Ecclesia apostatandum. Noli (inquit Cyprianus) ab Ecclesia fugere, quod multum zizaniorum & palearum in Ecclesia uides, sed cura, ut tu ipse bonum frumentum sis, & nihil tibi oberunt zizania & paleæ. Sic Dauid non ideo se ab Ecclesia Israëlitarum segregauit, quod uideret impium Saulem in ea regnare, quin potius conquerebatur, quod non tutò sibi liceret in eadem congregatione habitare: Maledicti (inquit) sunt, qui me ejiciunt, ne habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade serui dijs alienis. Sic Prophetæ quicquid mali in populo fideli uidebant, uerbis quidem acriter arguebant, non tamen ob id etiam, cum non omnia emendare possent, se ab eodem populo separabant, id quod apertissime uidemus in Helia, Hieremia & alijs. Hoc fecerunt Augustinus, Cyprianus & alij ueteres, ideo Catholici permanserunt, hæretici autem exeunt.

Matth. 20.

1. Reg. 26.

Quia non erant ex nobis]

Hoc addit Ioannes, ne quis miretur aut etiam propterea turbetur, quod plærisq; se ab Ecclesia separant. Charitas quidem huiusmodi casum & defectionem deplorat, quemadmodum Paulus Iudæorum defectionem, & aliorum etiam quorundam, qui ex Christianis inimici crucis Christi effecti, uentrem pro suo Deo habebant: Verum iudicium hoc Deo committendum est, ipse nouit qui sunt eius. Nonne (inquit) ego uos duodecim elegi, & unus ex uobis Diabolus est: Quemadmodum enim Sathanas electos uarijs persecutionibus cribrat, sic & Christus uentilabro, hoc est, occulto iudicio suo aream suam purgat, ut paleæ decidant, triticum maneat.

Rom. 9.

Phil. 3.

Ioan. 6.

Luc. 22.

Matth. 3.

Si enim fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum]

Mali tantum corpore in Ecclesia sunt, non spiritu. Ecclesiæ igitur nihil decedit, etiamsi singulis diebus aliqui excidant, immo potius

potius eo purgatior & mundior redditur, quemadmodum tritico nihil obest, si zizania exarescant & pereant. Impij enim non aliter sunt in Ecclesia, quàm zizania inter triticum, utrunq; simul crescit, simul in aream conuehitur, & semper maior pars est palearum & straminis, per uentilabrum autem discernuntur, & à se inuicem separantur. Deinde impij etiam ita in Ecclesia sunt, ut mali humores in corpore, qui si ejciantur, adeo non obest corpori, ut uel ipsius certa sanitas sit, &c̄. Hæc duo exempla ponit Diuus Augustinus, quorum utrunq; pulchre conuenit cum hoc uerbo Ioannis. Vult igitur Ioannes, ut non miremur aut turbemur, si uideamus aliquos ab Ecclesia discisscere. Insuper etiam terrere nos uult, ne facile, immo ne unquam nos propria temeritate aut leuitate ab Ecclesia uniuersali & Catholica, separemus aut seiungi patiamur. Hoc quidem nostris temporibus à plærisq; parui æstimatur: At Ioannes palam pronunciat eos qui ab Ecclesia se separant, ad Christianos & electorum numerum non pertinere, nec unquam pertinuisse: Non (inquit) erant ex nobis. Qui autem ad electos, hoc est, ad Ecclesiam primitiuorum in cœlis ascriptorum non pertinet, nec cum Christo quicquam commune habet. Magni igitur refert, ut in Ecclesia maneamus. Atqui (dicet aliquis) si tanti refert, cur Deus permittit aliquos excidere? Audi quod sequitur: Heb. 12.

Vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.]

Verbum est ad quod non immerito obstupescimus, idem autem est cum eo, quod Christus ait: Multi sunt uocati, pauci uero electi. Matth. 20. Christus in iudicium uenit in hunc mundum, & alijs quidem est illuminatio, alijs obcæcatio. Positus est (ut Simeon ait) in ruinam & resurrectionem multorum: Officium eius est discernere inter pios & impios, & hoc quidem perfecte fiet in iudicio futuro. Tunc enim dicet messoribus suis: Colligite primum zizania, &c̄. Tunc sagena ad littus trahetur, & boni pisces in uasis recondentur: mali aũt foras proijcientur. Tunc separabit Christus ipse agnos ab hædis, &c̄. Quicunq; in agro & area Domini non bonum triticum est, uel à seipso excidit, uel per uentilabrũ ejcitur, hoc est, ligatis manibus & pedibus proijcitur in tenebras exteriores. Sic Christo de spirituali cibo corporis sui prędicante, multi discipulorum eius retro abierunt. Sic unus etiam è numero Apostolorum excidit. Sic Paulus pluribus uerbis describit excisionem Iudæorum è bona illa radice fidelis Abrahæ. Signanter autem obseruandum, quod Diuus Ioannes in genere hic loquitur & de multis, neminem tamen nominatim perstringit, ut omnibus timorem incutiat, omnesq; nos in timore conseruet, quemadmodum & alibi dicit: Qui stat, uideat ne cadat. Et iterum, Tu fide stas, noli altum sapere, sed time. Si Loan. 9. Luc. 2. Matth. 13. Matt. 25. Matth. 22. Ioan. 6. Rom. 11. 2. Cor. 10.

Rom.11. enim Deus naturalibus ramis non pepercit, &c̃.

Hæc ita q; una causa est, & quidem potissima, quod Deus permittit nunc hos nunc illos ab unitate Ecclesiæ excidere, sectasq; perditionis excitare: Vt manifeste (inquit) fiant. Possent tamen etiam aliæ causæ ad hoc assignari, nempe, ut pigri & desides illi pastores per hoc excitentur. Nihil enim mali permittit Deus, quod non ad bonum Ecclesiæ suæ ordinet. Sicut enim per Tyrannidem persecutorum, fidem martyrum exercuit, & toti mundo ostendit: Ita & per irruptionem hæreticorum pigros & infideles pastores excitat ad corrigenda ac tollenda Ecclesiæ scandala. Si nullus unquam lupus sese conspiciendum præberet, omnem curam & sollicitudinem pastores abiicerent. In Ecclesia Dei iam dudum inualuerunt abusus ferme omnium rerum, deniq; uariæ superstitiones, & insuper etiam mali mores ad summum usq;: Verum Deus huius sæculi Mammon, itemq; ambitio ita nos obcæcauit, ut tanta Ecclesiæ mala ne uidere quidem possimus, tantum abest, ut ea tollamus. Permissu igitur adeoq; iusto iudicio Dei, subinde se ingerunt, quibus hæc mala & deordinationes ansam occasionemq; præbent nihil non attempeandi, ut desides illi pastores etiamsi nolint, cogantur tamen Ecclesiæ commodis prospicere, &c̃. Ad hoc nobis prosunt hæreses & schismata. Sicut mali mores occasionẽ & causam præbent, ut bonæ leges sanciãtur: Ita & ab antiquo hæreses & schismata ansam præbuerunt patribus, multa in commodum Ecclesiæ scribendi, quæ aliàs fortasis ne cogitassent quidem.

Sed uos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia]

Mitigat quod dixerat. Primo enim, ne quis ex eo quod dixerat, Multos esse Antichristos, trepidus & pusillanimis subinferret. Si tam multi seductores nobis imminent, quis igitur securus esse poterit? Respondet Ioannes, Non te hoc moueat pie homo, multa quidem damna hæretici Ecclesiæ intulerunt & etiamnum inferunt, securus tamẽ es & manebis, si doctrinam spiritus sancti, quam accepisti, in te conseruaris. Quicquid enim ad salutẽ necessarium est, hoc iam dudum spiritus Ecclesiæ & uerbo Euangelij & occulta sua inspiratione manifestauit. Vnctionem igitur habetis à sancto, & scitis omnia: Non est igitur quod hæreticos reuereamini. Animi constantia & fide uobis opus, sic enim nihil prœualebunt impostores, &c. Deinde, ne quis ex eo quod Ioannes dixit, multos excidisse qui prius in Ecclesia fuerant, subinferret, Si tot & tanti ceciderunt, quid mihi ergo spei relictum est, maxime cum audiam ne nunc quidem omnes ad nos pertinere, qui inter nos degunt? Respondet Ioannes, nec hoc te conrurbet. In te enim situm est, num ab Ecclesia desciscere uelis uel non. Habes enim unctionem gratiæ Dei, & ab eo habes qui

sanctus

ſanctus eſt, ad hæc etiam ſcis omnia, quia igitur nec gratia nec cognitio ueritatis tibi deeſt, ſatis munitus es, ne facile excidere poſsis, ſi quelis: tantummodo uide, ne gratia hac & cognitione abutaris. In hunc igitur modum Ioannes præcedentia uerba mitigat. Obſeruandum autem, quod Ioannes & gratiam & cognitionem uel doctrinam Spiritus ſancti unctionem nominat. Primo enim per hoc ſignificatum nominis noſtri, nobis inſinuare uoluit. Nam Chriſtiani dicimur a Chriſto, Chriſtus autem unctus interpretatur. Et quidem in ueteri Teſtamento reges & ſacerdotes uncti dicebantur, ab externa illa unctione, qua & in regnum & ſacerdotium inaugurabantur. Saluator autem noſter, & ipſe in ſcriptura rex & ſacerdos pronunciatur, atq; ideo etiam Chriſtus uel Meſsias uel unctus nominatur: oportet igitur, ut & ipſe unctionem habeat, propter quam nomini ſuo reſpondeat. Eius autem unctio, ſpiritus ſanctus eſt. Propterea (inquit) unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Et Iſaias: Requieſcet (inquit) ſuper eum ſpiritus Domini, &c. Et iterum in perſona Chriſti: Spiritus Domini ſuper me qui & unxit me, euangelizare pauperibus miſit me, &c. Quemadmodum igitur ueteres illi reges & ſacerdotes ita ungebantur, ut oleum uel ipſa unctio à capite etiam in barbam & ueſtimenta defflueret: Ita & ſpiritualis, immo cœleſtis & diuina hæc unctio, ſpiritus ſanctus uidelicet, à Chriſto capite defluit, non in barbam tantum, uerumetiam in oram ueſtimenti eius, hoc eſt, non tantum in eos, qui de proximo ipſi adhæſerunt, aut cum ipſo fuerunt, uerumetiam in infima quæq; membra eius, idq; uſq; ad finem mundi: Vidimus (inquit) eum plenum gratia & ueritate: Et de plenitudine eius omnes accepimus. De hac igitur unctione, hic loquitur Ioannes. Docere itaq; uult, quid à Chriſto habeamus, Habetis (inquit) unctionem à ſancto, hoc eſt, gratiam & ueritatem per ſpiritum ſanctum. Et ſcitis omnia, hoc eſt, quæ ſcire uos conuenit. Nam alioqui nemo eſt, qui omnia ſciat: Difficile (inquit) cognoſcimus quæ in terra ſunt, quæ autem ſupra nos ſunt, quis inueſtigabit? Sic & Salomon, etſi ſapientiſsimus eſſet, plæraq; tamen ſe ignorare dixit. Et Paulus: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: uidemus nunc per ſpeculum, &c̃. Et iterum: Quę Dei ſunt, nemo nouit niſi ſpiritus Dei. Et iterum: Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? &c. Itaq; quod Ioannes hic dicit: Scitis omnia, ſolummodo de ijs intelligendum eſt, quæ ſcire nos conuenit, uel quæ ſcitu neceſſaria ſunt. His itaq; duobus uerbis, Vnctionem habetis à ſancto, Et ſcitis omnia, Ioannes non tantum pios conſolatur, uerum inſuper pigris omnem excuſationem adimit. Si enim unctionem habemus, hoc eſt, gratiam, nulla erit excuſatio, ſi dicas, Non poſſum hoc uel hoc facere. Si omnia ſcitu neceſſaria nobis reuelata ſunt: nulla erit excuſatio, ſi dicas, Hoc neſcie-

Pſal. 44.
Iſai. 11.
Iſa. 61.
Pſal. 132.
Ioan. 1.
Sap. 9.
Prou. 31.
1. Cor. 13.
Rom. 11.

bam, &c. Vides igitur quàm undiq; nos constringat & urgeat Apostolus noster. Ea enim quæ uel maxime hoc tempore desidiæ, immo malitiæ nostræ præteximus, Ioannes his duobus uerbis penitus eneruat, &c. Sequitur:

Non scripsi uobis quasi ignorantibus, sed quasi scientibus ueritatem, & quoniam omne mendacium ex ueritate non est]

Verbum hoc uel ad literam accipi potest, uel per Enallagen, ut res pro persona, mendacium pro homine mendace, ueritas pro homine uero & solido intelligatur. Docet igitur per hoc, unde Antichristi uel maxime cognosci possint. Vult autem sic colligere, Ioan.14. Christus est ipsa ueritas, & ita, ut nihil uel falsitatis aut doli tam in uerbis quàm in factis eius unquam deprehensum sit, aut etiamnum deprehendi possit. Itaq; ex Christo esse non potest, cui aliquo modo mendacium placet, siue hoc sit mendacium in doctrina, siue hypocrisis in uita. Quemadmodum enim duplex est ueritas, doctrinæ & uitæ: sic & duplex est mendacium. Ioannes autem dicendo, Omne mendacium, utrunq; comprehendit.

Quis est mendax nisi qui negat quod Iesus sit Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem & filium]

Per hos negatores Christi, non tantum intelliguntur Iudæi, qui Ioan.9. dicebant: Hunc nescimus unde sit. Et: Non est hic homo à Deo. Nec tantum Ebion & Cherintus, qui dicebant, Christum non fuisse ante uirginem matrem. Nec tantum Valentiniani, qui asserebant Christum corpus non ex Maria sumpsisse, sed è cœlo attulisse. Præterea nec soli etiam Arriani, qui Christum negabant Deo Patri æqualem, uerumetiam omnes qui aliam uiam ad salutem quærunt quàm per Christum. Omnes (inquam) tales negant Chri- Rom.3. stum. Ipsum enim unum & solum proposuit Deus propitiatorem Col.1. per fidem in sanguine eius: Per ipsum placuit Deo omnia reconciliare, & quæ in cœlo & quæ in terra sunt. Nec est aliud nomen sub Act.4. cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, &c. Hoc autem negant qui aliam sibi uiam ad salutem quærunt. Postremo & hi Christum negant, qui ipsi contrariè uiuunt. Sic enim Paulus Tit.3. de quibusdam dicit, quod Deum quidem ore confiteantur, uerum factis negent. De utraq; igitur confessione, tàm oris quàm operis, intelligendum est illud Euangelicum: Qui me confitebitur coram Luc.9. hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Et è diuerso: Qui me erubuerit coram hominibus, &c. Diuus Augustinus uerbum hoc uel maxime torquet in suos Donatistas alioscq; schismaticos, qui Christum quidem uerbis confitebantur, iuxta hoc tamen Christi Ecclesiam scindebant, &c. Sequitur:

Omnis qui negat filium, nec Patrem habet: Qui confitetur filium, & Patrem habet]

Iudæi

Iudæi putabant se iniuriam Deo inferre, si faterentur ipsum habere filium. Sic & Arriani Deo iniuriosum putabant, si filium confiterentur Patri æqualem, utrique persuasi erant, satis esse si Deum Patrem confiterentur. Atqui Ioannes plane asserit, eos qui negant Christum, nec Patrem habere. Itaque qui Filium spernit, spernit & Patrem: Qui Filium honorat & suscipit, suscipit & Patrem. Nam Pater in Filio cognoscitur: Ipse enim est splendor gloriæ & figura substantiæ eius. Vnde & Christus ipse dicit: Qui uidet me, uidet & Patrem meum. Qui igitur à communione Christi se separat, is ad Ecclesiam, quæ est corpus Christi, non pertinet. Omnia hæc Ioannes nobis inculcata uult, ut sciamus, nihil damnosius esse, quàm Christum uel uerbis uel factis negare: Ipsum autem fide & uita confiteri, summam & certissimam salutem esse. Qui enim Christum negat, nec Patrem habet, & econtra. Sequitur: Luc.10. Ioan.13. Heb.1. Ioan.14.

Vos quod audistis ab initio in uobis permaneat: sic enim & in Filio & in Patre manebitis]

Fidele consilium dat, quid agendum nobis sit, ubi Pseudoprophetæ & Antichristi in Ecclesiam irrupuerint. Nam alioqui frustra prænunciasset uenturos esse tales impostores, nisi simul etiam subindicasset, quomodo uitari possint. Consilium autem eius est, ut maneamus in eo quod ab initio audiuimus. Optimum sane consilium, quàm primum enim dubitare incipimus de his, quæ ab exordio edocti sumus, erroribus aditum præbemus. Hinc Christus toties huiusmodi uerba discipulis inculcat: Manete in me, & ego in uobis: Videte ne quis uos seducat: Si dixerint hic est Christus uel illic, nolite credere, &c. Et Paulus: Tu autem permane in his quæ didicisti, sciens à quo didiceris. Et iterum: Doctrinis uariis & peregrinis nolite abduci. Et iterum: Ne moueamini omni uento doctrinæ. Et iterum: Si Angelus è cœlo euangelizauerit aliud, quàm quod audistis, anathema sit. Cæterum, quæ ab initio edocti sumus, hæc sunt: Fides in Christum, spes, charitas, obedientia, patientia, contemptus mundi, desiderium ad superna, obseruatio mandatorum Dei, &c. De his, inquam, ab initio edocti sumus, tam ex Euangelio quàm ex Epistolis Apostolorum. Atqui hæc etiam ad omnes nos pertinent. Hinc Paulus: Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, &c. Et iterum: Scitis quæ præcepta uobis dederim per Dominum Iesum. Hæc est enim uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis à fornicatione, &c. Ab initio igitur edocti sumus, non tantum quæ ad fidem, uerumetiam quæ ad pietatem & sanctitatem uitæ pertinent. In his qui permanserit, & in Filio & in Patre manebit, atque adeo à seductoribus quoque securus erit. Ob- Matth.24. 2.Tim.3. Heb.13. Eph.4. Gal.1. 2.Tim.3. 1.Tes.4.

seruabis hic, quanti nobis æstimanda sit Christiana doctrina ac uerbum Dei. Hinc enim & ad summum honorem perducimur, & summam etiam utilitatem consequimur. Quis autem maior homini honor contingere posset, quàm manere in Patre & Filio? Atqui hunc honorem consequitur, qui permanet in doctrina Christi & Apostolorum. Hinc & Christus ipse: Qui diligit (inquit) me, ser-
Ioan.14. mones meos seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, &c. Nec ab honesto tantum Ioannes sumit argumentum, uerumetiam ab utili, ut constantiam & perseuerantiam in sana doctrina nobis persuadeat. Sic enim subdit:

Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est, nempe uita æterna]

Hæc est utilitas sanæ doctrinæ & uerbi Dei, uita scilicet æterna. Et quid maius uel optare posses? Ad summum igitur & utile & honestum est in sana doctrina & uerbo Dei perstare. Vtrunq; autem Ioannes subindicat, ut fortius moueat & persuadeat.

Hæc scripsi uobis de his, qui uos seducunt]

Pluribus uerbis usus est, quia astutiam Satanæ nemo satis præcauere potest. Et magni periculi res est, abduci à sana doctrina. Per hoc enim & à Deo & ab æterna uita excidimus. Subindicat itaq; Ioannes hoc uerbo, se quod suum est fecisse, quemadmodum & Paulus Ephesijs dicebat: Contestor uos hodierna die, quod mundus sim à sanguine omnium uestrum. Non enim subterfugi, quo-
Act.20. minus annunciarem uobis omne consilium Dei.

Et unctio quam accepistis ab eo, manet in uobis. Et non habetis necesse, ut aliquis uos doceat: sed sicut uos unctio docet de omnibus, uerum est & non est mendacium]

Per unctionem (quod & supra monuimus) spiritum sanctum in-
Ioan.14. telligit. Is enim & docuit nos omnia, & etiamnum uerus Ecclesiæ doctor est. Non enim qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed
1.Cor.3. qui incrementum dat. Non tamen hoc uult Ioannes, quod spiritus sanctus sine medijs nos doceat, solaq; interna inspiratione: id quod Anabaptistæ sibi persuadent, qui & dupliciter in hoc uerbo errant. Primo quod per spiritum et unctionem non intelligunt, spiritum sanctum, sed proprium suum spiritum, proprias cogitationes, propriam rationem, uel potius melancholiam insanam proprij capitis & sensus. Deinde quod externam uerbi Dei prædicationem uel omnino tollunt, uel minus necessariam ducunt, à solo spiritu citra ullum medium doceri uolentes, sicq; spiritum sanctum à scriptura & uerbi Dei prædicatione externa separant. Cum hoc sit uerum illud medium quo spiritus sanctus nos docet, nempe scriptura & externa uerbi Dei prædicatio. Sic enim loquente Petro, cecidisse
Act.10 legimus spiritum sanctum super eos, qui uerbum Petri audiebant.

Et

Et de Apostolis legitur, quod exeuntes prædicauerunt Domino cooperante. Docet igitur Spiritus sanctus, sed per uerbum: Docent Apostoli, sed per cooperationē spiritus sancti. Spiritū sanctū igit à scriptura sacra separare nemo debet. Docuit spiritus sanctus ueteres Prophetas ut plurimum occultis inspirationibus, uel imaginarijs uisionibus citra externam prædicationem: Docuit Apostolos, uerba Christi illis suggerendo, & quæ dudum audierant iterū ad memoriam reuocando: Docet nos per mediū scripturæ sacræ & uerbi. Et qui hoc mediū contemnit, frustra expectat Spiritus sancti nouam & internā instructionem. Immo ideo scriptura sacra nobis data est ceu certa quædam regula Christianæ doctrinæ, ne proprius nos seduceret spiritus. Quod si nulla certa doctrinæ sacræ regula nobis præfixa esset, quis non uidet confusum chaos futurū. Si enim scripturam sacram ut certissimam sanæ doctrinæ regulam, ob oculos nobis positam habentes, tam dissimilia tamen docemus, quid fieret sublata scriptura? Ioannes igitur non hocuult, quod de cætero nulla scriptura aut externa uerbi Dei prędicatione opus habeamus, sed quod ipsa ueritas tam aperte & sufficienter per Apostolorum doctrinā & scripta, tradita sit, ut Pseudoprophetarū nouis dogmatibus, uisionibus & reuelationibus, &c. nihil opus habeamus. Vnctio in uobis manet (dicere uult) uidete ut eam retineatis: Spiritus sanctus non mutatur, ut nunc aliter doceat quàm olim, uerum idem semper manet, semperq; sibijpsi constat. Denicq; & nunquam docere cessabit, sic enim & Christus futurū prędixit: Manebit (inquit) uobiscum inæternū. Refelluntur igitur hoc uerbo Martion & Manichæus, qui asserebant Spiritum sanctū post Apostolorum tempora cessasse Ecclesiam docere, in se autem eundem spiritum sanctum reuixisse, id quod etiā nunc plærique de seipsis asserere audent, cum Ioannes aperte dicat, Vnctionē illam quæ ab exordio Ecclesiam docuit, perpetuo manere, nec unquam à docendo cessasse aut cessare. Damnatur hoc uerbo etiam impius Mahumetus, qui asserebat spiritum sanctum alia docuisse per Moysen, alia per Iesum Nazarenum: Nunc autem etiam per se nouam legem instituisse. Hoc aūt ipsius figmentum non tantum hoc loco refellitur, uerumetiam per id quod Ioannes supra dixerat: Nouissima hora est, quo uerbo inter alia significare uoluit, post publicationem Euangelij, nullam aliam nouam à Deo doctrinam expectandam. Quod si etiam ipsa unctio, ipse spiritus sanctus immutabiliter in Ecclesia manet, ut hic dicitur: certū est etiā scripturā sacram & doctrinā Euangelicā nunquam immutandam. In fine circa hoc uerbum etiā aliud quiddā Diuus Ioannes innuit, nempe spiritū sanctū longe alio modo docere q̄ homines doceant. Homo siquidē nihil aliud q̄ uerba auribus ingerit & inclamat, spiritus aūt sanctus eadem cordibus inscribit: Homo

Mar. 16.

Ioan. 14.

Ioan. 14.

Sup. c. 2.

plantat

plantat & rigat, ſpiritus ſanctus incrementum dat. Effectus itaq; & fructus e ſana doctrina proueniens, non humano operi, ſed unctioni ſpiritus ſancti aſcribi debent, id quod Diuus Paulus nuſq; non facit, omnia in Deum referendo, &c.

Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius]

Hactenus Ioannes per digreſsionem de Pſeudoprophetis diſſeruit: Nunc ne exiſtimetur inſtituti ſui oblitus, recurrit ad id quod in exordio huius capitis dixerat, nempe, quod ad Chriſtianiſmum non fides tantum, uerumetiam uita Deo digna pertineat. Iterum igitur filios ſuos nos nominat, ut oſtenſione affectus ſui fortius moueat. Manere autem nos iubet in eo, quod uidelicet unctio nos docuit & docet: Vel in eo, hoc eſt, in ipſo Deo, per fidem uidelicet & imitationem. Hoc enim eſt manere in Deo, ut ſupra oſtenſum eſt. Addit autem Ioannes etiam huius rei utilitatem, id quod & ſupra fecerat. Multis enim hactenus promiſsionibus ad pietatem nos trahere conniſus eſt: Nunc autem fortius quiddam addit, in eo quod etiam iudicij futuri & ſecundi aduentus Chriſti nos cõmonefacit, quaſi diceret, Non tantũ nobis cogitandum eſt, quis fructus ſequatur pietatem, & quæ prẽmia promiſſa ſint pie uiuentibus: uerumetiam, immo uel maxime, quo nam modo coram iudicio Dei cõſiſtere ualeamus. Huc (inquam) omnia noſtra ſtudia referenda ſunt, ut fiduciam habeamus in die iudicij. Audiſtis nouiſsimam iam horam eſſe, ſcitis iam dudum iudicij diem omnibus hominibus
Rom.14. indictam & denunciatam: Omnes enim nos ſtare oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſq; quod geſsit in corpore, ſiue bonum ſiue malum. Magni igitur refert, qua fiducia illic cõpareamus. Quemadmodum enim nihil terribilius eſt, quàm male ſibi conſcium coram iudice apparere: ita nihil lætius, quàm bona conſcientia iudicium adire. Atqui hanc talem tantamq; fiduciam coram iudicio Dei (cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt, & in quo iudicio nulla uel excuſatio uel appellatio locum habebit) nulla ſub cœlo res præſtare poteſt, quàm poſt fidem & ex fide, pia uita & bona conſcientia, unde & Paulus teſtimonium bonæ conſcientiæ, pro ſumma &
2.Cor.1. unica gloria ducit. Sic & Sapiens dicit: Secura mens quaſi iuge
Prou.15. conuiuium. Et iterum: Fugit (inquit) impius nullo perſequente,
Prou.28. at iuſtus cõfidit ut leo. Sic et Dauid de eo qui timet Deũ, etiã hoc ſcri-
Pſal.111. bit: In memoria æterna erit iuſtus, ab auditu malo non timebit. Denicq; uel Chriſto ipſo teſte, fidelis quiſq; ſeruus olim auditurus eſt:
Matth.25. Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudiũ Domini. Quin et omnes
Ibidem electi audient: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c.

In

In hoc igitur docet nos Ioannes omne ſtudium noſtrum inſumere, ut hanc coram Dei iudicio fiduciam habeamus: eam autem ſola fides non præſtat. Bonum quidem eſt immo & neceſſarium, ut fidei fundamentum ante omnia ponamus, cæterum quod ſupra illud fundamentum ædificamus, ignis probabit. Niſi enim quod ſuperædificamus, fuerit uel aurum, argentum aut lapides precioſi, coram iudicio conſiſtere non poterit: Nam lignum, fœnum & ſtipulam ignis ille conſumet. Multi itaq; in eo iudicio confundentur, qui nunc uidentur ſibi egregie ſtare: Multi (inquit) dicent mihi in die illa, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? &c. Et reſpondebo illis: Neſcio uos, diſcedite à me operarij iniquitatis, &c. Maneamus igitur in Deo per fidem & obedientiam: Alioqui quo ore Patrem illum nominare audebimus, ſi perpetuo filij inobedientes & rebelles inueniamur? Si manſeritis (inquit) in ſermone meo, uere diſcipuli mei eritis, &c. 1. Cor. 3. Matth. 7. Ioan. 8.

Si ſcitis quoniam iuſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit iuſtitiam, ex ipſo natus eſt]

Verbum hoc inter præcipua illa argumenta reputari debet, quibus Ioannes probare nititur, poſt fidem etiam charitatem itemq; & uitæ ſanctitatem à nobis exigi. Deus (inquit) iuſtus eſt. Itaq; qui Dei Filium ſe eſſe gloriatur, iuſtitię & ipſe inſiſtat operibus: Alioqui iuſti Dei Filius dici non poteſt, ſi non & ipſe iuſtitiam diligat. Hoc autẽ contra eos militat, qui perpetuo de iuſtitia Chriſtiana ſcribunt, docent, pugnant & contendunt, interim tamen in ſumma iniuſtitia uiuunt. Deum iuſtum & ſanctum eſſe omnes credimus & fatemur: At quod etiam iuſtitiam diligat, eamq; à filijs ſuis exigat, nemo attendit. Per fidem filij Dei efficimur, atqui per opera iuſtitiæ, quod filij Dei ſimus, comprobamur. Ideo & Diuus Petrus uult, ut bonis operibus fidem & uocationem noſtram certam reddamus. Iactet igitur fidem quiſq; uult & quantum uult, nemo tamen in iudicio Dei ſecurior erit quàm is, qui iuſtitiam facit & operatur, ex fide tamen. Ex uerbis igitur his Apoſtoli noſtri ſequitur, q̃ duo hęc, credere & iuſtitiã operari, iuſtitiã Chriſtianã perficiũt. Non q̃ huiuſmodi iuſtitia in nobis pro hoc tempore omnino perfecta eſſe poſsit: Nam uita Chriſtiana non eſt iuſtitia, ſed perpetua iuſtificatio. Tunc autem perfecta erit iuſtitia noſtra, cum nullum iam amplius malum nobis adlubeſcet, nulla concupiſcentia titillabit, nulla inter ſpiritum & carnem pugna erit. Hoc autem tunc fiet, cum nouiſsime inimica deſtruetur mors, & nos plene de hoſtibus noſtris triumphabimus. Quamdiu enim hic uiuimus, & ferimus hoſtem & ferimur ab eo, uincimus ac uincimur. Tunc autem ad plenum uincetur hoſtis, abolebitur in nobis peccatum, regnabit autem iuſtitia ſempiterna. 2. Pet. 1. 1. Cor. 15. Dan. 9.

CAPVT

CAPVT III.

HActenus Diuus Ioannes quatuor argumentis probauit, ad Christianum hominem non tantum pertinere ut credat, uerumetiam ut pie & sancte uiuat. Horum primum est, Deus lux est, ideo qui societatem cum eo habere uult, necesse est, ut omnes à se tenebras depellat. Secundum, Deus uerax est, immo ipsa ueritas, ideo qui gloriatur se nosse Deũ, non mẽdacio, sed ueritati studere debet. Tertium, Christus est propitiatio pro peccatis nostris, qui igitur in Christo manere & partem cum ipso habere uult, ambulare debet, quemadmodum & Christus ambulauit & uixit. Quartum argumentum, Deus iustus est, igitur iustitiæ inuigilare nos oportet, si eius filij esse cupimus. Et hæc quidem hactenus audiuimus. Sequitur:

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur & simus]

Hoc uerbo Ioannes iterum pro suo more mitigat, idq; ingenti consolatione, quod alicui duriuscule dictum uideri poterat. Carnali siquidem homini blandius irrepit, & dulcius sapit, cum audit credentem iustum reputari coram Deo, quàm cum audit eum iustum esse, qui iustitiã operatur, ut Ioannes hic dixit. Ne igitur resi-
Ioan.6. liat clametq; durum esse hoc uerbum, Ioannes consyderare nos docet, quantum dilectionis & gratiæ præ omnibus alijs hominibus Deus nobis ostenderit: Videte (inquit) quãtus honor sit, uocari et esse filiũ Dei. Hoc aũt neq; ex natura, neq; ex meritis nostris habemus, sed tantũ ex mera gratia & dilectione Dei. Nulli igitur graue aut durum uideatur, ita uitam suam instituere, ut huic tam magnifico nomini & muneri respondeat. Emphasim autem habet quod dicit: Videte, quasi diceret, Nihil incertum hic dico, nihil in hac re fingo, imò tam certa sunt quę dico, ut et uideri et cõtrectari possint, si modo oculos aperiamus & animũ intendamus, &c. Obseruandum, quod non tantum dicit, Vt filij Dei nominemur, sed insuper addit: Vt filij Dei simus. Nam alioqui & Iudæi uocari uolebant filij Dei, cum tamen Christus palam conuinceret eos non Dei, sed
Ioan.8. Diaboli filios esse. Aliud enim est nominari, aliud esse filium Dei. Nihil proderit magnum nomen, si defuerit res.

Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum]

Hinc uel maxime probatur, nos nedum nominari, uerumetiam
Ioan.15. esse filios Dei. Si enim de mundo essemus, mundus quod suum est,

eſt, diligeret: nunc aũt cum aliunde nati ſimus, originemq; & genus noſtrum è cœlo & ex Deo habeamus, mundus nos non nouit. Itaq; hoc uerbo Ioannes nos contra ſcandalum crucis confortat: Nam alioqui uix & difficulter credi poteſt, quod filij Dei ſimus, cum ipſe Deus mundo tantum licentiæ, tantum malitiæ, tantum crudelitatis in nos exercere permittat. Atqui nihil hæc te moueant (inclamat Apoſtolus noſter) immo nullum certius ſignum habere potes, te eſſe filium Dei, quàm ſi mundus te odiat, cura tamen culpam tuam. Mundus enim nihil aliud eſt, quàm fex illa hominum, qui nihil niſi quod terrenum eſt diligunt, nullum agnoſcunt præterquam ſibi ſimiles, uſq; adeo, ut nec uerum illum & naturalem Filium Dei agnoſcere uoluerint, propterea, quod non in forma Dei, ſed forma & habitu ſerui appareret. Deinde quod etiã ipſis diſſimilis eſſet, diuerſaq; uia incederet, inſuper & uitia eorum redargueret. In mundo (inquit) erat & mundus eum non cognouit: In propria uenit, & ſui eum non receperunt. Quid igitur mirum, quod mundus etiam nos adoptiuos filios Dei non agnoſcit aut recipit, qui naturalem illum Dei Filium nec agnouit nec recepit? Immo mundus nec ipſum Deum cognoſcit, qui tamen omnia & creauit & regit operaturq;, denicq; nec longe eſt ab unoquoq; noſtrum: Nam in ipſo uiuimus, mouemur & ſumus. Huc pertinet quod etiam Petrus dicit de filijs huius ſæculi aut mundi amatoribus: Admirãtur (inquit) de uobis quod non concurratis in eandem luxuriæ confuſionem, atq; ideo uos blaſphemant. Ad idem facit illud Pauli: Omnes qui pie uolunt uiuere, perſecutionem patientur. Vnde & idem Paulus fidenter dicit: Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Obſerua hic, quod Ioannes iterum hoc uerbo magnam differentiam facit inter filios Dei & mundum. Cura igitur, ut non inter mundanos, ſed inter filios Dei inueniaris. Si filius Dei es, agnoſces & alios Dei filios, denicq; & uita eorum tibi probabitur. Quod ſi nec filios Dei agnoſcis, nec uita eorum tibi probatur aut placet, profecto ad mundum pertines.

Phil. 2.

Ioan. 1.

Act. 17.

1. Pet. 4.

2. Tim. 3.

Gal. 1.

Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus]

Summa hic bona Chriſtianorum enumerat, idq; uerbis ad ſummum uſq; conſolatorijs. Primo autem iterum nos filios Dei nominat, & cum Emphaſi: Nunc (inquit) ſumus filij Dei, iam enim ſpiritum adoptionis accepimus, in quo fidenter ad Deum clamamus, Abba, Pater. Et is idem etiam ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Hoc (inquam) bonum iam accepimus, iam habemus, poſſidemus, ac eo fruimur, quantumuis mundus illud non credat, nondum enim apparet. Sumus adhuc in prælio, dies autem triumphi noſtri hoc manifeſtabit, & adeo, ut etiam

Gal. 4.

Rom. 8.

impñ olim non ſine admiratione & tremore dicturi ſint: Hi ſunt
Sap.5. quos aliquando habuimus in deriſum, &c̄. Nos inſenſati uitam illorum putabamus eſſe inſaniam, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Magna itaq; ſunt quæ accepimus, uerum longe maiora expectamus: Oculus non uiIſa.64. dit, nec auris audiuit quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Quę autem ſunt illa bona?

Scimus (inquit) quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt]

Col.3. Ad eundem modum & Paulus ait: Cum apparuerit Chriſtus uita ueſtra, tunc & uos ſimul cum ipſo apparebitis in gloria. Obſerua autem, quod nec Paulus explicat quæ futura ſit illa gloria, nec Ioannes quæ & qualis futura ſit illa ſimilitudo Dei. Vtrunq; enim plane inenarrabile eſt. Cæterum, quod Ioannes hic dicit: Similes ei erimus, referri poteſt ad Chriſtum, ut ſicut eius imagini hic conformes ſumus in cruce, ſic & illic ei conformes futuri ſimus in glo2.Cor.1. ria: & ſicut cum ipſo patimur, ſic & cum ipſo conregnemus. Quod autem addit: Videbimus eum ſicuti eſt, intellige, non ſicut ſe in hoc mundo uidendum præbuit. Non (inquam) in forma ſerui eum uidebimus, ſed in forma Dei: Impñ in ſola eum humana natura uideAct.1. bunt, ſic enim ueniet, quēadmodum Apoſtoli uiderunt eum aſcenIoan.19. dentem. Itaq; etiam impñ uidebunt, in quem compunxerunt: Videbunt, inquam, gloriam Chriſti hominis, ſed ex hac uiſione confundentur. Nec gloriam deitatis eius unquam uidebunt: Tollatur (inIſa.26. quit) impius, ne uideat gloriam Dei. Nos autem uidebimus eum ſicuti eſt, in ea uidelicet forma, de qua Ioannes in Euangelio ſuo diIoan.1. cit: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, &c̄. Deinde uerbum hoc: Similes ei erimus, etiam de ipſo Deo intelligi poteſt, ut ſit ſenſus, Similes ei erimus, hoc eſt, liberi & ſecuri ab omnibus morbis, morte, miſeria, mutabilitate & corruptione, quemadmodum ipſe ab omnibus his liber eſt. Videndo enim diuinam illam uitam, liberi erimus ab omnibus morbis, & ipſa etiam morte: Videndo diuinæ uoluntatis immutabilitatem, liberabimur ab omni mutabilitate noſtra: Videndo diuinæ ipſius ſubſtantiæ incorruptibilitatem, liberabimur & ipſi ab omni corruptione. Videbimus
1.Cor.13. enim eum non in ſpeculo, ſed facie ad faciem: Non tantum in operibus ſuis ut nunc, ſed in ſeipſo. Vide autem, quàm magna Diuus Ioannes paucis his uerbis comprehendat. Ideo autem futura & cœleſtia tantopere nobis commendat, ut eo minus terrenis & tranſitorijs inhæreamus, itemq; ut tanto diligentius & feruentius pietati inſiſtamus. In hunc enim finem & ſcopum Ioannes omnia hęc ſcribit & dirigit. Sequitur:

Et omnis qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſeipſum]

Hic

Hic uidemus, quàm commode Ioannes argumenta ſua ad propoſitum applicet. Videtur quidem uarijs digreſsionibus delectari, uerum nunquam deflectit à ſcopo. Videmus etiam hic, in quem finem uerbum gratiæ diuinarumq; promiſsionum nobis adnunciet, nempe ut meliores & ad omnem pietatem promptiores inſtructioresq; reddamur. Et in eum etiam finem Euangelium gratiæ Dei prædicari debet, quod qui non faciunt, Euangelio plane abutuntur. Diuus Ioannes, ſicut promiſsione diuinæ ſimilitudinis & uiſionis credentes quoſq; erexerat, ita ſpe eiuſdem conſequendæ ipſos ad ſanctificationem uel ſanctitatem uitæ excitat. Beati enim mundi corde, ipſi enim ſoli Deum uidebunt. Et qui Deo ſimilis eſſe cupit Matth.5. in gloria, ſtudeat eidem nunc aſsimulari in ſanctitate & iuſtitia. Huc pertinet quod Paulus ait: Eſtote imitatores Dei, ſicut Filij chariſsimi, &c̃. Et Chriſtus ipſe: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater ueſter cœleſtis miſericors eſt. Et iterum: Diligite inimicos ueſtros, ut ſitis Filij Patris ueſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Obſerua quod Ioannes non dicit, qui hanc ſpem habet, ſtudeat ſeipſum ſanctificare, ſed: Sanctificat (inquit) ſeipſum, hoc eſt, ex ſeipſo hoc agit, nec opus habet admonitione, ipſa ſpes conſequendæ ſimilitudinis & uiſionis Dei, eum trahit & urget. Obſerua ſecundo, quod non dicit, qui hanc ſpem habet, jam ſanctus eſt, ſed: Sanctificat ſeipſum, quo uerbo palam oſtendit, ueram ſanctitatem non in ſola fide conſiſtere. Ephes.5. Luc.6. Matth.5.

Ad eundem modum & in alio loco dicit: Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc: Et qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Obſerua & illud, quod Ioannes non dicit, qui hanc ſpem habet, hũc Deus ſanctificat, aut pro ſancto & iuſto eum habet, non imputando ei peccata ſua propter fidem & ſpem. Non enim loquitur Ioannes hic de iuſtitia, quam ſuperne accipimus, et qua Deus nos iuſtificat, ſed de iuſtitia & ſanctitate, in qua homo ſeipſum exercet. Denicq; & hoc obſeruandum, quod Ioannes non de aliquibus tantum in ſpecie, ſed de omnibus in genere loquitur. Nec dicit, aliqui hanc ſpem habentes, qui uidelicet ſpeciali gratia præditi ſunt, ſeipſos ſanctificant: Sed, Omnis qui hanc ſpem habet, ſeipſum ſanctificat. Apud Ioannem igitur certiſsima regula eſt, quod qui uere credit & ſperat, ſeipſum ſanctificet, hoc eſt, ab omni uitiorum inquinamento mundum ſe conſeruet, in omni autem pietate ſe exerceat. Nec in hoc fallitur Diuus Ioannes. Aſtipulantur enim huic aſſertioni omnium uere credentium exempla, tam ueteris quàm noui Teſtamenti. Sic enim & Abraham tam pie & ſancte uiuebat inter Chananæos, ut Princeps Dei ab ipſis uocaretur. Sic Iſaac, Iacob, Moyſes alijq; Patres & Prophetæ, tanto ſtudio pietati inuigilabant, ut Paulus ne dum ipſos in genere hoc encomio celebret: Sancti per fidem uicerunt Apoc.22. Gen.23. Heb.11.

regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt promissiones, sed etiam subinferat, mundum ipsorum cohabitatione non fuisse dignum. Sic de Apostolis nostris, alijsq; primitiuæ Ecclesiæ credentibus
Act.2. scriptum legimus: Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus. Et paulò post: Quotidie perseuerabant unanimiter in templo, collaudantes Deũ, & habentes gratiã ad omnẽ plebem. Et iterũ: Omnes qui credebant, erant pariter & habebant omnia cõmunia. Possessiones & substantias suas uendebãt, & diuidebãt illa omnibus, prout cuiq; opus erat. Similia de ipsis et in quarto capite legimus. Quid aũt hoc aliud est, quàm sanctificare seipsum? Eundem ueræ pietatis spiritum, idemq; iustitiæ omnisq; sanctitatis studium, etiam in alijs qui post Apostolorum tempora fuerunt credentibus fuisse, ne dum Ecclesiastica Eusebij, uerumetiam omnes aliæ historiæ apertissime tradunt. Nec unquam ausus fuit quisquam pro sancto & iusto se uenditare, qui non omnibus uiribus iustitiæ & sanctitati inseruierit: Præter solos huius temporis schismaticos, qui propter solam & nudam fidem citra omne pię uitæ studium, se & pro sanctis & iustis, atq; adeo electissimis filijs Dei habent, certamq; salutem sibi pollicentur. Atqui si uerum est, quod Ioannes hic dicit, plane consequitur, quod qui seipsos non sanctificant, nec fidem nec spem ueram habeant. Misere itaq; seipsos decipiunt, qui in sola eademq; nuda fide sibiipsis placentes, omne pietatis bonorũq; operũ studium negligunt. Cæterũ, quia Diuus Augustinus hoc dictum Ioannis uel maxime in eos torquet, qui negant etiam in regeneratis & credentibus liberum esse arbitrium, libet hic uerba eius asscribere. Videte (inquit) quemadmodum Ioannes non abstulit liberum arbitrium, quandoquidem dicit, qui sanctificat seipsum. Deus
Act.15. quidem reuera est, qui nos iustificat & sanctificat. Iuxta illud: Fide
Ioan.17. purificans corda eorum. Et iterum: Pater sanctifica eos in ueritate. Verum Deus te nolentem non sanctificat. Ergo, si adiungis Deo uoluntatem tuam, teipsum sanctificas, non quidem de te, sed de illo qui uenit ut habitet in te. Tamen quia & tu ibi aliquid agis uolun-
Psal.26. tate, ideo & tibi aliquid tributum est, ut dicas cum Dauide: Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis, Adiutor meus esto, aliquid agis. Nam si nihil agis, quomodo ille te adiuuat? Hæc Augu-
2.Tim.2. stinus. Facit ad hoc etiam illud Pauli: Qui se emundauerit ab his, erit uas in honorem. Sequitur:

Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: Et peccatum est iniquitas.

Hoc uerbo Diuus Ioannes, quod dixerat de sanctificatione, qua credentes seipsos sanctificant, fortius urget, insuper & obiectionibus Pseudochristianorum pulchre occurrit. Nam hoc uerbo primum

mum uiā præcludit ijs, qui fatentur quidem Christiani hominis esse, ut seipsum sanctificet, interim tamen sibijpsis ex eo blandiuntur, quòd nemo in hac uita perfectus est, atq; adeo quamuis non sine peccatis sint, peccata tamen sua leuia putant: Propterea, quod neq; fures, nec latrones aut adulteri sint, atq; adeo nulla ciuili lege peccatores conuinci possint. Potissimum autem Diuus Apostolus hoc uerbo eos coarguit, qui pro sua temeritate etiam maxima peccata humanæ infirmitati ascribunt, omnemq; suam proteruiam, etiam nephandissima crimina, rebellionem, seditiones, adulteria, oppressiones pauperum, Tyrannidem, &c. per hoc excusare uolunt, quod homines sunt. Contra hoc uel maxime hic pugnat Ioannes, ostendens, aliud esse peccatum, aliud iniquitatem: aliud ignoranter, aliud scienter peccare: aliud ex infirmitate, aliud ex malitia peccare. Subindicat igitur se hoc loco non agere de ijs peccatis, quæ ex ignorantia uel humana infirmitate, sed quæ scienter & ex malitia fiunt. Hæc enim non tantū peccata sunt, sed iniquitas. Et huiusmodi peccans non tam peccator dici meretur, q̄ iniquus, contemptor Dei, et præuaricator diuinæ legis. Iuxta illud Dauidis: Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Aliud est autem peccare, aliud præuaricare legem Dei. Peccatores sunt etiam Pagani, sed non præuaricatores, propterea, quod non habent legem Dei. Christianus autem male agens, non tantum peccator, sed etiam præuaricator est. Vnde & peccatum eius multo grauius est, etiam in eodem genere peccati, quàm Pagani alicuius. Seruus enim qui non cognouit uoluntatem Domini, & fecit digna plagis, uapulabit paucis: Qui autem cognouit uoluntatem Domini, & non fecit uoluntatem eius, uapulabit multis. Peccatum igitur Christiani hominis, non tantum peccatum est, uerum etiam iniquitas & præuaricatio, eoq; grauius. Psal. 118. Luc. 12.

Ad eundem modum & Paulus dicit, gentes quidem peccasse, uerum sine lege: Iudæos autem contra legem. Et Christus ipse plane ostendit, peccatum Iudæorum longe grauius fuisse, quàm peccatum Pilati. Discant igitur Christiani ex hoc uerbo Ioannis, sua peccata non contemnere uel leuia æstimare: Nemo enim grauius peccat, quàm Christianus. Peccatum enim eius etiam iniquitas est. Certissimi igitur & pernicioſissimi seductores sunt, qui peccata Christianorū nimiū alleuiant aut leuia dicūt & prædicant, sicq; puluillos peccantibus consuūt sub omni cubito, ut sine omni timore in peccatis conquiescant. Longe aliū spiritū uides hic in Ioanne. Sequitur: Rom. 2. Ioan. 19. Ezech. 13.

Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata tolleret:
Et peccatum in eo non est]

Verbum hoc tripliciter intelligi potest. Primum, ut sit expositio eius, quod supra dixit de remissione peccatorum & mediatore Christo, contra eos, qui dicere possent. Quid enim si peccamus? Si Deus Sup. c. 2.

confitentibus peccata remittit, & in hoc Christum misit, ut esset propitiatio pro peccatis nostris: ergo dum uiuimus & ualemus, cupiditatibus nostris inseruiemus, sub tempus mortis cessaturi, &c. Contra hos primo militat hoc uerbum: Non (inquit) uenit Christus uitia plantare, sed auferre & eradicare, primo sua morte sanguinisq; effusione, deinde etiam doctrina & suo ipsius exemplo, ut qui iniustum nihil docuit, & insuper peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. 1.Pet.2. Hoc autem non temere adiecit: Et peccatum in eo non est. Nam si in Christo peccatum fuisset, à peccato nos liberare non potuisset, insuper & Pseudochristianus quisq; ex hoc peccatis suis excusationem prætexere posset. Necessario itaq; Ioannes utrunq; coniunxit, Et quod Christus uenerit peccata tollere, & quod peccatum in eo nullum fuerit. Deinde Ioannes hoc uerbo etiam mitigare uoluit, quod iam de grauitate peccatorum dixerat, ne quis plus iusto hinc pusillanimis fiat ac dicat, Si Christianorum peccata tam grauia sunt, omnibus nobis desperandum est, &c. Nequaquam (inquit Ioannes) Nam scitis, quod Christus uenit tollere Matth.1. peccata. De ipso enim dictum est: Vocabis nomen eius Iesum: Ipse enim liberabit populum suum à peccatis eorum. Et iterum: Ecce Ioan.1. agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et: Ipse portauit peccata 1.Pet.2. nostra super lignum in corpore suo. Et Paulus: Ipse sustulit chyro- Col.2. graphum damnationis nostræ, affigens illud cruci, &c.

Præterea Ioannes hoc uerbo ceu nouo quodam argumento, nos à peccatis ad iustitiam uitæq; sanctitatem inducere conatur: Christus (inquit) omnibus modis hoc ægit, ut odium peccati, amorem autem & studium pietatis et sanctitatis omnium cordibus infigeret. Phil.2. Ideo enim uenit, ideo seipsum exinaniuit usq; ad formam serui, immo usq; ad mortem crucis. Ideo prædicauit seq; ipsum in exemplum Matth.11. omnis munditiæ & sanctitatis posuit: Discite (inquit) à me, quia mitis sum & humilis corde. Itemquè, Exemplum dedi uobis, ut Ioan.13. quemadmodum ego feci, & uos faciatis. Itaq; qui etiamnum in peccatis & iniustitia uiuunt, plane nesciunt uel non attendunt, ad quid Christus uenerit.

Obserua hic duas causas aduentus seu incarnationis Christi. Venit enim, ut morte sua pro peccatis nostris satisfaceret: Venit item, ut uerbo & exemplo nos à peccatis ad uitæ sanctitatem induceret. Ideo & naturam nostram assumpsit, non autem peccatum: Peccatum (inquit) in ipso non est.

Omnis qui in eo manet, non peccat]

Declarat seipsum, quod præcedens uerbum intellexerit & scripserit de doctrina & exemplo Christi, quibus ad sanctitatem uitæ nos inuitauit. Ideo (inquit) uenit, ut doctrina & exemplo suo peccata

cata tolleret, & iustitiam plantaret. Iuste enim docuit, & iuste uixit. Nam peccatum in eo non fuit. Itaq; etiam, qui in eo manet, non peccat, sed doctrina & exemplo illius permotus, à uitijs se retrahens pietati & sanctitati inseruit.

Obserua quod Ioannes eandem rem sæpius quidē repetit, semper tamen alijs uerbis utitur, & quod alibi obscurius dixerat, alibi clarius explicat. Eandem enim sententiam habet quod hic dicit: Omnis qui in eo manet, non peccat, cum eo quod supra dixit: Omnis qui hanc spem habet, sanctificat seipsum. Cæterum, quod illic obscurius dixerat de sanctificatione suijpsius, hic clarius explicat per uerbum illud: Non peccat. Sanctificare enim seipsum, est non peccare. Et quod hic obscure dictum uideri posset: Omnis qui in eo manet, illic clarius explicat per uerbum: Omnis qui hanc spem habet. Hoc enim est in Christo manere, credere & sperare.

Obserua quod Ioannes non dicit, Omnis qui in ipso manet, habet remissionem peccatorum. Hoc enim nihil nouum esset. Nam in Euangelio Christus expresse hoc promisit: Si manseritis (inquit) in sermone meo, cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos, à peccatis uidelicet, quemadmodum ex sequentibus patet. Et iterum: Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcunq; uolueritis petetis, & fiet uobis. Atqui Ioannes hic aliud quiddam uult. Non enim de remissione, sed uitatione peccatorum loquitur. Et remissionem quidem peccatorum certo habet, qui in Christo manet, eundem tamen Diuus Ioannes etiam ad euitationem peccatorum inducere conatur. Omnis (inquit) qui in Christo manet, non contentus est se remissionem peccatorum accepisse, uerum insuper sollicitus inuigilat, ne porro peccet. Ioan. 8. Ioan. 15.

Cæterum quod Ioannes hic dicit, eum qui in Christo manet, non peccare, de eo peccato intelligendum est, quod non tam peccatum quàm iniquitas est, nec ex ignorantia aut humana infirmitate, sed ex malitia & animi peruersitate procedit. In hunc autem modum non peccat qui in Christo manet, quantumuis alias sine peccato non sit, nec esse possit: Septies enim in die etiam cadit iustus. Vnde & hic noster Ioannes supra dixit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Peccat igitur in Christo manens, & non peccat. Peccat & labitur ex infirmitate: Non peccat ex malitia, uel ad mortem, ut infra dicitur, alios qui non maneret in Christo. Huc etiam pertinet totum caput sextum Epistolæ ad Romanos, ubi Paulus aperte docet, quomodo manens in Christo non peccet. Nescitis (inquit) quod omnes qui in Christo baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus, &c. Sup. c. 1. Infra. c. 5. Rom. 6.

Omnis autem qui peccat, nec uidit nec cognouit eum]

Etiam hoc uerbum intelligendum est de eo, qui non ex ignorantia

uel infirmitate, sed ex malitia peccat, atq; adeo in peccatis se oble-
Prou.2. ctat, ac lętatur cum malefecerit exultatq; in rebus pessimis. Hic enim certo Christum nec uidit nec cognouit, hoc est, nec fidem nec cognitionem uiuam Christi habet, nihilq; plane intelligit de negotio Christi. Nam si uel in minimo intelligeret, quanta dignitas sit filium Dei esse, è diuerso autem quàm horrendum, Diabolo addictum esse, non se sineret à tam pio patre ad tantum Tyrannum, itemq; à tanta fœlicitate in tantam miseriam pertrahi. Verissime igitur dicitur: Omnis qui peccat, nec uidit nec cognouit Christum. Quod si Christum non cognoscit, nec Deum cognoscit. Patrem enim nemo
Matth.11. uidet, nisi Filius & cui uoluerit Filius reuelare. Qui autem Deum non cognoscit, fidem non habet. Nam fide uidetur & cognoscitur
2.Cor.5. Deus, pro statu isto: Fide enim ambulamus non in specie. Qui autem fidem non habet, Ethnicus & Paganus est. Vides quomodo alterum ex altero consequatur. Attendant hoc qui de fide & cognitione Christi in immensum gloriantur, interim tamen omnibus nitijs sese commaculant, idq; citra ullam conscientiam & timorem Dei. Omnes enim hos, Ioannes hoc uerbo mendacij conuincit, & mendaces esse probat. Sequitur:

Filioli nemo uos seducat]

Congrue exhortationem adiungit, idq; uerbis & affectum & amorem ipsius indicantibus, ut eo fortius persuadeat, ne seduci nos sinamus. Magni enim periculi res est, in his quæ salutis sunt seduci,
Matth.24. uel à uia ueritatis abduci. Ideo etiam Christus Apostolis inclamat:
Ephes.5. Videte ne seducamini. Et Paulus: Nemo uos decipiat inanibus uerbis. Obserua quod quidam pro eo quod nos legimus: Nemo uos seducat, quasi à solis hominibus cauere debeamus. Alij legunt, Nihil uos seducat. Non enim homines tantum, uerumetiam & Dæmones & mundus & caro, nos seducere possunt. Vult igitur ut ex omni parte caute ambulemus, &c.

Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est]

Hic tandem summam totius negotij ponit. Non uerba (inquit) sed opera exigit Deus: Non qui audit, credit uel etiam loquitur de iustitia, sed qui facit iustitiam iustus est. Hic uides, quod Ioannes bona opera à iustitia Christiana non excludit, sed includit, immo charitatẽ operaq; bona, docet esse perfectionẽ iustitiæ. Per fidem
Rom.5. quidem iustificamur, ut Paulus ait: Et ex fide sua uiuit iustus. Per charitatem autem & bona opera, quæ fidem consequuntur, iustitia enutritur, augetur, conseruatur & ad perfectionem adducitur.

Non igitur inter se pugnãt, quod Paulus dicit, Credentẽ iustificari: Ioannes autem eum iustum pronunciat, qui facit quę iusta sunt. Paulus enim docet, unde iustitia in nobis incipiat: Ioannes autem, quomodo

quomodo in nobis perficiatur, itemq; quibus rebus probetur, nos per fidem iustificatos esse. Neutrum igitur sine altero arripiendum, sed utrunq; simul, quantumuis hoc dictum Ioannis durius uideatur quàm illud Pauli. Ioannes (inquam) utrunq; coniungi uult, utrunq; etiam docuit. In Euangelio enim suo, iustitiam fidei apertissime docuit, id quod nemo non uidet: Dedit (inquit) eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Nunc autem post iustitiam fidei, etiam operum iustitiam exigit, ut plane uideamus, fidem solam ac nudam nec ad salutem sufficere, nec plenam perfectamq; aut consummatã iustitiam præstare. Hoc Diui Ioannis exemplo, etiam omnes Orthodoxi scriptores iam inde ab exordio, & fidem & opera simul docuerunt. Sciebant utrunq; Dei uerbum esse: Qui credit, iustificatur. Et, Qui iustitiam operatur, iustus est. Credebant igitur & bene operabantur. Cæterum, quod Ioannes hic dicit: Qui facit iustitiam iustus est, in Ezechiele multis uerbis explicatur. Pertinet etiam huc quod Paulus ait: Non auditores, sed factores legis iustos esse. Vnde et Diuus Iacobus monet, ut simus factores uerbi, & non auditores tantũ. Qui enim (inquit) auditor est uerbi, & non factor, comparatur uiro consyderanti uultum natiuitatis suæ in speculo, &c̃. Quod autem Ioannes addit: Sicut & ille iustus est, seipsum explicat & ostendit, se non de quauis iustitia loqui, sed de ea tantum quæ ex Deo est, eiusq; & uerbo & exemplo conformis est. Atqui supra audiuimus, quod Deus lux est, & tenebræ in eo nullæ sunt. De Christo autem aperte dicit Petrus, quod peccatum non fecit, nec inuentus fuit dolus in ore eius. Et Christus ipse: Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis. Et Paulus: Estote imitatores Dei. Hanc iustitiam Ioannes exigit, uultq; ut quantum per humanam fragilitatem licet, huic exemplo Christi & Dei conformemur. Hoc est facere iustitiam, atq; adeo iustum esse. Sequitur:

Ioan.1. Ezech.18. Rom.2. Iacob.1. Sup.c.1. 1.Pet.2. Ioan.13. Eph.5.

Qui facit peccatum ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat]

Hoc enim certo consequitur ex eo, quod præcedit. Si enim qui iustitiam facit, iustus est & ex Deo natus, certo sequitur, quod qui peccat ex Diabolo est, non creatione, sed imitatione. Sic enim & pius quisq; Filius Abrahæ dicitur, non generatione, sed imitatione: Si (inquit) Filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Et Ioannes: Potens est Deus, etiam ex lapidibus istis suscitare Filios Abrahæ. Hinc & Christus Iudæos conuincit ex patre Diabolo esse, propterea, quod eum imitarentur: Vos (inquit) ex patre Diabolo estis, &c̃. Sicut igitur Deus nedum iustus est, uerũetiam omnis iustitiæ fons & origo: Ita & Diabolus nedum iniustus est, uerumetiam omnis iniustitiæ fons & origo.

Ioan.8. Matth.3. Ioan.8.

Cæterum,

Cæterum, ne uerbum hoc nimium nos terreat, obſeruandum & memori mente timendum, quod Ioannes etiam hic non aliter de peccato loquitur, quàm ut ſupra audiuimus. Non enim ſimpliciter omnis qui peccat ex Diabolo eſt, ſed qui peccat ex malitia, proteruia & contemptu Dei, denique & obſtinate & perſeueranter. In hunc enim modum Filij Dei non peccant, quod & ſupra admonui

In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſoluat opera Diaboli]

Mitigat quod iam dixerat. Ne qui aliquando ſe uoluntariè & ex malitia peccaſſe agnoſcit, omnem ſibi conſequendæ ueniæ apud Deum ſpem amputatam eſſe putet: Non (inquit) eſt quod deſperes o homo, etiamſi aliquando ex certa malitia peccaſti, atque adeo ueraciter ex Diabolo te eſſe comprobaſti. In hoc enim uenit Filius Dei, ut diſſoluat opera Diaboli. Itaque ſi Diaboli opus in te uides & ſentis, accurre ad Chriſtum. Is enim ideo uenit, ut quæreret & ſaluum faceret quod perierat. Atque hæc eſt una cauſa, cur incarnationis Dominicæ hic meminit. Altera eſt, ut per eam magis nos à peccatis abſterreat, & ad pietatem excitet. Si enim ideo uenit ut diſſoluat opera Diaboli, certe Chriſtiano homini non conuenit, ut ea Diaboli opera in ſe nutriat foueatque. Opera autem Diaboli ſunt, peccatum, mors omniſque & impietas & conſequens miſeria. Diabolus enim ab initio fuit mendax & Pater mendacij, hoc eſt, peccati quod uere mendaciũ & nihil eſt. Sic & inuidia Diaboli etiam mors intrauit in orbem terrarũ. Iam ſi Chriſtus uenit, ut diſſoluat opera Diaboli, certũ eſt, quod ipſi neque peccatũ, neque conſequens miſeria placet. Vnde & nihil horum in electis ſuis patitur, peccatum enim expellit mortemque abolet, iuſtitiam autem & uitam ſubſtituit. In ſumma, ubi Chriſtus habitat, illic Diabolus & quicquid Diabolicum eſt, cedat neceſſe eſt. Quæ enim conuentio lucis ad tenebras, iuſtitiæ ad iniuſtitiam, Chriſti ad Belial?

Luc.19.

2.Cor.6.

Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat: quoniam ſemen ipſius in eo manet]

Hoc & ſupra dixit. Hic autem addit cauſam. Ideo (inquit) non peccat, qui ex Deo natus eſt, quia ſemen Dei, hoc eſt, uerbum & ſpiritum Dei, è quibus regeneratus eſt, in ſe habet. Verbum autem Dei ad omne bonum ipſum dirigit, ſpiritus impellit. Quale igitur ſemen eſt, tales & fructus profert: Verbum ſpiritusque Dei bona ſunt, non igitur poſſunt malos fructus facere. Hinc Paulus: Fructus (inquit) ſpiritus ſunt, charitas, gaudium, pax, patientia, &c.

Gal.5.

Epheſ.5.

Et iterum: Fructus lucis eſt in omni bonitate & ſanctitate ueritatis. Cæterum, quod Ioannes ſubdit.

Et non poteſt peccare]

Contrarium

Contrarium ei uidetur, quod alibi scriptum legimus: Non est homo qui non peccet. Iremq; Septies in die cadit etiam iustus. Ideo uerbum hoc Ioannis uarie exponitur. Apud omnes tamen constat, Ioannem non hoc uelle, quod qui ex Deo nati sunt filiiq; eius effecti, ita in gratia cõfirmati sint, quod amplius cadere non possint. Nullus enim in hac uita sic confirmatus est in bono, ut deficere ac ad malum declinare non possit. Hinc Paulus omnibus inclamat: Qui stat, uideat ne cadat. Iremq; Consyderans teipsum, ne & tu tenteris, Gal. 6. Et iterum: Tu fide stas, noli altum sapere, sed time. Vnde & Salomon beatum eum pronunciat, qui semper est pauidus. 1. Reg. 14. Pro. 24. 1. Cor. 10. Rom. 11. Prou. 28.

Diuus igitur Augustinus uerbum hoc Ioannis, quod qui filius Dei est, non possit peccare, de solo eo peccato intelligit, quo & charitas lædituꝛ, & Christiana concordia atq; adeo mysticum corpus Christi, quod est Ecclesia, scinditur. Hoc (inquit) peccatum filij Dei facere non possunt. Si enim omnem & Dei & proximi dilectionem è cordibus suis eiicerent, iam filij Dei non essent. In hunc modum etiam hoc quod Christus de Iudæis dicit: Si non uenissem, peccatum non haberent, de uno tantum peccato incredulitatis, obstinationis & maliciæ in Christum intelligi uult idem Augustinus. Hoc enim peccatum non habuissent, si Christus non uenisset, licet sine alijs peccatis non essent. Aliqui uerbum Ioannis ita exponunt, Qui ex Deo natus est, non potest peccare, uidelicet ad mortem, quod uel maxime fit per desperationem. Atq; huc adducunt illud uerbum Christi: Oues meas nemo potest rapere de manu mea. Potest & uerbum hoc etiam in hunc modum intelligi, Qui ex Deo natus est, non potest, hoc est, non debet, peccare. Vel sic, Non potest peccare, hoc est, non delectatur in impietate. Vel denicq; in hunc modum, Non peccat, quatenus scilicet Dei filius est, uerum in quantum homo est, subinde labitur & peccat. Ex Deo habet spiritum & gratiam, eatenus igitur non peccat. Quatenus autem ex Adamo carnem & sanguinem habet, peccatis obnoxius est. In Christiano igitur duo spectanda sunt, Natura & gratia. Natura non peccare non potest, quia omnes sensus hominis proni sunt ad malum ab adolescentia sua: Gratia autem à peccatis retrahit. Ioan. 15. Ioan. 10. Gen. 6.

In hoc manifesti sunt filij Dei & Diaboli: Omnis qui non est iustus, non est ex Deo]

Hoc uerbo Ioannes noster concludit & absoluit primam partem Epistolæ, quantum ad puritatem & sanctitatem uitæ attinet, atq; adeo quæ hactenus pluribus argumentis probauit et euicit, uno hoc uerbo complectitur. Est enim sensus, Quod sicut qui filij Dei sunt, certo Patrẽ suum imitatione omnis puritatis & sanctitatis referunt: ita, in quibus nihil tale, sed potius contrarium conspicitur, frustra se

ex

ex Deo natos & Dei filios esse gloriantur. Hæc igitur quisq; secum expendat, uitamq; & conscientiam suam consyderet. Stat enim sententia, Qui non est iustus tam scilicet iustitia fidei, quàm charitatis & operum, non est ex Deo. Diuus Ioannes enim (ut supra dictum est) non de inchoata tantum, sed de perfecta iustitia loquitur. Sequitur:

Et qui non diligit fratrem suum]

Supple, nec ipse ex Deo natus est. Atq; hoc uerbo Diuus Ioannes orditur alteram Epistolæ partem, de charitate scilicet Dei & proximi, ad quam deinceps usq; ad finem quarti capitis pluribus eisdemq; efficacissimis uerbis cohortatur. Pulchre autem utramq; partem Epistolæ connectit. Quod enim dicit: Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, priorem partem Epistolæ, hoc est, quæ ad puritatem & sanctitatem uitæ pertinent, concernit. Quod autem statim subnectit: Et qui non diligit fratrem suum, ad posteriorem Epistolæ partem, quę de charitate tractat, pertinet: utrunq; autem coniungit, & ita quidem, ut palam significet filium Dei non esse, cui alterum horum defuerit, tantum abest, ut filij Dei esse possint, qui neutrum curant, hoc est, neq; uitæ sanctitatem, neq; charitatem, sola & nuda fide sibijpsis placentes. Obseruandum igitur diligenter, quod Ioannes duabus his notis, tanquam certissimis indicijs, puritate uidelicet uitæ & charitate, filios Dei discernit à filijs Diaboli. Nulla alia signa quæcunq; tandem prætexi possunt, tam certo inter utroscp discernunt. Si hæc duo in te conspiciuntur, præeunte tamen fide, certo & tibi & alijs persuadere potes, te filium Dei esse. Sin autem duo hæc defuerint, frustra gloriaris & de fide & de Baptismo, denicp & de Christiano nomine.

Quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum]

Hoc ceu primo argumento nos ad dilectionem inducere nititur, quod dicit se nihil in hac re de suo adferre, sed hoc ipsum esse caput Christianæ doctrinæ, quod & ab exordio ipsis annunciatum sit. Sic enim & Christus ipse author Euangelij Christianæq; doctri-
Ioan.13. næ, de hac re pronunciat: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem sicut dilexi uos: In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilexeritis uos mutuo. Hæc est illa annunciatio, ad quam Ioannes nos hic dirigit. Quod enim Christus mandatũ suum nouũ nominat, hoc Ioannes dicit esse annunciationẽ illam, quam ab exordio audiuimus. Obseruandum autem, quod signanter hic non dicit, ut diligamus fratres nostros, sed: Vt diligamus alterutrum, ne quis scilicet sufficere sibi putaret, si fratres & cognatos, &c.
Matth.6. diligat: Si (inquit) fratres uestros tantum diligitis, quam mercedem

dem habebitis, immo quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? &c. Charitas enim Christiana ad omnes se extendit, etiam ad inimicos, &c. Deinde etiam hoc uerbo, Diligamus alterutrum, docere uoluit, charitatem Christianam debere esse mutuam & reciprocam alterius ad alterum: Quod ego tibi in negocio charitatis debeo, hoc & tu mihi debes.

Non sicut Cayn, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem iusta.

Quemadmodum nihil iucundius, sanctius, diuinius charitate fraterna, ita nihil detestabilius magisq; diabolicum odio fraterno. Exemplo igitur duorum fratrum, ostendit differentiam inter filios Dei & Diaboli. Cayn & Abel fratres erant, eiusdem naturæ & generis, dissimilitudine tamen morum tam longe à se inuicem seiuncti fuerunt, ut alter Diaboli, alter Dei filius efficeretur. Et quia primi ex hominibus nati fuerunt, omnibus hominibus in exemplum præponuntur, alter quidem credentibus, alter incredulis. Cayn erat ex maligno (inquit Ioannes) Et unde hoc comprobatur? Ex eo, quod occidit fratrem. Et quid eum ad huiusmodi fratricidium permouit? Inuidia, uidebat & dolebat fratris, sui opera esse bona, & sacrificia eius Deo accepta. Atq; hæc inuidia plane probat, eum fuisse filium Diaboli, cuius peccatum uel maxime fuit inuidia. Nam in cœlo ante casum inuidebat Filio Dei æqualitatem cum Deo, post casum autem suum, inuidit homini suam fœlicitatem. Ex hac igitur inuidia Diaboli mors processit, & uenit in mundum. Vbi autem inuidia est, ibi charitas locum habere non potest: Charitas enim non æmulatur, nec cogitat malum. Inuidia igitur probat, ipsum Cayn fuisse ex maligno: Econtra autem, nisi charitas in Abele fuisset, Deus ad ipsius sacrificium non respexisset. Deus non attendit ad munera, qualia & quanta sunt, sed ad cor & charitatem unde procedunt. Si charitas in corde magna est, etiam quantumcunq; parua Deo placent: Sin autem charitas in corde nulla est, nec maxima quæq; Deo placent. Nuda igitur uerba & magnæ gloriationes, nihil coram Deo agunt: immo nec ipsa opera, quæ tamen nudis uerbis & gloriationibus merito præferuntur, quicquam agunt, nisi ex fide & charitate procedant. Ad hoc igitur Ioannes nobis exemplum duorum fratrum proposuit. Sequitur:

Gen. 4.

Sap. 1.

1. Cor. 13.

Gen. 4.

Nolite mirari fratres, si odit uos mundus.

Hoc uerbum Diuus Ioannes exemplo duorum fratrum annexuit, idq; non sine causa. Nam alioqui exemplum hoc infirmiores quosq; à pietatis studio abterrere posset. Sic enim & mundani, uidentes

dentes quod pijs aliquando male, impijs autem omnia prospere succedunt, putant uanum esse seruire Deo. Dicuntq; id quod in libro Iob legimus: Quis est altissimus, ut seruiamus ei: Et quid nobis prodest, si orauerimus eum? Huic igitur scandalo infirmorum Ioannes hic occurrere uoluit. Nolite (inquit) mirari, si odit uos mundus, quasi diceret, Non nunc primum incipit, ab exordio hoc fecit, ut patet ex hoc exemplo duorum fratrum, quid igitur si etiam nunc sui similis esse pergit & perseuerat. Mundus non aliud induet ingenium: qualis ab exordio fuit, talis & in finem permanebit. Non igitur ob odium mundi cessandum a pietate, immo eo fortius insistendum, quandoquidem uidemus nihil noui, aut inconsueti nobis accidere, sed quod omnibus pijs iam inde ab exordio mundi contigisse legimus, id quod Paulus multis exemplis probat in Epistola ad Hebræos, & in fine subdit: Tantam ergo habentes nubem testium, curramus ad propositum certamen, &c̄. In eum modum & Christus suos Apostolos consolatur, Si mundus (inquit) uos odit: scitote, quia me priorem uobis odio habuit, &c. Et iterum, Si patremfamilias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius? Eodem modo & Mathathias filios suos exemplis patrum consolatur contra Tyrannidem Antiochi. Obseruandum hic, quantum Apostolus noster discrimen faciat inter mundum & ueros Christianos: Immo quasi duo quædam omnibus modis contraria ea ponit, & quæ in nullo conuenire possint. Omne enim quod est in mundo, aut est cōcupiscentia carnis aut concupiscentia oculorum, aut superbia uitæ: Regnum autem Dei est iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, itemq; fructus eorum qui in luce ambulant, sunt iustitia, ueritas & sanctitas. Quomodo autem hæc inter se conuenirent? Aut quomodo quis se Christianum appellare audet, qui adhuc corde & animo, affectu & uoluntate in mūdo hæret? Certe Christus certo prædixit Apostolos in mundo pressuram habituros. Et in Matthæo aperte pronunciat, Neminem posse duobus Dominis seruire. Huic consonat & illud Iacobi: Amicitia huius mundi, inimica est Deo. Et qui amicus huius mundi esse uult, Dei inimicus constituitur. Sed dicis, Ergo pietatis nullus est fructus aut remuneratio in hoc mundo? Audi quid Ioannes noster subinferat.

Malach. 3.
Iob 21.
Heb. 11.
Heb. 12.
Ioan. 15.
Matth. 10.
1. Mach. 2.
1. Ioan. 2.
Rom. 14.
Ephes. 5.
Ioan. 16.
Matth. 6.
Iacob. 4.

Nos scimus, quoniam de morte translati sumus ad uitam, quoniam diligimus fratres]

Hanc nobis consolationem Ioannes dat, contra odium & persecutiones mundi & mundanorum, quasi diceret, Odiat sane nos mundus & persequatur, sufficiat nobis scire, quod de morte translati sumus ad uitam, hoc nobis mundus auferre nequit. Vbi obser-

uandum,

uandum, quod non dicit, Credimus aut speramus, sed: Scimus, nec dicit, Scimus nos transferendos, sed translatos è morte ad uitam. Omnia hæc ad maiorem rei certitudinem. Tam certę enim sunt promissiones Dei, ac si iam impletæ essent. In hunc modum & Christus loquitur: Qui credit in me, in iudicium non uenit, sed transijt à morte ad uitam: non dicit transibit, sed transijt. Sic & Paulus in præterito loquitur. Deus (inquit) qui diues est in misericordia, simul cum Christo nos resuscitauit, & simul etiam cum ipso sedere nos fecit in cœlestibus. In eum modum & in alio loco dicit: Spe salui facti sumus. Et iterum: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, &c̄. Quemadmodum enim arbores in autumno uidentur mortuæ, propterea, quod neq; folia neq; flores nec fructus in ipsis uidentur, interim tamen omnia hæc in se abscondita habent, id quod adueniens æstas reuelat: Sic regnum Dei, etiam nunc in nobis est, uerum absconsum, suo autem tempore reuelabitur. Huc pertinet illud Pauli: Mortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in gloria: cum autem apparuerit Christus uita uestra, tunc & uos cum ipso apparebitis in gloria. Ob hanc igitur causam etiam Ioannes hic in præterito loquitur: Iam (inquit) translati sumus à morte ad uitam. Quod si etiam nunc & uitam & regnum Dei, immo & Deum ipsum habemus, quid nobis obesse posset odium mundi? Scimus (inquit) Ioannes, &c̄. Et quid Christianum hominem terrere aut turbare posset, si unum hoc uerbum animo infixum haberet? Quid aliud sanctos Apostolos & Martyres tam patientes tanq; constantes reddidit, quàm quod cum Ioanne dicere poterant: Scimus, quoniam de morte translati sumus ad uitam? Et cum Paulo, Certus sum, quod neq; mors neq; uita separare nos potest à charitate Dei, &c̄. Itemq;, Scio cui credidi & certus sum, quia potens est depositum meum seruare, &c̄. Itemq;, Bonum certamen certaui, &c̄. de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c̄. Itemq;, Scimus, quoniam si terrestris domus hæc nostra dissoluitur, ædificationem habemus in cœlo, &c. Huiusmodi (inquam) uerbis sancti Apostoli & Martyres nostri, animos suos obfirmarunt contra omnes persecutiones & odia mundi. Nec aliud nos in aduersis tam trepidos facit, quàm quod non cogitamus, quanta bona per fidem à Deo accepimus, ac certa spe nedum expectamus, sed iam tenemus. Obserua autem, quid Ioannes huic tam certæ asseuerationi annectat: Quoniam (inquit) diligimus fratres. Hoc enim non tantum uerum & certum, sed etiam unicum illud indicium est, spirirualem illam uitam uel uiuam fidem in nobis esse. Nam alioqui facile dictu est, Credo. Quid autem Diuus Iacobus? Ostende (inquit) mihi fidem tuam ex operibus. Sic enim & Abraham non tantum credidisse le-

Loan. 5. Ephes. 2. Tit. 3. Luc. 17. Col. 3. Rom. 8. 2. Tim. 1. 2. Tim. 4. 2. Cor. 5. Iacob. 2.

gitur, uerumetiam fidem suam operibus & quidem admodum ar-
duis comprobasse. Nam & fide in uerbum & promissionem Dei,
Gen.12. reliquit patriam & parentes, insuper ex eadem fide etiam unigeni-
Gen.22. tum filium, in quo tota spes posteritatis suæ consistebat, paratus erat
immolare. Ex huiusmodi (inquam) operibus comprobatur, ipsum
uere credidisse Deo, alioqui nihil tale fecisset. Ita cum & nos diligi-
mus fratres, comprobatur uera & uiua in nobis esse fides, ut uere di-
cere possimus: Scimus, quoniam de morte translati sumus ad ui-
tam. Sic charitas certos nos reddit, quod non frustra credamus.
Sequitur:

Qui non diligit, manet in morte]

Hoc ex præcedenti uerbo sequitur. Quemadmodum enim ani-
ma uita est corporis, ita & Deus est (cæteris tamen paribus) uita
animæ. Atqui ubi nulla fides est, illic nec Deus est: Fides autem
uera & uiua esse non potest, nisi charitatem indiuiduum comitem
secum habeat. Verissime igitur colligit Diuus Ioannes, quod qui
non diligit, maneat in morte. Atq; hic iterum uides, quàm frustra
hoc tempore plærique de sola fide glorientur, ut in quibus ne mi-
nimum quidem charitatis fraternæ indicium notari possit. Atqui
Ioannes satis aperte hic loquitur. Ab hoc autem loco Ioannes no-
ster incipit commendare charitatem, & ita quidem, ut imprudens
quis suspicari posset omnia in sola charitate consistere, quemadmo-
dum & plærique ex Euangelio eiusdem Ioannis, itemq; aliquibus
Epistolis Diui Pauli colligunt, omnia in sola & nuda fide consiste-
re. Obserua igitur quod Diuus Ioannes non alijs Epistolam hanc
scripsit, quàm quibus prius scripserat Euangelium suum. Vnde
certum est, quantumcunq; charitatem hic commendet, de ea tamen
sola charitate ipsum loqui, quæ ex fide procedit: quemadmodum
& in Euangelio quantumcunq; fidem commendet, nullam tamen
Gal.5. aliam fidem intelligit, quàm eam quæ per dilectionem operatur. Et
ob hoc etiam & Euangelium suum Epistolæ præmisit, & Episto-
lam Euangelio substituit, ut utrinq; uideatur, qualem & fidem &
dilectionem fidelibus prædicatam & inculcatam uelit.

Nemo igitur miretur Ioannem hic charitati ascribere, quod
Christus in Euangelio fidei ascripsit. Nam Christus dicit: Qui cre-
Ioan.5. dit in me, transijt à morte ad uitam. Ioannes autem: Si diligimus
fratres, scimus nos translatos esse de morte ad uitam. Sic Christus
Ioan.3. dicit: Qui non credit, iam iudicatus est. Ioannes autem dicit: Qui
non diligit, manet in morte. Et hæc quidem uidentur omnino in-
ter se contraria esse, uerum ijs tantum, qui non consyderant, de
qua fide & charitate Ioannes utrinq; loquatur. Sicut enim non de
qualibet fide, sed de ea sola, quæ per dilectionem operatur: ita nec

de

de qualibet charitate, sed de ea sola quæ ex fide procedit, loquitur. Nec enim alia uera est uel fides uel charitas. Nihil itaq; refert, utri è duobus illis uita & salus ascribatur, quandoquidem alterum in altero includitur. Si fidei ascribitur uita, certum est, etiam charitatem in ea fide includi: Si charitati ascribitur uita, certum est etiam fidem in ea præsupponi & includi. Non igitur sibi contrariantur Christus & Ioannes. Ex his igitur plane colligitur, quod nemo Euangelium Ioannis recte intelligere potest, nisi simul & Epistolam hanc consyderet. Nec quisquam Epistolam hanc recte intelliget, nisi prius Euangelium Ioannis legerit. Qui enim solummodo Euangelium legit, putat Ioannem omnia in sola & nuda fide reponere: contra, qui solam Epistolam legit, putabit Ioannem omnia charitati ascribere. Qui autem utrumq; coniungit, in neutro errabit.

Qui fratrem suum odit, homicida est]

Hactenus Diuus Ioannes eandem sententiam & affirmatiue & negatiue, uel per duo contraria expressit: Si diligimus (inquit) translati sumus è morte ad uitam: Qui non diligit, manet in morte. Ideo autem eandem sententiam bis expressit, ut eo profundius corda penetret. Nunc adhuc uehementius loquitur, homicidio comparans odium fraternum, quo quid uehementius dici potuisset? Verum non solus Ioannes hoc dicit, sed Christus ipse: Audistis (inquit) quia dictum est antiquis, Non occides: Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, omnis qui irascitur fratri suo, reus est iudicio, &c. Obserua autem quod Ioannes non dicit, Qui odit fratrem suum, damnatus & à Deo abiectus est, sed homicida est. Peccatum enim aggrauat uel graue ostendit, neminem tamen ad desperationem adigit, aut à Dei gratia excludit. Matth. 5.

Et scitis, quoniam omnis homicida non habet æternam uitam in se manentem]

Certissime uerum est, intelligendum tamen quàm diu talis in homicidio impœnitens manet. Quomodo enim uitam in se habere posset, qui opera mortis facit. Obserua hic, quantum peccatum sit inuidia & odium, & quicquid ex eodem oritur, ut est diffamatio, detractio, &c. Atq; huc pertinet, quicquid in scriptura contra huiusmodi uitia dicitur. Sequitur:

In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere]

Hic Ioannes modum ueræ charitatis ponit, quatenus uidelicet se

extendat, & unde exempla huius charitatis petenda sint. Primo omnium autem charitatem erga nos Dei in exemplum ponit, nimirū ut eo fortius nos trahat. Atq; ex hoc etiā satis ostendit, se non de naturali aliqua uel sociali uel etiam carnali, sed de sola Christiana atq; adeo diuina charitate loqui: Christianam autem charitatem dico, quæ secundum exemplum Christi formata est, qui in Euan-
Ioan.10. gelio dicit: Ego sum pastor bonus, & animam meam pono pro
Ioan.17. ouibus meis. Et iterum, Pro eis sanctifico uel in sacrificium offero meipsum, ut & ipsi sancti sint in ueritate. Hæc est forma Christianæ
Ioan.13. charitatis, & eiusdem etiam summus gradus. Maiorem enim dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. A summo autem charitatis gradu incipit, primo ostendere uolens, quod charitas Christiana omnem aliam dilectionem inter homines excellere debet: adeo, ut parata sit pro eo quem diligit, etiam uitam impendere, qua tamen nihil dulcius aut precioſius iudi-
Matth.16. catur. Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua? Deinde etiam ideo à summo gradu incipit, quia quantumcunq; charitatem itidemq; fidem urgeat scriptura, in utroq; tamen uix infimum gradum attingimus, id quod uel ipsa experientia probari posset. Nihilominus tamen scriptura utrunq; uel maxime urget, ut uel sic agnoscamus imperfectionem nostram. Non tamen ob id desperandum, si non statim uel in fide uel in charitate summum gradum perfectionemq; attingimus. In magnis enim & uoluisse sat est. Si non possumus summum gradum attingere, saltem pro uiribus conniramur uel aliquousq; in dilectione proficere.

Cæterum, ne quis audiens etiam animam & uitam pro fratribus ponendam resiliat, & dicat: Durus est hic sermo, quis potest eum
Ioan.6. audire? præmisit Ioannes exemplum Christi, Ille (inquit) animam suam pro nobis posuit, atq; hinc tandem colligit, Et nos debemus pro fratribus animas ponere. Et quis est Christus? qui sumus nos? In his enim uerbis tota uis huius argumenti consistit. Potuisset Diuus Apostolus etiam aliquorum gentilium exempla proponere, qui aliquando pro alijs morti se obtulerunt, uerum hic longe aliud est. Christus enim nedum omnium rerum Dominus est, uerum etiam Deus: Nos autem homines sumus, peccatores & serui. Iam, etsi seruos inuenias, qui pro Dominis suis morti se offerant, nullus tamen Dominus seruum suum tanti æstimat, ut pro eo moriatur: Sic etsi inueniantur, qui se pro amicis periculo obijciant, nemo
Rom.5. tamen pro hoste suo hoc facit. Sic iuxta Pauli uerbum, pro iusto aliquis mori posset: At Christus pro seruis, pro iniustis, pro inimicis mortuus est. Atq; hoc ipsum (inquit) Ioannes scimus & cognouimus, nulli non manifestata est hæc tanta dilectio, eo fortius igitur mouere debet. Neq; enim satis est, ut hæc sciamus, nisi & imitemur.

Hinc

Hinc Christus: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Et petro: Si diligis me, pasce oues meas. Ioan.13. Ioan.21.

Qui habet substantiam huius mundi, & uiderit fratrem
suum necesse habere, & claudit uiscera sua ab eo,
quomodo charitas Patris manet in eo?

A summo gradu dilectionis recurrit ad infimum, Si summum gradum attingere non potes, saltem infimum apprehende. Immo, si summum gradum attingere cupis, incipe ab infimo. Summus gradus dilectionis est, pro fratribus uitam impendere. Pellem enim pro pelle, & omnia quæ habet homo, dabit pro anima & uita sua. Iob 2. Infimus gradus dilectionis est, substantiam huius mundi indigenti fratri impendere. Quod si infimum hunc dilectionis gradum nondum attigisti, nunquam peruenies ad summum: Si graue uidetur pro fratre pecuniam impendere, nunquam pro eo impendes uitam. Charitas non statim perfecta est, uerum hoc nobis agendum, ut ea semper in nobis augescat. Quemadmodum enim in his quæ mala sunt, dicere solemus, Qui spernit minima, paulatim incidit in maiora. Ita in bonis, qui se in minimis exercet, paulatim ascendet ad altiora & perfectiora. Assuescamus igitur quæ minima sunt pro fratribus exponere, ut tandem etiamsi res postulet, possimus & audeamus & uitam eis impendere. Obserua quod Ioannes non dicit, Si uideris hominem, sed: Si uideris fratrem tuum necesse habere. Nec dicit, Quomodo charitas Dei, sed: Quomodo charitas Patris manet in eo? Atq; his duobus uerbis uel maxime nos ad charitatem incitare uult, quasi diceret, cogita quod is qui necessitatem patitur, frater tuus est. Itemq;, quod Deus Pater tuus est, & nihil tibi graue uidebitur. Quid autem sit uiscera sua à fratre indigente claudere, nusquam melius uideri potest, quàm in Lazaro illo, cui in summa ægestate posito, diues illec nec micas panis dabat, quamuis eum quotidie uideret eiusq; necessitatẽ sciret, id quod & peccatum illius uel maxime aggrauabat. Huius igitur nos admonere debet uerbum hoc: Qui claudit uiscera sua à fratre, &c. Iudæus Iudæum, Ethnicus Ethnicum in necessitate non despicit, quanto minus Christianus Christianum despicere debet. Sequitur: Luc.16.

Filioli mei, non diligamus uerbo neq; lingua,
sed opere & ueritate

Hoc uerbo iterum affectum suũ uere paternum indicat, atq; adeo fidelem doctorẽ se probat. Deinde etiã ipsam charitatis naturã subindicat, quæ numq; otiatur habita occasione. Sed semper se in opere ostẽdit, ut uerissime dixerit Diuus Gregorius: Charitas (inquit) ope-

ratur magna si est, si autem operari renuit, charitas non est. Cæte-
1.Cor.4. rum Ioannes hoc uerbo alludit ad illud Pauli: Regnum Dei non
est in sermone, sed in uirtute. Itemq; ad illud Christi: Non omnis
Matth.7. qui dicit mihi, Domine domine, intrabit in regnum cœlorum, sed
qui facit uoluntatem Patris mei, &c.

Pulchre autem Ioannes in dilectione exhibenda, opus & veri-
tatem coniungit. Nam plæriq; opus quidem habent, sed non veri-
tatem, hi scilicet, qui charitatis quidem opera faciunt, uerum non
ex animo, non propter Deum, sed tantum propter humanam lau-
dem: Hi (inquam) opus habent, sed non veritatem. Ioannes autem
utrumq; coniungi uult, ut & opera charitatis in nobis conspician-
tur, & simul etiam ex uero corde veraq; & recta intentione proce-
dant. In hunc modum etiam Paulus loquitur: Si (inquit) tradidero
corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil
Gal.6. mihi prodest, 1. Cor. 13. Huc pertinet & illud: Opus suum probet
unusquisq; an scilicet ex uera radice charitatis prodeat, & tunc in
semetipso gloriam habebit & non in alio. Et illud Christi: Atten-
Matt.6. dite, ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini
ab eis: alioqui mercedem nō habebitis apud Patrem uestrū in cœlis.

In hoc cognoscimus, quoniam ex ueritate sumus]

Etiam hic uidemus, quam nihil intentatum relinquat Diuus Io-
annes. Pluribus iam uerbis ab odio & duritia erga fratres & proxi-
mos nos abterrere uoluit: Nunc ex fructibus ueræ charitatis, nos
trahere & allicere ad compassionem & misericordiam conatur. Ar-
gumenta autem sumit ab honesto & utili, ostendens nihil esse quod
maiorem nobis & utilitatem & honestatem adferat, quam si chari-
tatem proximo exhibeamus. Per hoc (inquit) scimus, quod in ue-
ritate, hoc est, uere filij Dei sumus. Hæc est prima utilitas & hone-
stas ex charitate proueniens. Quid autem honestius & magnificen-
tius, quam non tantum dici, sed reuera esse filium Dei: Atqui cha-
ritas certissima nota est, qua ne dum hic, uerumetiam in iudicio fu-
Matth.25. turo filij Dei a filijs mundi & Diaboli discernentur. Venite (dicet
ad pios) benedicti Patris mei, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi
manducare, &c. Ad reprobos autem: Ite maledicti, &c. Esuriui
enim, & non dedistis mihi manducare, &c. Ex charitate igitur co-
gnoscimus, quod ex ueritate, hoc est, uere filij Dei sumus. Hoc au-
tem uerbo Ioannes subindicat, magnum esse discrimen inter eos,
qui nomine tantum & specie, & inter eos qui reuera filij Dei sunt.

Sequitur:

Et in conspectu eius suadebimus corda nostra]

Altera utilitas & honestas ex charitate proueniens, est se-

curitas

ritas & fiducia etiam Deum accedendi & orandi. Per charitatem (inquit) certificamur Deum nobis reconciliatum, hocq; ipsum persuadere possumus cordibus nostris in cõspectu eius. Quo quid maius uel optari posset? Qui enim post fidem etiam in charitate erga proximum se exercet, is in conscientia sua securus & quietus est. Atqui nullum maius bonum sub sole, quàm animus quietus & secura conscientia. Secura mens (inquit Salomon) quasi iuge conuiuium. Prou. 15.

Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia]

Vel hic uide, quantum bonum sit secura & quieta conscientia. Etiam (inquit) si cor nostrum nos reprehendit, ac peccata præterita memoriæ obijcit: scimus tamen & certam fiduciam habemus, quod Deus maior est corde nostro, hoc est, misericordia eius maior est, quàm omnia peccata nostra, meritumq; Christi plus potest quàm nostra præuaricatio. Aliqui uerbum hoc contra eos exponunt, qui charitatem uel tantum simulant, uel omnino negligunt: Si (inquit) reprehenderit nos cor nostrum, si conscientia nos propria conuicerit, quod uera charitate uacui simus, nulla proderit uel simulatio uel excusatio, quia Deus maior est corde nostro, omniaq; nuda & aperta sunt oculis eius. In hunc igitur sensum uerbum hoc & contra simulatores aut Hypocritas, & contra proteruos Christianos militat. Hypocrita quippe id unum spectat, ut speciem pietatis habeat: Proteruus autem quisq; etiam ipsam conscientiam suam conatur supprimere, excusationes in peccatis quærendo. Sed frustra, Deus enim maior est corde nostro: Ipse scrutatur corda & renes, ideoq; nec simulatione pietatis, nec excusatione & tectione peccatorũ decipi potest. Nolite igitur errare, Deus non irridetur, ait Paulus. Sequitur: Heb. 4. Gal. 6.

Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum]

Hoc uerbo expressius indicat alterutram illam utilitatem & honestatem charitatis, de qua paulo ante diximus. Ea autem est securitas conscientiæ, & fiducia ad Deum. Hanc (inquit) securitatem conscientiæ, & fiduciam ad Deum certo habemus, si cor nostrum non nos reprehenderit, hoc est, si charitas in nobis perfecta fuerit: ita, ut proximum nullo respectu proprij commodi, sed tantum quia frater & proximus est, & quia Deus ita mãdat & præcipit, diligamus. Ex hoc autem iterum uidere licet, Ioannem non de qualibet, sed de uera charitate loqui.

Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo]

Concordat cum eo, quod Christus dicit; Beati misericordes, quoniã misericordiam consequẽtur. Item q;, Date & dabitur uobis:

Nolite

Luc.6. Nolite iudicare, & non iudicabimini: Remittite, & remittetur uobis. An non autem magna utilitas charitatis, quod per eam certi reddimur, nos nihil non à Deo impetraturos? Sic et magna eiusdem charitatis honestas est, quod ea suffulti, fiducialiter Deum accedere audemus.

Quia mandata eius custodimus, & ea quæ placita sunt ei facimus]

Diligendo uidelicet proximos. Hoc autem ideo repetit, ut sciamus hos fructus non fidei solum, uerumetiam charitati ascribendos, in suo tamen ordine. Quem autem non incitarent ad dilectionem proximi, hi tanti fructus? Quid aliud in mundo quærũt filij Adam, quàm honores, diuitias, gaudia? At quid sunt omnes mundi honores, si ad filiationem Dei? quid sunt omnes mundi diuitiæ, si ad gratiam Dei? quid sunt omnia mundi gaudia, si ad gaudium securæ conscientiæ conferantur? Appellentur alij, reges, principes, &c. longe tamen honorificentius est, appellari filium Dei. Congregent alij diuitias, currant ad gaudia, longe tamen plus uerorum bonorum & gaudij habet, qui gratia Dei & secura conscientia præditus est. Atqui uera hæc bona non aliter, quàm per fidem & charitatem acquiruntur, ut iam dictum est.

Et hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis]

Hoc uerbo Diuus Apostolus iterum se declarat, ac plane ostendit, quod docendo charitatem, ne dum non uelit fidem excludere, uerum eandem cum primis & ante omnia in hoc negotio habere: Ideo utrunq; coniungit, ita tamẽ quod fidem præponit. Quia enim mandatorum Dei mentionem fecit, necessarium duxit ostendere, de quibus mandatis loquatur. Nam & Iudæi sibiipsis persuadent, se habere & seruare mandata Dei, propterea, quod circumciduntur & sabbatha sua obseruant. Sic & Hypocritę uidentur sibi quod
Luc.18. seruent Dei mandata: Deus (inquiunt) gratias tibi agimus, quod non sumus sicut cæteri hominum, &c. Ioannes autem utriusq; uiam hoc uerbo præcludit. Nam per hoc quod dicit, Hoc est mandatum Dei, ut credamus in Filium eius Iesum Christum, pungit Iudæos, planéq; ostendit, ipsos non seruare mandata Dei, nisi credant in Christum. Quod autem subdit: Et ut diligamus alterutrum, tangit omnes Pseudochristianos.

Quemadmodum enim Iudæi, quantumcunq; in lege sua laborent, tamen præcepta Dei non seruant, nisi credant in Christum: Ita Christianus, quantũcunq; credat, nihil agit nisi proximũ diligat.

Obseruandum

Obseruandum quod Ioannes paulo ante de mandatis Dei locutus est in plurali, quasi de multis: Hic autem in singulari, de eisdem loquitur quasi de uno: Interim tamen & fidem & charitatem nominat, ut uel hinc uideamus, quod duo hæc ab inuicem separanda non sint. Oculum igitur nequam habent, qui quod de fide dicit uident, charitatē autem fidei indiuisibiliter adiunctam uidere nolunt. Non igitur mirum, quod & ipsi errant, & alios in errorem inducunt. Si oculus (inquit) tuus nequam est, totum corpus tenebrosum erit: Luc.11. Et si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Sequitur:

Et qui seruat mandata eius, in illo manet & ipse in eo]

Etiam hic obseruandum, quod Ioannes de fide & charitate, ut de uno & pluribus loquitur, ne quis elabi possit alterum ab altero separando. Vtrique autem eundem quidem fructum, uerum longe maximum ascribit. Qui (inquit) mandata eius seruat, in eo manet, & ipse in eo. Hæc autem longe maiora sunt, quàm quæ Moyses Deut.28. suam legem obseruantibus promisit.

Et in hoc scimus, quoniam manet in nobis, de spiritu quem dedit nobis]

Et quodnam certius nobis signum diuinæ præsentiæ & inhabitationis dari potuisset? Qui spiritum Christi non habet, hic non Rom.8. est eius, ait Paulus. Per contrarium ergo, qui spiritum Dei habet, & ipse Dei est & ad Deum pertinet.

CAPVT IIII.

HActenus Diuus Ioannes summo studio nos ad charitatem fraternam induxit, eamq; summe commendauit, totum autem eum sermonem uno hoc uerbo conclusit: Hoc (inquit) est mandatum Dei, ut credamus in nomen filij eius, Iesu Christi, & diligamus alterutrū. Quo uel solo uerbo satis innuit, ita quidem charitatem bonaq; opera docenda esse, ut semper fides præcedat. Vnde consequitur, quod nec Iudæi nec Ethnici quicquam certi de charitate operibusq; bonis docere possunt, propterea, quod fidem non habent cognitam, sine qua impossibile est placere Deo. Recte Heb.11. autem & ex ordine Ioannes de utroq; docet & scribit. Verum de his satis. Sequitur:

Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, num ex Deo sint]

Hic Diuus Ioannes paululum à proposito suo digreditur, iterūq; Pseudoprophetas nobis cauendos docet & exhortatur, id quod & Sup.c.2. supra

supra fecerat. Nec est quod quis superuacaneum aut minus necessarium hoc esse putet, immo tanta est infernalis illius serpentis astutia, ut nemo satis cautus esse possit. Deinde & tanta eius est malitia, ut
1.Pet.5. nunquam non cessuerit, quærens quem deuoret. Omnium maxime autem sanam doctrinam impugnat & labefactare conatur, unde & maximæ nobis in hac parte inuigilandum est. Quam diu enim doctrina sana est, parum in nos potest Diabolus: Doctrina autem uitiata uel corrupta, potestatem in nos & pro sua libidine dominatus. Quia igitur Ioannes in summa capitis tertii, summam Christianæ doctrinæ, uno hoc uerbo proposuerat: Hoc est mandatum Dei, ut credamus & diligamus, congrue nunc monet, ut caueamus à Pseudoprophetis. Quo enim maiores diuitiæ, eo magis cauendum à furibus & latronibus. Hinc Christus regnum cœlorum comparat thesauro abscondito, pretiosæq; margaritæ, quæ etiam diuenditis
Matth.13. omnibus alijs comparari debeant. Præterea, quia idem Apostolus noster de spiritu Dei mentionem fecerat, omnesq; etiam Pseudoprophetæ de spiritu Dei glorientur, necessarium fuit, ut uel notam aliquam, unde spiritus Dei à spiritibus erroris discerni posset, ostenderet. Atq; hæc fuit potissima causa huius digressionis. Nulla enim re facilius mouentur simpliciores quiq;, quàm ubi crebro audiunt iactari uerbum & spiritum Dei. Huc igitur pertinet uerbum hoc Ioannis, quod ut fortius moueat, syncero affectu ueroq; amore se duci insinuat: cum præmittit, Charissimi. Ob eandem enim causam etiam supra non semel filiolos nominauit, ut non dubitemus omnia ex syncero affectu profluxisse, quæcunq; in hac Epistola scripsit. Cæterum uocabulo spiritus nihil hic aliud intelligit, quàm doctrinam & persuasionem. Monet igitur, ne cuiuis spiritui, hoc est, cuiuis doctrinæ & persuasioni credamus. Quemadmodum enim diuersi sunt spiritus, sic & diuersæ sunt doctrinæ & persuasio-
1.Reg.18. nes. In Saule enim scriptura tradit fuisse spiritum malum, in Prophe-
Iſa.29. tis Achab spiritum mendacij, 3. Reg.22. Legimus & de spiritu so-
&.19. poris & uertiginis, insuper & in nobis ipsis experimur, quid suadeat spiritus mundi & carnis. Non igitur omni spiritui credendum,
1.Tes.5. ideo Paulus nobis indamat: Omnia probate, quod bonum est te-
Deut.13. nete. Sic & Moyses ueteres illos præmonuit, ne quibusuis Pro-
Matth.7. phetis crederent. Et Christus ipse à falsis Prophetis cauere nos iussit. Non igitur mirum, quod Ioannes idipsum quoq; facit. Nam ut supra dixit, Iam tunc contra Ecclesiam ueramq; doctrinã se erexerant
Sup.c.2. aliqui Pseudoprophetæ: Nunc (inquit) Antichristi multi sunt. Sequitur:

Omnis spiritus, qui confitetur Iesum in carnem uenisse, ex Deo est]

Non solum monet cauendos Pseudoprophetas, uerumetiam ostendit,

ostendit, quibus notis & signis agnosci, ac à ueris Prophetis discerni possint, ut uel ex hoc fidelem & uerum Christi Apostolum agnoscas. Cæterum, quod Ioannes hic dicit, non sic intelligendum est, quod omnes ex Deo sint, qui confitentur incarnationem Christi, alioqui & Arrius & plærique hæretici ex Deo fuissent. Observa igitur, quod Ioannes hic non tantum de confessione oris loquitur. Nam sunt qui ore confitentur, factis autem negant. Deinde non Tit. 1.
simpliciter dicit, omnes eos ex Deo esse, qui Christum incarnatum confitentur. Non defuerunt enim, qui Christum quidem hominem esse crederent, nolebant tamē admittere, quod idem Christus aliunde, hoc est, è cœlo in carnem uenerit. Ideo uerbum hoc Ioannis multo plus in recessu habet, quàm primo aspectu præ se fert. Confiteri Christum hoc loco, non tantum est laudare aut præd care Christum (in quem sensum, confitendi uerbum frequenter in scripturis usurpatur) sed eundem & corde amplecti, & uoce confiteri, & insuper etiam imitatione uitæ referre. In hunc modum de confessione loquitur Christus: Qui confessus (inquit) me fuerit coram Matth. 10.
hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Huc referri potest & illud Pauli: Corde creditur ad iustitiam, ore autem con Rom. 10.
fessio fit ad salutem. Christum igitur confitetur, qui & in eum credit, & tota fiducia se in eum conijcit, & perseueranter eum uerbo & uita coram mundo confitetur. Vera igitur confessio Christi non ore tantum fit, hoc enim possint etiam mali. Cæterum, Christum in carnem uenisse, est ipsum incarnatum uel hominem factum esse. Hoc autem quamuis plærique hæretici uideantur credere, Christum uidelicet hominem fuisse, non tamen credunt ipsum aliunde in carnem uenisse, & quod prius etiam Christus Filiusq; Dei fuerit, antequam carnem assumeret. Tales autem fuerunt Ebion & Cherintus. Atqui multo aliud est dicere, Christus homo fuit, & Christus in carnem uenit. Quod enim homo fuerit, nemo non uidere potuit: Cæterum, ipsum in carnem uenisse, indicat, quod prius etiam fuerit quàm carnem indueret. Hoc negabant hæretici Ebion & Cherintus, &c̄. Nolebant credere, quod Christus ab æterno fuisset Deus & Filius Dei, postea autem humanam naturam assumpsisset, atq; adeo simul & uerus Deus & uerus homo esset. Non igitur Ioannes hic de natura tantum humana in Christo loquitur, sed de toto Christo, Deo scilicet & homine, in duabus illis naturis, salua tamen unitate personæ consistente, id quod Diuus Athanasius in Symbolo suo pie & ingenue fatetur. Qui licet (inquit) Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus, &c̄. Confiteri igitur Christum in carnem uenisse, est credere & fateri, quod Iesus Christus Dei Filius, factus sit hominis filius & homo: in humana nobiscum natura conuersatus, ut homo pro nobis mortuus: & crucifixus

sit, ut Deus & homo à morte resurrexerit, & in cœlum ascenderit, solusq; omnium nostrum salus & resurrectio. Itemq; (ut Paulus
1.Cor.1. ait) iustitia, sapientia, sanctificatio & redemptio nobis factus sit. Quicunq; igitur spiritus hæc de Christo credit, confitetur, docet, nec aliqua tantum, sed omnia, hic uere ex Deo est. Sequitur:

Omnis autem spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est: Hic est Antichristus, de quo audistis, Quia uenit in mundum, & nunc iam in mundo est]

Hic exprimit Ioannes, à quibus spiritibus nobis cauendum sit, nempe ab ijs, qui Christum soluunt & diuidunt, nec integrum, sed dimidiatum proponunt, docentes eum uel tantum hominem, uel tantum Deum fuisse, itemq; aut non mortuum esse aut non resurrexisse, itemq; qui doctrinam Christi non integram, sed dimidiatam, hoc est, in uno & non in altero accipiunt. Vel denique in Christo uel corpus à capite separant, Christum confitentes, Ecclesiam negantes: uel corpus, hoc est, Ecclesiam in seipsa scindunt & diuidunt. Ab his (inquam) spiritibus cauendum nobis est.

Seductores igitur spiritus fuerunt Ebion & Cherintus, quia Iesum soluebant, asserentes ante Mariam non fuisse, atq; adeo non Deum, sed tantum hominem esse. Seductores item spiritus sunt, qui Christum uerum hominem fuisse negant, itemq; in genere omnes, qui aliquid illorum negant, quæ uel Apostoli uel Prophetæ de Christo scripserunt, quæq; Christus in carne uel docuit uel gessit. Sic & nostro tempore spiritus seductores sunt, qui Christum uel tantum ut donum, uel tantum ut exemplum proponunt, hoc est, qui uel solam fidem uel sola opera docent. Nam & hoc est Christum soluere, & dimidiatū tantum Christum prædicare. Integrum autem Christum prædicat, qui non tantum docet, quid Christus ab æterno fuerit, uerumetiam quid in tempore pro nobis factus sit. Item, non tantum quæ Christus docuit, sed etiam quæ fecit. Item, qui non tantum docet, quid Christus nobis meruerit, sed etiam quid à nobis exigat, &c. Horum enim alterum si omittas, Christum solnis. Diuus Augustinus uerbum hoc uel maxime in eos torquet, qui uel ab Ecclesia se scindunt, uel unitatem Ecclesiæ nouis dogmatibus diuidunt. Ecclesia enim est corpus Christi: Qui igitur uel Ecclesiam à capite suo Christo, uel seipsum ab Ecclesia, uel denique Ecclesiam in seipsa separat & diuidit, is uere Christum soluit, atq; adeo Antichristus est, quia scindit quod Christus unitum esse uult. In huiusmodi schismaticos Augustinus multis uerbis inuehitur. Ex omnibus igitur his conuincitur uerum esse, quod Ioannes hic dicit, Antichristum iam dudum & fuisse, & etiamnum esse. Sequitur:

Vos ex Deo estis filioli, & uicistis eum]

Mitigatio

Mitigatio est eius quod dixerat, itemq; & consolatio, ne quis dicere posset, Si tanta est seductorum & multitudo & peruersitas, quis eos omnes cognoscere uel uitare potest? &c. Vos (inquit) ex Deo estis, qui non patietur uos seduci. Si enim uos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis Deus dabit spiritum bonum petentibus se? Impossibile igitur est, ut qui electi sunt, seducantur. Oues enim Christi nemo potest rapere de manu eius. Auget Ioannes consolationem in eo, quod subdit: Et uicistis eum, Antichristum uidelicet, uel ipsum etiam Sathanam. Certam (inquit) habetis uictoriam, uerumtamen non ex uobis ipsis. Neq; enim uel uestra sapientia uel uestra fortitudine, tot tentationum & seductionum laqueos euadere possetis. Ideo addit: Luc. 11. Matth. 24.

Quoniam maior est qui in uobis est, quàm qui in mundo]

Et hoc uerbum ad consolationem nostram facit, quantumuis enim multos seductores excitet Diabolus, Deus tamen qui per fidem & dilectionem in nobis habitat, fortior est Diabolo. Confidite (inquit) ego uici. Et iterum, In me pacem habebitis. Deinde hoc uerbo docemur, ne de nostris ipsorum uiribus gloriemur, nec Petrum in hoc imitemur, qui de uiribus suis præsumens, magna pollicebatur, quæ tamen præstare non poterat. Quin potius cum Paulo dicamus: Omnia possum in eo qui me confortat. Sic igitur Diuus Ioannes ne dum docet, uerum insuper etiam admonet & consolatur, nihilq; omittit quod ad fidum doctorem pertinet. Ioan. 16. Matth. 26. Phil. 4.

Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur,
& mundus eos audit]

Veris coloribus depingit Pseudoprophetas, ex his enim tribus uel maxime cognosci possunt, quod è mundo sunt, hoc est, mundanis rebus, honoribus, diuitijs, uoluptatibus afficiũtur. Deinde, quod de mundo loquũtur, hoc est, docent & annunciant quæ carnalibus grata & accepta sunt. Præterea, quod mundus eos audit, propterea, quod affectibus eorum conuenientia docent. Vnde & mirum non est, quod minor semper numerus hominum ueris doctoribus adhæret.

Nos (inquit) ex Deo sumus, & qui nouit Deum, audit nos:
Qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus
spiritum ueritatis, & spiritum erroris]

Verissima sententia. Duabus enim ijs notis, ueri Apostoli à spiritibus erroribus discernuntur. Primo quia ex Deo sunt, atq; adeo nihil aliud docent, quàm spiritualia, cœlestia & diuina. Secundo, quia filij Dei eos audiunt, & hi quidem soli. Nam mundus eos non audit: Nihil tamen per hoc Apostolorum authoritati decedit, quod mundus atq; adeo maior pars hominũ ipsos non audit, quin potius

per hoc quod à mundo despiciuntur, uel maxime probantur esse
Ioan.15. ueri doctores. Si enim de mundo essent & mundana docerent, mundus quod suum est diligeret. Pulchre igitur Diuus Ioannes nedum à spiritibus seductoribus nos præmonuit, uerum insuper etiam ostendit, quibus signis & indicijs cognosci possint. Quod Apostoli pijq; doctores Ecclesiæ, iam inde ab exordio docuerunt & scripserunt, Deum & pietatem: Quod autem hæretici docuerunt & docent, carnem & mundum sapit, id quod nemo non deprehendit, nisi omnino nullius iudicij sit.

Charissimi, diligamus inuicem, quia charitas ex Deo est]

Hic Ioannes reuertitur ad propositum, & quidem satis concinne. Doceant (inquit) alij quod libet, iactent spiritum ut uolunt, nos diligamus inuicem. Hac enim uel una nota probabimus, nos esse ueros Christianos, in spiritu & uia ueritatis incedentes. Hinc igitur colligi potest, Diuum Augustinum non temere & sine causa quæ Ioannes de spiritibus, qui soluunt Iesum, dixerat, in eos detorsisse, qui Ecclesiam scindunt. Contra hos enim Apostolus hic noster uel maxime pugnat. Hi enim sunt qui reuera sectas perditionis in-
2.Pet.2. troducunt, propterea, quod unitatem Christianæ doctrinæ scindunt, atq; adeo Ecclesiam in sectas diuidunt, quæ in fide & doctrina nec inter se, nec cum Ecclesia conueniunt. Vbi autem unitas doctrinæ seruatur, ibi etsi non omnibus sit idem modus uiuendi, non tamen per hoc sectæ perditionis introducuntur. Quemadmodum enim ciues eiusdem oppidi, etsi diuersos inter se habeãt status, officia, artificia, &c. sub eodem tamẽ regimine ac eisdem legibus & ordinationibus uiuunt, atq; adeo diuersitas illa artificiorum, & statuum, ciuilem illam concordiã non scindit, nec quisq; alterũ ob huiusmodi diuersitatẽ artificiorũ non ferendum in ciuitate putat, quàm diu sub eisdem legibus uiuit. Eum aũt nemo in ciuitate ferre posset, qui contemptis legibus, quibus omnes alij utũtur, nouas induceret. Is enim ciuilem concordiã scinderet, atq; adeo ut seditiosus ab omnibus expelleretur. Sic in Ecclesia diuersitas statuum, officiorũ, uocationum, ordinum, ministeriorum, &c. non scindit unitatem Ecclesiæ, quantumuis enim non omnibus sit idem modus uiuendi, in eadem tamen fide, doctrina, Sacramentorum participatione, cæremonijs, legibus & constitutionibus uiuunt & manent cum alijs Ecclesiæ membris, ubicunq; per orbem terrarum dispersi sint. Qui igitur diuersos in Ecclesia uiuendi modos uel ordines, sub unitate tamen fidei & doctrinæ instituerunt, non introduxerunt sectas perditionis, quia per hoc nullum ab unitate Ecclesiæ abducunt: Qui autem noua dogmata Catholicæ Ecclesiæ incognita inuehunt, contemptisq; Ecclesiæ non tantum doctrina & disciplina, uerum etiam cæremonijs, constitutionibus, &c. nouos pro sua libidine & in contemptum

temptum Ecclesiæ ritus inducunt. Hi uere Ecclesiam scindunt ac sectas perditionis introducunt. Charissimi diligamus inuicem, dicit Ioannes. Huc uel maxime nobis spectandum est. Non enim refert cuius uel sexus, conditionis aut officij quisq; sit, quem sibi uiuendi statum elegerit, quibus cibis uescatur, aut quem colorem in ueste præferat, dummodo in unitate Ecclesiæ ac doctrinæ Catholicę maneat. Obserua quod Ioannes nō dicit, Charissimi diligite inuicem, sed: Diligamus inuicem. Quod enim alijs præcipit, etiam á seipso exigit. Non enim satis est alios docere, nisi & teipsum doceas. Castigo (inquit) corpus meum, ne cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. 1.Cor.9. Sic & in alio loco seipsum in exemplum proponit: Imitatores (inquit) mei estote, sicut & ego Christi. 1.Cor.11. Deinde Ioannes non dicit, Diligamus hos uel illos, sed in genere: Diligamus (inquit) inuicem, quemadmodum enim nullos in specie nominat, sic nullos excludi uult. Charitas enim Christiana ad omnes homines se extendere debet, amicos & inimicos. Non enim persona proximi, sed natura & necessitas attendenda sunt. Signanter autem dicit: Diligamus inuicem, uel mutuo, quo uerbo innuit, quod Christiana charitas debet esse reciproca. Alter (inquit) alterius onera portat. Gal.6. Qui beneficiū recipit, beneficium etiam reddat: Quod proximo lege charitatis debes, hoc & ipse tibi debet. Cæterum Ioannes etiam causam annectit, cur tantopere charitatem urgeat: Charitas (inquit) ex Deo est. Vere ingens & magnifica commendatio. Et quidem charitas etiam in alijs locis magnifice commendatur, ut cum Christus dicit: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc.7. Itemq;, Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. Ioan.14. Et Petrus: Charitas operit multitudinem peccatorum. 1.Pet.4. Et Paulus: Etsi habuero omnem fidem, &c. charitatem autem non habuero, nihil sum, &c. 1.Cor.13. Ioannes tamen charitatem adhuc excellentius commendat, cum dicit: Charitas ex Deo est, hoc est, uere sanctum quid & diuinum. Ex Deo est, quia per spiritum Dei transfunditur in corda nostra: Rom.5. Ex Deo est, quia ipse prior charitatem suam erga nos ostendit. Denicq; ex Deo est, quia sublata lege Moysi, hoc unum mandatum dilectionis nobis dedit & confirmauit. Ioan.13. Et quid ex hoc colligere uult Apostolus noster? Sequitur:

Et omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est & cognoscit Deum: Qui non diligit, non nouit eum]

Hoc certo sequitur ex præcedenti uerbo. Si enim charitas ex Deo est, etiam is ex Deo est, qui charitatem habet: Si charitas ex Deo est, ergo qui charitatem non habet ex Deo esse non potest. Quid autem maius est, quàm ex Deo natum esse? Quid fortius in omni tentatione consolari nos potest? Ex Deo autem quemquam esse, nullo certiori signo probatur quàm charitate. Nam omnia alia, uidelicet

delicet orare, ieiunare, eleemosynas dare, immo & Baptismũ aliaq; Sacramenta percipere, fide etiam montes transferre, deniq; & corpus ipsum igni & tormentis subijcere, &c. fallere possunt.

1.Cor.13. Omnia enim hæc etiam mali facere possunt: At charitas mala esse non potest. Est enim patiens, benigna, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non irritatur, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate: Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. In summa charitas ex Deo & uere diuinum quid est, & quod omnia alia excedit.

Deus (ipse) charitas est]

Quemadmodum enim malum & scelestum hominẽ, ipsam malitiam & ipsum scelus nominamus, ita Ioannes Deũ nominat ipsam charitatẽ, tum quia charitas omniũ perfectissime in ipso apparuit: tum etiam, quia sicut Deus etiam essentialiter non tantum bonus, iustus, uerus, misericors, uerumetiam ipsa bonitas, iustitia, ueritas, sapientia & misericordia est, sic & essentialiter etiam charitas est. Et quid hinc colligitur? Primo, quod qui charitate uacuus est, ex Deo non est. Deinde, quod qui in uel contra charitatẽ peccat, contra Deum peccat, quo quid terribilius esse posset. Horrendum est incidere

Heb.10. in manus Dei uiuentis, ait Diuus Paulus. Et Heli sacerdos ille: Si

1.Reg.2. peccauerit (inquit) uir in uirum, propitiabitur ei: Si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? Obserua igitur, quantum Ioannes noster duo hæc exaggeret, quàm dulciter enim nos ad charitatẽ inuitat, tam diligenter nos à contrario, hoc est, omni crudelitate, duritia, &c. in proximum absterret. Quantum igitur allicere nos debet uerbum illud: Qui diligit fratrem suum, ex Deo est, tantum terrere nos debet quod subdit: Qui non diligit fratrem, non nouit Deum, immo peccat contra Deũ, quia Deus charitas est. Bone Deus quàm nihil horum uel cogitat uulgus Christianorũ, quid minus inter nos conspicitur, quàm uera & syncera charitas? quid fortius in mundo, immo & inter Christianos uel maxime regnat quàm duritia, perfidia, crudelitas, inimicitiæ, seditiones, bella, &c? Verissime enim nunc

Osee 4. in nobis impletur illud Osee: Non est ueritas, non est misericordia in terra, sed maledictũ, blasphemia, &c. inundauerunt, & sanguis

Isa.59. sanguinẽ tetigit. Et illud Isaię: Veritas in plateis corruit, iustitia non potuit ingredi, &c. Nec uideo quibus hanc Christianorũ peruersitatẽ et nihil minus quàm Christianã uitam accepto ferre debeamus, quàm ijs, qui uiam ueritatis & salutis tam facilem faciunt, ac si nihil ad Christianismũ pertineret, præter unicam, solam & nudam fidem: Si enim quæ Ioannes in hac Epistola de charitate & pia conuersatione tradidit, tam fideliter populo inculcassent, quemadmodum ea quæ in Euangelio de fide scripsit, nunquam populus in tantam licentiam & leuitatem uitæ deuenisset. Sequitur;

In

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium
suum misit in mundum, ut uiuamus per eum]

Iterum exemplo Dei Patris ad charitatem nos inuitat, immo & opere & exemplo probat, quod iam dixerat, charitatẽ ex Deo esse, itemq; quod Deus ipsa charitas sit, quasi diceret, Quę iam dixi, non uerba tantũ, non aliqua opinio, sed fides & ueritas, sunt. Vt ostenderet enim Deus charitatẽ suam, etiam Filium suum misit in mundum. Et quo certiori signo charitatem erga nos suam ostendere potuisset? Israëlitæ in Ægypto olim seruientes, magni æstimabant, quod Deus pro liberatione eorum Moysen misisset. Audierunt (inquit) quod respexisset Dominus afflictionem illorum, & proni adorauerunt. Exod.4. Quin & Dauid hoc ipsum magnis laudibus celebrat: Confitemini (inquit) Domino, & inuocate nomen eius, annunciate inter gentes opera eius. Et paulo post, Misit Moysen seruũ suũ, Aaro quẽ elegit ipsum, &c. Et iterũ: Clamauerũt ad Dominũ cum tribularẽtur, & liberauit eos: Misit uerbũ suum, & sanauit eos, &c. Psal.104. Et hæc quidem magna erant diuinæ dilectionis indicia. At Ioannes maius quiddam & quidem in infinitum maius: Deus (inquit) misit Filium suum. Quin & hoc ipsum Christus adhuc uehementius exprimit: Sic (inquit) Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Ioan.3. Et Paulus adhuc uehementius: Proprio (inquit) Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Rom.8. Emphasim habent & hæc uerba, quod nõ Filium tantũ suũ misit Deus, sed unigenitũ, hoc est, summã suam uoluptatẽ, summũq; cœli decus. Itemq; quod eum in mundum misit & mundo dedit, hoc est, inimicis suis nihil boni de se meritis. Et quis hoc fecit? Deus, ac is ipse Deus, qui in nullo nostri indigebat, immo qui iure nos poterat punire & damnare. Iam si Abraham commendatur, quod ex fide & obedientia Filium suum offerre uoluit: quanto magis hæc Dei charitas nobis in precio esse debet? Gen.22. Quod enim Abraham Deo offerre uolebat, prius à Deo acceperat: Tua (inquit Dauid) sunt omnia, 1.Par.29. & quæ è manu tua accepimus, tibi offerimus. Quis aũt Deo aliquid prior dedit, ut retribueretur ei? Rom.11. In fine Ioannes etiam addit causam, cur Deus tantam charitatem nobis præstiterit mittendo & dando filium suũ: Vt (inquit) uiuamus per eũ. Et hoc igitur illustriorẽ reddit charitatẽ Dei. Ioan.3. Non enim misit Deus Filium suũ, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per eum. Non (inquam) misit Deus Filium suum in mundum, quemadmodum & olim Angelos duos miserat ad subuertendam Sodomã. Gen.19. Itemq; alterum quendam Angelum in castra Assyriorum: 4.Reg.19. Sed, Vt uiuamus per eum. Ad hoc aũt multo labore illi opus erat & impensis, immo moriendum illi erat, ut uita ad nos perueniret. 1.Pet.2. Nam liuore immo & morte eius sanati sumus. Isa.43. Ideo & in Isaia ad quemlibet nostrũ: Seruire me fecisti peccatis

catis tuis, & laborem mihi præbuisti iniquitatibus tuis. Ex his igitur uides quàm insigniter Ioannes charitatem Dei nobis commendet, quamquam uerum sit, quod supra dixit, Charitatem ex Deo esse. Si enim (ut Gregorius dicit, & uerissime dicit) exhibitio operis, probatio est charitatis, indicium profecto summe charitatis est, quod Deus Filium misit, & eo modo, ut iam dictum est.

In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, &c.]

Pertinet etiam hoc ad amplicationem diuinæ erga nos charitatis, immo ex hoc uel maxime probatur, charitatem erga nos Dei summam & fuisse & esse, quod ipse prior dilexit nos, hoc est, nullis
2.Cor.5. nostris meritis prouocatus, sed ex mera gratia. Cum enim adhuc
Ioan.15. inimici essemus, reconciliauit nos sibi per mortem filij sui. Vnde & Christus ipse: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, &c. Non igitur nostra merita, uerum Dei charitas commendanda est. Addit autem Ioannes

Et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris]

Hoc addit, ne quis parui æstimet, quod Deus Filium suum misit, quasi hoc facile & citra ullum laborem facere potuerit. Nequaq; (inquit Ioannes) non tam facile redemptus est homo, quam facile creatus fuerat. Tunc enim solo uerbo creatus fuit, nunc autem magno labore á filio quæsitus, & non nisi sanguine eius redemptus est. Non enim tantummodo ad nos uenit Filius Dei, uerumetiam propitiatio & sacrificium pro peccatis nostris factus est. Itaq; si paruum tibi uidetur, quod citra laborem conditoris creatus es, magnum certe uideri debet, quod tanto labore & precio emptus es.

Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus inuicem diligere]

Breue uerbum, sed quod latissime se extendit. Si enim Deus, qui nullius eget, miseros, indignos, & ingratos nos sic dilexit, ut
Gen.1. non solum creaturas suas nobis subijceret, & sua bona nobis daret, sed etiam Filium suum mitteret, immo & morti pro nobis obijceret; profecto omnis nobis excusatio, proximis nostris quicquam negandi, sublata est. Non est igitur quod dicas, Quid mihi cum illo? Cur mea illi dabo? Nihil bona de me meruit: Nihil eius indigeo. Si hoc illi præstare debebo, magnus mihi labor subeundus esset, &c. Omnia enim hæc & multo iustius Deus de nobis dicere potuisset. Cogita igitur charitatem Dei, & nihil tibi graue uidebitur quicquid proximo impenderis. Obseruandum tamen & hic, & in tota Epistola, ubicunq; Ioannes de dilectione proximi loquitur, quod aliud est charitas, aliud indulgentia: charitatem exigit Ioannes, non indulgentiam,

tiam. Charitatis ueræ natura, in columba illa præostensa fuit, quæ supra Christum dum baptizaretur descendit. Columba etiam felle quidem caret, nihilominus tamen pro nido & pullis suis depugnat. Sic uera quidem charitas felle caret, nullumq; hominem odit, ad nulla tamen uitia conniuet, immo ea nec in amicissimis sibiq; coniunctissimis dissimulat, uerum arguit. Personam enim hominis diligit, uitia odit. Vbi autem etiam ad peccata & crimina proximorum conniuemus, non charitas, uerum indulgentia est. Huc pertinet illud Sapientis: Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella. Item, Qui pareit uirgæ, odit filium suum. Et iterum, Meliora sunt uulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Pater enim etiam cum corripit & flagellat, pater est & omnia ex dilectione agit: Adulator autem etiam cum blanditur, hostis est, quia non arguendo quod malum uidet, ad perditionem homines ducit. Huc pertinet etiam, quod Deus ipse quos diligit, flagellare dicitur. Matth.3. Eccles.30. Prou.13. Prou.27. Heb.12.

Deum nemo uidit unquam]

Persistit Ioannes in cœpto ordine docendi charitatem. Occurrit autem hoc uerbo cogitationibus simplicium, ne (quia charitatem Dei erga nos in exemplum proposuerat) ipsi obijcerent, Quomodo imitabimur, quem non uidemus? At Ioannes facile quidem concedit, immo aperto ore fatetur, quod Deum nemo uidere possit aut unquam uiderit. Sic enim & Moysi eum dixisse legimus: Non uidebit me homo & uiuet. Et iterum: Posteriora uel nouissima mea uidebis, faciem autem meam uidere non poteris. Legimus quidem Patriarcham Iacob dixisse: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Et Isaiam: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, &c. Neuter tamen ipsorum Deum uidit in sua substantia, sed tantum in uisione imaginaria, uel in aliqua similitudine. Deum itaq; nemo uidit unquam. Nec Deum tibi in natura sua conspiciendum (ait Ioannes) sed dilectionem eius erga nos attendendam propono. Nec dico, quod Deus ipse, sed quod charitas eius nobis apparuit, hanc tibi imitandam propono. Itaq; si Deum uidere cupis, attende ipsius charitatem. Deus enim charitas est: Ex dilectione sua, non ex natura & essentia sua, Deus pro statu huius uitæ à nobis agnosci uult, quemadmodum & ipsa charitas non in se, sed tantum in operibus suis uidetur. Nunc enim ambulamus per fidem, non per speciem. Exod.33 Gen.32. Isa.6. 2.Cor.5.

Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet]

Hoc addit ad cõsolationẽ nostrã, quasi diceret. Quid obest, quod Deum non uidemus, cũ ipsum in nobis manentẽ habere possimus?

Neq

Neq; enim propriam animã tuam uides, aut etiam uidere cupis, con-
4. Cor. 4. tentus eo, quod ipsam in te habes & sentis. Quicquid oculis corporeis uidetur, temporale est. Plus igitur & optanda & quærenda nobis est pro tempore huius uitæ, inuisibilis eius præsentia & inhabitatio, quàm uisibilis eius conspectus. Hoc enim in hac uita consequi non possumus, illud autẽ Deus ultro nobis offert. Ad eum, inquit,
Ioan. 14. ueniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Obserua igitur, quantus thesaurus sit charitas, quæ & nos Deo, & Deum nobis coniungit & unit. Obserua item, quantum Deo placeat charitas, quod ubicunq; eam esse uides, illic & ipse esse uult. Huc pertinet quod
Matth. 18. etiam in Matthæo dicit: Vbi duo uel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ego in medio eorum sum. Et, Vbi duo inter se consenserint, quicquid petierint à Patre, impetrabunt. Quod si tantopere Deo placet charitas, facile conijci potest, quàm ei displiceant, qui charitatem & unitatem inter credentes lædunt, scindunt,
1. Cor. 14. rumpunt, & contemnunt: Vere enim non est Deus dissensionis, sed pacis. Atq; hinc facile colligitur, quantum seipsos decipiant, qui se uel solos pro ueris Christianis uenditant & iactant: Interim tamen omnes conatus suos eò dirigunt, ut Christianam unitatem scindant, omnibus uiribus obsistunt, ne Ecclesiæ unitas unquam reparetur aut reparari possit, &c. Hos igitur Ioannes uel maxime hoc uerbo, impietatis & mendacij conuincit.

Et charitas eius in nobis perfecta est]

Dupliciter intelligi potest, Actiue & passiue. Primo, ut sit sensus, Si inuicem diligimus, & Deus in nobis manet, certi sumus, quod nos diligit. Secundo, ut sit sensus, Si Deus per dilectionem in nobis manet, etiam nos subinde perfectiores in dilectione facit. Tunc autem charitas perfecta est, uel summam suam perfectionem attigit, cum non tantum amicos, uerumetiam inimicos diligimus. Circa hoc autem obseruandum, quod etsi Ioannes tantum his duobus uerbis utatur, Diligamus inuicem, Diligamus fratres: Non tamen eo referri debent hæc uerba, quasi tantum amicos & nobis fauentes diligere debeamus. Christus enim charitatem multo latius extendit:
Matth. 5. Audistis (inquit) quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis, Diligite inimicos uestros, &c̃. In eundem modum & Paulus dilectionem Christianam etiam ad hostes & aduersarios nostros extendit:
Rom. 12. Si esurierit (inquit) inimicus tuus, ciba illum, &c.

Per hoc autem quod Ioannes in hac Epistola tantummodo fraternam & mutuam charitatem nominat, de inimicis diligendis nullam mentionem faciens, primo ostendere uoluit naturam charitatis, quæ uelut ignis prius ea quæ prope

sunt

sunt corripit, quàm ea quæ à longe distant attingere possit. Qui enim proxime sibi iunctos non amat, inimicos nunquam diliget. Deinde fratrum nomine, iuxta morem scripturæ, omnes homines intelligit. Omnes enim fratres sumus, ex eodem Patre Adam originem trahentes. Matth. 23. Postremo etiam ideo Ioannes tantum de dilectione fraterna loquitur, quia etiam *inimici* nostri, non ut hostes, sed ut fratres attendendi & amandi sunt. Odiendum enim est in ipsis, quod malum est, diligenda autem natura. Diligendus est inimicus, non quia inimicus est & malefacit, sed ut bonus fiat. Sic Deus dilexit nos, cum adhuc *inimici* essemus, non ut inimici maneremus, sed Rom. 5. ut amici efficeremur. Ob has igitur causas Ioannes nullam de diligendis *inimicis*, sed tantum de mutua & fraterna charitate mentionem facit, ne quis dilectionem inimicorum sibi mandari audiens, dicere posset: Durus est hic sermo, &c. Per dilectionem igitur mu- Ioan. 6. tuam & fraternam, paulatim etiam nos ducere uult ad dilectionem *inimicorum*. Attende igitur *inimicum* tuum ut hominẽ & in Christo fratrem, & non uidebitur tibi durum aut graue, ipsi benefacere eumq; diligere.

In hoc cognoscimus, quod in ipso manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo sancto dedit nobis.

Hunc itaq; spiritũ si in te sentis, certe & tu in Deo es, & Deus in te manet. Sicut enim spiritus corporis nostri omnia mẽbra inter se coniungit & unit, èque multis unũ corpus efficit: Ipse autem non tam in toto corpore, quàm in singulis membris habitat & operatur. Ita & spiritus Dei nedum nos Ecclesiæ fidelium, atq; adeo omnibus credentibus, uerumetiam Deo unit & Deum nobis, ut & nos in ipso & ipse in nobis sit, quo quid fœlicius uel cogitari posset?

Et nos uidimus & testamur, quoniam Pater misit Filium suum saluatorem mundi.

Hoc uerbo Ioannes iterum prudenti cautela utitur, fidem scilicet adiungens & commiscens charitati, ne quia tam magna hic tribuit charitati, suspicari quis posset, ipsum esse oblitum eius, quod in Euangelio suo de fide scripserat. Fidem itaq; hic admiscet, ut uideamus eum de nulla alia dilectione loqui, quàm de ea quæ ex fide prouenit, & quod in tota hac Epistola fidem & charitatem à se inuicem seiungi & separare nolit. Sicut igitur nemo non fateri cogitur, quod Ioannes neq; solam et nudam fidem, neq; solam charitatem doceat, sed utrunq; simul: Sic nemo non uidet, quod idem Ioannes multo aliter de fide loquitur, quàm hoc tempore plærique faciunt.

Obserua

Obserua quod non semel tantum atq; iterum, sed etiam tertio iam commemorauit, quod Deus miserit Filium suum. Ideo autem toties hoc repetit & inculcat, ut eo magis ineffabilem illam Dei erga nos dilectionem æstimare & admirari possimus. Nam ea Dei dilectio diligenter consyderata, summam in omnibus aduersis consolationem nobis præstat. Qui enim propriũ filium dedit, quomodo Rom.8. non omnia cum ipso donaret? Deinde eadem dilectio etiam nos eo fortius ad charitatem Dei & proximi excitabit. Non igitur frustra toties repetit, Deum misisse Filium suum. Obserua & illud, quod Ioannes quamuis eandem Filij Dei missionem tertio repetat, semper tamen speciale quiddam annectit, quo causam eius missionis nobis insinuat. Primo (inquit) misit Filium suum, ut uiuamus per eum. Secundo misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Tertio misit Filium suum saluatorem mundi. Et hæc igitur summam nobis consolationem præbent. Si enim Deus ideo misit Filium suum, ut per eum uiuamus, non est quod timeamus mortem. Si Filium misit propitiationem pro peccatis nostris, non est quod propter peccata nostra desperemus. Si Filium misit ut saluet mundum, certe in eum credentes eiq; adhærentes perire non possumus. Non est igitur cur queramur super huiusmodi repetitione, sed est unde gratias agamus. Quod autem Ioannes se alioscq; Apostolos omnium horum testes, non qualescunq;, sed oculatos testes asserit, confirmatio est eorum, quæ iam dicta sunt: Vidimus (inquit) & testamur. Conuenit autem cum eo quod in exordio Epistolæ dixit: 1.Ioan.1. Quod fuit ab initio, quod uidimus, quod audiuimus, quod manus nostræ contrectauerunt, &c. annunciamus uobis. Ad eundem Ioan.1. modum & in Euangelio suo dicit: Vidimus gloriam eius, &c. 2.Pet.1. Sic & Petrus, Non indoctas fabulas sequuti, annunciamus uobis Domini Iesu uirtutem, &c. sed speculatores facti magnitudinis eius, &c.

Quisquis confessus fuerit, quod Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo]

Hic iterum uides, quomodo fidem & charitatem coniungat. Quod enim prius charitati, hoc nunc fidei ascribit. Dixerat: Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. Et iterum: Si diligimus, Deus in nobis manet. Nunc aũt dicit: Qui credit quod Iesus est Filius Dei, Deus in nobis manet, &c. Et quis non ex hoc uidet, quod utrunq;, hoc est, tam fidem quàm charitatem quàm coniunctissima esse uult. Magna igitur temeritas sit necesse est, quod alij qui fidem & charitatem tam procul ab inuicem disiungunt, ut alterum mordicus teneant, alterum omnino negligant. Si attendere nosti, quod Ioannes hic dicit: Qui credit, &c. Deus in eo manet, &c.

&c. cur non attendis, quod idem Ioannes etiam supra dixit: Si diligimus, Deus in nobis manet? An oculus tuus nequam est, tantum ea uidens quæ tibi arrident? Aut putas Diuum Ioannem sibi ipsi non constare, qui quod hic fidei tribuit, superius charitati ascripsit? Erras si hoc de Ioanne suspicaris. Vere enim sobrietatis & ueritatis uerba loquitur. Fidei ascribit salutem ut radici, charitati autem ut perfectioni: Fides iustificationem incipit, charitas eam perficit & certam reddit.

Et nos cognouimus & credimus charitati Dei, quam habet Deus in nobis]

Sensus uerbi est, Sicut nihil de fide in Christum docuimus, nisi quæ certa, uera & indubitata sunt: sic & uera, certa & indubitata sunt quæ de charitate docemus. Vidimus quod Deus misit Filium suum, credimus etiam quod ex sola charitate eum miserit.

Deus charitas est: Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo]

Vel hic uide, quàm efficacibus & penetratiuis uerbis Ioannes utatur in describenda charitate. Quod dulce & iucũdum est, hoc sæpius commemorare solemus. Nec dubium est, quin Ioannes tam affectuose de charitate scribens, singularem aliquam & magnam ex hoc in corde dulcedinem persenserit. Nec aliam ob causam non hic tantum, uerumetiam supra, Deum ipsum charitatis nomine appellauit, quàm ut uideamus huiusmodi uerba non imprudenti sibi excidisse, quin potius omnibus modis inculcatum & infixum nobis esse uult, quod Deus sit charitas, & quod qui in charitate maneat, etiam in Deo maneat, &c. Quid igitur fœlicius & diuius esse potest homine charitatem habente? Is enim & in Deo manet, & Deum in se manentem habet. Vtrinq; autem utilitas & quidem summa ad eum hominem redit. Nam Deus nostri non eget. Ipse nobis dat, nos illi nihil dare possumus. Nihil illi accedit, si in ipso manemus: nec quicquam illi decedit, si in ipso nõ sumus. Nostra utrinq; est utilitas, siue ipse in nobis, siue nos in ipso maneamus. Ipsius enim præsentia & inhabitatione, mundamur, consolamur, roboramur, conseruamur: Ipse infirmis est medicina, cæcis lux, perditis salus, mortuis uita. Dixi (inquit) Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Psal. 15.

In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij]

Iterum ascribit charitati, quod aliàs fidei ascripsit, nempe fiduciam & securitatem coram iudicio Dei. Et hanc quidem potissimum præstat fides, quemadmodum Christus ipse testatur, Qui credit in Ioan. 5.

me, in iudicium non uenit. Et iterum, Qui credit in Filium Dei, non
Ioan.3. iudicatur. Nihilominus tamen Ioannes hanc fiduciam etiam ascribit charitati. Vnde iterum colligitur, quod charitatem à fide seiungi & separari nequaquam uult: Immo in his duobus non separatim, sed coniunctim comprehendit totam summam Christianæ religionis & doctrinæ. In Euangelio quidem ita loquitur de fide, quasi omnia in sola fide consistant: In Epistola autem ita plærumq; commendat charitatem, quasi omnia in sola charitate consistant. Cæterum, sicut illic charitatem non excludit à fide, sic nec hic fidem excludit à charitate. Vbicunq; enim de fide loquitur, eam solam intelligit, quæ per dilectionem Dei & proximi se exerit & operatur. Ea enim sola, uiua & uera fides est. Vbicunq; autem de dilectione loquitur, eam solam dilectionem intelligit, quæ nedum uirtutem & operationem, uerumetiam radicem suam & originem ex fide habet. Ideo nunc fidem, nunc charitatem commendat, semper tamen alterum in altero intelligit. Sic cum hoc loco charitati fiduciam & securitatem coram Dei iudicio ascribit, non intelligendum est, quasi charitas sola & citra fidem in Christū hoc possit. Quomodo enim nostra opera ex seipsis tantam securitatem nobis præstare possent, nisi fides & fiducia in Iesum Christum præcedat? Fides igitur & charitas simul & coniunctim, hanc fiduciam & securitatē præstant. Fides ut fundamentum, exordium & radix: charitas autem ut fructus & perfectio. Iam qui fructum & finem alicuius rei commendat, is exordium & radicem non excludit. Et si spiritum charitatis in nobis sentimus, certi sumus, quod fides nostra uiua & efficax est, atq; adeo etiam certi sumus, nos securos esse & fore coram iudicio Dei. Vbi enim fides & charitas in homine conueniunt, ibi pace & plena securitate perfruitur conscientia, nec uel timor uel angustia uel desperatio locum habere potest. Huc pertinet quod Christus
Ioan.6. dixit: Qui credit in me, non esuriet, &c. Et, Qui biberit de aqua,
Ioan.4. quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet: Qui autem timet, non est perfectus in charitate]

Duo contraria Ioannes hic inter se confert, timorem & fiduciam, & inter utrunq; mediam ponit charitatem, ut quæ alterum expellit, alterum confert. Atq; adeo per timorem, hic primo intelligit trepidationem & angustiam conscientiæ, itemq; pusillanimitatem & desperationem cordis. Hic enim est timor, qui reuera pœnam habet, & quidem summam, nihil enim magis cruciat quàm perturbata conscientia. Charitas autem hunc timorem secum non patitur, sed eum expellit, quia fidem, qua Christum uitam, propitiationem & saluatorem

& saluatorem nostrum apprehendimus, probat & confirmat certamq; reddit. Quomodo enim timere & trepidare posset, qui credit Christum suam esse uitam, propitiationem & certissimam salutem? Cor igitur fidens & conscientia intrepida, certum signum est, charitatem in nobis esse perfectam. Deinde etiam illud indicium est perfectæ charitatis, si Christo conformiter uiuamus. Nam & hoc Ioannes annectit: In hoc (inquit) perfecta est charitas, non tantum si fiduciam habemus in die iudicij, sed etiam si ita sumus in mundo, quemadmodum ipse fuit, hoc est, si ita uiuimus & ambulamus, sicut ipse ambulauit. Sic enim & supra docuit: Qui dicit se in Christo manere, debet ambulare sicut ipse ambulauit. Sup. c. 2. Potest autem uerbum hoc etiam intelligi de timore seruili, ubi uidelicet tantum timore damni aut pœnæ, uel malum uitatur uel bonum peragitur. Charitas enim etiam hunc timorem expellit. Nam aliud est timere Deum, aliud timere pœnam: Aliud est timere Patrem, aliud timere iudicem. Filius timet Patrem, simul tamen etiam eum diligit: Fur timet iudicem, simul autem etiam eum odit. Et hic igitur seruilis timor est: ille autem filialis dicitur. Charitas autem filialem timorem non expellit, sed omnibus modis fouet: Timor enim Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Hic timor ubiq; in scripturis commendatur, ut cum dicitur: Beatus uir qui timet Dominum, &c. Et Salomon: Time Deum, & obserua eius mandata, hoc est omnis homo. Et Ecclesiasticus: Qui timet Deum, non erit incredulus uerbo eius, insuper & inquiret quæ placita sunt illi, &c. Et iterum, Qui timet Deum, faciet bona, &c. Hunc igitur timorem non expellit charitas, sed seruilem illum timorem non patitur secum. Seruus enim non manet in domo in æternum, sed filius. Et lata est sententia: Eijce ancillam & filium eius. Non enim erit hæres ancillæ filius cum filio liberæ. Nec Deus seruos uult habere, sed filios. Vnde & Paulus, Non accepimus spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum. Interim tamen etiam seruilis timor ad hoc nobis prodest, quod per ipsum filialis timor introducitur. Qui enim primo discit Deum timere ut iudicem, paulatim ad hoc perducitur, ut etiam discat eum timere ut Patrem. Huc pertinet illud Psalmi: Initium sapientiæ timor Domini. Sicut enim acus filum introducit in uestem, ita tamen quod filum maneat, acus exeat: sic timor filialis cordibus nostris introducit timorem filialem, ita tamen, quod filialis timor in corde manet & augescit, seruilis autem subinde magis euanescit.

Psal. 18. Psal. 111. Eccles. 12. Eccl. 2. Eccle. 15 Ioan. 8. Gal. 4. Rom. 8. Psal. 110.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos]

Vno hoc uerbo Ioannes omnia quæ hactenus dixit, complecti-

tur. Diligamus, inquit. Hoc uolo, hoc quæro, hoc intendo, charitas Christianum uel maxime decet & ornat: charitas est uirtus illa,
Matth. 22. quæ Deo summe placet: charitas est uestis illa nuptialis, ad mensam nuptialis conuiuij pertinens: charitas est oleum illud, quo lampa-
Matth. 25. des nostræ fouentur & conseruantur usq; in aduentum sponsi: charitas est unicum illud opus, secundum quod omnes homines olim iudicandi sunt. Ergo (inquit) diligamus. Cæterum inter ea quæ diligenda sunt, primo loco Deum ponit. Et merito quidem. Is enim & suapte natura nedum bonus, sed & uerum summumq; bonum est. Denicq; & prior nos dilexit, quo uerbo Ioannes iterum, quasi oleum igni inijciens, dilectionem nostram excitare & accendere conatur. Nihil enim efficacius ad accendendum in nobis charitatis ignem, quàm diuinæ erga nos charitatis diligens & crebra meditatio. Sed nunquid satis est diligere Deum? Vticq; satis est, ubi
Ioan. 14. charitas uera est. Qui enim Deum diligit, præcepta eius seruat: Interim tamen solet se hypocrisis sub hoc prætextu occultare, ut sint qui persuadeant sibi se Deum diligere, propterea, quod cum alijs uerbum Dei audiunt, cum alijs Deum laudant, denicq; externum cultum promouent, aut aliud quippiam externe pro Dei honore faciunt, cum tamen interim nedum nihilo melius agant, uerum insuper summa iniuria, & crudelitate proximos afficiant. Contra hos igitur Ioannes consequenter inuehitur.

Qui dicit (inquit) quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est]

Hic uides, quantum abominetur Ioannes omnem hypocrisim: Non uult ut Dei dilectionem uerbis iactemus, sed ut opere eam testemur. Sicut enim fidem probari & agnosci uult ex dilectione Dei, ita dilectionem Dei probari uult ex dilectione proximi. Hinc uerissimam sententiam subijcit:

Qui enim fratrem suum quem uidet non diligit, Deum quem non uidet quomodo potest diligere?]

Si non te mouet quod uides, nunquam te mouebit, quod uidere
Sup. c. 3. non potes. In eundem modum etiam supra dixit: Qui habet substantiam huius mundi, & uidet fratrem suum necessitatem habere, & claudit uiscera sua ab eo: quomodo charitas Patris manet in eo? Si enim id quod magis uidetur inesse, non inest: multo minus id quod minus uidetur inesse, inerit. Congrue igitur subdit:

Et hoc mandatum habemus á Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum]

Hoc uerbo concludit sermonem suum de dilectione, optima certe & conuenientissima conclusione. Idem autem est cum eo,

quod

quod Christus dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. hoc est primum mandatum. Alterum autem simile huic est: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis uniuersa lex pendet & prophetæ. In eundem modum & Salomon, quæ in Ecclesiaste suo scripserat, uno uerbo in fine complectitur: Finem (inquit) sermonis omnes audiamus, Deum time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo. Pulchre autem & idipsum uerbum Salomonis cum hoc uerbo Ioannis conuenit. Etsi enim Ioannes omnia ad charitatem, Salomon omnia ad timorem Dei referat, non tamen sibi contrariantur: Loquitur enim Salomon non de timore seruili, sed filiali, quem charitas (ut supra dictum est) nedum non expellit, uerum indiuiduum comitem secum habet & habere uult. Hunc enim timorem Deus ipse cordibus suorum fidelium se infusurum promisit. Qui igitur Deum uere diligit, is certo etiam eum ut filius patrem timet & obseruat. Et hactenus quidem Ioannes & de innocentia uitæ & de charitate disseruit. Matth. 22. Eccles. 12 Ezech. 36.

CAPVT V.

IN hoc ultimo capite Ioannes noster ostendere uult, quomodo intelligenda sint quæ hactenus de charitate uitaq; Christiana docuit. A fide exorsus est Epistolam, è fide docuit charitatem & Christianam uitam: Nunc in fine etiam totam Epistolam in & cum fide concludit, nimirum docere nos uolens, ut omnia quæ agimus, finaliter in Deum dirigamus, immo etiamsi fecerimus omnia quæ nobis præcepta sunt, tamen seruos inutiles nos reputemus, ac cum Dauide dicamus: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam super misericordia & ueritate tua, &c. Atq; hinc etiã nobis petendus est uerus modus & forma Christianè docendi, ut uidelicet primo fides, deinde bona opera doceantur, & ea tamen ipsa iterum in fidem & fiduciam meritorũ Christi dirigantur. Sunt enim qui fidem egregiè quidem docent, uerum charitatis & bonorum operum nulla unquam apud ipsos fit mentio. Atqui Deus non tantum à suis exigit honorem, uerumetiã obedientiam; Quid (inquit) dicitis mihi Domine Domine, & non facitis quę dico? Sunt alij qui post fidem & cum fide strenue etiã opera bona urgent: Verũ quia non simul docent in quem finẽ ea ipsa opera dirigenda, & quantum ipsis tribuendum sit, causam præbent quod simpliciores plærique in opera sua confidunt, sicq; in arenam ædificant. Neutri igitur ueram Christianè docendi formam mo- Luc. 17. Psal. 113. Luc. 6.

dumq; tenent. Eo diligentius à Ioanne huius rei exemplum petendum est. Quod autem idem Ioannes in commendatione & prædicatione fidei in Christum, Epistolam hanc suam concludit, primo se uerum Christi Apostolum probat, ad cuius officium pertinet, nedum post fidem opera bona docere, uerumetiam ostendere, quod ea opera non aliunde suam uim, uirtutem, radicem & originem habeant quàm ex fide. Et hoc quidem uel maxime necessarium est. Nam aliàs etiam Philosophi multa de uirtutibus tradiderunt, quæ tamen omnia, quandoquidem ex fide non procedunt, mortua sunt, nec quicquam prodesse possunt. Deinde etiam ideo Ioannes in fine Epistolæ uirtutem fidei paulo latius explicat, quia etsi hactenus sæpe & fidei & meritorum Christi, redemptionisq; & reconciliationis per eum factæ mentionem fecerit, in negotio tamen charitatis uersans, plenum aliquid & perfectum de his rebus disserere non potuit: Ideo uel nunc in fine, etiam fidei negotium aliquanto fusius tractat, ne quis ei obijcere possit, quod fidei, quam in Euangelio tantopere commendasset, oblitus, nunc nihil nisi opera doceat.

Omnis qui credit, quod Iesus est Christus, ex Deo natus est]

Hoc uerbo Diuus Ioannes & caput fidei nostræ exprimit, & simul etiam subindicat, eam fidem, de qua loquitur, non esse ociosam aliquam qualitatem in anima residentẽ, sed uiuam & efficacem Dei uirtutem & operationẽ, è qua duo illa maxima, de quibus hactenus egit, innocentia scilicet uitę & charitas, nascantur. Cęterum, illud quod Ioannes hic primo loco ponit, & quasi caput non tantum fidei nostræ, sed etiam omnis boni pronunciat, leuiculum uidetur ignorantibus uim uerborum. Quis enim non sibi ipsi persuadet, se credere quod Iesus sit Christus? Atqui uis omnis in hoc uocabulo (Christus) sita est & consistit. Christus autem Hebræis Messias, nobis unctus interpretatur. Idem igitur sunt & sibi uolunt hæc tria uocabula. Admonemur autem his uocabulis unctionis illius, quæ olim in & sub lege sacerdotibus & regibus conferebatur. Credere igitur, quod Iesus ille Nazarenus ueraciter Christus, Messias & unctus ille sit, est credere eum & sacerdotem & regem esse: nec tamen qualemcunq;, sed qualem eum scriptura depingit & Prophetæ prædixerunt, & eum quem Deus ipse regem
Psal.2. constituit super Syon montem sanctum suum, unxitq; oleo lętitiæ
Psal.44. præ participibus suis. Regem (inquam) non terrenum aut mundanum, sed cœlestem, qui suos è peccato, morte & Tyrannide Diaboli liberare, cœloq; inferere possit: Et sacerdotem, qui unico suo
Heb.9. sacrificio æternam nobis redemptionem inuenerit, adeoq; proprio sanguine suo in tabernaculum illud suum, non manufactum, cœlum uidelicet, intrauerit, ut assistat uultui Dei pro nobis, cuiq; ab eo die-

data sit omnis potestas in cœlo & in terra, nomenq; supra omne nomen, ut in nomine Iesu huius, omnia omnium in cœlo, terra & subtus terram uiuentium genua flectenda sint. Hoc (inquam) est credere quod Iesus sit Christus. Hoc credidit & confessus est Petrus, cum diceret: Tu es Christus, Filius Dei uiui. Hoc ut & nos credere possemus, Ioannes hic noster totum Euangelium suum scripsit. Hæc (inquit) scripta sunt, ut credatis quod Iesus est Christus, & ut credentes uitam habeatis in nomine eius. Cæterum, sicut Petrus cum Iesum confessus fuisset esse filium Dei, audire meruit: Beatus es Simon Bariona, &c. Ita & Ioannes hoc loco pronunciat omnes illos ex Deo natos, atq; adeo filios Dei esse, qui credunt Iesum esse Christum. Et hoc ipsum etiam in Euangelio suo affirmauit. Quotquot (inquit) receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, &c. Hæc igitur est fides illa, quam Paulus ubiq; tam insigniter prædicat & commendat. Propter hanc fidem Deus & Iudæos & Gentes citra omnem meritorum aut demeritorum respectum in gratiam sumpsit, iustificauit & in filios suos suscepit. Atq; hæc est iustitia illa fidei, quam Paulus tantopere iactat, quam & iustitiæ legis Moysaicæ, in qua gloriabantur Iudæi, opponit. Ignorantes (inquit) Dei iustitiam & suam uolentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Obserua autem, quod Ioannes non dicit, qui uerbis pronunciat, quod Iesus hic sit Christus, ex Deo natus est: Sed, Qui credit. Nam & Dæmones hoc confitebantur. Quid nobis (inquiunt) & tibi? Scimus quis sis, nempe sanctus ille Dei. Quod Euangelista exponens, Sciebant (inquit) ipsum esse Christum. Non tamen ob hanc confessionem inter filios Dei computantur. Eandem quidem confessionem ædunt, quam Petrus, uerum non eodem animo. Petrus ex fide & charitate confessus est, Dæmones aũt inuiti & coacti, immo & odientes, Christũ confessi sunt. Ideo Petri confessio cõmendatur, Dæmonũ aũt reprobatur: Increpans (inquit) non sinebat eos loqui. Itaq; non ex uerbis, sed ex fide confessio hæc uim & laudem suam habet. Matth. 28. Phil. 2. Matth. 16. Ioan. 20. Matth. 16. Ioan. 1. Rom. 5. Rom. 10. Mar. 1. Luc. 4.

Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo]

Ex dilectione ergo probatur, qui uere credant & confiteantur Christũ. Charitas enim est opus fidei: Nam fides per dilectionem operatur. Per fidem efficimur filij Dei, filius aũt diligit patrem, & simul etiam omnes, qui secum ex eodem patre progeniti sunt. Horum primus est Christus, secundum diuinitatẽ unigenitus ex Deo ante sæcula natus. Huic per adoptionem adiuncti sunt omnes credentes, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Gal. 5. Rom. 8.

Qui igitur Deum Patrem diligit, & Christũ & omnes creden-

tes diligit tanquam ex eodem patre genitos. Hinc igitur iterum uidere licet, fidem non esse ocioſum quid in homine latens, ſed uiuam quandam uirtutem, quæ nunquam non ſe exerit, ubicunq; occaſionem habet & inuenit.

In hoc cognoſcimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligimus & mandata eius ſeruamus]

Latius declarat quod dixerat, propter eos qui nimium ſibiipſis credunt & perſuadent, ſe habere quod non habent. Vult autem quod ſola dilectio Dei probet, in nobis esse ueram fidem: itidem & dilectio proximi, probet in nobis esse dilectionem Dei. Duo igitur ſigna diuinæ dilectionis hic ponit Ioannes: Primum, ſi diligamus filios Dei, tam naturalem uidelicet quàm adoptiuos: Secundum, ſi præcepta Dei ſeruemus. Obſeruandum hic, quod Ioannes prius in ſingulari, quaſi de uno filio Dei, locutus eſt. Qui diligit (inquit) eum qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ab eo. Hic autem loquitur in plurali de filijs Dei, quaſi de multis. In hoc (inquit) cognoſcimus, quod diligimus natos Dei, nimirum manifeſte alludens ad illud Pauli, quod Chriſtus ſit primogenitus in multis fratribus. Quanta autem gratia, immo quanta gloria eſt, quod Filius Dei nedum bona ſua, uerumetiam nomen ſuum nobis communicat? Vade (inquit) dic fratribus meis, Aſcendo ad patrem meum & patrem ueſtrum, &c. Et Paulus: Non confunditur (inquit) eos uocare fratres ſuos.

Rom. 8. Ioan. 20. Heb. 2.

Ad perpetuam igitur conſolationem noſtram, Ioannes hic unigenito Filio Dei adoptiuos nos coniungit, ne unquam de Dei erga nos dilectione dubitemus. Deinde etiam docere uoluit, quod hæc tria inſeparabiliter ſibi inuicem connexa ſint & cohæreant: Deus, Chriſtus, & Eccleſia ſeu uniuerſitas credentium, adeo, ut qui unum ex his uel diligat uel odiat, omnia diligat aut odiat. Huc pertinet quod Chriſtus ait: Qui uos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit. Et in alio loco, Qui uos ſpernit, me ſpernit: et qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. Itemq;, Cognoſcetis quod ego in Patre, & uos in me, & ego in uobis. Et iterum: Pater uolo ut ſicut tu in me & ego in te, ita & ipſi in nobis unum ſint, &c. Hinc & Paulus, Vos (inquit) eſtis Chriſti, Chriſtus autem Dei. Et iterum, Caput uiri Chriſtus, caput autem Chriſti Deus. Hinc & Chriſtus eos qui in ſe credentes diligunt, etiam ſuos dilectores agnoſcit: Quod (inquit) feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis. E diuerſo autem, Eccleſiæ & membrorum ſuorum perſecutorem Saulum, ut in ſe contumelioſum, etiam è cœlo increpat: Saule, Saule (inquit) quid me perſequeris.

Ioan. 13. Luc. 10. Ioan. 14. Ioan. 17. 1. Cor. 3. 2. Cor. 11. Matth. 25. Act. 9.

Ex

Ex hoc autem loco Diuus Augustinus uehementer urget Donatistas suos, atq; adeo etiam quoscunq; alios hæreticos & schismaticos, qui se iactant de fide & dilectione Christi, cum interim pernicioſissime Ecclesiã Christi scindant, lacerent, rideant, contemnant, blasphement, persequantur & scandalizent. Qualis autem fides & dilectio esse potest, Christum adorare & oretenus prædicare, corpus autem & membra eius persequi? Caput Christi osculari, & pedem eius calcare? Nonne enim etiam pes ad corpus & caput pertinet? Quis ferret osculantem sibi caput, qui simul etiam pedem ei calcaret? Quanto minus Christo placebit, quod simulata fide eum adoras, & fucatis uerbis eum glorificas, si non unum eius membrum, non pedem, sed totum eius corpus, totam Ecclesiam conculces, dissipes, rumpas? In hunc modum plura Augustinus contra Donatistas, quæ non minus competunt in schismaticos nostri temporis, qui Christum semper in ore habent, Ecclesiam autem summæ contemnunt: Verumtamen non contra solos schismaticos, uerumetiam contra quoscunq; Pseudochristianos hæc uerba obseruanda sunt. Et hi enim quantumuis se iactent de fide & dilectione Christi, interim tamen non cessant eos, qui membra Christi sunt, fraudare, grauare, opprimere, persequi, &c. Sciant igitur, quod quicquid mali proximis inferunt, in ipsum Christum & Deum Patrem se peccare. Quod aũt Ioannes etiam obseruantiã mandatorũ Dei, dicit esse alteram notam & signum diuinæ dilectionis, iam supra satis ostensum est. Cæterum quod annectit:

Et præcepta eius grauia non sunt]

Plærisq; huius temporis ceu paradoxum aliquod uidebitur, qui nouo quodam dogmate sibiipsis persuaserunt, præcepta Dei non modo carnalibus grauia, uerumetiam omnibus hominibus, quantumcunq; etiam pijs, obseruatu prorsus impossibilia esse. Et quidem si de incredulis sermo esset, plane constaret illud dogma. Illis enim, quia fidem non habent, uere impossibilia sunt præcepta Dei. Nam quia fidem non habent, nec Spiritum sanctum habent: Vbi autem deest Spiritus sanctus, illic nec charitas est, ea enim per solum spiritum diffunditur in corda nostra. Charitas autem sola implet legem & præcepta Dei: Finis enim legis, est dilectio, ait Paulus. Et qui proximum diligit, legem impleuit. Nam non adulterabis, Non occides, &c. et si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo instauratur. Diliges proximum tuum. Et Christus ipse: In his duobus mandatis uniuersa lex pendet & Prophetæ. Rom. 5. 1. Tim. 1. Rom. 13. Matth. 1.

Qui igitur charitate uacuus est, nullum mandatum implet. Vnde & ipsis Iudæis Christus improperat, quod legem quidem accepissent, nemo aũt ex eis legem faceret aut obseruaret. Et Petrus legem Ioan. 7.

nominat

Act.15. nominat onus importabile, propterea, quod tempore legis spiritus nondum erat datus, atq; adeo nec charitas in cordibus hominum
Ioan.7. diffusa. Solo igitur spiritu seruitutis & timoris ducebantur, qui spiritus legem non implet. Non enim coactum & inuitum, sed hila-
2.Cor.9. rem diligit Deus. Cæterum, qui asserunt etiam Christiano regenerato & credenti, præcepta Dei obseruatu impossibilia esse, primum indiscrete loquuntur, quia per hoc simpliciores à præceptis Dei retrahunt. Nemo enim facile rem aggreditur, quam audit sibi impossibilem. Deinde etiam aperte falsum dicunt. Nam qui in Christum credit, is accipit Spiritum sanctum, per quem charitas in cor eius diffunditur, quæ & omnium præceptorum (ut iam diximus) fi-
Matth.17. nis & impletio est. Credenti igitur omnia possibilia sunt, ut Christus ipse dicit. Et Paulus dicit se omnia posse in eo, qui ipsum con-
Phil.4. fortat. Longe igitur aliter loquendum est de incredulis, quàm de credentibus. Quod autem credentibus præcepta Dei nedum non impossibilia, sed ne grauia quidem sint, testatur ipse Christus, qui iugum suum suaue, & onus suum leue pronunciat. Consentit &
Matth.11. Deut.30. Moyses: Mandatum (inquit) quod tibi præcipio non supra te est, nec à longe positum, sed prope te est in ore & corde tuo, &c. Quin & in mundo uidemus, quod amor & spes acquirendi omnia, etiam grauissima, nedum possibilia, uerumetiam leuia faciunt: quanto magis hoc poterunt amor Dei & spes æternorum bonorum? Atqui hæc duo, spes & charitas, præcipua sunt, quæ fidem consequun-
1.Cor.13. tur. Nunc (inquit) manent fides, spes, charitas, tria hæc. Quod
Psal.16. autem aliqui uerbum illud Dauidis, propter uerba (Labiorum tuorum ego custodiui uias duras) ad grauitatem & impossibilitatem præceptorum trahunt, non obstat. Aut enim uerbum istud de externis piorum afflictionibus intelligitur, aut si ad præcepta Dei trahatur, intelligi debet de his, qui solo adhuc spiritu timoris & seruitutis ducuntur. Solus enim charitatis & adoptionis spiritus, præcepta Dei facilia facit. Ioannes igitur dicendo, Mandata Dei grauia non esse, & pios omnes ad obseruantiam præceptorum Dei inuitare, & pigris acocioſis omnem excusationem adimere uoluit.

Omne quod natum est ex Deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra]

Hic primo uidemus Ioannem uere dixisse, quod præcepta Dei grauia non sint. In seipsis enim uere grauia non sunt credenti & amanti. Quod aũt grauia uidentur, facit mũdus, caro & Diabolus. Nã mũdus offert & obiicit appetibilia, diuitias, honores, uoluptates, gaudia, &c. Caro appetit quæ sibi cõueniũt, refugit quę sibi discõueniunt: Diabolus autem crucem & persecutiones nihilq; non malorum excitat contra credentes.

Atq;

Atq; hinc est, quod præcepta Dei grauia uidentur. Quid autem dicit Ioannes? Omne quod natum est à Deo, uincit mundum, hoc est, incitamenta mundi, atq; adeo etiam & tentationes carnis & malitiã Diaboli. Vincit autem non propria uirtute, sed per fidem. Hæc (inquit) est uictoria, quæ uincit mundum, fides nostra. Meritò autem fidei hæc uictoria tribuitur, quia fides innititur ei, qui omnia potest. Huc pertinet quod & supra ex Paulo adduxi: Omnia possum in eo, qui me confortat. Et quod Christus ipse dicit, credenti omnia esse possibilia, adeo, ut etiam montes transferre possit. Itemq;, contra petram fidei nec portas inferorum unquam præualituras. Huc pertinent exempla patrum, quæ Paulus adducit in Epistola ad Hebræos: Sancti (inquit) per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, &c. Fides enim in omnibus aduersis suggerit consolationes. Amittenti temporalia, suggerit: Thesaurum habes in cœlo. Perferenti paupertatem, exilium, &c. dicit, Pater tuus in cœlo scit quibus rebus indigeas. Persecutionem patienti dicit: Tuum est regnum cœlorum. Morienti dicit: Siue uiuimus, siue morimur, Domini sumus, &c. Fide igitur omnia uincimus. Ideo & Petrus uult, ut fide aduersario nostro Diabolo resistamus. Obseruãdum autem hic, quàm ordinate Ioannes omnia proponat. Primo enim nominat filios Dei, uel quod ex Deo natum est. Deinde mundum. Tertio, quod nam inter hæc duo fortius sit. Quarto, in quo consistat illa fortitudo. Quinto, quæ sit illa fides, qua uincitur mundus. Per Christum igitur, qui unigenitus Filius Dei est, efficimur & nos filij Dei, ut supra ostensum est. Propter Christum odit nos mundus. Si de mundo essetis (inquit) mundus quod suum erat diligeret: sed quia ego uos è mundo uocaui, ideo odit uos mundus. Sicut autem propter Christum odium mundi patimur, sic in Christo & per Christum mundum uincimus. Atq; in hunc modum & patiendo & uincendo, efficimur conformes imagini eius. Vincimus autem sola fide in ipsum Christum: Confidite (inquit) ego uici mundum. Huc pertinet quod sequitur.

Phil. 4. Mar. 11. Matth. 16. Heb. 11. Matth. 19. Matth. 5. Rom. 14. 1. Pet. 5. Ioan. 15. Rom. 8. Ioan. 16.

Quis est autem, qui uincit mundum, nisi qui credit, quod Iesus est Filius Dei?

De hac fide sola loquitur Ioannes. Sola etiam hæc & nulla alia uincit mundum. Itaq;, si credis quod Christus iustitia nostra est & propitiatio, non te angustiabunt peccata: Si credis Christum esse uitam, non te terrebit mors: Si credis Christum mundo fortiorem, non curabis odium mundi: Si credis Christum esse cœli & terræ Dominũ, non timebis exiliũ: Si credis Christum esse Filiũ Dei, non timebis filios hominũ, &c. Quis est (inquit) qui uincit mundum, &c.

Sic

Sic igitur Diuus Ioannes fidei duo hæc connectit & substituit, Dilectionē uidelicet Dei & proximi, & uictoriā mundi. Ex his enim duobus fides probatur esse uera & uiua. Ea autem fides, quæ se nec per charitatem exerit, nec mundum uincit, sed à mundo & carne uincitur, nec una nec uera fides est. Non igitur satis est dicere, Cre-
Iac.2. do. Nam & Diabolus credit & contremiscit. Immo, qui dicit se credere in Christū, nec tamen diligit, & insuper etiam uinci se patitur à concupiscentijs mundi & carnis, ex illis est, de quibus Paulus ait:
Tit.3. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus. Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine]

Hic Ioannes redit ad institutū suum. Incœperat in exordio huius ultimi capituli summā & caput fidei nostræ proponere, nempe Christum esse uitam & salutē nostrā. Hoc igitur nūc latius probare uult. Pulchris aūt utitur argumentis, quibus probat Christū esse uerum & unicū mundi seruatorē. Horum primū est, quod dicit eū uenisse per aquam & sanguinē. Per aquam aliqui intelligunt Baptismum, quem & Christus prior suscepit, & deinde etiam nobis instituit: Per sanguinē aūt ipsius mortem. Christus igitur uenit per aquam & sanguinem, hoc est, Baptismū suscepit & instituit in remissionē peccatorū nostrorū, deniq; & seipsum Deo Patri in cruce obtulit ad reconciliationē nostram. Et ex duobus his probatur & conuincitur, esse uerus & unicus seruator mundi. Baptizari uoluit, ut innocentiā nobis restitueret: Mori uoluit, ut uiam ad immortalitatē nobis aperiret. Aliqui sic intelligunt uerbum hoc: Hic est qui uenit per aquam, hoc est, congregauit sibi populum (Nam aquæ multæ si-
Apoc.17. gnificant populos multos) Non solum aūt per aquam uenit, hoc est, homines sibi aggregauit, uerumetiā per sanguinē, hoc est, eos etiam ad se congregatos homines & populos à morte redemit, atq; adeo longe maiora potuit & effecit, quàm Moyses. Nam & ipse uenit quidē per aquā, hoc est, aggregauit sibi populum Israëliticū: uerū non uenit per sanguinē, nec enim à morte æterna eos redimere po-
Exod.12. tui, imò nec ex Ægypto ipsos liberare potuit, nisi sanguine alieno, agni scilicet immolati, qui Christum figurabat. Alij aquam & sanguinem intelligunt, de duobus Sacramentis, Baptismo uidelicet & Eucharistia. Nam & ex hoc certo conuincitur, Christum esse uerum & unicum saluatorem mundi, quod nondum in Baptismo credentes in se, à peccatis lauat, uerum insuper etiam corpore & sanguine suo eos pascit. Alij per aquam intelligunt diuinā illam & cœlestem doctrinā & sapientiam, quam Christus nobis attulit. Ea enim non incongrue per aquam significatur, propterea, quod in se munda est, & insuper nos & reficit & consolatur. Deniq; & è supernis fluit,

nec

nec fluere cessat usq; in finē mūdi. Et sicut ex aqua ferme oia uiuentia nascūtur, uegetantur, cōseruantur: sic & nos cœlesti illa doctrina & uerbo Dei regeneramur & uegetamur. Voluntarie (inquit) genuit nos uerbo ueritatis. Et, Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei. Christus igitur per aquam uenit, quia cœlestē nobis doctrinā attulit: uenit & per sanguinē, quia pro nobis seipsū obtulit hostiā Deo in odorē suauitatis: Venit nedum ut doctor, uerūetiā ut redemptor. Atq; in hoc longe excellit Moysen, qui & ipse quidem doctor fuit & cœlestē doctrinā attulit, legem scilicet, uerum non fuit redemptor, non potuit à peccatis redimere eos quos docebat: Per solam igitur aquam uenit, non per sanguinem. Atq; hoc est discrimen inter Moysen & Christum. Vterq; enim per aquam uel cum aqua, hoc est, cœlesti doctrina uenit: At solus Christus per aquam & sanguinem uenit, solus & docere & redimere potuit. Iac.1. Deut.8. Ephes.5.

Et spiritus est qui testificatur, quod Iesus est ueritas]

Ad maiorem confirmationē fidei nostræ, etiam alia testimonia adfert Ioannes & quidem plura. Spiritus aūt, de quo Ioannes hic loquitur, uel est spiritus ille sanctus, qui in specie columbæ super Christū apparuit, dum baptizaretur: Per hunc enim Ioannes certificatus fuit, hunc Iesum esse Christum & Messiā, uel est spiritus illa sanctificationis, qui Iesum suscitauit à mortuis. Nam & per hunc Paulus dicit Christum declaratum esse Filium Dei. Vel est energia illa & uera diuina uirtus, quæ in Christo omnibusq; quæ agebat & docebat, operabatur: adeo, ut quod instituebat, nemo impedire potuerit, quemadmodum & discipulis dicebat: Ego dabo uobis os & sapientiā, cum non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij uestri. Et Gamaliel, Si ex Deo est negocium hoc, non poteritis ipsum impedire, &c. Et hic igitur spiritus uel energia, testimonium apertissime perhibet, quod Christus est ueritas, hoc est, quod nihil in eo fictū, fucatū, aut dubiū, sed omnia in ipso uera, certa, indubitata & infallibilia sunt: In ipso enim omnia sunt, Amen & etiam. Matth.3. Ioan.1. Rom.1. Luc.21. Act.5. 2.Cor.1.

Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater & uerbum & Spiritus sanctus. Et hi tres unum sunt]

In ore duorū aut trium testiū, stabit omne uerbum, ait Moyses. At Christus non duo tantū aut tria, uerum sex testimonia habet: tria è cœlis, tria in terris: Testatur de ipso pater, cum dicit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Testatus est Christus de seipso primū omnipotenti uerbo suo, quo nihil non potuit. Deinde etiam miraculis quàm plurimis. Etsi ego (inquit) testimoniū perhibeo de meipso, testimoniū meum uerū est, quia solus non sum, &c. Hinc & aduersarios suos ad miracula sua dirigit: Si mihi (inquit) Deut.17. Matt.3. & 17. Ioan.8. Ioan.10.

non creditis, operibus credite, &c. Itemq; Opera quæ ego facio, illa testimoniū perhibent de me. Et iterum, Si non facio opera patris, nolite credere mihi, &c. Spiritus aūt sanctus de Christo testa-
Matth. 3. tus est, primo, cum super ipsum apparuit in specie columbæ. Secun-
Matth. 17. do, cum in transfiguratione apparuit in forma nubis lucidę. Tertio,
Act. 2. cum super discipulos apparuit in igneis linguis, ipsosq; ita accendit, ut publice prædicarent Christum esse uerum Messiā & saluatorem mundi. An non aūt ingentia & fide digna sunt testimonia hæc? Et hi tres (inquit) unum sunt, non tantum in natura, sed quia uniformiter Christo testimonium perhibent.

Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua & sanguis. Et hi tres unum sunt]

Hæc tria testimonia etiam supra posuit, uerum repetit ea ad maiorem confirmationem. Quanquam aliqui priora illa testimonia referant ad diuinitatē Christi, hæc aūt posteriora ad eius humanitatē: Testimoniū (inquam) patris, Spiritus sancti, & uerbi uel operum, quæ uirtute omnipotentis uerbi facta sunt, probant Christum esse uerum Deum. At spiritus, quem Christus moriens in manus patris tradidit, itemq; sanguis & aqua, quæ de latere eius profluxerunt,
Ioan. 19. testantur ipsum uerum fuisse & esse hominem. Omnia autem hæc testimonia inter se conueniunt: Alioqui, si inter se dissiderent, nihil probarent. Ideo utrinq; addit: Et hi tres unum sunt. Pater igitur, uerbum & Spiritus sanctus testantur, Christum non solum esse hominem, uerumetiam Deum: Spiritus aūt, aqua & sanguis, testantur eum non solum esse Deum, uerumetiam hominem. Et talis etiam nobis necessarius erat saluator, qui ut uerus homo pro peccatis nostris mori posset, & ut uerus Deus à mortuis resurgere, remissionemq; peccatorum, Spiritum sanctum, uitam, iustitiam, & salutem conferre posset. Solus aūt Christus hæc testimonia habet, ideo & solus ipse uerus saluator noster est: Nec est in alio aliquo salus. Non enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus,
Act. 4. in quo oporteat nos saluos fieri, nisi nomē Iesu. Atq; hic uide, quanta sit certitudo fidei nostræ. Nulla enim alia fides, tot & tanta habet testimonia. Cæterum, quemadmodum Christus testimoniū habet è cœlo & in terra, quod solus ipse sit uerus & unicus saluator mundi: Sic & Christianus quisq; eadem testimonia habet, se esse Filiū Dei.
Ezech. 36. Hoc enim testatur Deus pater cum dicit: Erunt mihi in filios & filias, & ego ero eis in patrem. Hoc ipsum testatur & Christus, cum
Matth 6. dicit: Scit pater uester in cœlis, quod his omnibus indigetis. Itemq;
Ioan. 16. Ipse pater amat uos, &c. Insuper & Spiritus sanctus testimonium
Rom. 8. perhibet spiritui nostro, quod sumus filij Dei, facitq; ut clamemus Abba, Pater. Hoc idem (quod uidelicet filij Dei sumus) testatur

etiam

etiam Baptismus, quo abluti sumus in nomine sanctæ Trinitatis: Sacramentū corporis & sanguinis Christi, quo pascimur: & Spiritus sancti instinctus, quem interne sentimus. Quid igitur Christiano homine beatius, qui tanta testimonia habet?

Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est]

Argumentum à minori, Si hominibus adhibetur fides, de quibus scriptum est: Omnis homo mendax, hoc est, qui & fallere & falli possunt, quanto magis Deo adhibenda est fides, qui ipsa veritas est, & cuius uerbum inæternū permanet. Non enim est Deus ut homo, qui mentiri possit. Non (inquit) reuertetur uerbum meum ad me uanum. Psal. 115. Num. 23. Isa. 55.

Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se]

Hoc est, non innititur homini, sed Deo: non rei dubiæ, sed certissimæ & infallibili ueritati, atq; adeo non in arenam, sed supra firmissimam petram ædificat.

Qui autem non credit, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo]

Credere Christum esse Filium Dei, ut summam homini adfert utilitatem, & Deum quoq; summo afficit honore: Ita & nolle credere, Christum esse Dei Filium, & certam affert homini perniciem (Qui enim non credit, iam iudicatus est) & Deo summam irrogat ignominiam, quia mendacem eum facit. Summum enim exhibet honorem Deo, qui infallibilem ei ueritatem tribuit, & tota fiducia uerbo eius innititur. E diuerso, summe Deum contemnit, qui de uerbo & ueritate eius dubitat. Hinc itaq; est, quod fidei tantum tribuit scriptura. Qui me (inquit) glorificat, glorificabo eum: At fides glorificat Deum, dum ei certissimam ueritatē tribuit. Credentem igitur etiam Deus glorificat, remissione peccatorum & uarijs donis gratiarum. Qui autem Deum dignum non iudicat, cuius uerbis secure credi possit, is uere Deum inhonorat, atq; adeo nec honoratur, sed in ignominia & peccatis perire permittitur: Qui me cōtemnunt, erunt ignobiles. Ioan. 3. 1. Reg. 2.

Et hoc est testimonium, quoniam uitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc uita in Filio eius est]

Hic tandem Diuus Ioannes Epistolam suam concludere, & quę dixerat, in Epilogum contrahere incipit. Summa autem omnium quæ dixit, est, quod credentes in Christum certo uitam habemus, neq; tamen per alium quàm per Christum. Atq; adeo in hac sua conclusione, idem Apostolus fructus fidei recenset. Horum primus

est uita æterna. Vita enim æterna in Filio Dei est, ergo qui Filium
Col.2. Dei habet, etiam uitam æternam habet: In ipso enim inhabitat omnis
Ioan.1. plenitudo diuinitatis: In ipso ab æterno uita erat: Ipse est uia,
Ioan.14. & 11. ueritas & uita, itemq; & resurrectio. In ipsum igitur omnis gloria referenda est, & referri debet.

Hæc scribo, ut sciatis, quoniam uitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.]

Repetit quæ dixerat, ut magis animis nostris inhæreant. Hæc enim duo uel maxime nobis inculcata uult, quod per fidem uitam habeamus, idq; per solum Christũ. Nemo igitur quicquam sibiipsi
1.Cor.1. ascribat. Christus factus est nobis à Deo iustitia, sanctificatio & redemptio: Absit igitur, ut in aliquo alio gloriemur, præterquam in
Gal.6. cruce Domini Iesu Christi. Hæc igitur scire, summa Christianorum sapientia est, qua maior utiliorue ne cogitari quidem potest. Con-
Matth.11. fiteor (inquit) tibi Pater & Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapiẽtibus & prudentibus huius sęculi, & reuelasti ea paruulis,

Et hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunq; petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos.]

Altus fructus fidei, certa scilicet fiducia, quod à Deo exaudiamur in orationibus, id quod & Christus ipse non semel credentibus, &
Ioan.16. quidem cum iuramento promisit: Amen, amen (inquit) dico uobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Quemadmodum enim qui Christum habet, uitam habet, propterea, quod Christus ipse uita est: ita & qui Christum habet, etiam omnia à Deo
Matth.17. impetrat, propterea, quod solus ipse est, in quo Deus summe sibi complacet. Et quid maius uel optare quidem posset homo? Addit tamen, Si secundum uoluntatem eius, hoc est, si quæ bona & sancta sunt petamus. Nam uoluntas eius bona & sancta est. Hanc ipsam autem fiduciam, immo certitudinem impetrandi à Deo quæcunq; petimus, iterum atq; tertio quoq; repetit, ad maiorem uidelicet confirmationem. Scimus (inquit) quia audit nos, quicquid petierimus. Et, Scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo: Vtuel hic uideas, quantum in fide nobis situm sit.

Qui scit fratrem suum peccare, peccatum non ad mortem: petat, & dabitur ei uita, peccanti non ad mortem.]

Vel hic uides, quantũ possit corã Deo, qui in Christũ credit. In fide enim orans, non sibi tantũ, uerũetiã alijs impetrat uitã, & quod plus est etiam peccatoribus, ueruntamen ijs tantũ, qui etsi peccant, non tamen ad mortẽ peccant, hoc est, non ex malitia aut contẽptu Dei, non ex obstinatione aut desperatione, sed uel ex ignorantia aut infirmitate humana, & quorum peccatum non Diabolicum, sed humanum

manum est? Sic Moyses etiam peccanti populo, & Stephanus sequenti Saulo impetrauerunt uitam. Exod.32. Act.7.

Est peccatum ad mortem, non dico, ut pro illo roget quis]

Ad mortem peccat, qui non ignoranter, sed scienter, obstinate & perseueranter peccat, adeoq; de peccatis non pœnitet: ut etiam ueritati reclamet, Hoc est peccatum ad mortem, peccatum non humanum, sed Diabolicum: Peccatum in Spiritum sanctum, quod neq; in hoc, neq; in futuro sæculo dimittetur. Vnde & Ioannes non uult, ut pro huiusmodi oremus, cui consonat & illud Christi: Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Itemq;, Si frater peccans, neq; te, neq; Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Huc pertinet & illud Pauli: Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem deuita. Et illud Christi: Si non receperint uos, etiam puluerem qui adhæsit pedibus uestris, excutite in testimonium illis. Cur enim pro illis orandum esset, qui pro se orari nolunt? aut quid illis daret Deus, qui eum contemnunt, ac dona eius respuunt? Peccant quidem etiam pij, & interdum admodum grauiter, ut in Dauide uidemus, uerum non peccant ad mortem. Quia etsi septies in die cadat iustus, tamen resurgit, adeoq; etiam cadens non colliditur, quia Dominus supponit manum suam. Matth.12. Matth.15. Matth.18. Tit.3. Matth.10. 2.Reg.11. Prou.24. Psal.36.

Scimus, quoniam omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum]

Non peccat uidelicet ad mortem, hoc autem non habet ex seipso, sed ex eo, quod per fidem & Baptismum regeneratus est in filium Dei. Hæc enim regeneratio conseruat eum, nam fide efficitur filius Dei, fide mundatur à peccatis, fide conseruatur in adepta iustitia, fide uincit mundum, carnem & Diabolum: fide etiam post lapsum resurgit, ideo nec Satan eum tangere potest. Tentare quidem potest & audet etiam pios. Sic enim & Christum ipsum tentare ausus fuit, denicq; etiam interdum ad casum impellit iustos, quemadmodum uidemus in Dauide & Petro: Finaliter tamen, quemadmodum nihil in Christo habere potuit, sic nec sanctis præualere potest. Nemo enim Christo oues suas è manibus rapere potest. Vnde & iturus ad passionem, omnes in se credentes Deo Patri commendauit. Matth.4. Ioan.14. Ioan.10. Ioan.17.

Scimus, quoniam ex Deo sumus, & mundus totus in maligno positus est]

Magnum inter credentes & non credentes discrimen facit. Illi

ex Deo sunt, ideo non peccant. Mundus in maligno positus est,
Ioan. 8. ideo non potest non peccare. Ego quod apud Patrem meum uidi (ait Christus) hoc facio: Vos autem quæ apud Patrem uestrum uidistis, facitis: Ille erat homicida ab initio, & in ueritate non stetit &c.

Scimus, quoniam Filius Dei uenit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum uerum, & simus in uero filio eius. Hic est uerus Deus, & uita æterna]

Conclusio est omnium quæ dixit, & summa totius Christianæ doctrinæ, scire uidelicet, quod Christus uenit & quod per ipsum agnouimus & uerum Deum, & quæ sit uera religio: insuper &
Ioan. 17. quomodo in ea religione uiuendum sit. Hæc est (inquit) uita æterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Filioli, custodite uos à simulachris]

Hunc appendicem non incongrue nec sine causa annexuit Epistolæ suæ, quia enim docuerat unum & solum uerum Deum esse, qui & seipsum in Filio suo manifestauit, & per eum nos docuit, quod uerus Dei cultus in fide, spe & charitate, itemq; puritate & sanctitate uitæ consistat: necessario nunc monet, ut in ea fide & uero Dei cultu permaneamus, & ab omni Idololatria caueamus.

Sic igitur in tota hac Epistola, Ioannes duo hæc nos docere uoluit, quod uidelicet unus tantum est uerus Deus, & una tantum uera religio. Iesus Christus cum Patre & Spiritu sancto unus & uerus est Deus: Christiana autem religio uerus & unicus est cultus Dei. Ea enim religio & Deo omnem gloriam per Christum ascribit, & nobis per eundem Christũ uitam & salutem adfert. Agnoscit Christum nedum uerum hominem, sed etiam uerum Deum esse, & talem Deum, qui non externis & uisibilibus rebus tantum, non in specie & hypocrisi, uerum in spiritu & ueri-
Ioan. 4. tate, hoc est, fide, spe, charitate & pia conuersatione coli uult & adorari.

SOLI DEO GLORIA.

Ex officina Francisci Behem Typographi Moguntiæ apud S. Victorem. Anno Domini

M. D. L.

Exemplum ueri Pelicanum cernis amoris,
Qui reficit pullos ipse cruore suos.
Sic amor est Christi, qui nobis sanguine fuso
Restituit uitam, ac in cruce regna dedit.